SYNTAXES ARTIS MIRABILIS,

IN LIBROS SEPTEM DIGESTAE.

Per quas de omni re proposita, multis, & propè infinitis rationibus disputari, aut tractari, omniumque summaria cognitio haberi potest.

Authore Petro Gregorio Tholosano I.V. Doctore, & in academia Cadurcensi publico iuris ciuilis professore.

Nunc recens, de mandato SS. Officij Inquisitionis reuisæ, & expurgatæ, ut plenius indicat præfatio ad Lectorem.

VIRTVTI SIC



CEDIT INVIDIA.



VENETIIS,
Ex Officina Damiani Zenarii. 1586.

DAMIANVS ZENARVS Bibliopola Venetus,

AD LECTOREM.

SI magna laude, digni (amice Lector) existimantur ij, qui Reip. literariæ suis elucubrationib. utilitatem, & splendorem afferre quoquomodo conantur, profecto & summis, & maximis laudibus Petrum Gregorium Tholosanum dignissimū censere debemus; quippe qui nec uigilijs, nec laboribus parcens artis mirabilis Syntaxes edidit, quarum laudandarum finem uere, aut ne uix quidem uiri peritissimi faciunt, illasque alij equo illi Troiano, alii Arcæ magni Patris Noe comparare non dubitarunt, & quidem non immerito: nam si uerum fatendum est, uir iste doctissimus iudicio singulari, ac fere incomparabili ea in paruis libellis complexus est, quæ haud facile in multis, magnisque uoluminibus alius quis comprehendere potuisset: ita ut nobis uno eodēque tempore unum, eundemque hominē Astronomum, Physiologum, Iurisperitum, Moralem, ac Theologum agnoscere liceat: unde fit, ut & Theologi, & iurisperiti, & philosophi tam naturales, quam morales, & Astronomi, & si qui sunt alii, qui literarum studia callere satagant, in his Artis Mirabilis Syntaxibus ea, quæ magis libuerint, adamussim discere possint. Verum quia non om

omnia possumus omnes,& in multis sæpe labitur ingenium humanum, erant in hoc opere aliqua, quo ad purum sacræ Religionis cultum non parua censura digna,quæ in causa extiterũt,ut a multis hoc opus alioqui utilissimum parui æstimaretur,imo illi ipsi, a quibus imprimis summis laudibus extollebatur,illud sibi comparare,uel iam cõparatum apud se retinere maxime formidabant. Quapropter curatum est ut illud ab Officio SS. Inquisitionis reuideretur,corrigeretur,& expurgaretur,quod diligentissime factum est, ac reuisum, correctum, & expurgatum nunc rursus in lucem prodire studuimus:Reliquum est studiose lector,ut hanc nostram diligentiam hilari,libentiq. animo suscipias,nosq. ad maiora properãtes pro uiribus adiuues,atq. foueas. Vale.

OMNIPOTENTI, IMPERATORI VNIVERSI,

Et Imperatorum Domino, vnico, & in trinitate ineffabili, viuenti Deo, suo liberalissimo plusquam mœcenati Petrus Gregorius.

PRæterierunt aliquot anni, adorande Domine, quibus talentũ, quod nullus præcedentibus meritis largitus mihi es, oportuit me negotiationi commode concedere: requirebas usuras, & accessiones, si quas fecissem sorti. Non potui certe rationes calendarij, tibi qui omnia nosti, subtrahere: conscius mihi tamen, quod non ea qua decebat diligẽtia sim in eo negotiatus, ausus non fui statim ubi petijsti, exiguum illud quod apud me erat peculiolum promere, uix ad sortem exoluendam sufficiens. Verum cogitanti mihi, & opes quibus abundas, cum ea qua premor inopia conferenti, subit: te non tam lucrum, quod postulas, quam animum, & laborem debentis perpende-

re. Quamobrem & ea ſpe firmatus, ad ſuſpendendas initas iam rationes, proque interuſurio, hoc opuſculum breue quidem, ſed, ni fallor, perquam rei publicæ utile, tuo nomini obtuli, reliqua omnia ſi annuas, redditurus.

CHRISTIANISSIMO REGI GALLIARVM, ET POLONIAE,

Henrico III. P. Gregorius academiæ Cadurcensis professor publicus.

DVO sunt, Christianissime Rex, quibus ciuilis societas stabilita, & semper conseruata est, ratio & legitima coactio; illa, leges peperit, ista, leges conseruauit; ut contra, parum sit arma foris esse, nisi sit consilium domi, & quod ratio non suadet, ultio imperat. Atque & artes imperatoriæ, duæ, in legibus optimis condendis, & in armis legitime pertractandis; utraque pacem finem habet, & pacis quietisque desiderium, reges constituit. Bella suscipiuntur, ut in pace uiuatur, & leges in pace colimus, ut belli causas præscindamus. Idcirco optimæ cuiusque bene institutæ reipublicæ, olim Imperatores, & principes, non solum in pugnam educere acies, sed & bonis probisque disciplinis instructi, exer-

citum continere, & regere nouerant, quibus eruditis, & æquisſimis orationibus, & legib. concitabant, exacuebant, retrahebant, & continebant militum enſes, & animos ſubditorum, & hoſtium mentes: ut non tam ui armata, quam iuſto, & accommodo conſilio, oppida, ciuitates, prouincias, & regna ipſa ſubigerent. in hoc præſtabant cæteris Romani, hominumque bene imperantium ſoli, laude ut plerunque digni habiti ſunt. Et quidem, ui uel robore exercitus, hoſtem aggredi, brutorum ferocium moribus peculiare, & proprium, quæ furore iræ in ipſo impetu concitantur. At, cum hoſte, conſilio congredi, Vulcaniiſque ſe regere armis, expugnare, & debellare ſuperbos, prudentisſimi, & abſolutæ uirtutis principis eſt. Vt merito gloria immortali donandi, & celebrandi ſint, qui regum ingenia, humanioribus, & iuris utriuſque diſciplinis, ab ineunte ætate imbuunt, & cum Martis laboribus, in illorum inſtitutione Palladis artes maritant, & conferunt. Quæ omnia ſimul hæc, imperatori optimo neceſſaria. Is enim qui ſolum ſanguinolentas nouerit temere inſtruere turbas, & legiones, uix eſt, qui non in Phallaridis declinet crudelitatis infamiam: ut is, qui ſolum ſtudiis liberalibus, & legibus componendis omnem laborem impendit, rarum eſt, ſi non in Nini declinet otium: et ſi, propter impiorum audaciam, quæ araneorum telas uiolant, ni compeſcantur, non imperio priuetur. Ex utroque autem, admirandus, & optimus naſcitur, & deſideratur a populis princeps. Quo factum, ut

triplex

triplex ista tua Gallia, prudentissimo, & magnanimo principe, fratre tuo Rege Christianissimo orbata, tui desiderio qui aberas aliquandiu, ingemuerit: spem statam, in tam turbato statu, & incendio tam late propagato seditionum, in te uno post Dei opem habens: tanquam in eo, qui disciplinæ suæ militaris, usque adeo in ante actis iuuenilibus annis testimonium celebre dederit, & qui usque adeo bonos, peritos, & prudentes honorauerit, sesque ita eruditum, & probum exhibuerit, ut a Sarmatis, siue Poloniensibus in comitiis, multorum hominum, & tribuum millibus constipatis, solus electus dignusque habitus sit, ad barbara, & indomita uicina regna conculcanda. Cœperat quidem Polonia te hoc anno frui, & iam cogitabant hostes eius de pace, & tributi oblatione: sed reuocauit te non minore cum tui laude regnum natale, quam Polonia inde elegisset. Potuit enim ultra id quod eras dignus eo regno, te regni spendor prouocare. Sed quod in regnum natale redieris, eximium magis quippiam fecit; non enim te reduxit uiuendi in otio, uel splendore uoluptas, sed afflictarum rerum commiseratio, patriæ pietas, & proximorum labor immensus; ut curares, componeres, & restitueres ea, quæ non nisi a principe bonis legibus, & disciplinis, & militari arte instructo, curari, componi, & restitui queunt. Ades itaque talis nobis, & talia nobis proxime futura speramus, & pro iis Deo gratias, & tibi agimus: te omnes non ut re-

gem

gem ſolum, ſed ut ſapientisſimum paſtorem populorum afflicti expectabant: te, ut patrem amplectuntur,& uenerantur,tibi ſua quotidie, & magna certe,& quæ habent cuncta „offerunt, deuouent,& conſecrant. Ego quoque, qui non habeo, quo posſim ad modulum lætitiæ animi mei gratulari,qui non eas opes quas tibi reliqui,offerunt posſideo, theſauri mei quaſdam primitias exhibeo. Compendium inquam, cognitionis rerum uniuerſarum,per ſyntaxes compoſitum. Cui accedet,Dei & tuis auſpiciis,ſtatim alia ſecunda pars, qua ſyntaxes omnium artium,ſi Deus uoluerit,& ſi uixero, producam cum commentariis utriuſq. partis,additaque magna epitome iuris utriuſque in qua pluſquam decem annos laboraui. Quæ ut ſpero, poterunt rempublicam aliqua in parte iuuare,eruntque tibi & poſteris, teſtes locupletisſimi otii noſtri literarii,& quietis a lectionibus iuris ciuilis quotidianis impetratæ: omnia enim, me utilitati reipublicæ,& meipſum, debere arbitror: ut ſi quando in tuo comitatu Cadurcenſi, & academia eius,in qua publicus dictus ſum profeſſor iuris Cæſarei, a prælectionibus uacare contingat aliqua iuſta cauſa,tempus illud vacuum ab hoc labore non ſit,eo ſemper uiuens animo, ut illam non ſinam præterire occaſionem,ex qua putem meo labore, utilitatem communi ſocietati acceſſuram,quin ſi eam præſtare posſim, non experiar:ſed eo lubentius,quod ſciam certusq; ſim, nos ante oculos laborare principis, & imperatoris optimi, qui merita cuiuſque diſtinguere nouit.Quamobrem imperator Chriſtianisſime, inte-

rim

rim hoc munusculum pro pignore mei obsequii erit, & gratulationis, dum cætera parturio, ab eo inquam, oblatum, qui certus est, principem omnibus instructum artibus imperatoriis, non tantum milites strenuos, sed & eos qui in pertractandis artibus, & legibus uersantur, ad reipublicæ utilitatem, gratos habere.

Deus in cuius potestate cor regum est, tuam Christianissime princeps, mentem & manum, ad promouendam suam gloriam, & imperii tui fœlicitatem dirigat. Lugduni prid. Non. Nouemb. M D LXXIIII.

ELENCHVS SINGVLORVM librorum, & capitum.

LIB. I.

LIB. II.

De

LIB. III.

LIB. IIII.

De

L I B. V.

L I B. VI.

Cap. 1.

LIB. VII.

F I N I S.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER PRIMVS.

De cognitionis distinctione.

CAPVT I.

DVÆ sunt cognoscendi species, quibus, ueluti lumine quodam prælucente, abdita & incognita manifesta fiunt. Atque in summa, Omnis cognitio erit, uel diuina vel humana, Diuina est, quæ a diuino numine fiut: vel mediatè vel immediatè.

Mediatè, illa est fluens, quæ est ad nos delata per Angelos, siue bonos seu malos: per prophetas, per sacramenta, per reuelationes: quæ quidem fiūt per mysteria, insomnia, ꝑ visiones.

Porrò visionum, aliæ sunt sensibiles, aliæ imaginariæ, aliæ intellectuales.

Sensibiles sunt, quando aliquid uidetur exterius, & intelligitur significatum eius sicuti dum Daniel vidit inscribi parieti ab Angelo, Mane, Thetel, Phares, & mysterium intellexit, in prophetia Danielis.

Imaginariæ, quando in vi imaginatiua formantur imagines virtute diuina, ad aliquid significandum occultum: ut quādo Daniel vidit quatuor animalia ascendentia de mari, & mysterium agnouit. Daniel 7.

Intellectuales sunt, quando sine imaginibus, & figuris visiones apparent.

Immediatè fluens a Deo cognitio, est illa quæ infunditur Angelis superioris ordinis, Prophetis: Lex a Deo Mosi in mõte Sinai concessa: Et euangelium ab ore Dei Domini nostri IESV CHRISTI traditum: Potestque huiusmodi dici, ratio & uis intelligendi insita animę: De qua scriptum, signatum est super nos, lumen uultus tui domine.

Humana autem cognitio, uel est Naturalis uel Rationalis Naturalis illa, cuius & participia animalia bruta, uel ex insita ui, uel ex sensuali notione. Nam insita & ueluti connata ui, omnia animalia fere, sibi cõtraria, ut & propria norũt.

Sensualisque notio per sensus & obiecta illis oblata, facile accedit, ut per auditum, uisum, gustum, odoratum, tactum.

Rationalis illa est, quæ solius est hominis. Et hęc nascitur, uel accedit: Aut ex propria ui intellectuali indita animali uel ex discursu & actione rationis, uel ex obseruatione siue experiẽtia, inquisitione & collatione rationabili rerum, causarum, temporum, actorum, unde & præsagia, & alia, uel ex præceptis artificũ, uel ex disciplina & institutione peritorũ.

De Methodo & gradibus quibus perficitur cognitio. Cap. II.

COgnitio diuinitus tradita, alia non eget arte ad certitudinis probationem, quam sola fide; Nec similiter naturalis uel ex sensibus comparata: Rationalis sola probationes recipit, cuius sunt infantiæ & perfectionis gradus decem, in quibus, vsque ad sextum organa sensuum prosunt: in reliquis autem, anima hominis sola negotiatur & cogitat.

1 Primus itaque gradus cognitionis, statuitur in re ipsa quæ cognoscenda, ut sit, quod indagandum uenit, materia exterior, Græcis, ὑποκείμενον, subiectum uel obiectum nobis.

2 In medio, quo sensibus res iungitur, & quodammodo applicatur: Non secus quàm per lucem, cognoscitur oculis, quod antea in tenebris latebat. Et per verba, mens defertur cognoscenda auribus, &c.

3 In organis sensuum, vel in sensibus benè dispositis exterioribus, qui quinque numerantur: Auditus, visus, olfactus, gustus, tactus: Quorum instrumenta & organa totidem: Aures, oculi, nares, palatum, & lingua, totum corpus animale.

4 In ſenſu interiori,ad quem exteriores colliguntur,niſi aliena prohibeat paſſio:ad quem ſenſoria,uel organa ſenſuum transferunt ſenſita,ut ad ſedem communem, unde, & ſenſus dicitur communis ea facultas. Atque hic incipit uis animalis operari.

5 In phantaſia,ubi fiunt imagines rerum ſenſu comprehenſarum Hic etiam fit intellectualium rerum, intellectualis cōceptio:cum res incorporales non habeant corporum dimenſiones,quibus ſimulacra perficiuntur.

6 In æſtimatione,& iudicio inferiori dicto: ubi iudicantur prædictæ comprehenſiones quales ſint ſimpliciter,& citra diſcurſum,uel ratiocinationem,diſtinctione facta tantum reali. Et ad hunc uſque tantum gradum,cognitionis animaliū præſtantia aſcendit,non ultra.

7 In cogitatione,διάνοια,Græcis, iudicium ſuperius latinis: quo compræhenſæ imagines,ad examen,& iudicium reuocātur diſcurſus,atque hic pro ſimulacrorum uarietate, & ex nimium ſummaria rerum collatione,opiniones uariꝫ naſcūtur.

8 In ratione ſiue conſultatione ſeria, qua,plura ad unū ſtabiliendum colliguntur.

9 In intellectu, dum fit uera determinatio poſt ratiocinationem:idcirco,ibi quies agitationis mentis,& ſcientia indubitata.Dicimus autem hunc intellectum acquiſitum, diſtinctum ab infuſo,non uia rationali, uel humana, ſed diuinitus præter ordinem uulgarem contingente.

10 Gradus,omnibus ſuperioribus communis fere,in memoria conſtituitur,quæ eſt penus,& cellarium imaginum, cogitationum,rationum intellectus,ibi etiam quies, nulla agitatio,uel conflictus animæ: ibi & concurrentium ordinatio legitima per artem.

Erit autem anacephaleoſis horum graduum decem,hæc.

1.Obiectum,2.diaphanum,3.ſenſualia,4.ſenſus communis 5.phantaſia,6.æſtimatio,7.cogitatio,8.ratio,uel conſultatio, 9.intellectus, 10.memoria.

De præcautione obſeruanda in cognitione habenda,diſputatione inſtituenda,in quæſt. & earum ſolutionibus. Cap. III.

PRæcautio omnis,conſiſtit in cura,& conſideratione ſuiipſius, rei propoſitæ, perſonarum quærentium, & cauſarū

aliquorum accidentium.

Cura suiipsius consistit, ut primùm Dei opem in auxilium inuocemus, uel palam, uel apud nos: Deinc ut à peccatis animam mundam: corpus ab impuris actionibus & contaminatis actionibus, quoad fieri poterit, liberum habeamus. Tertiò, ut animæ robur ab aliis negotiis ad opus agendum reuocemus, & in unum quod proponitur, intendamus eius omnes uires.

Cura rei propositæ uersatur, primùm, ut concipiamus eandem probè, interrogati uel quæstionis, mentem & circunstantias. Deinc, ut conuenienter eligamus in speculo huius artis, cellulam in qua contineatur.

Tertiò ut in dubiis, utramque perpendamus partem.

Personarum quærentium obseruatio, uersatur in consideratione, num sint graues: ut tunc respondeatur paucis, & cũ decenti decore, & conclusione accommoda: Num pertinaces, quia pluribus tunc uerbis respondendum: Num simplices uel rusticæ & parum eruditæ, ut tunc simplici solutione cum ratione quadam ex natura deprompta, fiat satis: Num doctæ, & bonis disciplinis imbutæ, ut tunc maximè locis ab authoritate traductis, ornamentum sumat oratio.

In causis accidentalibus, considera, an quod proponitur, sit iam satis cognitum, uel decisum: sit uanum & futile, si parui momenti, si supra mentis humanæ notionem: Nam in his sufficit simplici negatione uel affirmatione, respondere. Deinde considera causas & occasiones cur fiat, & tempus in quo fit inquisitio.

Num quidem quis ad experiendas uires ingenij quærat: ut tunc totis neruis qualis sis, doceas. An uerò tantum tua desideretur sententia: tunc enim breuiter, sed appositè & cũ ratione, respondere melius opinor quæ sentis: Quod si dubia & utrinque probabilis uideatur res, utranque propones sententiam: demum quam eligas rationibus firmabis, & aduersam refelles.

De generali rerum consideratione.

CAPVT IIII.

PRima & summa rerũ consideratio est, ut omne quod fuit, est, uel erit, dicatur, aut substantia, aut accidens.

Sub-

Substantia est id, quod est per se, in se, non in alio: in qua accidentia recipiuntur, quæ ei inhærent.

Accidens est id, quod potest adesse & abesse substantiæ subiectæ, sine rei cui adhæret, corruptione. Quamobrem accidens uerè & proprie, est tantum quatenus adhæret, nisi consideratione sola seorsum consideretur.

Diuiditur autem substantia, ut alia sit increata, creata alia, alia ex creata & increata constans.

Increata substantia, est immortalis, & extra omnia accidētia, omnem mutationem uel alterationem respuens. Et hæc solius ipsius Dei est, qui omnium creator, causaque est omnis essentiæ: quia entia & non entia, ex Deo sunt.

Creata, subdiuiditur in spiritualem, siue incorpoream, corpoream, & ex utraque compositam substantiam.

Spiritualis uel incorporea rursum, uel est uiuens, uel sine uita, uiuens, quales Angeli, uel spiritus, item animæ. Sine uita substantiæ incorporales, possunt esse ideæ, & abstractiones quas animus facit. Itē prima materia secundū philosophos.

Corporea denuo subdiuiditur in simplicem, & compositam. Simplex constituitur in æthere, & quatuor elementis. Aethere continentur decem cęli: empyreum, cristallinum, firmamentum, ubi stellæ inerrantes, & septem planetarum orbes: sunt & eius substantiæ ipsi septem planetæ, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, & corpora stellarum fixarum.

Quatuor elementa, quæ ab Aristotele dicuntur substantiæ naturales, sunt, ignis, qualitatis calidæ & siccæ: Aer, qualitatis calidæ & humidæ: Aqua, qualitatis humidæ & frigidę: Terra, qualitatis frigidæ & siccæ.

Composita autem substantia, uel est perfecte ex quatuor elementis composita. Ex perfecta compositione nata, quædam habent solam essentiam, alia cum essentia uitam.

Quæ solam essentiam habent, sunt, ueluti, lapides, gemmæ, nitrum, cadauera, excissa, & arida ligna, metalla.

At, quæ cum essentia habent uitam, ratione perfectionis uitæ distinguntur: ut, alia uiuant uita plantæ, alia uita sensitiua, alia intellectiua. Vita plantæ vegetabilis dicitur: qualis in arboribus, fruticibus, herbis, oleribus, frumentis, leguminibus, & in horum & similium partibus & productis, in floribus, foliis, fructibus, corticibus, siliquis, & aliis id genus.

Vita ſenſitiua irrationalis dicta, in animalibus ſubſtantiæ ſuæ uim exhibet, ſiue ea ſint uolantia, pennis uel membranis: ſiue greſſilia, quadrupedia, uel bipedia, aut multipedia, ſiue reptilia uel terreſtria, ut ſerpentes, uel aquatilia ut piſces. Vita intellectiua uiuunt homines ſoli, conſtantes anima intellectuali & corpore.

Imperfectè compoſita corporea ſubſtantia, apparet in impreſſionibus aeris, quæ conſpiciuntur ex imperfecta elementorum quatuor compoſitione, uel ignitæ, uel aqueæ, uel aereæ. Ignitæ impreſſiones, oriuntur exhalitibus ſiccis & oleagineis, & alijs: cuius mixtionis ſunt ſtellæ cadentes, bolides, cometę & ſimilia his: addunt circulum lacteum dictum galactitem uel galaxiam, & apparitiones radiorum ſolis, quales parelij, Halon, uirgæ ſolis. Ex aquea impreſſione, naſcuntur uapores, pluuia, nix, grando. Ex aerea, uenti, terræ motus, fontes, flumina, &c.

Subſtantia conſtans ex corporali & incorporali, Homo eſt, cuius pars ſpiritualis anima, reliqua corpus.

Quæ uero ex increato & creato ſubſtantia conſtat, eſt in ſolo domino noſtro IESV CHRISTO, qui cum uerus Deus ſit & ita increatus, eſt & uerus homo, ſine diuiſione hypoſtaſeos, & ſine confuſione.

Axiomata ſubſtantiæ.

1. Commune eſt omni ſubſtantiæ, in ſubiecto non eſſe.
2. Ineſt ſecundis ſubſtantiis, id eſt uniuerſalibus & differentiis ſubſtantialibus, uniuoce prędicari.
3. Omnis ſubſtantia, uidetur hoc aliquid, ſignificare.
4. Ineſt ſubſtantiis, nihil eſſe contrarium.
5. Subſtantia non ſuſcipit maius uel minus.
6. Subſtantię ſunt ſuſceptibiles contrariorum, unum & idem remanentes.

De accidente generaliter.

CAPVT V.

ACcidens ſemper in alio eſt, uel per modum materię, ut eſt quantitas: uel per modum formę, ut eſt qualitas: uel eſt ad aliud, & hoc reſpectum includit, & bifariam conſiderari poteſt: uel intrinſecus, quo caſu facit prędicamentum

Rela-

Relationis: uel extrinſecus, quo modo alia ſex conſtituit prædicamenta, per denominationem extrinſecam. Eo modo fit per actionem, actio: per paſſionem, paſſio: per tempus, quando: Et per locum facta comparatione ad totum, ubi: per comparationem loci ad partes, ſitus uel poſitio: per ea quæ adiacent corpori hominũ & brutorũ, interdũ & plerũq; fit habitus. De quibus poſtea proprio de accidẽtibus libello.

Omnium autem accidentium, aliud ſeparabile, aliud inſeparabile, aliud commune, aliud proprium. Separabile à ſubiecto euelli poteſt facile, ut ſedere, ambulare. Inſeparabile, ut nigredo in coruo & Æthiope. Commune, quod pluribus & diuerſis ſubiectis, vel ſubſtantiis accidere poteſt: uelu ti, calidum, humidum, ſiccum, frigidum, aſperum, lene, bonitas, magnitudo, duratio &c. uitia, uirtutes, & his ſimilia. Proprium, quod conuertitur cum ſubiecto, & uni ſoli generi, uel ſpeciei conuenit, ſine adiectione termini ſubiecti: qualis lux in ſole, ſummè calidum, in igne.

Axioma de Accidente.

Accidens, melius demonſtrat ſubſtantię dotes, alioquin ferè inuiſibiles, incõprehẽſibiles, & indiſtinguibiles ſenſibus.

De ſecunda rerum conſideratione, per materiam & formam. Cap. VI.

Res omnes creatæ & factę, habent materiam ad formam ſuſcipiendam idoneam, & forma qua res diſtinguũtur, mutantur, declaratur materia, & nomina concipiuntur.

Cæterum, materia, uel ſpiritualis uel corporalis eſt. Spiritualis intellectualis dicitur, eaque bifariam, intellectualis inquam creata ſimul cum ſua forma, & conſequenter immutabilis quod pertinet ad eſſentiam materialem: cuiuſmodi eſt ea quę angeli & animę eſt. Alia autem eſt intellectualis, quę per modum accidentis generatur in conceptione mentis, ex determinatione ſuppoſita pro ſubiecto diſputationis. Sic materię, in iuris Cæſarei, & Pontificij explicatione, ut plerunque, pro ipſa rerum tractatione.

Corporalis materia, uel prima, uel ſecunda eſt.

Prima, illa eſt quam dicũt informẽ phyſici & inuiſibilem: Moyſes in mũdi Geneſi, uocat cœlũ & terrã. Secunda, ea q̃ eſt

ex priore & forma, compoſita, & ex qua aliquid aliud fit uel fieri poteſt; ita materia ſtatuæ, & lignum, & æs & ſimile vnde fit. Erit autem hæc materia, uel ſimplex uel compoſita, uel ſubſtantialis, uel accidentalis. Simplex, uelut quatuor elementa ſunt pro ſimplici materia elementatorum. Compoſita, ut lignum, æſue in ſtatua. Subſtantialis quæ & naturalis dici poteſt, eſt ueluti germen auis eſt materia: ſemen, eorum quæ inde oriuntur. Accidentalis, quæ naturali & ſubſtantiali accedit non ſubſtantialiter.

Formarum etiam, alia ſpiritalis, alia corporalis. Spiritalis rurſum, ſubſtantialis uel accidentalis eſſe poteſt. Subſtantialis, per quam fit eſſentialis diſtinctio per propriam naturam conceſſam cuique angelorum, uel animarum. Accidentalis ex accidentibus diſtinguit, ueluti numero, ordine, bonitate, malitia, uitio, &c.

Forma corporalis, eodem modo, eſſentialis aut accidentalis dicitur. Eſſentialis uel ſubſtantialis illa eſt, quæ dat rei eſſentiam, qua perempta uel imminuta, res ipſa quæ erat perire vel minui dicitur. Naſcitur namque ex certa determinatione, mixtione & compoſitione, cuius diſſolutione diſſoluitur eſſentia, ueluti in homine, anima & corpus formam conſtituunt, hiſque diſtinctis non amplius homo, ſed cadauer uel animata lapides, plantæ, animaliaq; dum integra ſunt, dum uiuunt, ex tota ſubſtantia dicuntur habere certam eſſentiam, quam poſt diſſolutionem amittunt, ſiue ex uiſibili, aut ab inuiſibili oriatur forma. Quomodo autem hæc compoſitio miſceatur & perficiatur, ſoli ſummo perfectoque rerum artifici & creatori Deo relinquendum.

Accidentalis forma eſt, quæ accedens ſubiecto uel materiæ, aut inde recedens, non corrumpit ſubiecti uel materiæ, eſſentialem formam, ſiue accidentalis forma uiſibilis ſit, ut color, ſiue inuiſibilis, qualis eſt modus utendi.

SYN-

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER SECVNDVS.

De Speculo Artis. *Cap.* II.

EX generali rerum consideratio ne, ad singularia perueniendi facilis est uia & methodus. Idcirco desideramus huius artis discipulum, Epitomen sequentem, quam speculum dicimus, accurate præscire & memoria tenere, ibi enim rerum omnium ideas, & in speculo repræsentatas formas, momento temporis contemplabitur, & ordinem & electionem substantiarum & accidentium, admirabitur & annotabit.

Speculum artis huius, Deus partes habet summas & præcipuas. Prior continet modum quærendi, examinandi & disputandi, & respondendi, in hac disponitur animus & mens eius qui scire desiderat.

Altera continet classes & cellusas ad quas, proposita scienda, disputanda ue referri debent, unde duci & argumenta, & rationes oportet.

Speculi prior pars, quæstiones & comparationes exhibet.

1. QVÆSTIONES NOVEM.

2.	1 Vtrum uel an.	7.	6 Secundum quid.
3.	2 Quid, quis, quæ, quod.	8.	7 Cuius.
4.	3 Quotuplex.	9.	8 Propter quid.
5.	4 De quo.	10.	9 Quare.
6.	5 A quo.		

2. COM-

11. Comparationes, uel ralationes ex trina triplicitate.
Prior Triplicitas.
12. 1 Differentia.
13. 2 Concordantia.
14. 3 Contrarietas.
2. Triplicitas.
15. 4 Principium.
16. 5 Medium.
17. 6 Finis.
3. Triplicitas.
18. 7 Maioritas.
19. 8 Æqualitas.

Quæ omnia in substantia, accidentibus, uirtutibus, uitijs, prædicatis & subiectis, habent praxim.

Secunda speculi pars.

21. Classis communis, prædicamentorum, substantiarum, accidentium, in abstracto, & concreto. Dicunturque huius ordinis res, Transcendentia, numero 9.
22. 1 Bonitas, bonum.
23. 2 Magnitudo, magnum.
24. 3 Duratio, perseuerans.
25. 4 Potestas, potens.
26. 5 Cognitio, Scientia cognoscens.
27. 6 Voluntas, uolens.
28. 7 Virtus, uirtuosum.
29. 8 Veritas, uerum.
30. 9 Gloria, gloriosum.
31. Classis Accidentium & prædicamentorum, accidentialiũ numero. 9.
32. 1 Quantitas.
33. 2 Relatio.
34. 3 Actio.
35. 4 Passio.
36. 5 Vbi.
37. 6 Quando.
38. 7 Situs.
39. 8 Habitus.
40. 9 Qualitas.

41. Clasſis ſubſtantiæ & prædicamentorum pręcipuorum.
42. 1 Deus: Hic, locus a Dei placitis.
43. 2 Angelus: locus, ab angelorum vi & reuelationibus.
44. 3 Cœlum: locus, a ui & effectu cœleſtium.
45. 4 Homo, cum loco ab authoritate & factis eius, & inuentis.
46. 5 Anima, cum ratione & imaginatione: locus, a præſtantia animæ.
47. 6 Vita ſenſualis, & bruta: locus, ab animalium irrationalium ſubſtantia, factis, & naturis.
48 7 Vita uegetatiua, loc⁹ a plātis & earū uirtute, & natura
49. 8 Silentia corpora, ſi ſine uita, habētia eſſentiā cōpoſitā tantū, locus a lapidib. metallis & ſimilibus elemētatis.
50. 9 Corpora ſimplicia, elementa rerum, ſiue principia ſeorſum conſiderata: Hic, locus a principijs & elementis rerum, ſcientiarum, & actionum.
51. Claſſis, qualitatū particulariū uirtutum, & contrariorū.
52. 1 Iuſtitia: iniuſtitia.
53. 2 Prudentia: imprudentia.
54. 3 Fortitudo: timiditas:
55. 4 Temperantia: intemperantia.
56. 5 Fides: infidelitas.
57. 6 Spes, deſperatio.
58. 7 Charitas, uel miſericordia: ſine charitate, immiſericordia.
59. 8 Legum obſeruatio, legum uiolatio.
60. 9 Pietas: impietas.
61. Claſsis qualitatū particulariū uiatorum, & cōtrariorū.
62. 1 Superbia, humilitas.
63. 2 Auaritia, liberalitas.
64. 3 Luxuria, caſtitas.
65. 4 Inuidia, beneficientia.
66. 5 Gula, ſobrietas, abſtinentia.
67. 6 Ira, patientia.
68. 7 Acedia, ſtrenuitas, diligentia.
69. 8 Fraus, dolus, calumnia, Bona fides.
70. 9 Impudentia, uerecundia.

De uſu & praxi ſpeculi. *Cap.* 2

IN hac arte, hic ordo in dicendo, & cognoſcendi methodo ſeruetur, ut primum conſideremus rem propoſitā, cuius ſit claſ-

classis & numeri in speculo. Dehinc obseruādæ sunt præcautiones, de quibus superiori libro egimus. in 3. cap. Tertio antequam rem serio aggrediamur, exordio aliquo præludendū uel præcognitione quadam summaria, & purè & simpliciter res complectenda, uel explananda, de quā dicturi simus. 4. ad examen quæstionū, uel ad topica ex quæstionibus elicita, per uemendum. Postea. 5. ad relationes triplices, res conferenda. 6. ex reliquis classibus ferme continuata mutuandæ probationes simpliciter. 7. possunt ex mistione classium & cellularum aliæ pene infinitæ depromi rationes, ex quibus quilibet poterit eatenus haurire, quatenus sibi sufficere arbitrabitur, omittendo ea quæ non sibi plene probare, uel non satisfacere existimabit.

De exordio. Cap. III.

EXordium mihi probatur, quod attentos, bene uolos uel dociles reddit auditores. Attentos reddemus, si nos polliceamur de rebus magnis, nouis, difficilibus, & in usu quotidiano & utili positis dicturos: Beneuolos, occasione sumpta a re ipsa, a persona uel nostra, uel auditorum, uel aduersarij, uel iudicis, uel aliorum: Dociles autem, si per breuē diuisionē eligamus & distincte proponamus capita discenda, docenda, dicenda, disputanda. Conciliat etiam animos & dociles facit narratio negotij, si ea sit sine ambiguitate, sine repetitione, si fiat accommoda pronūtiatione, uerbis uisitatis & proprijs, si exprimantur circunstantiæ omnes.

Erit omne exordium in summa, breue, quia prolixum fastidiosum, & a re proposita non longe petitum, Non uulgare, non affectatum, non superfluens.

De tribus dicendi partibus. Cap. III.

DOctrine dicendi partes tres, uis orationis, oratio ipsa, quæstio. Vis orationis, consistit in rebus & uerbis. Hæc sunt inuenienda, disponenda & recte pronuntianda. Verba commitantur, uox, motus, uultus, actio, custos horum omnium memoria.

Oratio ipsa, partes habet quatuor, duas quidem ad impellendos animos, principium, & perorationem, duas autem ad docendum, nempe narrationem & confirmationem. Quæ

stio

stio duplex, infinita & definita, infinita, consultatio est, definita, dicitur controuersia.

Constituuntur & tria orationum genera: iudiciale, deliberatiuum, & demonstratiuum. Iudiciale, quando coram iudice disceptatur, ut sequatur finis per sententiam iudicis, ab solutionis uel condemnationis. Deliberatiuum, quod agitatur, coram eo qui consilium accipit, uel in eo positum, de quo cõsulitur, cuius finis spes aut suasio, aut deliberatio. Demonstratiuum, habet finem in exornatione.

De quæstione in genere. Cap. 5.

QVæstio, est propositio dubitabilis, uel in dubitationem deducta, quæ apud iuris ciuilis & pontificij interpretes dicitur species facti, aut casus, uel hypothesis, apud oratores causæ status.

Omnis quæstio, est uel rerum, uel dictorum, uel factorum uel uoluntatis. In rebus, quæstio uersatur, uel circa substantiam, uel circa accidentia. Rursum Quæstio, aut simplex, aut composita, Simplex est, quæ unius subiecti, ueluti, num mũdus sit æternus. Composita, num plures sint.

Diuersitas autem omnium quæstionum, nascitur ex quadruplici fonte, uel ex parte rerum in controuersiam deductarum, uel ex parte nominum, uel ex modo loquendi, uel ex diuersitate artium, ad quas quæsita pertinent. Rerum controuersarum, duo maxime genera, unum simplex, aliud compositum. Simplex, quod ex simplici nascitur pronuntiato, cuius modi quærendi sunt, an sit, quid sit, num hoc sit illud, quomodo hoc sit illud, de quo, a quo, & sic de similibus. Compositum, quando copulatiue uel disiunctiue fit quæstio. Copulatiue, quando coniunctione duo uel plura iunguntur, ut, num terra stabilis sit, & cœlum moueatur. Sunt autem dictiones copulatiuæ, &, etiam, quoque, quæ, ac, simul, tum. Disiunctiue, quando disiunctim quid proponitur, ut sit ne dies, aut nox. Disiunctiuæ porro dictiones, nec, neque, siue, seu, ue, uel. Quando ob nomina quæstio, animaduertendum est, Nominum alia esse uniuoca, alia æquiuoca uel homonyma, alia polyonyma, alia denominata, alia homogena, id est eiusdem generis, alia heterogenea, alia homoidea, uel communicantia in specie, alia heteroidea quæ sunt

diuersæ-

diuersæ speciei. Vniuoca dicuntur, quibus nomen commune, & ratio substantiæ est eadem. Homonyma autem dupli cia, uel æquiuoca a casu, uel a consilio, quando existente no mine communi, ratio & finitio substantiæ est diuersa, Polyo nyma quando existente diuersitate nominum, una & eadem est substantia.

In modo loquendi, consideramus uerba & uoluntatē, uel mentem.

In uerbis consideramus, num quæstiones sint prædicatiuæ, aut cōditionales, aut puræ, aut modales. Prædicatiuæ, ue luti, num homo sit bipes, ubi homo subiectum, prædicatum bipes.

Conditionales, ut num si quis loquatur, exputat. Puræ, ut, Num homo mortalis. Modales, si ex quatuor modis aliquē habeant, ueluti num possibile, num impossibile, num contingens, num necessarium.

De Quæstione utrum uel an. Cap. 6.

QVæstio an sit, reliquas necessario præcedit, uel in confesso est, ne in ceteris perperam tempus conteratur.

Quæstio an sit, quærit, uel an sit simpliciter uel conditionaliter, num per se sit, num sit in alio subiecto, sit ne omnino uel pro parte, scilicet per compositionem uel additionē: an hoc illud sit. adde & quatuor proxime citatos modos, nū possibiliter, impossibiliter, contingenter, necessario sit tale, uel pure, uel simpliciter, uel composite. per quæ etiam pari modo respondetur, scilicet quia possibile, impossibile, contingenter, &c.

Huic etiam quæstioni fit satis generaliter, per dubitationē affirmationem, negationem. Et in his quæ facti sunt, per probationem. Dubitatio, non improbabitur, si proponantur dubij rei effectus, si in alterutram partem producantur rationes, si probationes sibi inuicem fidē abrogantes, adferantur.

Affirmationem iuuant, exhibitio rei, effectus, causæ demonstratio, rei necessitas, contingentia, authoritas asserētiū.

Negationem firmamus impossibilitate, authoritate scribē bētium, ratione. Probationes autem facti, uel artificiales, uel inartificiales erunt, uel coniecturales artificiales. eliciuntur a iuris authoritate & legibus, a ratione, a iudicatis, ab exemplis, a tortura: Inartificiales erunt, testes, instrumenta, scri-

ſcripturæ aliæ, antiqua monumenta, uel cænotaphia, lapides antiqui cœlati uel ſculpati. Coniecturæ ex ueſtigijs facti accipiuntur, ſic probant necem, telum, cruor, clamor editus, permutatio coloris, oratio inconſtans, ante & poſt factum dicta, facta, communicata ue.

De quæſtione quid, quis, quæ, quod, ſit *Cap. VII.*

HAbita cognitione quod res uel negotium ſit, recte interrogatur quid ſit illud.

Quæſtio autem quid, petit finitionem uel nominis uel rei ſiue ſubſtantiæ, uel perſonæ, per quis, quæ quod petit cognitionem. Eſtq; petitio de eo quod quid eſt, uel extrinſece, id eſt prout apparet: uel intrinſece, de non apparente, uel abſolute, ſine expreſſione latentis uel apparentis.

Petit & hæc quæſtio, quid ſit in ſe, quid in alio quid in ſe, formaliter, id eſt per formam, quid eſſentialiter, id eſt quid in ſua eſſentia & ſubſtantia propria, quid coeſſentialiter, id eſt quid ſit cum alio. Item in alio, quid id agit, quid operatur, quid patitur in alio, uel per alium: ſic in dominante, per quid, eſt dominatio: in imperante, ſubiectio: in glorificante, glorificatio. Quærit & quid habeat in ſe, & in alio. Quid inquam, habeat in ſe, continenter uel compoſitiue. Continēter, ut totum habet partes, & anima continet facultatē agendi, patiēdi, uel proprie uel appropriate, & ſic in alijs. Quid habeat compoſitiue, id eſt, quam mixtionem ex materia & forma. Quid autem in alio habeat, quærit quid agit in alio; ut omne agit in ſua parte: forma in ſua materia, uirtus, in potentia, cauſa, in ſuo effectu: accidentia, in ſubiecto.

Ex hac quæſtione colliguntur rationes & argumenta a finitione nominis, rei uel ſubſtantiæ, ſtatus perſonę, ve conditionis. Item ab apparentibus, ab intrinſecis; ab eſſentia propria, qualis in igne calor: ab appropriata, vt in ſole eſt idem calor.

Modi eſſendi in alio, ex uarijs authoribus in vnum ſchema ordinati. *Cap. VIII.*

REs eſt in aliquo, ſequentibus modis.

1 Genus in ſpecie: ut animal eſt in finitione hominis, vt

ut superius in inferiori.
2 Species in indiuiduo, ut homo, in Petro, Iohanne.&c.
3 Species in genere, ut homo latet,& comprehenditur sub animali.
4 Indiuiduum in specie, ut Petrus, comprehenditur sub specie hominis.
5 Pars in toto integrali, ut digitus in manu, manus in carpo, carpus in brachio, caput, pedes & manus, in Socrate.
6 Totum in partibus: quia totum non est sine partibus, quamuis totum non sit pares, ueluti Socrates est in proprijs membris, capite manibus & brachiis.
7 Accidens in subiecto, ut album in pariete albo.
8 Forma in materia, ut sanitas in frigidis & calidis, humidis & siccis, forma statuæ, in ære.
9 In causa efficiente & actiua, ut planta in semine, & sole & imbribus, omnia in Deo: lectus in ligno,& homo in lumbis patris.
10 In finali causa, ut lectus in requie hominis, quia propter eius quietem fit. Sic dicimus, omnia in optimo & in fœlicitate esse constituenda, id est prope finem illum, & ad illum consequendum.
11 In loco, ut sacerdos in templo, præses in senatu.
12 In tempore, ut Noe in diluuio, id est in tempore diluuij: homo in disputatione, in eo scilicet tempore.
13 In uase, ut uinum in dolio, triticum in modio, & sic de aliis alibi conclusis.
14 In gubernatore & potente, ut administratio, imperium in magistratu & lege, nauta, in naui.
15 Secundum quandam pręcellentiam & eminentiam, ut calor in sole.
16 Forma naturalis, ut immortalitas in anima, ratio in homine, in igne calor,& proprium in re, ut grauitas in terra, fluiditas in aqua &c.
17 In commixtione, ut in mulso, uinum & mel.
18 Cognitum, in cognoscente.
19 Pictum, in pictura.
20 Deinc, Non similiter omnia in omnibus intelligenda. Sed proprie se habet ad omnia uniuscuiusque essentia: in intellectu quidem intellectualiter: in anima uero rationabiliter: in Plantis seminarie, in corporibus imaginarie, in eo

quod

quod est eodem modo (quod his omnibus superius est) modo quodam intellectuali superessentiali.

Axioma.

Ex diuersitate essendi, colliguntur distinctiones rerum, & sermonum, uitatur & confusio: Et varietates.

De finitione. *Cap. IX.*

QVia in quæstione quid est, respondetur per finitionem, notandum, finitionem, esse orationem, quę breuiter demonstrat contenta, vel in nomine, vel natura siue essentia, vel in accidente rei. Non secus ac in rerum corporalium certitudine, termini & anguli, res ad inuicem distinguunt, & demonstrant. Cęterùm, finitionum quatuordecim traduntur species, quas ad octo reduximus, uel rei vel nominis.

Definitiones rei quinque.

1 Essentialis, quę complectitur omnem essentiam & substãtiam rei.

2 Per modum cognitionis & descriptionis, eius quod res facit, uel habet: ex quibus intelligi potest definitum per qualitates expressas, ut beatus ita definitur, qui non abijt in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit. &c.

3 Quando per comparationem, uel similitudinem rei magis cognitæ, id quod quæritur, quid est, demonstratur.

4 A forma sola ducitur.

5 . A materia.

Definitiones nominis tres.

6 1 Quæ per solutionem, uel diuisionem compositionis nominis fit, ut testamentum, testatio mentis: dicitur, notatio.

7 2 Quæ ab etymologia nomine, ut pertinacia definietur a pertendendo.

8 3 Secundum analogiam, uel similitudinem rationis, quę latet in nomine: ut homo dicitur Deus similitudine, participatione, non natura.

Axiomata de Definitione.

1 Omne æquiuocum, prius distinguendũ quam definiẽdũ.

2 Non est immorandum, in finiendis perfectè rebus parui momenti.

3 Antequam perfectam essentialem dare possimus, probè, quantumue consequi poterimus, intelligere debemus rei naturam.

4 Perfecte omnia definiri nequeunt, eo quod perfecte non possunt cognosci, ut Deus, & ideo omnis finitio periculosa est.

5 Genera definiuntur, per collectionem naturarũ & differentiarum specierum.

6 Species definiuntur, per commemorationem generis & propriarum differentiarum, alia quibus ab aliis speciebus distinguantur.

7 Indiuidua, adiectione speciei & proprietatis cuiusdam, definiuntur.

8 Cui conuenit definitio, conuenit & natura finiti. Et contra.

9 Cui non conuenit finitio, nec natura finiti, & contra.

10 Finitio perfecta, non debet esse latior uel angustior natura rei definitæ, sed debent hæc conuerti.

11 Concurrente notatione nominis, & substantiali finitione, sequenda substantialis.

De notis veræ & optimæ finitionis. Cap. X.

Exigitur in optima diffinitione, uniuersale genus, species, differẽtiæ, propriũ, accidens aliquando, indiuiduũ. Quippe, quia omne quod cogitatur, quod est, quod dicitur, quod habetur, definiendum est, uel ut uniuersale, uel ut genus, uel ut species, uel ut indiuiduum: in quibus distinctiones aut differentiæ adhibentur, uel propriæ, uel accidentales, uel numerales.

De Genere.

Genus est, quod plures partes complectitur.

Vsurpatur autem, uel proprie uel improprie. Propriè, tanquam uniuersale, quod est unum indiuiduè plura continens: ut uniuersitas. Apud dialecticos, quod habet sub se species, inter se & cum aliis proprie differentes. Improprie & metaphorice genus dicetur, ut Totũ, omne, fons & origo & principium plurium: stemmatis & generationis initium: Locus multis communis, uel habitatione uel natiuitate: Elementa & principia, compositionis initia. Et species specialissima, genus

nus apud iurisconsultos interdum. Doctrinarum uel sectarũ nomina, quæ earum asseclæ distingunt, congregatio hominum, genus ciuile: res pluribus inseruiens actionibus, ueluti medicamentum pluribus morbis accommodum, apud medicos est genus.

Axiomata generis.

1 Ex singulis, oritur ipsum uniuersale.
2 Singularia, per sensum habere oportet, uniuersalia autem, in sensu.
3 Indefinita æquipollet uniuersali, si nihil excipiatur.
4 Generaliter dictum, generaliter est intelligendum.
5 Qui omne uel totum dicit, nihil excludit.
6 Omnia uerbo generali comprehendi debent.
7 In toto, pars quoque continetur.

De Specie. Cap. XI.

SPecies, Cicero uocat formas, ut & Porphyrius uniuscuiusque formam.

Porrò species, uariè usurpatur. Nam apud Grammaticos accipitur pro originali dictionis positione: sic species illis nominum primitiua, quãdo aliunde non deriuatur, ut Aeneas, cęlum, & deriuatiua, quando aliunde deriuatur. Apud Rhetoricos & Poetas, pro forma & dispositione aspectus faciei: Sic, quis dicitur specie tristis, hilaris, criticus, &c.

Apud Physicos, pro rei similitudine, sicuti dum dicit Aristoteles, speciem lapidis esse in intellectu. Et Metaphysice, species sumitur, pro forma exemplari, hinc ideæ, formæ specificę Platoni & Aristoteli. Communiter autem & apud iurisconsultorum interpretes, pro eo quod in indiuiduo proponitur: ita species illis facti: item pro pulchritudine, ut specio sus pro formoso & pulchro. Apud Logicos, pro forma substãtiali, & pro natura communicabili omnibus indiuiduis species ponitur, quæ determinato & certo generi supponitur, ut homo species animalis, id est, res quæ sub genere ponitur, & de qua genus in eo quod quid est, prædicatur.

Axioma.

Generi per speciem derogatur.

De differentiis. Cap. XII.

OBseruandum est, pro distinctione & dissolutione argumentorum, Differentiarum, aliam esse accidentalem,

aliam ſubſtantialem. Accidentalis, facit alterum ab altero, uel numero, uel communiter, uel proprie: Numero, in his quæ differunt per multum, magis, & minus, quæ in indiuiduis, locum habent; communiter autem, ex accidente ſeparabili, ſicuti proprie ex accidente inſeparabili, ut qui habet oculos cæſios, differt a non habentibus.

Subſtantialis uel eſſentialis differentia, magis propria, facit aliud ab alio: eaque eſt, uel generica, uel ſpecifica. Generica eſt, cum ſubiecta ſunt diuerſi generis, ut equus & ficus, habent diuerſa genera, animal & planta. Specifica eſt, eorum quæ proximo generi communicant, & hæc explicat qualitatem, quæ ſpeciem ab ſpecie facit differre.

In ſumma, differentia tria facit, primùm diuidit genus, & illud limitat per ſpecies. Secundo, conſtituit ſpecies ſua diſtinctione. Tertio, facit differre ſpecies ab inuicem.

Reliqua quæ ad differentiam pertinent, uidere oportet in relationibus poſt quæſtiones.

De Proprio. *Cap. XIII.*

PRoprium cuique, quod optimum eſt apud Platonem. Vel ſecundum Ciceronem, proprium cuique, quo quiſque utitur uel fruitur. Proprium ideo, quia propius alicui potius quam alij, accedat, nõ ita nec æque aliis ac uni, cõmune.

Quatuor autem modis proprium dicitur: primùm, quod alicui ſoli ſpeciei competit, non omni tamen indiuiduo eius ſpeciei, ut hominis proprium ratione uti, potentia quidem omni homini proprium, ſed non actu. Secundo proprium, quod omni indiuiduo alicuius ſpeciei conuenit, excepto caſu & impedimento: ueruntamen non tantum ei ſoli ſpeciei, ut quod homo bipes ſit, hoc enim & commune auibus. Tertio, proprium, quod alicui ſpeciei, & eius omni indiuiduo, cõpetit, ſed non ſemper, nec omni tempore; ueluti, caneſcere homini, quod non omnibus hominibus, ſed ſenibus tantum, accidit, uel alia occaſione pituitæ. Quarto Proprium, quod omni indiuiduo conuenire poteſt eiuſdem ſpeciei, & ſemper, quando uoluerit, ut homini proprium, eſſe riſibile: hinnibile, equo; crocitare coruo.

De Accidente. *Cap. XIIII.*

ALius tertiuſque uniuerſaliter diſtinguendi modus, eſt per accidens in abſtracto, conſideratum uniuerſaliter, non

nõ in concreto, ueluti consideratur aliter albedo, aliter albũ.

Accidens apud Aristotelem, quatuor modis dicitur, primo id quod est extra naturalem formam & rationem: Huiusmodi sunt nominum impositiones. Secundo, pro omni ente, quod non est substantia, suntque huiusmodi nouem, ut quãtitas, qualitas, & alia prędicamenta. Tertio, pro casu & fortuna, seu pro eo quod præter spem aduenit. Dicuntur & apud medicos accidentia, morborum symptomata, & morborum causæ, interdum & morbi ipsi. Quarto, accidens usurpatur pro omni eo quod in sermone & prędicato appositum facit propositionem per accidens, cum prædicatum non est de essentia, ut homo est Ioannes, alba nix est.

Axiomata.

1 Accidens, non potest esse sine subiecto uel existente vel considerato.

2 Variatio accidentis, non mutat substantiam.

De Indiuiduo. *Cap. XV.*

INdiuiduum id dicitur, quod per diuisionem, tale quod est, esse desinit.

Indiuiduum, uel ratione formæ substantialis est, uel ratione formæ figuræ externæ. Formæ substantialis indiuiduum, in anima apparet, quę una in animas non diuiditur, sicut nec factum, nec per se solutio stata, neque seruitus eundi, agendi ve iumenta, &c. non iura apud iurisperitos. Pari modo, ratione formæ figuram apparentem adiicientis, indiuiduus erit Petrus, Ioannes, &c. quia in alios Petros ille, uel Ioannes diuidi, citra figuræ corruptionem, nequit, nec una manus in plures, etsi ratione corporis secabilis, res per se, non contemplata figura, diuidua sit: Et hoc indiuiduum reale, ut prius legale dicunt iurisconsulti.

Indiuiduum pro singulari acceptum, quadrifariam sumitur, ut aliud sit indiuiduum demonstratione, aliud terminatione, aliud vagum, aliud ex suppositione. Demonstratione, quando sine appellatione res aliqua demonstratur. Determinatione, qualia sunt propria nomina, rebus ex placito imposita. Vagum, quando cum uniuersali, adiicitur indefinita particularis dictio, quales, quidam, aliquis homo, item, quispiam, quodpiam, &c.

Ex suppositione, cum ex his quæ dicũtur, quoddam singu

lare intelligitur, ut filius Mariæ, pro Domino nostro Iesu Christo.

De tertia quæstione quotuplex, & de loco diuisionis. Cap. XVI.

PRoxi mum est,ut cum quid sit unumquodque dixeris,deinde quotuplex sit,ostendas:diuisiones.n.nos scientiæ cõpotes reddunt.

Hic generaliter,locus diuisionis,partitionis,& enumerationis constituitur: inter quæ hoc interest, quod diuisio sit generis in species: Partitio, totius cuiuslibet,in partes,& membra.Enumeratio,uel distinctio, est uocis in significata distributio.

Vt autem diuidendi quisque sibi comparet facilitatem,subiiciemus typum diuisionum.

Diuisio itaque fieri potest modis sequentibus.

1 Generis in species,per differentias contrarias, & oppositas:estque hæc integra,& perfecta diuisio.

2 Diuisio fit, in formas essentiales:ut, corpus aliud animatum,aliud inanimatum.

3 A causa materiali,uel a materia:ut plantæ,aliæ a semine, aliæ sine semine nascuntur.

4 Ab his,quæ rebus adiacent:ut animalium aliud domesticum,aliud ferum.

5 Et adiacentia,prout in abstracto sumuntur,diuiduntur in ea quibus adiacent:ut feritas,alia pardi,alia leonis,&c.

6 Sic ab actibus,& iis qui agunt,fit diuisio:ut hominum,alii studiosi,alii segnes.

7 A causis efficientibus:ut animalium, aliud generatur a putredine,propagatione aliud,aliud a sole cum aliis, &c.

8 A uariatione factorum:ut animalium,aliud parit fœtum, aliud uermem,aliud ouum,&c.

9 A fine diuerso,ut rerum,aliæ ad uoluptatem,aliȩ ad necessitatem,aliæ ad bellum,aliæ ad pacem.

10 A diuersis modis tendentibus ad unum finem,ut hominũ alii ditescunt iuste,uidelicet bonis artibus:alii iniuste, ex rapina furto,aliisve illicitis.

11 A loci diuersitate,ut animantum, aliȩ degunt in paludib.

quæ-

quædam in aqua,quædam in ſyluis.

11 A tempore,ut florum,alij æſtiui,alij autumnales,alij verni,&c.

13 A connexis,ut hominum,alij domini,alij ſerui, alij ingenui,alij libertini,&c.

14 A contingentibus:ueluti muſicorum,alij literati, alij illiterati.

15 A dictis,ueluti hominum, alij laudati, alij opprobrio affecti.

16 A partitione ſimilium,uel diſſimilium: Similium inquã, facta diuiſione in partes toto ſimiles. Et ita diuiduntur ſimilares partes,ut os,caro,neruus,in partes ſubſtantia ſimiles.Diſſimilium partitio,fit de partibus diſſimilaribus in partes diſſimiles,ueluti in capite,manu,& ſimilibus,quæ non diuidũtur in capita,in manus,ſed tantum in alias diſſimiles portiones.

17 A ſufficienti partium enumeratione.

18 Ab ordine,&,numero, ut dum partitio fit in primum, & ſecundum,&c.

19 Poſtremo,ab omnibus claſſibus, & cellulis ſpeculi noſtræ artis,diuiſio ſumi poteſt,& ab eorum contrariis,de quibus loco proprio.

Axiomata.

1 In uera diuiſione,nullo modo conſideratur natura prius, uel poſterius.
2 Neque maius,uel minus.
3 In partitionibus,cuncta permiſſa.
4 Diuiſa, participant quidem in natura generis, verumtamen,naturas,& proprietatem inter ſe non commiſcent.
5 Quod dictum eſt de toto,habet locũ in aliqua eius parte.
6 Qui totum dicit,& partes comprehendit.

De quarta quæſtione,de quo,vel ex quo. Cap. XVII.

IN hac quæſtione,cognoſcitur baſis,uel materia,ex qua aliquid fit.

Reſpondetur itaque,ad quæſtionem ex quo, uel de quo, tripliciter,ut ſit:Non ab aliquo nec de aliquo,ut Deus: Nõ de aliquo,ſed ab aliquo,ut creatum omne,angelus,anima:uel ſit

de aliquo,& ab aliquo,qualia sunt corporea generata,producta,facta,formata.

Fit autem aliquid ex alio,uel ex materia sensibili,& corporali,uel ex materia spirituali.Ex materia sensibili,uel materialiter mutata a forma,ut dum ex panno,fit uestis,uel transmutatiue,siue conuersiue,ut dum cibus, & potus mutãtur in carnem,& sanguinem,aliquod metallum in aliud,lapis in calcẽ, uel confusiue per commixtionem,ut dum fit ex aqua, & melle hydromel:ex aceto,& melle,oxymel,uel compositiue, siue consttuitiue, ut dum ex cæmentis,lapidibus,& tignis, fit domus:ex anima,& corpora homo.

Ex materia spirituali fit aliquid ex alio, ueluti quando de aliqua re instituitur tractatio, uel qñ imagines, seu phantasmata,apprehensa,uel notiones rerum constituunt discursum, uel sermonem,uel consilium.

Repeto hic rursum, materiam duplicem esse,primam & secundam.Prima & remota,est id quod primum est,& ad quod ultimum aliud reducitur,quove corrupto,uel dissipato,nõ est materiatum.Secunda & proxima,est,quæ ex alia ulterius materia,tanquam parte essentiali componitur,ut aurum, & argẽtum in statua,materia statuæ est.

Axiomata quæstionis,de quo,& materiæ.

1 Materia non est separata a corporib.quia sine ea,nõ sunt.
2 Qualis materia,tale materiatum.

De quinta quæstione,a quo,& per quem. *Cap. XVIII.*

PEr hanc quæstionem,autorem,inuentorem,facientẽ, agẽtem,& originem,aliam tamen quam materiæ,quærimus.

Fieri autem quid potest,& dicitur ab aliquo,uel per aliquẽ tripliciter,uel constitiue,uel compositiue,uel effectiue,per instrumentum,actionis,cognitionis,inuentionis,uerbi. Instrumentum actionis,secundum negotij, uel artificij necessitatẽ uariat:uelut instrumenta bellica,galea,lancea, clypeus,signa, & reliqua id genus,sunt diuersa ab instrumentis agriculturæ, ueluti,a marra,rastro,aratro,ut sutorum,acus, filum, forfices diuersa.Dicitur & fieri quid,pugno,manu,&c.Cognitionis instrumenta sunt,pædagogi,libri,documenta,præcepta, & alia similia.

ſimilia. Inuentionis, ratio, caſus, fortuna, experientia. Verbum inſtrumentum Dei fuit in creatione: eſt & in homine, cum ui diuina, miraculorum, ſanitatumve inſtrumentum: fiuntq. per uerba, impresſiones in animo ea auditis.

Axioma.

Omnis facultas, quæ alicuius cauſa agit, inſtrumenta, quærit appoſita.

De ſexta quæſtione, iuxta vel ſecundum quid. *Cap. XIX.*

HIc locus, addit tractationi ſimilitudinis conſideratione. Et quæſtio hæc, habet ſolutionem, ut ſit, uel ſecundum conceptionem animi, uel præter, uel contra, uel ſecũdũ ideas exemplares, quas quis imitatur, uel præter, uel contra, uel ſecũ dum ideas, uel formas cœleſtes, ad quas inferiora referuntur, uel præter, uel contra, uel ſecundum præcepta, leges, canones, mandata, &c. uel ſecundum rationem temporis, locorum, occaſionis, & ſimitrium. Conceptio animi, habet exemplar ſecũ dum quod ex uoluntate fit, uel opus, uel oratio: opus autẽ, uel per ichnographiam, leuem inquam deſcriptionem, uel per orthographiam, id, rectiorem delineationem, uel per ſcenographiam, id, per magis politam operationem. Sumitur & exemplar, ex protoplaſte, pictura, ſcriptura, imagine. Oratio autem, ex conceptionibus, uel dilucidis, uel confuſis, uel ambiguis, ueluti ad exemplar mentis, ſimilis exeritur. Trahitur etiam in exemplum iam iudicatum, & ſufficienter per alia probatũ, ut ſecundum id, fieri quid dicatur bene, uel perperam.

De ſeptima quęſtione, cuius. *Cap. XX.*

HAc quæſtione, de poſſesſione, detentione, dominio eorum, quæ alterius iuris ſunt, agitur.

Reſpondetur autem ad quęſtionem cuius, quod ſit, aut poſ ſidentis, aut domini proprietarij, per modos acquirendi poſſesſionẽ, & dominiũ, per contractus licitos, per uſucapionem ex poſſesſione cum iuſto titulo, & bona fide, & tempore legi timo, habitam, ut titulo pro emptore, pro donato, pro ſuo, &

ſic

sic de similibus. Item ad quæstionem cuius, respōdetur quod sit detinentis tantum, uel ui, uel precario, uel clam, uel occupatione, uel custodia, uel ex commodato, uel deposito, uel ex locato. Accedit & accommodæ rēsponsioni, si res dicatur eius in cuius est potestate. In sua autem potestate habet pater, filium, filiam, nepotes; maritus, uxorem: dominus, seruū: tutor, pupillos: abbas, prior, præpositus, monachos: episcopus, clerū: dux, milites: superior, inferiores: uictor, uictos: Angelus, sibi cōmissa. Sicuti ratione authoritatis, est potestas Imperatoris in reges: regis, in subditos: magistratus, in res, & personas suę iurisdictionis, & territorii; Patrisfamilias in domesticos: legis, in subditos: cuiusque, in ea quæ sua sunt; Dæmonis, in obsessos, Dei permissione.

De quęstione octaua, propter quid.
Cap. XXI.

CVm Deus, & natura, arsque, quæ imitatur perfecta, nihil faciant frustra, finem merito, & scopum rerum, & actionum, inquirimus; Fines autem diuersi sunt, pro rerum uarietate, boni, uel mali.

Axiomata.

Semper deterius, melioris gratia est, siue sit secundum artē, siue sit secundum naturam.

Semper cuique expetendum est, cuius frui est summum.

De nona quæstione, quare:
Cap. XXII.

QVia etiam proprium est hominis, nihil temere, sed cum ratione agere, uel dicere, cum sit animal rationis particeps, in hac quæstione fit inquisitio rationis, unde fit hinc trāsitus ad alias classes probationum.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER SECVNDVS.

De nomenclatura relationum distinguentium.
CAPVT I.

TRes triades distinctionum sunt. Prior docet in quo res differant, conueniant, uel concordent, uel contrarię sint inter se, cum alijs, ratione accidentis uel substantiæ, seorsum uel simul. Secunda trias, habet topica a principio medio, fine rerum, & de illis agit. Tertia differentias uenatur ab eo quod maius, quod æquale, quodque minus est. Et ita nouem sunt hic sedes argumentorum, a differentia, concordantia, contrarietate, principio, medio, fine, maiore, æquali, minore.

De differentia, & concordantia. *Cap. II.*

QVæ dicentur de differentia, eadem dicta censeatur de concordantia, per contrarium.

Differentiarum & concordantiarum, alia communis erit, alia propria, alia magis propria. Communis, quam facit quod libet accidens separabile, quod inest ratione, cuius, quid, & a seipso & ab alijs differt; hæc que differentia est separabilis. Propria, est quam constituit omne accidens proprium & inseparabile, ut coruus differt a cigno accidente inseparabili, nigredine & albedine, hæc que differentia est inseparabilis. Magis propria est, qua quid differt ab alio essentialiter, Sic hæc differentia, aliud ab alio facit.

Differentia esse potest dictorum, factorum, uel actionum; & rerum, siue res inanimatæ sint, siue animatæ, siue corporales, siue spirituales.

Omnis

Omnis differentia,uel concordantia colligitur,uel ex primis,uel secundis intentionibus.Primæ intentionis sunt, qua humana cognitio,ut proximiora corpori subiecto,uel rei,primum contemplatur,cuiusmodi sunt essentialia,realia,accidẽtalia, primæ intentionis dicta habita ratione nostræ cognitionis.Secundæ intentionis ea sunt,ad quæ secundo loco cõsideratio nostra post priores intentiones attollitur,cuiusmodi sunt genera,species,numeri siue indiuidua.

Latius & uberius,differentia,& concordantia,uel est nominis,uel rei.Nomen diducitur,in incomplexum,significans, & complexum.Nomen incomplexum est,quod seorsum orationem non constituit.Significans, est nomen quod significat, seu demonstrat aliquid,uel proprie,uel uniuoce, uel æquiuoce,uel comparatiue,uel communicatiue, secundumque vsum loquendi,uel translatiue,seu metaphorice. Proprie, quando nominis, & substantiæ ratio est communis,æquiuoce,cum ratio substantiæ est diuersa,& nomen commune,siue sit ęquiuocum a consilio,siue a casu,siue per analogiam.Est autem ęquiuocum a consilio,quando unum aliquid principaliter, nomine illo significatur,& aliud minus principaliter:A casu, quando significantur plura æque principaliter, per analogiam autem,qnando per similitudinem rationis.Sicuti, & metaphorice,seu translatiue,potest differentia,uel cõuenientia elici per analogiam,similitudinem,oppositionẽ,uarias suppositiones, per uarias scientiarum acceptiones.

Complexum nomen,est illud quod orationis est constitutiuum.In oratione autem,differentia,& concordantia consideratur subiecti,& prædicati,& modus eorum,patientis, & agentis,& quod ultra ea uariæ attributiones, uariæ suppositiones,uariæ applicationes.

Realis,uel rerum differentia, ex diuisionibus facile colligitur,ut quando fit diuisio totius generalis,integralis, accidentalis:generis,in species:specierum,in indiuidua:totius, in partes:causæ, in effectus: subiecti, in accidentia: uirtutis, in operationes: substantiæ, in suas potentias: absoluti,in sua cõparata: unius, in attributiones uarias, per modos existendi, uel essendi; Mixti, in ea ex quibus fit mixtio: Compositi, in ea ex quibus componitur;Continui, in continuantia; Discernentis,in discreta; Suppositi,uel subiecti,in materiam, & formam; Termini,in ea quæ ad eum concurrunt;Stirpis,seu

pro-

prosapiæ, in cognatos & affines, ascendentes, descendentes & collaterales: Artis & instrumenti, in subiectas sibi materias & partes.

Sic de concordantia, ut alia sit essentialis, integri, acciden tis: specierum in genere: indiuiduorum, in specie: partiũ, in to to: effectuum, in causa: accidentium, in vno subiecto: operatio num diuersarum, in uirtute una: facultatum in communi sub stantia: comparatiuorũ, in absoluto & positiuo: attributionũ uariarum, in uno cui attributio: modorũ essendi, in essentia: mixtorum, in mixtione: compositorum, in composito: conti nuatorum, in continuato: discretorum, in discernente: mate-riæ & formæ, in supposito. extremorum, in medio: stemmatũ, proximiorum, affinium, in stipite uel stirpe; operationum uel actionum, in operante uel instrumento.

In summa, etiam differentiæ & concordantiæ peti pos-sunt a principiis & cellulis classium secundę partis speculis ar tis.

Porro, ut facilius differentiarum & concordantiæ habea-tur ratio, subijciam quædam quę se eas habere doceant.

Syntagma differentiarum.

Aliud.
Alterum.
Confusio ex pluribus.
Discordia.
Discretio.
Disparitas.
Disproportio.
Distinctio.
Dissimilitudo.
Dissonantia concentuum in harmonia.
Distantia.
Diuersitas.
Diuisio.
Remotio.
Separatio.
uarietas.
Inæqualitas.
Intercapedo.
Longinquitas.
Multiplex.
Multiplicatio.
Mixtura plurium.
Nomina, quia dinguunt, propria, agnomina, cognomina, appellatum.
Non idem.
Pluralitas.
Pronomina.
Præpositiones omnes singulares, & demonstratiuæ.
Temperatura, disſimilium partium penetratio.

Istis opposita, habent concordiam, & præter hæc, ad sunt adhuc alia, quæ concordiam indicant.

Ami-

Amicitia.
Æqualitas.
Communio.
Coniunctio.
Copula.
Comuenientia omnis, ut contractus, consensus, matrimonium, societas, pax, & similia.
Consonantia.
Concentus.
Continuum.
Harmonia.
Idem.
Paritas.
Proportio.
Similitudo.
Vnitas, siue ea sit totius, ut mẽbrorum in corpore, uel conformitatis, ut dum dicitur, unus animus, una uoluntas, ineftque similitudo: uel attributionis, quãdo pluribus unum tribuitur, ut dum una fides dicitur.

Axiomata.

1 Pares cum paribus, facile congregantur.
2 Argumentum receptum est a simili affirmatiue, a dissimilibus, negatiue.
3 Simile simili, in aliquo communicat.
5 Nullum simile est idem

De contrarietate uel contrario. Cap. III.

HIc contrarium, generaliter usurpatur pro omni oppositione. Oppositio erit, uel terminorum complexorum siue propositionum: uel terminorũ incomplexorũ, uel rerũ. Oppositio terminorum complexorum siue propositionũ, est quando propositiones pugnant inter se, uel quantitate, uel qualitate, ueritate, aut falso. Propositio quãta, quadruplex est uniuersalis, cuius signum est omnis, nullus: Particularis, per quidam, aliquis, signata: Indefinita, quæ effertur cũ termino communi, sine signo, ut animal est corpus: Singularis, quæ fit cum communi termino, addita demonstratione, ut hic, ille, iste homo. Ad qualitatem propositionis pertinent, uerum, falsum, affirmatio, & negatio.

Recipiunt autem hæ propositiones, oppositionem vel contrariam, aut sub contrariam, aut cõtradictoriam, aut sub alternam. Contraria, est uniuersalis negatiua, cum uniuersali affirmatiua, ut omnis, nullus. Subcontraria, dum una propositionum est particularis uel indefinita affirmatiua, altera indefinita uel particularis negatiua. Contradictoria ium probe cõcepta est, quando fit oppositio affirmationis & negationis, qua·

quatuor una concurrentibus: si de eodem secundum rem, & vocem, si referantur ad idem, uel sint secundum idem: si teneantur similiter,& si eodẽ tempore. Subalterna est, dum altera propositionum oppositarum est vniuersalis affirmatiua, altera particularis, uel singularis uel indefinita.

Terminorum incomplexorum, quorum significata mutuò pugnant, oppositiones, generaliter quatuor sunt. Sic erit oppositio, vel relatiuorum, uel contrariorum, uel priuantium, vel contradicentium. Relatiuorum, ut pater, filius; duplum, & simplum ex collatione, Ciceroni: contrariorum, quæ aduersa vocat Cicero, ut album, nigrum, priuantium, ut nox, dies; contradicentium, ut albus est, albus non est.

Rerum oppositiones fiunt, ratione localis situs, ut opposita dicuntur, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, ante, post, infrà, supra.

Axiomata.

1 Vsque ad contrarietatem, initia & sequentia differre non possunt.
2 Quorum esse contrarium, horum & ratio, & sermo contrarius, & proprietates.
3 Contraria sese inuicẽ fugant, & simile attrahit sibi simile.
4 Relatiuorum vno posito, alterũ per consequens ponitur.
5 Substantijs nihil est contrarium, sic substantia equi, non est contraria substantiæ hominis, &c.
6 Quantitas non habet contrarium; sic cubitum tricubito non est contrarium.
7 Substantiæ susceptibiles sunt contrariorum, unum & idẽ numero remanentes. Dico autem susceptibiles esse contrariorum, non autem suscipere contraria: nam possunt quidem successiuè vnum post aliud, in se contrarium suscipere, non autem ambo simul, ut nunc corpus friget, postea calet, sed nõ suscipit contrarietatem.

Contrarietatem vel oppositionem hæc referunt.

Abrogatio.
Accusatio.
Æmulatio, quæ contentionis genus.
Corruptio.
Derogatio.
Demolitio.
Destructio.

Bellum

Bellum.
Contentio.
Contrarium.
Contradictio.
Controuersia.
Iurgium.
Lis.
Negatio.
Oppositio.
Repudium.
Repugnantia.
Resistentia.
Pugna.
Disiunctum.
Dissensus.
Diuortium.
Inimicitiæ.
Iniuria.
Pertinacia.
Priuatio.
Præpositiones accusatiuo deseruientes, ut aduersus, cõtra, &c.
Zelotypia, discors animus.

De Principio. Cap. IIII.

DE principio, disputatio late patet, cum nihil sine principio sit, præter Deum, qui cum omnium principium sit, tamen principio caret & fine.

Principium est, id ex quo aliquid oritur, & in quod extremum, omnia recurrunt, uel id, a quo aliquid procedit.

Principia omnia, aut communia, aut propria sunt: Ea autem, uel sunt, uel fiunt. Sunt quidem, a natura seu substantia, ut homo hominis, planta plantæ principium. Et in rebus immobilibus, qualitatem dixit Aristoteles principium. Constituunt & naturale principium rerum omnium, cahos ex quo postea materia, forma, elementa, quibus & aliqui addunt athomos, facit & Aristoteles priuationem, principium.

Fiunt autem principia, uel a causa efficiente, uel a casu, uel a fortuna, uel arte. Est & in homine solo principium actionum, quia is solus agere uidetur. Sunt & cognitionis principia, uel elementa cuiusque artis & præcepta prima, uel demõstrationes, potissimum in mathematicis.

Rursum significationis, principium erit, uel uniuersale, uel accidentale, uel instrumẽtale, uel originale, uel positionis seu termini a quo, uel ordinis, uel priuations, uel operantis & agẽtis. Vniuersalia principia sunt, ueluti genus, species, differentia, prædicamenta. Instrumentale, est uel materiæ, uel figuræ seu formæ, uel doctrinæ, uel continentis: aut motus qui quidem est principium uel generationis, uel corruptionis, uel alterationis, uel augmentationis, uel diminutionis.

nis. In Ordinis princ. prius multis modis dicitur, uel natura, uel tẽpore, uel ordine, uel situ, uel definitione, uel cognitione. Natura ut minor numerus, natura maiore prior: animal, prius homine. Tempore, ut Abele prior Adam fuit: institutio, substitutione. Ordine, ut in Grammatica, literæ priores syllabis. Situ, ut ratione nostræ habitationis, ut nobis prior sphera Lunæ, sphera Mercurij: fundamenta, super ædificatione priora. Definitione uel determinatione, ut dum primum ex placito dicimus consensu: ut aliquis magistratus, alio in honore prior. Cognitione, ut uniuersalia, nobis priora ipsis particularibus & singularibus: Priuationis principij, formæ sunt secundum Aristotelem. Operantis & agentis principiũ, id per quod aliud fit. Vt instrumentum, prius eo quod per instrumentum fit.

Axiomata.

1 Omne quod est, uel est principium, uel est ex principiis.

2 In terminis prioris & posterioris, posterius sine priore esse nequit.

3 Lapsus ab initio in elementis & principiis, postea cogitur multa falsa subiicere.

4 Principiis mutatis, multa quæ hinc consequuntur mutari necesse est.

5 Negatis principiis, quæ ex iis consequuntur negata uidentur: sicut ex affirmatione eorundem, admissa cõsequẽtia.

6 Principium rerum quæ semper sunt, aut semper fiunt, nullum principium esse quærendum, non recte asseritur.

7 Principia nõ recipiunt, quæ rerum sempiternarum sunt.

8 Difficile est quæ malo inchoata sunt, principio, bonum sortiri exitum, & contra, quod si fiat, mutetur principium, & aliud fiat, necesse est.

9 Potest aliquid esse principium, medium, & finis, sed diuersis respectibus, non eodem remanente modo.

Synopsis eorum quæ quodammodo principium continent.

Agens.
Antecedens.
Authoritas.
Acquirendi omnes modi.
Metus.
Nobilitas principium splendoris, dignitatis & generis.
Origo.

Causa.
Coactio.
Electio.
Genus.
Generatio.
Genera, principia specierum.
Impressio.
Influxus.
Ingressus omnis, & quæ ingressum præbent primum, ut limen, ianua, &c.
Initium.
Mandatum.
Obligatio, principium debiti.
Præcedens.
Prius prior.
Prædicamenta omnia.
Priuatio, prout principium Aristotelis.
Producens.
Proximus.
Præpositiones ablatiuo deseruientes.
Species respectu indiuiduorum.

De Causis. *Cap. V.*

SEd quia inter principia annumerantur Causæ, trademus etiam earum breue schema.

Causa itaque diuidetur, primum in propriè causam, & in eam quæ impropriè, uel metaphoricè causa dicitur. Rursum, propriè causa, erit uel diuina uel humana. Diuina, uoluntas Dei est, omnium causa: in Deo quippe causæ causarum, & primordiales causæ. Estque Deus omnium causa, uel effectiuè, uel permissiuè.

Humana causa, uel efficiens, uel formalis, uel materialis, uel finalis, uel exemplaris est.

Efficiens est, ad cuius actionem sequitur effectus, ueluti ignis calefaciendo aquam, eam reddit calidam. Ordo autem quo causa efficiens facit, hic est, quia disponit, præparat, conciliat, perficit. Efficientium autem causarum, quædam est antecedens procatartica, quædam coniuncta: item alia totã producit rerum substantiam, ea causa, solus Deus qui creando totam producit: Alia producens secundum partem, hæcque est agens creatum, quod solum introducit formam in materia, uerum non producit materiam, saltem primam. Deinceps & efficientium, alia uniuersalis, alia particularis, uniuersalis causa efficiens, quæ potest effectus plures distinctos specie, producere; talis Deus, qui propria uirtute producit, sic etiam sol, causa cum planetis reliquis hæc inferiora producens. Particularis est causa efficiens, quæ unum solum

pro-

producit effectum: Vt homo producit hominem, arbor quę libet proprium fructum. Postremò & causarum efficientiũ, alia subordinata essentialiter, alia subordinata accidentaliter. Subordinata essentialiter est, quando una causa sine alia agere nequit, ueluti luna sine aliis non operatur planetis. Sic in generatione, homo & sol, causæ subordinantur. Subordinata causa accidentaliter, est ueluti in motu lapidis per baculũ, manus & baculus subordinãtur accidẽtaliter.

Formalis causa est, quæ dat esse, intrinsece, per se ipsam, ut anima, rei animatæ causa. Dico intrinsece, ut differat ab efficiente & finali, quæ dant extrinsece esse: Dico etiam per se ipsam, ut differat ab efficiente, quæ actione sua dat causam. Porrò hæc formalis, uel idealis, uel essentialis est, uel accidentalis. Causa formalis, duo potissimum agit, Primum, facit aliud ab alio differre: Secundo, restringit materiam primam a potentia ad actum, ut calorem, ad ignem, ad hominem, ad arborem; colorem, ad rubrum, ad album &c. Et ita dat esse rei.

Materialis causa est, quæ recipit formam & conseruat eam: Quia pręter animam rationalem, nulla res habet esse per se, sed in alio, scilicet in materia. Quamobrem separata a materia corrumpuntur (anima bruti corrumpitur mortuo corpore animali:) habentque tandiu esse, quandiu in materia recepta sunt. Causa itaque conseruationis in esse, est materia: Neque accidentia sunt, uel conseruantur, sine materia secunda cui hęrent: Nec anima intellectiua actu est, nisi quandiu existit in corpore, uelut in materia.

Finalis causa, est quę incitat & mouet agentem ad agendum, nempe alicuius gratia: sic sanitas, medicinę causa, ęquitas & bonum, causa finalis iudicij, & omnium magistratuũ. Erit autem finalis, uel impulsiua, uel subordinata, uel ultima.

Exemplaris, est idea secundum Platonem.

Improprie & metaphorice causa est dicta, primum occasio, unde quęrere causam dicimus, pro occasione. Deinc, Ratio, ut dicimus causam reddere. Item controuersia iudicialis, dicta Gręcis δικη cuius genera tria sunt, Nempe τὸ ἐπιδεικτικὸν εἶδος, id est, demonstratiuum genus, secundum τὸ συμβουλευτικὸν, deliberatiuum. tertium τό δικανικὸν, iudiciale, in quibus consideramus qualitates, si honestum, si admirabile, si humile, si anceps, si obscurum genus sit.

Alia causarum diuisio, per modos quibus operantur.

Causæ à modis quibus operantur, diuiduntur in priores, & posteriores, per se, per accidens: in simplicem,& composi tam,in eam quæ est in potentia, & quę in actu: in extrinsecam,& intrinsecam:in communem,& propriam. Priores cau sæ,dicuntur & superiores, & mediatæ, & remotæ, ut sol, est causa remota generationis hominis. Posteriores causę, uel proximę, uel propinquæ dicuntur, ut homo causa proxima generationis hominis. Per se causa est, quæ propria uirtute producit effectum. Per accidens autem, quæ non secundum propriam uirtutem producit effectum, sed in quantum con iungitur effectui per se, uel aliæ causæ per accidens. Prioris exemplum est, ut qui remouet columnam cui innititur ædificium, causa est per accidens, iuncta effectui per se,cur edifi cium collabatur. Secundi membri exemplum,in hac proposi tione erit, Nobilis uir legit. Nam quod quis sit nobilis, per accidens est, iunctum alteri accidenti, nempe lectioni. Cæterùm per accidens, oriuntur causæ,uel a casu,uel a consilio, uel a fortuna,uel ab occasione: A casu, ueluti quando nihil agenti, aliquid sine proposito accidit: A consilio, quando per inquisitionem ex proposito aliquid aduenit. A fortuna, dum ei qui agit, aliquid citra eius actionis propositũ contin git:Ab occasione,dũ ex modico prĩcipio alia facile sequũtur.

Simplex causa: sicuti dum perficiens una absoluit causa, ibi enim adest quod perficit: Estque hæc causa, prolata per terminum incomplexum.

Composita causa, quæ terminis complexis significatur,ut homo hispidus,perficiens perfecit, ibi enim causa per se,perficiens, per accidens autem, hispidus.

In potentia causa esse dicitur,quę actu non efficit,sed quę potest efficere,uel causare, quæ exprimitur per nomen uerbale; quale, lector, auditor, creator, dominator &c. quibus significantur qui possunt legere,audire,creare,dominari,&c. quamquam actu non id agant.

In actu causa est, quę agit,uel effectum causat & producit, quæ exprimitur per participium præsentis temporis,ut legẽs, audiẽs,creans,dominans, &c. Reliquę causę per se satis patẽt. Si quis aũt desideret cognoscere,quæ causæ sint ĩ nostra pote

ſtate,quæve extra nos,conſulat diuiſiones poteſtatis, de quib. in claſſe tranſcendentium dicitur.

De medio. Cap. VI.

VIa qua peruenitur ad finem,medium eſt,quod ab extremo utroque æque diſtat.

Medium autem,uel rei ſolius,uel orationis ſolius, uel rei, & orationis ſimul.

Medium rei,exempla plura habet,& diſtinctiones; Tale enim conſtituit commixtio,unde unum:coniunctio,cui extrema adhærent;Menſura,inter inæquale,& menſuratum. Eiuſmodi,æquale,iuſtum ſine differentia,participatio,comprehēſio,duo vel plura continens,via, per quam ab uno loco in alia,æquali ſpatio itur;Priuatio,ab eo quod fuit ad id quod eſt tranſitus;Deſtructio,qua ex uno aliud, conſtructio, his enim poſtremis medijs,forma mutatur rerum;Medium, & mediocritas,temperamentum;Inſtrumenta, media operis,& artis.

Orationis media,negatio & affirmatio,in quibus adhuc aliud medium,tacere: illa autem media dicuntur ratione expreſſionis mentis,& expresſi; Eſt & orationis medium problema,deſtructio propoſitionis; coniunctio uerbalis,ut, uel,ue, item dictiones,inter,intra.Ex quibus patebit, ſi coniungātur, quid ſit medium rei,& orationis ſimul.

Axiomata.

1 Media,diuerſorum comparatione,& exuperare,& deficere poſſunt,ſicut & æquale.

2 Quæ magis a medio abſunt, magis oppoſita exiſtimātur.

3 Medium in omnibus tenere,optimum.

Synopſis eorum, quę medium quodammodo continent.

Aequum,æquale.	Magiſtratus.
Affirmatio.	Mediocritas.
Coniunctio.	Menſura.
Comprehenſio.	Negatio, medium ſolutionis.
Conſtructio, medium collectionis.	Participatio.
Deſtructio, medium diſſolutionis.	Pecunia, medium commerciorum.
Indifferens.	Priuatio.

Instrumentum.	Proxeneta.
Iudex.	Tacere.

Virtus omnis, medium inter exuperantiam, & defectum, in quibus uitia.

De fine. *Cap. VII.*

VEtus adagium est, non statim cum initio finem sperandum, ideo de medio antea dictum.

Generaliter, tot modis finis dicitur, quot principium, & medium, post quæ finis.

In summa, Finis, uel est priuationis, uel termini, uel consumationis, uel consumptionis, uel corruptionis, uel intentionis, uel extremi. Priuationis autem est, uel naturalis, ut mors, corruptio, uel moralis, uel artificialis, cum artifex formā priorem tollit, ut dum fusione statuæ figuram elidit. Termini finis, exemplum habent limitem; Consumationis finis, in perfectione determinata est operis. Finis consumptionis, dum aliquid deficit, sic dicimus, finem cibi, candelæ, materiæ, formæ, & dum quippiam desinit esse, operari, pati, dicere, credere, opinari, uel aliud facere. Finem corruptionis norunt omnes; Intentionis autem finis est, id, ad quod quippiam dirigitur, siue sit mens siue actio, dicitur & scopus, & id cuius gratia aliquid fit, sic finis medicinæ, sanitas: finis iuris, iustitia.

Finis extremi, est uel substantiæ, uel accidentis, uel temporis, uel loci, uel quantitatis, uel qualitatis.

Axiomata.

1 Omne quod nascitur, & finem habere necesse est.
2 Non omnes fines perfecti, sed ad aliud quiddā, & propter unum quodque tale, & illud maius.
3 Ignorata finali causa, ignorantur & ea, quæ ad eum finem pertinent, & eius gratia sunt.
4 Omnia, in natura, alicuius finis gratia, nec temere sunt.
5 Nullus in rebus creatis processus ad infinitum, quia creata determinata sunt.

Synopsis eorum, quæ finem quodammodo continent.

Acceptilatio.	Implementum.
Consumatio.	Limes.

Con-

Consumptio.
Corruptio.
Effectus.
Euentus.
Exitus.
Extremum.
Iuramentum.
Intentio.
Propositum.
Quies.
Scopus.
Mors.
Nouatio.
Obiectum.
Perfectio.
Portus.
Postremum.
Priuatio.
Putrefactio.
Status.
Sententia iudicialis.
Solutio.

De maiori, minori, & æquali. *Cap. VIII.*

MAiora alijs, excedunt; Minora, ab alijs deficiunt, quæ sine excessu & defectu, similia æqualiaq. dicuntur.

Cæterum maioritas, licet uti uerbo artis, & minoritas, atque æqualitas inter substantiam, & accidens esse potest, ordinis, dignitatis, præstantiæ, numeri, qualitatum, ætatis, corporis, spiritus. Ordinis, ut maiores in stemmate antiquiores: & senatores maiores, minorumve gentium. Dignitatis, ut imperiũ, maius magistratu. Pręstantiæ, ut in æstimatione negotiorum, & eorũ consequentia. Numeri maioris, uel minoris, partis, uel ęqualis. Qualitatis, ut sanior melior pars, &c. Aetatis, ut senis & iuuenis. Corporis, uel molis, uel quæ eorum sunt, ut procerus, pigmeus, &c. Spiritus, & quæ eius sunt.

Axiomata.

In eo quod plus est, & quod minus est continetur.

Synopsis eorum, quæ maius, & minus, & æquale referre uidentur, colligi potest ex principio magnitudinis in transcendentibus.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER QVARTVS.

Vbi de transcendentibus.

De Bonitate. Cap. I.

BOnitas,quasi ens boni.

Itaque bonitas, est ens,fons,causaq. & origo boni totius,& essentiæ,& actuum, qui priuatione non superantur in eodem subiecto, & tempore.

Omnia quæ sunt, uel bona, uel mala,uel adiaphora sunt; Adiaphora bona,uel mala esse possunt,uti uoluntas, otium, uoluptas,& similia.

Diuisio bonorum.

BOnorum,alia sunt bona finis,alia propter finem: & ideo rursum bona,quædam secundum quid,alia simpliciter; Secundum quid, uel potentia naturæ quæ adesse consueuit, ut pueris & furiosis,inest potentia bonum rationis,uel secundum alterius,non præsentis considerationem. Simpliciter bona dicuntur,quatenus res tales sunt actu, potentia in actū deducta,siue sint morum,siue actionum,siue accidentiū.Tertio, bonorum alia necessaria,alia non necessaria.Necessaria,uelut i uita,pudicitia,libertas,liberi,coniuges, cognati, parentes, per se eligibilia,ut uirtutes,& similia.Non necessaria,quę aut per se expetenda,ut munera,honores,uel ratione alterius optanda,quia aliquod adferant commodum,qualis est mercatura,ratione lucri:uictoria,ratione pacis:& ut alia nobis quęramus,opes.

Quarta bonorum diuiſio, in eorum electione obſeruanda, ut aliud bonum ſit perfecte abſolutum, aliud bonum ſecundum quid, aliud imperfectum. Bonum perfecte abſolutum, Deus ſolus, ſummum bonum; Bona perfecta ſecundum quid, ſunt, aut ratione conuenientis naturæ propriæ, certæ ſpeciei, uel generis, uel determinationis, aut relatione ad aliud magis perfectum. Imperfectum bonum, eſt quod aliud deſiderat.

Iſta, & alia bona, rurſum deducuntur in bona animi, corporis, externorum ſiue fortunæ.

Colligi, & aliæ bonorum poſſunt diſtinctiones, a ſubſtantijs, & accidentibus.

Gradus autem bonorum, tres. Primus, & ſupremus ſupra ideas, in Deo, ens, genus ad omnes ideas, Deus ipſe omnium creator. Secūdus, inter ideas, in his, quæ perfectiones rerum ſignificant, ſicuti dicemus ideam iuſti, iuſtum: honeſti, honeſtum: imparticipabile quippe eſt bonum, niſi ſit in eſſentia. Tertius gradus, in bono a nobis participabili ſub eſſentia, ſic bona omnis eſſentia, ſecūdū naturā, quia omnia eſſe appetūt.

Contrarium, Bonitati, Malum.

Synopſis eorum, quæ bonitatem referunt.	*His repugnant.*
Acceptabile.	Repudiandum.
Accommodum.	Incōmodum, male conueniēs.
Actio.	Otium.
Aequum, iuſtum.	Iniquum.
Benemeritum.	Malemeritum.
Beatitudo.	Infœlicitas.
Benignum, & omne compoſitum ex bene, ut benedictio, &c.	Ferum, malignū, immite. Omne compoſitum ex male, ut maleficium, maledictio.
Communicatio, ut liberalitas.	Reſtrictio, auarum, tenax.
Commodum.	Incommodum, damnum, damnoſum.
Commodatum.	
Conceſſum precario.	
Congruum.	Incongruum, diſpar.
Conueniens.	Inconueniens.
Conſtructio.	Deſtructio.
Dans fructum.	Sterile.
Debitum.	Indebitum.

Desiderabile.	Fugiendum.
Dei dona & facta.	Opera contra Dei mandata.
Dignum: dignitas, ut honor, magistratus.	Indignum.
Diffuiio.	Parcitas nimia.
Donatio.	
Esse, essentia.	Non esse.
Fœlicitas.	Infœlicitas.

Synopsis, eorum quæ bonitatem referunt.
His repugnant.

Gratum.	Ingratum.
Honestum, honestas, decus.	Inhonestum, turpe, dedecus.
Mortis, & eorum quæ mortẽ sequuntur, cogitatio.	Obliuio inconsiderata eorum quę mortis sunt.
Nobilitas, Nobile, clarum.	Ignobile, rusticitas, rude, inciuile.
Pax.	Diffidium, dissentio.
Perfectio.	Imperfectio, imperfectum, mancum.
Pulchrum.	Turpe & deforme.
Ratio, Rationabile.	Irrationale, Temerarium.
Sanctum.	Pollutum.
Tranquillum.	Inquietum, turbidum.
Verum.	Mendacium, falsum.
Vtile, lucrum.	Iactura rerum, siue utilitate.

Bonitatis Axiomata.

1 Vna est Bonitas natura & essentia, eaque increata, Deus; Reliqua, bona sunt participatione, aut per creationem.

2 Tot sunt species mali, quot & boni, & contra, & quę de uno affirmatiue, eadem de contrario negatiue dicta censentur, & contra.

3 Bonitati inest bonum esse, & bonum facere posse; consideratur & in eadem bonitate, id quod bonum fieri potest.

4 Bonum, mali est remedium; malum, uelut morbus.

5 Bonum, dilatandum; malum, contrahendum.

6 Bonum & studiosum fieri potest animal, natura, moribus vel consuetudine, ratione & doctrina; natura, cum nascitur: moribus cum imitatur; ratione, cum docetur & ratiocinatur.

Axio-

Axiomata, Circa electionem boni.

1. Bonum melius, eligibilius. In malis,duobus, utrumque si fieri posfit, uitandum,saltem peius,potius est fugiendum.
2. Melius dicitur, collatione alterius boni minoris, idest, quando id quod melius dicitur,id quod minus est,continet, & aliud quippiam prӕterea:Malum maius,quod magis& plus adimit ab eo quod bonum est,uel quod bono magis officit,
3. In bono finis,uix erratur,facile tamen decipimur in bonis ad finem tendentibus.
4. Prӕstantiora bona finis, bonis tendentibus ad finem.
5. In una quaque arte licita, bonum inuenitur secundum artem, & melius.
6. Quanto finis prӕstantior,tanto melior.
7. In homine,bona meliora animi quam corporis.
8. Bonum perfectum,melius imperfecto.
9. Necessaria bona,in necessarijs prӕponenda.
10. Et plura,paucioribus.

De Magnitudine. Cap. II.

MAgnitudo, est extentio uel intentio cuiusque rei, ex qua magna dicitur.

Magnitudinum,alia increata,alia creata, alia in potentia, alia in actu,alia perfecta,alia imperfecta.Increata:est illa quę immensa,indeficiens, infinita,supereſſentialis,Dei s. & Deus ipse. Creata uel spiritalis,uel corporalis est:Spiritalis,est quӕ intentionem non extensionem proprie habet : ut angeli & animӕ magnitudo: Corporalis, quӕ molem habet In potentia illa est, quӕ dicitur in fieri.In actu,in eo quod est.Imperfecta autem dicetur,ratione alterius corporis magis absoluti: Sic linea,minor superficie: illa enim unam, hӕc autem duas habet dimensiones.Perfecta, dicetur corporum magnitudo,ut corporis,quӕ tribus constat dimensionibus longitudine,latitudine,profunditate.Item perfecta erit,ratione destinationis seu determinationis factӕ,aut ratione distributӕ naturӕ.

Dicetur & in homine magnitudo esse triplex,corporis,animӕ,exterminorũ.Est in corpore magnitudo,proceritas,crassitudo,&c.In anima,magnanimitas,audacia &c. Inter externa,opes,dominatio, imperium &c.

Syno-

Synopsis eorum, quæ magnitudinem referunt. His repugnant.

Abundantia.	Penuria.
Amplitudo.	Angustia.
Adiunctio.	Diminutio.
Auctio.	Detractio.
Capacitas, comprehensio, cō-tinens.	Incapacitas.
Communio.	Partitio.
Copia.	Inopia.
Dignitas omnis, & maiestas.	Status priuatus.
Diuitiæ.	Paupertas.
Excellentia, excellens.	Vilitas.
Egregium.	Infimum.
Extensio.	Restrictio.
Essentia omnis.	Nihil.
Exuperantia.	Defectus.
Fœcunditas.	Infœcunditas.
Fertilitas.	Sterilitas.
Immensum. Infinitum.	Mensurabile & apprehensibile.
Infinitum.	Finitum.
Inflatio, Tumor.	Depressio.
Insigne.	Obscurum.
Intentio.	Remissio.
Liberalitas.	Auaritia.
Multitudo.	Pauci.
Sublime.	Infimum.
Sufficientia.	Insufficientia.
Vehementia.	Remissio.

Axiomata Magnitudinis.

1 Intensum, magnum, perfectius suo extenso: intensio in spiritualibus, extensio de incorporalibus dicitur.

2 Magnum & paruum, contraria non sunt, sed dissimilia; Refferuntur enim ad aliquid.

3 Id quod magnum est, quatenus paruo opponitur, constitui tandiu quandiu oppositio durat simul, quodammodo contrarium.

4 Nulla

4 Nulla essentia Magnitudinis spiritualis, quæ intensionẽ solam, non extensionem recipit, uere in partes diuidi potest. remitti tamen potest. Diuiduum quippe, interitui obnoxium est, a quo spiritualis substantia aliena est.

Caroli Bouilij Magnitudinis regulæ.

1 Omnis magnitudo, in eo quod est actu, finita, continua est: & infinita diuisione, partibus.

2 Non contingit aliquando, magnitudinẽ totam, ac omnino esse diuisam.

3 Magnitudinis partes, sunt potentia finitæ: actu uero, infinitæ semper.

4 Imposśibile est, omnes magnitudinis partes assignari.

5 Magnitudo tota homogena est, cuius quælibet pars est magnitudo. Constat enim ex similaribus partibus quæ sunt eiusdem speciei, ut lineis pluribus.

6 Diuisa utcunque magnitudine, imposśibile est terminos relinqui.

7 Imposśibile est, ex suis terminis magnitudinem constare.

8 Ex punctis, nulla magnitudo crescit.

9 Magnitudines omnes, ad tres reducuntur species, linearum, superficierum, & corporum: Sola tertia: perfecta est, tres terminos & interualla posśidens, duę reliquæ, imperfectæ.

De Duratione uel Perseuerantia. Cap. III.

DVratio, est colligatio temporis.

Duratio itaque, id est, ratione cuius quid est, etiã nũc & ut, cum arte loquar, quod existentiam demonstrat, exhibetque uel præteritum, uel præsens, uel futurum uel utrumque. Et in summa, quod perseuerat, in eo quod est, durare dicitur, Sic durum in corporibus, quod tactui non cedit.

Duratio, alia extra omne tempus, alia in tempore, alia ex utroque mixta. Extra tempus omne est sempiternum, unde (liceat declinare nomen, demonstrationis gratia) sempiternitas quæ solius Dei, sine initio & fine existens. Duratio Tẽporanea, est generabilium & corruptibilium, quæ semper esse nequit, sed ad certum usque tempus. Mixta duratio, æterna & eternitas dicta, quæ habuit quidem principium, sed habitura nequaquam est finẽ, & quæ in tempore existens, sine tempore futura & uictura est: Qualis duratio Angelis bonis &

ma-

malis, & animæ, imo ipsi humano erit corpori, post resurrectionem & anastasin generalem & ultimam.

Synopis eorum quæ durationem referunt.
His repugnant.

Æternitas.	Quę hæc negant.
Æuiternum.	
Ætas omnis.	Mors.
Antiquum.	Recens, nouum.
Constantia,	Inconstantia.
Contractuum, pactorum, iuramenti uis.	Rescisio contractuum.
Confidentia.	Diffidentia.
Consistentia.	Mobilitas.
Continentia.	Incontinentia.
Durities,	Mollities.
Existentia.	Priuatio, corruptio aliquando.
Firmitudo. uel firmum.	Infirmitas, debilitas.
Fidelitas, fides.	Infidelitas.
Immobile, pro temporis & negotij definitione.	Mobile.
Insolubile, Immortale.	Dissolubile. Mortale.
Nobilitas.	Ignobile. nuperrima agnitio.
Nunc.	Præteritum, aliquando.
Patientia.	Impatientia.
Perpetuum.	Transitorium,
Permanens.	Fluxum.
Perseuerans.	Mutatio;
Præsens.	Aliquando.
Spes.	Desperatio.
Stabilitas.	Instabilitas.
Sanitas.	Morbus.
Temporis indicia; qualia, seculũ, annus, mẽsis, hebdomada, dies, hora, sextantes: Nam hæc se mutuo continent & succedunt sibi.	Quod non habet tempus durans, ut momentum, athomus.
Vita.	Mors.

Axiomata.

1. Omnis duratio diutius perseuerans, cęteris partibus, perfectior.

2 In omni duratione, cōsiderari possunt quatuor. ante, nūc postea, semper, quæ nunquā tamen simul in aliquo sunt: Semper & nunc, tantum in Deo. Ante & nunc, in existentibus & deficienti bus, Ante, & nunc, & postea, in anima & spiritu, & si qua sit materia incorruptibilis. Hæc enim cū creata sint, semper non fueruut, & tamen habitura finem non sunt.

3 Vnaquæque res tanto diuturnior, quanto eius causa efficiens, efficacior est.

De Potentia. Cap. IIII.

POtentia, est ens, siue principium & uirtus, aut transmutationis in altero, aut prout alterum est.

Potentia. aut infinita, aut finita est. Infinita, sine principio, siue medio & fine: Hæc in Deo solo est, imo Deus ipse ista potentia: Quando nihil in Deo sit, quod non sit Deus, ex quo aliæ potentiæ omnes, uel permissiue uel effectiue oriuntur.

Finita potentia duplex, actiua & passiua, utraque, uel naturalis uel extra naturam. Naturalis rursum, uel ea rerum ipsarum natura est, uel ex alicuius legis aut consuetudinis constitutione. Ex rerum ipsarum natura potestas, subdiuiditur in rationalem & irrationalem. Rationalis, quæ in anima, & in angelica dicitur esse natura: Irrationalis, & corporis, & externorum esse potest, interdum latens, occultaue nobis, aliquando apparens.

Potestas ex legis uel consuetudinis constitutione procedens, est, ueluti ea quæ dignitatis, magistratus, principatus, est Eaq; uel legitima, a Deo uel alia optima lege definita, uel illicita & usurpata, Deo permittente, qualis Tyrannorum authoritas, Dæmonum obsesio, impiorum gubernatio.

Extra naturam potestas dicitur, uel quæ contra naturam, uel quæ præter ordinem naturæ, uel extra id quod natura licet. Contra naturam, ueluti quando grauia, quæ natura deorsum, ut ad centrum proprium tendunt, sursum potestate alia, impelluntur. Tales sunt operationes aliquando miraculorū uerorum, prodigia, & his similia. Præter ordinē naturæ potestas, casus est. Extra id qđ natura licet, uis, abusus, &c.

Latius

Latius & significantius, Potestas omnis oritur, uel ex his quæ sunt extra nos, uel quæ sunt in nobis, uel ex mixtis ex illis. Quæ sunt extra nos, habere causam dicuntur, a Deo, a necessitate, a fato, a natura, a fortuna, a casu, ab homine. A Deo, est substantia rerum & prouidentia earum. A necessitate, illa, quæ fere semper eodem modo contingunt. A fato, quæ ex destinationę Dei, quæ & necessitati subiacent pro Dei nutu. A natura, generatio, auctio uel incrementum, corruptio: unde Plantæ, animalia, metalla & similia ex causa determinata. A fortuna sunt, quæ rara sunt, & insperata, seu non expectata agenti secundum propositum, cum aliud quam inquiratur, inquirenti euenit, & præter id quod euenire natum est, uel solet ex eo quod agitur, ut si quis effodiens sepulchrum, thesaurum inueniat. A casu procedunt quæ & inanimatis contingere possunt, neque ex determinatis sed præter propositum, adueniunt. Ab homine, uis & uiolentia: quæ uel impulsiua, uel expulsiua, uel turbans, uel inquietans, uel metus maior, scilicet mortis, infamiæ, morbum, turpitudinis, & similium, dicitur. Potestas quæ pendet ex his quæ in nobis sunt, est in uoluntate, ex qua principia nostrorum operum, in quibus locum habet cōsultatio, & electio, potissimum in adiaphoris & contingentibus, ut & uelle, & agere, & desiderare, num uelimus artes addiscere, & his similia.

Potestas ex mixtione eorum quæ pendent ex nobis & aliunde, habet actiones, quæ quidem ex nostra fiunt uoluntate, sed quę ui impediuntur extrinseca. Potestas & alia, mixta ex his quæ ex nobis non sunt, sed tamen habent occasiones ex his quæ ex nobis uel in nobis, quales sunt retributiones actionum nostrarum bonarum uel malarum, in hoc uel alio sæculo, Talis etiam corruptio, morsq; nobis contingens ex scelere a primo parente commisso.

Synopsis eorum quæ potentiam referunt.
Repugnant his.

Agere.	Succumbere.
Authoritas.	Sine authoritate.
Dignitas.	Priuatum.
Diuitiæ.	Paupertas.

Do-

Dominatio.	Obedire.
Facultas.	Prohibitio efficax, uel impedimentum.
Fortitudo.	Debilitas, timor.
Idoneum.	Non idoneum.
Iurisdictio.	Sine iurisdictione.
Libertas.	Seruitus.
Magistratus.	Sine magistratu.
Pręcipere.	Obtemperare.
Principatus.	Famulatus, subiectio.
Patrem esse.	Filius.
Potestas.	Impotentia.
Robur.	Infirmitas.
Vis, omnis uirtus.	
Violẽtia,& ea omnia per quę vis infertur, ut arma, lapides, coactio &c.	Resistentia.

Axiomata potentiæ.

1 Omne sempiternum abstractum & necessarium, est actus, nec est in potentia passiua.

2 Potestatum, aliæ considerantur, ueluti efficientes in effectu, sicuti intellectus in intelligibili:alia est in fieri,per quam aliquid fieri possit realiter.

3 Potentia quæ actum suum bonum assequitur, perfectior & melior, quam cùm in fieri erat.

4 In malis, actus malus, ideo & peior eius potentia.

5 Omnis potestas a Deo est, uel effectiue, uel permissiuè.

6 Potentiæ signum est, tendere uel progredi ad esse: impotentiæ autem, ad non esse.

7 Nulla est in natura potentia passiua, cui nõ respondeat uel adsit alia potestas actiua.

8 In potestate nostra legitima ea esse non censentur, quibus boni mores,lex,aut constitutio iusta,uel ius,uel æquitas firma & recepta, repugnant.

9 Nihil potest esse simul in potentia formali, & in actu formali, respectu eiusdem: ueluti nihil est eodem tẽpore & eodem modo, actu & potestate calidum: Potest tamen aliquid esse, in actu, (vt dicunt) virtuali, & in potentia formali simul.

10 Vnumquodque intelligitur, in quantum est actu, non inquantum est in potentia; Quia intelligere, est actus, idcirco & id quod intelligitur, debet esse in actu; Quod etiam ad veri & falsi intellectum referendum est.

11 Potentia naturalis, aptitudo, & impotentia, qualitatis sunt species.

12 Quæ impossibilia sunt factu, in eo ipso non admittunt obligationis vel iuris vinculum.

De Cognitione. Cap. V.

COgnitio, est rei latentis uel ignoratæ manifestatio, vel declaratio. Cognoscimus, coniectura, definitione, consecutione, & alijs modis, de quibus in primo libro.

Cognitio, alia creata, alia increata. Increata in Deo solo est, hæcque sola perfecta, ab uno rei extremo, vsque ad aliud, ex integro permeans.

Creata, uel acquisita, uel connata est. Acquiritur autem, uel propria inquisitione, & proprio labore, vel aliorũ ope. Connata illa est, quæ ex Dei constitutione cuique animalium naturæ, indita est, vt ea vtatur quando organa ad eam erunt exercendam idonea.

Creata autem omnis, in intellectualem, rationalem, æstimatiuam, sensualem, & instinctum diuiditur. Intellectualis, est, quæ formatur vnico actu, ueluti unico intuitu manifestans; qualis inuenitur in angelis, & hominibus: Dicemus eius generis, scientiam infusam, quando plurium cognitio simul & semel a Deo, notionis fit in mentem infusio; non secus ac in arte typographyca, plures orationes & sententiæ simul & semel, una præli depressione, papyro excipiuntur; eo modo Prophetia, & similia cognoscuntur.

Rationalis cognitio, uel opinio uel scientia dicitur. Omnis autem scientia, uel speculatiua, uel practica est. Speculatiua sciẽtia, uel realis, uel rationalis. Realis speculatiua triplex, metaphysica, physica, mathematica; prior, de rebus supernaturalibus, secunda, de naturalibus, agit: tertia, de quatuor demõstratiuis, de astrologia, uel astronomia, de musica, de geometria, de arithmetica.

Rationales speculatiuæ scientiæ, grammatica, dialectica, rhetorica, poetica, historia: Addere licet iuris scientiam, & eius species nouem nempe, ius diuinum, naturale, gentium, ponti-

pontificium, ciuile, ius consuetudinis, honestatis, necessitatis, & aliud quod ius positiuum.

Practica, scientia, uel actiua vel factiua est. Inter actiuas, erit. Politica, quæ ad tractãdas res ciuitatis pertinet; Ethica, quæ ad mores: œconomica, quę ad domestica ptinet. Factiua practica, scientia, cõtinet mechanica, vt lanificium, militiam, nauigationem, agriculturam, medicinam, venationem, fabriles & reliquas mechanicas artes.

Æstimatiua, est cognitio illa quæ generatur in parte capitis eius nominis, in æstimatiua inquam, ex distinctione reali, & collatione eorum, quæ sensibus comprehenduntur, & hæc adest quibusdam animalibus perfectioribus.

Sensualis cognitio est, quę fit per sensus exteriores, & interiores, ex propria obiecti apprehensione.

Instinctus, est quædam species cognitionis in animalibus omnibus, & in plantis, & alijs inanimatis; per sympatias & antipathias manifesta.

Synopsis aliquorum, quæ cognitionem referunt.	*Repugnant his.*
Ars omnis, liberalis, vel mechanica, & arte facta.	Temere & sine arte facta.
Certitudo.	Incertum.
Coniectura.	
Consilium.	Inconsultè factum.
Distinctio, separatio, diuisio.	Confusio.
Doctrina.	Incognitum. Ignorantia.
Experientia.	Inexperientia.
Fides.	Dubitatio.
Gradus omnes, quibus sciẽtes ornantur insignibus; Pręceptoriatus, Bacchalaureatus, prolytatus, uel licẽtiatura, magisterium, doctoratus.	
Industria.	Sine industria.
Intelligentia.	Ignorantia.
Iurisperitia.	
Lex.	Leleges.
Opinio.	Error.

Ordo.	Inordinatum.
Peritia.	Imperitia.
Prędeſtinatio.	
Pręnoſcio.	Incognitum.
Pręſcientia.	Improuidentia.
Prognoſticatio.	Mendacium.
Prudentia.	Imprudentia.
Ratio.	Irrationale.
Regulę præſcriptio.	Irregulatum.
Reprobatio.	
Sagacitas.	Stultitia.
Sapientia.	Inſipientia.
Scientia.	Obliuio.

Axiomata cognitionis.

1 Principium ſcientiæ eſt, demere ex animo ſe aliquid ſcire, opinionem.

2 Naturalia, non póſſunt exponi ab homine, expoſitione perfecta: Neque poteſt ſtudio conſeqni homo, ut ſciatur, inquiunt periti, pars principiorum ſuorum.

3 Naturalia, ſunt rationibus inueſtiganda; moralia, uſu comparanda; diuina uero, per oracula ſacra intelligenda.

4 Melioris conditionis non debent eſſe ſtulti, peritis.

5 Cuilibet naturæ intellectuali proprium eſt, ut intelligat ſecundum modum ſuæ ſubſtantiæ.

6 Scienti, intelligenti & uolenti, non fit iniuria.

7 Iuriſconſulti, in his quę ſcientiam exigunt, paria exiſtimant ſcire, & neſcire, ſi utiq; ſcire quis debuiſſet & potuiſſet.

Subnectere & placet, Pauli Ricij, centum concluſiones ſcientiæ.

Concluſiones quibus reſolutiuè modum ſciendi aſſequimur. Prima claſsis.

1 Omnes, natura ſcire deſiderant.

2 Qui natura ſcire deſiderat, idipſum ſine externo adminiculo, aſſequi poteſt.

3 At quamqnam id aſſequi natura poſſit, pluribus tamen, præſertim orbatis oculis, ars ipſa auxiliatur.

4 Ars, modusque ſciendi (non enim ſcientia) eſt ea facultas, quam logicam dicimus.

5 Logica quę modum tribuit sciendi, nihil aliud, quam cõceptus rationis moderari proponit.

6 Moderantur conceptus, si concipiendis rebus ab extra, conformes illis statuuntur.

7 Conformes fiunt conceptus, si eo pacto rem cõcipimus, quo res ipsa est.

8 Est autem res quęque concipienda, per esse suę causę.

9 Per essentię causę itaque conceptionem, rem ipsam concipiamus oportet.

10 Quando per causam cognoscimus, demonstrationem appellamus.

11 Demonstratio, ex ignotioribus ad notiora perducit.

12 Notiora sunt, uel naturę & nobis, uel naturę & non nobis, uel nobis & non naturę.

13 Quod naturæ notius est & nõ nobis, nullam demonstrationem statuit.

14 Quod nobis & naturę, demonstrationem facit, quæ tamen uera demonstratio non est.

15 Quod autem naturæ & nobis, id in duplicem considerationem cadit: Nam, aut idem est notius nobis & naturæ, non aũt eodẽ modo, quia non secundũ habitudinem quã habet ad ignotius, aut sicut idem, sic & eodem modo.

16 Primum, demonstrationem dat propter quid; quia scio rem per causam, hanc autem esse rei causam ignoro.

17 Secundum, demonstrationem simpliciter constituit. Rẽ enim scio per causam, & quoniam est causa.

18 Simpliciter demonstratio, ipsum quod simpliciter est scire nobis largitur, qua humani generis pfectio tota cõsistit.

Conclusiones quę pertinent ad modum ordinandi resolutiuè doctrinam quamlibet, & ad cuiusuis libri quęsitique subiectum, discernendum.

Secunda claßis.

19 1 Humanum genus, perfectionem exoptat.

20 2 Hãc assequitur, dũ ea possidet q̃ sua natura exoptat.

21 3 Possidet hæc, dum a suo principio, ea suscipit actu.

22 4 Suscipit, dum principio coniungitur.

23 5 Coniungitur, dum ei simile efficitur.

24 6 Simile efficitur, dum sciendi actum exercet.

25 7 Eundem exercet actum, dum causam rerum intuetur.
26 8 Intuetur, dum eas quæsiuerit.
27 9 Quærit, cum dubitat.
28 10 Dubitat, dum admiratur.
29 11 Admiratur, per animæ fugam a repugnante.
30 12 Repugnat, quod animæ perfectioni tam primę, quã secundæ obstat.
31 13 Obstat animæ perfectioni, (quia ipsa una indiuisibilis immobilisque existens, unum indiuisibile,
32 14 ac immobile petit) multitudo, magnitudo, motus.
33 15 Ens, in se plura complectitur.
34 16 Plura, ratio in simul quærere nequit.
35 17 Inquirit primum, quod se admirabile prius offert.
36 18 Se prius admirabile, magisq. repugnans offert, ens mobile.
37 19 Mobile ens, ex pluribus quæ ei insunt, consistit.
38 20 Secundum plura in simul, se nullum ens offert.
39 21 Se offert primum, secundum id quod primũ ei inest.
40 22 Primum inest, quod prioris causæ est opus.
41 23 Prioris causæ opus est, quod se latius communisve effundit.
42 24 Se latius diffundit, mobile simpliciter, quam mobile loco, & quæ deinceps.

Conclusiones, quibus scientia de natura compositiue, pro grediendo a parte in partem, iuxta executionem naturæ progredimur.

Tertia classis.

43 1 Mobile est, quod fit ex aliquo aliquid, non ex quolibet, sed ex apto nato.
44 2 Ex apto nato dumtaxat, cum rem fieri contingat: e nihilo fieri aliquid philosophantium renuit dogma.
45 3 Quum e nihilo res fieri nequeat, mobile ex tribus re ipsa distinctis principiis, per se constare asserimus, priuatione, materia, forma.
46 4 Priuatio, est non ens enti admixtum: Materia, est admixtum non enti: forma est ens omnis priuationis expers.
47 5 Formæ ut bono, materia adhærere exoptat.
48 6 Hanc uero suam cupidinem materiæ, cum totum in simul

ſimul explere nequeat, motus neceſſario emergit.

49 7 Motus, eſt perfectio entis in potentia, ſecundum huiuſmodi.

50 8 Ens in potentia, mouetur ad actum, ab alio.

51 9 In his quæ mouent, & quæ mouentur, dandũ eſt primum.

52 10 Primum mouens, nec corpus, nec uirtus in corpore eſt, ſed infinitum, uigore mouens, ut finis, efficienſque mobile primum.

53 11 Mobile primum, eſt cęlũ, ex anima, (ideſt Deo primo mouente ſine commixtione cœli, & ſui) efficiente motum.

54 12 Quod fertur in orbem, quatenus latione, namq. uniforme exiſtit, eatenus ſublunarem hanc materiam, primæ uniformiq. caducorum formæ, adaptat.

55 13 Prima ſublunarium communis ſubſtantialiſq. forma, eſt natura corporea, quam coæternam materiæ contendimus.

56 14 Hac intercedente, per uaria cœli organa, necnon, & per corruptibilium corporum diſcrimina, (quæ corruptibilia inquam corpora) non primarie, imo & minus quam inſtrumenta agere (ut 2. de genera. Ariſtoteles poſuit) ad diſtinctas numero ſpecie & genere formas, eadem materia diſponitur.

57 15 Terminant uero eam formis diſtinctis quidem genere, leges; prima, elementi: ſecunda, imperfecti mixti: tertia, mineralium: quarta, uegetalium: quinta animalium, quibus deeſt ratio: ſexta, in quam totius naturæ intentio uergit, Humana ratio.

58 16 Hanc (rationem ſcilicet) materialem, potentialemve aſſerimus.

59 17 Hanc etſi potentialis fuerit, nec materiam tamẽ, nec materiæ permixtam, ſed ſubſtantiam abſtractã, oſtendimus.

60 18 Quæ quia abſtracta, ideo & ſemper intelligens actu.

61 19 Et quamuis ſuapte natura intelligat actu, humano tamẽ corpori formam tribuens, quandoque intelligit, quandoque uero minime.

62 20 Intelligit, quando ei cogitatiua phantaſma porrexerit: hoc cum non porrigat, nequaquam.

63 21 At phantaſma, cum ſua natura intelligibile non ſit, uirtus in nobis danda eſt agens, quæ & potentia, actu intel

ligibile constituat.

64 22 Intelligibilia actu cum fuerint, materialis facultas, adeptum intellectum parit.

65 23 Adepto intellectu genito, ab eoq. phantasmatum appendicib. deletis, nobiscum, agens intellectus iungitur, quo & abstracta cuncta prospicimus, adhæsioneq. altissimi Dei, assequimur.

Conclusiones, quibus Metaphysicam sapientiam diffinitiue, a toto scilicet in partes incidendo assequimur.

Quarta clasfis.

66 1 Dei adhæsionem assequimur, si ipsum nouerimus.

67 2 Nouimus si illinc entis attributorumve ambitū, passim dependere concipimus.

68 3 Dependere concipimus, si entis partes, attributaq. inuicem, attribuimus.

69 4 Entis, quadrifaria partitio est: Aut.n.ortum habet in re, & in re ipsa consistit: Aut oritur ab intellectu, in eodéq. sistit: Aut a re ducit originem, in intellectu tamen reponitur: aut oritur ab intellectu, & sistit in re ipsa ab extra.

70 5 Quod oritur intus sistitq. ab extra, artificialium moraliumq. cultor pertractat.

71 6 Quod ortum habet in re extra sistitq. intus, sunt intelligibilia, speciesve, quæ actu reflexo, per adeptum intell. intuentur.

72 7 Quod originē ducit intus, & intus reponitur, est ens rationis, quod logicus considerat.

73 8 Quod uero in re extra, & oritur & consistit, alij scientiarum opifices, ut tale, Metaphysicus autem, quatenus ens, speculatur.

74 9 Ens quatenus ens, est propria ratione aliquid, quod omnibus analogice inest.

75 10 Huius, si essentiam in se aspexeris unum (ueluti peculiarem eius passionem) ipsum scilicet ens, perpendes comitari.

76 11 Quod si ad aliud, ad id.s.cui primum ratio competit entis, (ad intellectum inquam) retuleris ipsum, uerum ipsum sociari dices.

77 12 Si

77 12 Si uero ad uoluntatem, quæ continuo intellectus comes est, idipsum conferas, bonum ei mox competere, agnosces.

78 13 Vnum igitur ens dicit indiuisum secundum quod diuisum, uerum, ut intellectu apprehensum: bonum, ut uolitum.

79 14 At quoniam uolitum apprehensumq. esse, non ex absoluta, sed ex collatiua mentis ratione dependent, ideo partes disiunctaq. attributa, ens ipsum sortiuntur.

80 15 Quatenus independens, substantia: quatenus dependens, accidens emergit.

81 16 Rursum, ut independens, unum: quia dependens multum.

82 17 Hinc actus, illinc potentia.

83 18 Hinc, prius: illinc, posterius.

84 19 Hinc, causa: illinc causatum.

85 20 Hinc uniuersale; illinc particulare.

86 21 Hinc infinitum: illinc finitum.

87 22 Hinc necessarium, illinc contingens.

88 23 Quæ singula, enti, ut modos attributa ve, nō ut partes competere dicimus.

89 24 Partes uero primo contrahentes, ens (non modos) substantiam & accidens, asserimus.

90 25 Substantiæ ratio est, non inhærere; Accidentis uero, inhærere subiecto.

91 26 Quum accidens inhæreat, substantia uero minime, potior pars entis substantia.

92 27 Substantia, alia mobilis, alia immobilis est.

93 28 Mobili substantiæ, materiam contrarijs subiectam esse, oportet.

Subiecta materia, ens est, non actu, sed potentia, in æternis quidem, ad ubi.

In generalibus, ad formam.

94 29 Quod in potentia est, mouente eget uniuoco, quo ducatur in actum.

95 30 Mouens uniuocum, quod sensu cernimus, quum perpetuo generationem, & corruptionem subeat, aliud perpetuo mouens adesse contendimus.

96 31 Quod perpetuo mouet, nulla potentia ac materia, cōmisceri contendimus.

97 32 Quod nulla potentia inficitur, actus est, se primum, & reliqua omnia, secundo intelligens, & curans, uita in summo delectabilis, atque perfecta, ut appetibile, & intelligibile mouens, a quo in esse, & in moueri, dependet atque natura.

98 33 Cœlum a tali mouente, ueluti a causa effectus, manat: quotque eius sunt motus, tot erunt & motores.

99 34 Motores inquam duplices: quorum unum coniunctũ & animam: alterum re ipsa seiunctum, & intelligentiã, decernimus.

100 35 Et quanquam plures sint motores, hi tamen (quẽadmodum, & per se mota) ad inuicem ordinis unitatem obtinent, & ab uno, ueluti exercitus a duce, pendent: & ad unũ refluunt uniuersa.

De appetitu, & uoluntate. *Cap. VI.*

APpetitus, est incitatio, uel impetus quidam, manans a naturali facultate: cuius ui, uel per se, uel aliunde, res ad aliquid excitatur.

Appetitus, uel rationalis, uel irrationalis est. Rationalis, dicitur uoluntas, quæ, uel diuina, uel angelica, uel humana. Diuina uoluntas, in se una, sed secundum nostrum intelligẽdi modum, dicitur uel uoluntas signi, uel beneplaciti apud Theologos: atque ea, uel absoluta, uel conditionalis, uel permissiua. Humana & angelica interdum simpliciter uoluntas, interdũ propositum dicitur.

Irrationalis appetitus, est vel naturalis, uel sensualis. Naturalis, dicitur & facultas, attractrix, retentrix, alteratrix, expultrix: itẽ antipathia, & sympathia. Sẽsualis, uel animalis duplex, cõcupiscibilis, & irascibilis: cõcupiscibilis, uel bonus per se, uel malus: Bonus per se, ut amor, desideriũ, gaudiũ: Malus, ut odiũ, abominatio, tristitia. Inde & concupiscentia, uel sensualis, uel spiritualis: Sensualis, bona, mala, indifferens: Bona quæ est ordinata ad finem bonum: mala, ordinata ad malum, uel inordinata absolute concupiscentia: indifferens erit, naturalis passio & affectio: Sicut spiritalis concupiscentia, mala ad malum, bona ad bonum. Irascibilis, sensualis appetitus est: ueluti spes, desperatio, timor, audacia, ira, impetus, furor, &c. Operum quæ motu uoluntario fiunt, alia libera sunt, alia affectibus corporum seruiunt. Libera sunt, quæ a nobis absque impedimento

fiunt,

fiunt, ut ire ad aliquem, alium alloqui, capere quidpiam. Affectibus corporum seruiunt, opera non perpetuo libera, sed in tempore & cum mensura, ut egerere, & meiere.

Synopsis eorum quæ appetitum &c. referunt. His repugnant.

Amor.	Odium.
Amicitia.	Inimicitia.
Audacia.	Timor, metus, pauor.
Beneuolentia.	Maleuolentia.
Concupiscentia.	Nihil concupiscens.
Consuetudo.	Dessuetudo.
Cupiditas.	Nihil cupiens.
Desiderium.	Nullum desiderium.
Dilectio.	Odium.
Gaudium.	Tristitia.
Interpretatio.	Dubium.
Libertas.	Seruitus.
Lex.	Sine lege, incertum.
Liberum arbitrium.	Coactio.
Licentia.	Nullus appetitus.
Permissio.	Prohibitio.
Spes.	Desperatio.
Voluntas.	Nolle.

Axiomata appetitus.

1 Appetitus, regulam & efficaciã interpretationum accipiunt, secundum naturam propriam rerum de quibus appetitus dicantur, & ita alius appetitus animalis, hominis, bruti, plantæ, &c.

2 Quo magis uoluntas accedit ad maius bonum, eo præstãtior.

3 In eo quod est concupiscibile uel desiderabile, & quod ex uoluntate concupiscibile propter se, quia bonum, uoluntas melior, perfectior, & præstantior, quam in eo quod desideratur propter aliud.

4 Motus omnis corporis animalis, est per se uoluntarius, in homine, quia uoluntas ipsum excitare & sedare potest, eundo, sedendo, ambulando, &c.

5 Deus & iudices, & quilibet, qualitatem actus boni uel mali, ex uoluntate potius, quam ex ipso actu, iudicant.

6 Duo sunt, quæ necessario ad perficiendum actum desiderantur, uoluntas & potestas simul.

De Virtute. *Cap.* *VII.*

VIrtus Aristoteli, est facultas bonarum rerum consiliatrix & conseruatrix, facultas benefica bonarum rerũ, atque ideo omnium, & per omnia.

Virtus alia spiritus, alia corporis. Spiritus uirtus multiplex superintellectualis, intellectualis, rationalis, moralis, theologalis. Superintellectualis illa est, quę procedit ex Dei omnimoda & nobis incognita vi, qualis uirtus miraculorum, & eorum quæ Deus operatur supra causas per angelos bonos, uel quæ pmittit malos agere, qualia magica præstigia, sortilega.

Intellectuales uirtutes sunt, sapientia, scientia, prudentia, quæ tamen proprie referuntur ad cognitionem.

Rationales virtutes, uel partis animę sunt, uel totius. Partis animæ, uel partis cupidę, qualis temperantia, continentia: uel partis animosę, ut mansuetudo, fortitudo, iracundia. Totius aũt animæ sunt, iustitia, & liberalitas. Morales uirtutes sunt, iustitia, fortitudo, tẽperãtia, quæ nõ nascuntur, sed acquirũtur, & sunt, ut dicũt, ad extra, discretiuæ actuũ in proximũ.

Theologales uirtutes, fides, spes, charitas, dona quoq; gratiæ diuinæ quæ dirigunt ad Deum, & infunduntur, ut loquũtur classici sacri interpretes, ad intra, unde sunt discretiuæ uirtutis actuum, in Deum tendentium.

Corporis uirtus, aut animalis, aut uegetalis, aut elementalis, aut cœlestis. Animalis rursum, uel sensitiua, vel motiua, vel vitalis. Sẽsitiua item, exterior aut interior; Exterior, quæ operatur per sensus exteriores circa obiectũ particulare, in loco, & tempore, scilicet, per uisum, auditum, olfactum, gustum, tactum: Interior quæ operatur per sensum communem, & per imaginationem, phantasiam, opinionem, memoriã. Motiua animalis, aut naturalis, aut appetitiua est: Naturalis unde motus respirationis perfectorũ animalium, pulsus, & motus uitalis, ex corde: Appetitiua, est aut irascibilis seu trãsibilis, aut cõcupiscibilis: Irascibilis, circa ardua & difficilia: Concupiscibilis, circa delectabilia & desiderata. Vitalis motiua, est qua uita nostra sustinetur.

Vegetalis uirtus, est quæ operatur, uel consistit in generatione, auctione, & nutritione, quæ fiunt mediante uirtute, attractiua. retentiua, concoctiua, uel digestiua, & expulsiua.

Elementalis illa est uirtus, quæ ex mixtura oritur elemẽtorum, aeris. ignis, aquæ, terræ: illaque, uel ex motiua secundum locum, uel naturalis.

Cœlestis, quæ ex influxibus cœlestium corporum, & ex eorum commixtionibus, coniunctionibus, oppositionibus, aspectibus, &c. & ex motu, & natura eorum.

Synopsis, eorum quæ sub uirtute continentur ultra diuisiones.

	His repugnant.
Actiuum.	Deficiens in actu.
Agere. quod agit.	Non ualens agere.
Fortitudo.	Debilitas, Imbecillitas.
Generatio.	Corruptio.
Potentia omnis.	Impotentia.
Regulatio.	Irregulare.
Robur.	Infirmum.
Virilitas.	Mollities, ætas immatura.
Vis.	Defectus animi.
Virtus.	Vitia.

Axiomata.

1 Quælibet uirtus ad suum obiectum principale, secundũ æqualitatem proportionem uel comparationem, accipit: cum uirtus rei, secundum obiecta mensuretur.

2 Virtus minor, maiori cedit, cæteris paribus.

3 Virtus corporea, ipsa corpora, absq; corporis dispositi beneficio, nec existere, neque operari ualet, ut calor non existit nec operatur, nisi in corpore cui ꝑsidet, & in igne: Frigus pariter nec existit, nec infrigidare pōt, nisi terræ uel aquæ, uel alijs ad sit eius uis prædominans: Sic, uisiua uirtus, minime in suas operationes transit, si occulum dispositum, qui eius est instrumentũ non habeat, ita de audiẽdi uirtute, indisposita uel sublata aure, & de alijs similibus conijcere licet. Omnis denique uirtus, corporea, ita se habet in corpore, sicut, in cera aut ære, imago: Siquidem, dum cera uel æs dissoluuntur, actutũ perit ima-

imago ipsa, & sculptura.

4 Virtus unita, maior seipsa dispersa.

De ueritate. *Cap. VIII.*

Veritas, est cuiusque rei, sicuti est, exhibitio uel intelligentia,

Veritas, alia increata, alia creata. Increata ueritas Deus, qui & ueritatis totius fons & author, non secus ac sol & lumen, lucis fontes.

Creata ueritas, uel rei, vel intellectus, vel orationis est. Rei ueritas, in essentia, moribus & actionibus, Intellectus & orationis, quando res sicuti est intelligētia & sermone cōtinetur,

Synopsis eorum, quæ ueritatem referunt.

Adæquatio.
Approbatio.
Authoratio.
Confirmatio.
Essentia.
Fides,
Lex.
Prædestinatio.
Probationes omnes, vt testes, instrumenta, &c.
Quiditas.
Registrum,
Verum.

His repugnant.

Adulatio.
Ambitio.
Arrogantia.
Calumnia.
Contingens.
Futurum.
Deceptio.
Dolus.
Error.
Fabula.
Falsum.
Fallacia.
Fictio.
Hypocrisis.
Iactantia.
Ironia.
Mendacium.
Ostentatio.
Periurium.
Proditio.
Susurratio.
Simulatio.

Ad ueritatem assequendam, sequentia necessaria.

1 Acre & impigrum ingenium, exigitur.

2 Educatio & exercitatio a puerili ætate in bonis disciplinis, potissimum in mathematicis.

3 Aures optimis quibuscunque eius temporis, accomodare

4 La-

4 Laboribus non parcere, circa meditationem rerum.
5 Veritatis amore, spretis proprijs, & aliorũ passionib. capi.
6 Methodum quandam perscrutari, qua facilius uerum a falso distinguatur, eamque in praxim deducere.
7 Impellit ad inquisitionem ueritatis, cum quis cupit magnus & sapiens, præ cæteris, haberi.
8 Iuuat maxime, subtilitas animi in apprehendendo.
9 Vitare oportet in uero discutiendo, quæ solent alio mẽtem deflectere, qualia arrogantia, iactantia, philautia, siue nimius sui amor, honorum atq; bonorum immoderata libido, falsa persuasio sapientiæ, auaritia, ira, pertinacia, munera & similia quæ animum a sua integritate & puritate auocant.
10 Cauenda similium confusio, & affinitas distinctionibus secernenda.
11 A facilioribus & notioribus exordiendum.

Axiomata ueritatis.

1 Veritas, propter pugnantium, argumentorum difficultatem, reijcienda non est.
2 Veritas odium parit.
3 Veritas, super omnia, omniaque tandem uincit aduersa.
4 Veritas non quærit angulos.
5 Veritas in omnibus quærenda.
6 Veritas simplicitatis amica.

De Gloria. *Cap. IX.*

GLoria est multorum bonorũ ore cõcelebrata laudatio, quãdo quis habet, uel existimatur habere, quod plures, uel omnes probi expetunt. Aut dicetur, claritas uel splendor uel lux, cum laude, ratione cuius, id quod antea latebat, apparet. Gloria, alia uera, alia falsa. Vera, aut perpetua, aut temporalis, Perpetua, in seculo futuro & uita æterna beatis, & angelis: Temporalis in hoc seculo mutationibus obnoxio, eaque uel essentiæ uel actuum est. Falsa & inanis gloria est, uel ratione rei a qua sumitur, uel ratione eius qui gloriã dat, uel ratione eius qui eam sibi usurpat. Inanis gloria ratione rei est, si ea non sit, si modica uel uilis, si ignominiosa & potius uituperio digna. Inanem & falsam dicimus ratione dantis, ueluti, si laudet Dæmon, mundus, impij homines. Ratione accipientis, si is qui laudatur, sit indignus, si hypocrita, si eam sibi usurpet im

meri-

meritus, si eam ambit, si suis meritis non Dei gratiæ. quæ concedit laudabilia agere, adscribat, si ea superbiat.

Synopsis eorum qui gloriam ueram, uel inanẽ referunt. His repugnant.

Ambitio.	Infœlicitas.
Arrogantia.	Obscuritas.
Beatitudo.	Dedecus.
Celebritas.	Priuatio uitæ.
Decus.	Infamia.
Dignitas.	Memoriæ damnatio.
Fama.	Obliuio.
Festa.	Damnatio.
Fœlicitas.	Tristitia.
Gaudium.	Inhonoratio.
Honor.	Iniuria.
Iactantia.	Calumnia.
Laus.	Contemptus.
Maiestas.	Vituperium.
Nobilitas.	Tenebræ.
Ornamentum.	Populare.
Pulchritudo omnis.	Ignobile.
Remuneratio.	Inornatum.
Splendor.	Deforme.
Superbia,	Exilium.
Triumphus.	Pœna.

Axiomàta. Gloriæ.

1 Sequitur ut umbra corpus, semper uirtutem gloria.
2 Gloria, æmulationem Reipublicæ saluberrimam parit.
3 Gloriam consequi, omnium finis.
4 Gloriam, quis operum est, & condimentum suauissimũ laborum.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER QVINTVS.

In quo de accidentibus agetur.

De Accidentium summaria distinctione.

CAPVT I.

NObis, priusquam substantiæ cognitæ sint, sese offerunt accidentia sigillatim consideranda, a quibus ad substantias præparatur tractatio. Igitur generaliter consideratis transcendenti bus, optima methodo, ad singulares rerum ap parentes peruenimus notas accidentales, & antequam ad ea rum fundamentum & basim descendamus, ad substantiam scilicet. Vna substantia, accidentia nouem, quæ a pluralita te ad unum tanquam ad subiectum, reducuntur. Omnia au tem hæc, denario concluduntur numero, decemq; nomini bus & essentiis, ad quas omnia reducuntur, unde & decem dicuntur prędicamenta, quorum naturam, duobus uersibus Murmellij, exprimimus.

Versus continentes naturam prædicamentorum.	*Nomine decem prædicamentorum, quorum primũ substantia, alia 9. accidentia.*
Arbor.	Substantia.
Sex.	Quantitas.
Seruos.	Relatio, uel ad aliquid.
Frigore.	Qualitas.
Refrigerat.	Actio.
Vstor.	Passio.
Ruri.	Vbi.
Cras.	Quando.
Stabo.	Situs.
Nec tunicatus ero.	Habitus.

Sunt tamen quædam, extra prædicamenta, quæ ad aliquod accidentium reduci nequeunt. Duobus etiam uersibus expressa ad memoriam iuuandam.

Versus exceptorum a numero, Prædicamentorum.

Conceptvm, Id est uox composita ex pluribus (ut homo iustus) nisi complexum, unum significet, ut corpus animatum.

Consignificans, Syncategorema, id est, nihil per se significans, & nisi cum alio, ut omnis, nullus. Quamobrem & ex octo partibus orationis, quatuor, categoriis continentur tantum, nomen, participium, uerbum, aduerbium.

Fictvm, Veluti Syrenes, Centauri.

Polysemvm, Id est quod multa significat, nisi fiat distinctio.

Vox logicae, Huiusmodi sunt termini dicti secundæ intentionis, quos dialectici aliarum rerum gratia usurpant, ut nomen, uerbum, oratio, propositio.

Devs, Id omnia nomina infinita actu, ut Deus, creator, extra prædicamenta sunt: eo quòd prædicamenta omnia finita actu sunt.

Excedens, Id est, id omne quod transcendens dicitur, ut

ut unum, ens, aliquid: nobis, bonitas, magnitudo, duratio, &c.

PRIVATIO, Hoc est, quę priuationem significant, ut cęcitas, surditas, tenebræ, &c.

PARS QVE, Id est, vox partis principijue materialis significatiua, ut forma, materia, &c.

Prædicamenta considerantur interdum in abstracto, interdum in concreto, in abstracto proprie, ueluti substãtia, quantitas, qualitas, &c.

In concreto, ut substantiuatum quantum, quale.

De Quantitate. *Cap. II.*

QVia rudior & facilior rerum cognitio est illa, quæ per distinctionem numeralem fit, ut corpus hoc ab illo, nemo differre nescit, uel eo, quod hoc & illud, duo sunt. in quo, quantitatis est obseruatio. Idcirco prius, ut a facilioribus, argumenta ducimus post superiora, a quantitate.

Quantitas omnis, uel non prædicamentalis, uel prædicamentalis est. Non prædicamentalis est, distinctiua graduum perfectionis, virtutis & substantiæ, secundum plus & minus, atque hęc proprie dicitur magnitudo, quã enumerauimus inter genera metaphysica, uel transcendentia, ueluti dum dicimus, magnum architectum, magnam & paruã substantiam, & maximam vim.

Prædicamentalis, est ens accidentale dimensionem faciẽs substantiæ, per quod quãtus & quotus in ordine quis dicitur. Atque hæc quantitas, uel per se, uel per accidens est. Per se, ea quæ proprie & essentialiter sine respectu ad alterum. Quæ subdiuiditur in continuam & discretam.

Continua quantitas est ea, cuius partes copulantur in termino aliquo cõmuni, aliter cõiuncta & cohęrens dicta, qualis est in linea, superficie, corpore, loco, tẽpore. Linea est longitudo sola, ex fluxu puncti continuata, & terminus eius cõmunis, punctũ. Superficies, est longitudo cũ latitudine solũ: cõmunis eius terminus, linea. Corpus, est latitudo cũ profundidate, communis eius terminus, superficies. Locus superficies est, in qua aliquid, communis terminus, linea. Tempus est Solis & orbium conuolutio, communis eius terminus, cursus, consequentia & continuum.

Discreta quantitas est, cuius partes non copulantur ad vnũ

terminum communem. Atque hæc erit uel numerorum, uel mensurarum, uel orationis. Numerorum quantitas, ut unum (quod numeri principium, non numerus) duo, tres, &c. Numerus autem, est multitudo aggregata ex unitatibus. Quantitas mensurarum, uel est temporis uel liquidorum, uel aridorum, uel ponderum, uel interualli. Temporis mensuram & quantitatem discretam referunt, Atomus. 6. 5. 4. 3. 2. minuta, gradus, hora, dies, hebdomada, mensis, annus, olympias, lustrum, seculum, æuum, &c. Liquidorum mensura, Caythus, coclear, culeus, metreta, &c. Aridorū, medimnus, chœnix, modius, saccus, &c. Ponderum quantitatem exprimunt, scrupulus, uncia, denarius, libra, talentum, &c. Interuallorum mensuræ, digitus, palmus, pes, passus uterque, pertica, funiculus, crassum, latum, altum, profundum, &c.

Orationis discreta quantitas, est distinctio & mensura, distincti soni, separatarumq; syllabarum, & idcirco, hæc discretio in duas scinditur partes, ut sit uel syllabarū, uel totius orationis. Syllabarum quantitas triplex, Longa, Breuis, Anceps. Totius orationis quantitas, quando propositio dicitur, uel uniuersalis, uel particularis, uel indefinita, uel singularis, de quibus & in superioribus egimus.

Per accidens quantitas est, quę habet quidem quantum, sed non propriè, nec ex se, nec essentialiter tale quantum dicitur, & nisi respectu subiecti, ueluti albedo, magna, uel parua, habita ratione subiecti, quod magnę, uel paruę superficiei sit, cui adiacet albedo, sic etiam de intensione albedinis, uel remissione, quod quippiam, minus, uel magis album sit, quæ potius ad prædicamentum ad aliquid, referri oportet ob relationem, & propter repugnans secundū quantitatis axioma.

Axiomata Quantitatis.

1 Quantitas, quantitati contraria non est, uti bicubito, tricubito, nihil contrarium, &c.
2 Quantitas, non recipit magis nec minus.
3 Maximè proprium quantitati, quòd secūdum eam æquale uel inæquale quippiam dicatur, ut secundum latitudinem, aut longitudinem.
4 Rei magnitudo, proprie molis, in qua magnum, paruū.
5 Multitudinem, quot, indicat.
6 Multiplicationem, quoties:

Di-

7 Distributionem, quotuplex.

De Relatione, vel ad aliquid. Cap. III.

NAtum hoc accidens, ex consequentia rerum, eo quòd res omnes a summa Dei sapientia, eum in modũ colligatæ sunt, similitudinis uel alterius cuiusdã participatione, ut nix res aliqua inueniatur, quæ si plane, uel aliqua ex parte sit cognita, ad alterius cognitionem aditum non præbeat, secundum relationem ad aliud.

Relatio autem, uel realis, uel secundum modum dicendi: Realis, absoluta est, ratione essentiæ, uel substantiæ uel alterius ad aliud, ut dupli & dimidij, patris & filij, totius & partis, actionis & passionis, & aliorum sequentium accidentium. Secundum modum dicendi, est relatio non absoluta, sed ratione alicuius qualitatis uel substantiæ: Ratione qualitatis, ut dum opinio, refert opinabile: scientia, scibile, sensus, sensibile. Ratione substantiæ, ut si agatur de capite, & manibus, relatio subintelligitur hominis, qui manus habet solus.

Cęterum cuiuscunque sit modi relatio, ea uel comparationis, siue proportionis, aut suppositionis erit. Comparatio seu proportio, potest esse communionis, cõtinuationis materiæ, uel alterius qualitatis; Cõmunionis, ueluti amicus alium amicum refert, ratione communis amicitiæ æqualis, æqualem, ratione æqualitatis communis: sic de ciuili & alijs continuatio materiæ relationem facit, ut inter patrem, matrem, & filios. Inter auum, & nepotes, fratres, & sorores, proximos, affines. Ratione alterius qualitatis, relatio inuenietur, quia qualitates plures, multiplex, ut inter commensales, familiares, domesticos, argentarios, socios erga labores, &c.

Fit & proportionis relatio, in dictionibus compositis ex uocula, cog, uel con, ut in cognatus, consocius, conscius, consimilis, &c.

Suppositionis relatio, est ordinis, aut naturalis, aut artificialis, aut contingentis, secundum prædicationem, seu enunciationem maioris, uel minoris, quia & plus & minus sunt ad aliquid. Sic subordinantur minus dignum, digniori: subditus, imperanti: cliens, patrono: inferior, superiori: seruus, domino: filius, patri.

Axiomata Relationis.

1 Relatio, interdum contraria recipit, ut uirtus refert uitiũ, ſcientia ignorantiam.

2 Relatio ſuſcipit maius, & minus, ex intentione, uel remiſſione rei ita, & ſimiles, & diſſimiles magis, & minus res, qualitate.

3 Omne relatiuum ad correlatiuum reſpicit, uel, ut tritum eſt, ad dependentiam, aut conuertentiam alterius.

4 Relatiuorum altero poſito, alterum cenſetur etiam poſitum, altero ſublato, & alterum ſublatum. Quod intelligitur de poſitione, & ademptione eius in quo fit relatio, non de eſſentia.

5 Cognitio altero relatiuorum determinate, cognoſcitur, & alterum in quo eſt relatio, non tamen in alijs.

6 Ideo pro conciliatione argumentorum, conſiderandum eſt id, in quo fit relatio.

De actione. Cap. IIII.

QVia ſubſtantiæ non ſunt perperam ad actionem, & paſſionem rerũ, ordo deſiderat, ut perueniamus deinceps. Idcirco, Actio, uel functio, uel operatio rerum, eſt motus actiuus, qui a facultate procedit, quæ Græcis ἐνέργεια, uel breuius, Actio, eſt motus ex faciente in patiens, & Paſſio, eſt motus in patiente, ex faciente in patiens.

Actionum, alia manens, alia tranſiens. Manens eſt ea, quæ remanet in agente, & perficit ipſum, & eſt ſubiectiue in ipſo. Huius generis ſunt actiones animæ, uelle, deſiderare, intelligere, ſentire, & aliæ morales actiones. Sed hæc actio, uel paſſio, prædicamentalis non eſt, & pertinet ad metaphyſicum.

Tranſiens ea eſt actio, quæ cauſam accipit ab agente, & recipitur ſubiectiue in patiente; ſic agens, principium quidem eſt, recipiens autem ſubiectum, ut calefactio aquæ, actiue quidem eſt ab igne, ſed calefactio in aqua, paſſiue. Et hoc genus, conſtituit prædicamentum actionis, & paſſionis.

Actio tranſiens rurſum, uel eſt actio ipſa, uel factio. Actio ipſa eſt, cum non uidetur effectus poſt actionem remanẽs, ſed is cum actione ipſa tranſit, ut cantare, citharam pulſare, nauigare, ire, &c. Factio, eſt actio per quã producitur effectus, poſt

actio-

actionem remanens;ueluti post fabricationem,ædificationẽ, demolitionem,remanet fabricatum,ædificatum,demolitum, &c.Et hæc generaliter de omnibus actionibus, & omnium re rum,dicta sint.

Actio iterum,uel ab incorporeo, uel a corpore procedit. Incorporea,sine corporis ministerio fit;qualis est Dei,& ange lorum,& animæ, quæ tamen & per corpus operatur. Corpo-rea,quæ fit mediante corpore; eaq. duplex,inconuersiua, & conuersiua;inconuersiua, in qua agens in agendo non repati tur.Conuersiua,in qua agens in agẽdo repatitur, quæ proprie generabilibus,& corruptilibus competit.

In humano corpore, actio in summa duplex, animalis, & naturalis.Animalis,uoluntaria a neruis,& musculis procedẽs, quando quiescit, excitari potest,ut sedens,postea mouere cru ra,& pedes potest;excitata potest sedari, ut currens,sedere põt si uelit,ut actionis motus,uelocior,uel tardior fit pro uolunta te.Erit autem hæc animalis quadruplex actio,sentiendi, mo-uendi,regendi,respirandi. Actio sentiendi rursum, quintu-plex,audiendi,uidendi,odorandi,gustandi,tangendi,quæ pas siones etiam illis relatas constituunt,audiri,uideri, odorari, gustari,tangi.Mouendi actio,patet;at rectrix, actio princeps, quadruplex est,nempe imaginatio,cogitatio,ratiocinatio,me moria,unde passiones totidem,imaginati,cogitati, examina-ti,memorati.Respirandi actio,plane animalis, & uoluntaria, habetq. passionem,pati respirationem,& respirationem. Ob-seruandum etiam est,actionum animalium uoluntariũ, alias absolute liberas,alias non omnino liberas. Absolute liberæ il læ sunt,quæ a nobis,& a nostra pendent libera potestate,ut lo qui,tacere,accipere,uelle,nolle, quibus respondent passiones dictum,accipi,quod uoluimus, &c. Actiones non absolute li-beræ,sunt,quæ corporeis affectib.seruiunt,quæ nõ perpetuo, sed in tempore quodam,& cum certa mensura,sine impedimẽ to fiunt,ut meiere,egerere,quæ nemo perpetuo,aliquando ta men agit,in respiratione idem recipitur.

Actio naturalis corporis humani,uoluntatis est expers,nec a uoluntate,sed a uena,& arteria procedẽs, sponte & naturali ter fit,nec pendet ab arbitrio,uel electione,huiusmodi est al-teratio,formatio,corruptio,ex quibus generatio,itẽ nutritio, quæ est perfecta assimilatio ex agglutinatione, & adhærẽtia; postquam.n.succus a uasis excidit,dispersus per partes agglu-

tinatur,& postea partibus assimilatur. Ad hanc etiam actionẽ naturalem pertinet, attractio, retentio, cõcoctio, distributio, motus cordis: motus arteriarum. i. pulsus: auctio, quæ est incrementum, in longum, latum & profundum, permeans. Ex quibus passiue fit, alterari, formari, corrumpi, nutriri, attrahi, retineri, coqui, distribui, moueri, augeri.

Axiomata, & media actionis, in capite traduntur sequenti.

De passione. Cap. V.

QVæ dicta sunt de actione, in passione passiue tradita esse censeantur.

Annotandæ tamen seorsim adhuc passionis acceptiones sunt, ut hæc methodus sine confusione procedat.

Passionis acceptiones.

1 Passio sumitur, pro propria qualitate fluente a principijs naturalibus, quæ constituunt specificas differentias, uel passiones indiuiduorum: eiusmodi est risus in homine: hinnitus in æquo: latratus in cane, & sic de similibus, quæ dicuntur passiones indiuiduorum, & specificæ.

2 Pro conceptione intellectus, cuius expresſiones sunt, ea quæ sunt in uoce notæ passionum, quæ in anima degunt.

3 Pro motu appetitus sensitiui, in quo dicuntur esse animi passiones: quoniam excitantur, cum alteratione corporis.

4 Pro supplicio, ultione, & pœna, siue iuste, siue iniuste infligantur: hinc passionem dicimus domini nostri IESV CHRISTI, & martyrum eius, pro cruciatu.

5 Pro qualitate sensibili non firmata in subiecto, de qua in tertia specie qualitatis agitur, cuius est ruboris, iræ, uerecundiæ concitatio.

6 Pro eo quod ab agente, siue pro eo, quod ab agente causa fluit, ut ab actione ignis, & solis, fit calidum, & calefactio passiua. Et hoc sexto modo, constituitur prædicamentum passionis, prout fit relatio actionis.

7 Passio pro permisſione eius qui aliquid fieri patitur, & sinit, sumitur.

De

De medijs agendi, & patiendi.

Actio agit, passiove patitur, uel per mediũ causæ formalis, uel per medium instrumenti naturalis coniuncti cum agente uel per medium instrumenti separati ab agente. Medium causæ formalis habet, uel formam permanentem, uel formam fluentem. Forma permanens est, quæ agit per qualitatem sibi intrinsecam, & permanentem, ut ignis agit in aquam per calorem: sol per lucem, in hæc inferiora. Forma fluens, illa quæ agit per actionem, cuius principium ipsa eadem qualitas, quæ inest agenti.

Per medium instrumenti naturalis, coniuncti agenti, actiones fiunt, ut per membra, & alia quæ natura generat & nutrit, per quæ suis fungitur actionibus. Per medium instrumenti separati ab agente, actio, uel passio fit, ut dum quis serra findit, secat securi, dolabra polit, ense necat.

Axiomata actionis, & passionis.

1 Relatiue sese ostendunt, actio, & passio, cum altera sola esse nequeat.

2 Agere & pati, contrarium implicant in eodem, secundum idem, & eodem tempore, propter cõtrarias qualitates quas recipere possunt.

3 Agere, & pati, magis, & minus recipiunt.

4 Omnis instrumentaria causa, per seipsam actionis est expers, neque agit, nisi a superiore, uel diuiniore causa excitetur.

5 Omne simul actiue, & passiue mouens, physice nobili existit.

De vbi. Cap. VI.

VBi, esse in aliquo loco ostendit: Aliud tamen, locus, aliud ubi. Esse in loco, idem est quod replere locum illum. Estque relatio ubi, ad locum pertinens. Collocatio rei in loco, triplici modo est, uel circumscriptiue, uel definitiue, uel contentiue. Circunscriptiue, quando corpus in loco alio est circundatum: & eo modo, nulla substanria incorporea est in loco, neque illi conuenit illud ubi, circumscriptiue, & ita circumscriptiue ubi facit prædicamentum. Definitiue, uel cum determinatione in loco quid est, quando uirtus incorporei agentis, est finita, & applicatur uni loco; in quo operatur:

tur;quo tempore, cum incorporeum illud agens finitum sit, in alio loco non potest esse. Hoc modo angelus est in ubi, & in loco definitiue, non autem priore modo, quoniã caret quã titate loci repletiua. Contentiue sine repletiue, aliquid est in loco, quando uirtus agentis est infinita, & operatur, & influit omni loco, & hoc modo, solum Deus est in loco, extra prædicamentum tamen.

Locus multiplex, communis, proprius, naturalis, uiolentus, superior, inferior, lateralis. Communis, est terminus qui plura immediate continet. Proprius, terminus corporis continẽtis, contento immediatus. Naturalis, in quo res naturales natura quiescunt; in eo autem res natura quiescunt, in quo conserua ri possunt, natura ut terra, locus grauiorum; aer, leuium, &c. Violentius, in quo præter naturam, res naturales quiescunt. Suderior, & inferior, situ distinguuntur; lateralis, autem est, dex ter, sinister, anterior, posterior. Loci dimensiones sunt, longitudo, latitudo, profundum, uel altitudo.

Axiomata de vbi.

1 Vbi, contrarium non habet, secundum logicos.
2 Vbi, non suscipit magis, uel minus.
3 Per ubi, interrogamus locum in quo.
4 Per unde, locum a quo.
5 Omnia mutabilia, moueri necesse est, quia in loco sunt uniuersa.
6 Corporum unumquodque suapte natura, aut sursum, aut deorsum tendit, aut ibi manes.
7 Quia loca finita sunt, & quæ ibi continentur prædicamẽ taliter, finita esse necesse est.
8 Ex opportunitate loci & temporis, secundum Pythagoricos, omnibus bonum adest.
9 Pro locorum uarietate, uariæ fiunt qualitates rerũ intrin secæ, uel extrinsecæ, uel ob naturam diuersam soli, uel ob mores, & usum incolarum, & diuersas functiones.

De positione, vel situ. Cap. VII.

POstquam nouimus locum in quo, quid sit, impellitur mẽs ad quæstionem de situ, & positione; quia uerbi fit relatio, & ratio habetur totius locati & totius loci, cum circũscriptio nis

nis expresſione:at, per poſitionem, exponitur ſitus partiũ lo cati,in partibus loci,ſingulari & propria ſedis nota, Verumtamen poſitio, tripliciter accipitur pro propoſitione,ordine, & pręedicamento.Pro propoſitione uel θέσει,quando proponi tur axioma ſine medio: Pro ordine, quando partes ſupponuntur mutuo, uel dum habetur reſpectus ad totum, qua acceptione ad quantitatem reijcitur poſitio. Prout autem po ſitio prædicamentum conſtituit, dicetur ordinatio, uel ſitus, uel diſpoſitio partium alicuius corporis poſiti in loco.

Omnis poſitio rerum, aut naturalis, aut uoluntaria, uel caſualis. Naturalis poſitio; quando ordo naturę ſeruatur, ut poſitio capitis in homine ſuperior, pedum inferior, manuum in lateribus, elementorum in proprijs locis. Voluntaria poſitio, quando pro arbitrio ea fit, ut ſi caput deijciatur, pes eleuetur, ſi ſedeamus, iaceamus, &c. huc pertinet ordinatio per artem, ut columnarum diſpoſitio, arborum in cer tum ordinem plantatio, &c. Caſualis,quando fit caſu uel for tuna:pręter naturam, ueluti ſi cõtingat hominem capite pro no, obuersòve cadere, ſi preter ſpem aliquid accidat, ut in taxillis iactus,&c.

Poſitorum,alia immobilia alia mobilia;immobilia,ut terra & agri, & quæ per ſe non mouentur.Mobilia,ut aer,ignis, aqua, animal & ſimilia.

Repetantur hic in ſumma, modi ſitus & poſitionis.ſurſum deorſum, dextrorſum,ſiniſtrorſum, ante,poſt, retro,ſtare, ſe dere, iacere. Frequenſque notatio ſitus, apud mathematicos,aſtrologos, geometra, coſmographos, ruſticos, nautas, per ortum. occaſum, meridiem, ſeptemtriones.Eſtque Glareano,poſitio recta uel obliqua.

Axiomata Poſitionis.

1 Poſitioni, nihil eſt contrarium.

2 Poſitio, non recipit magis uel minus.

3 Proprietas poſitionis,quod ſubſtantię proxime adhæret, omnibus formis alijs prædicamentalibus,ideſt accidentali bus præſuppoſitis, quæ præcedunt ipſam poſitionem.

4 Qui ignorat poſitionem partium corporis humani, facile ignorat earum uſum & actionem.

5 Qui propoſitioni ſeu theſi non credit, reprobare debet: & qui reprobare non ualet, credere debet.

De

De Quando. Cap. VIII.

SVperioribus decursis, ad tempus conuertitur inquisitio, circa rem eandem: subindicatque quæstionis quando solutio, rem esse in tempore, non autem naturam ipsius temporis, quæ quidem quantitatis est, ideo non præsentis sed alterius categoriæ uel prædicamenti.

Constituunt periti, duplex quando, simplex inquam, & cōpositum. Simplex, cum res se habet ad tempus ut ad indiuisibiles. Tempus autem indiuisibile & a susceptione mēsuræ semotum, est æternitas, sempiternum, nictus oculi, momētum, atomus. Compositum quādo, dum se habet res temporalis vt ad diuisibile tempus, ut ad certum diem, annum, mensem &c. Diuisibile enim est tempus, in partes successionis.

Tempus omne, ex motu uniuersi & numero constat.

Ad tempora considerantur, uel ut naturalia, uel ut non naturalia. Naturalia præterita, præsentia futura, &ex illis nata antiqua recentia, instantia, & ea quæ naturam temporis exhibent, hyems, æstas, uer, autumnus, & anni tempora, ut hora, dies, hebdomada, menses, &c.

Non naturalia tempora, sacrificia, dies festi, nuptię, casu facta, euentus, consilio, imprudentia, errore, metu facta, feriæ repentinæ, indictæ, statę.

Est & temporis, simul: porro simul, triplici modo. Primum de his quæ sunt eiusdem temporis, ut simul nata, facta, creata, id est in eodem tempore. Secundo simul, ratione conuersionis, quæ simul incedunt, uel se referunt, ut duplum & dimidiū pater & filius. Tertio simul, quæ sunt species eiusdem generis, ut homo & brutum, simul in genere animalis; Equus, asinus, leo, simul in bruto.

Axiomata Quando.

1 Quando, nihil est contrarium.
2 Quando, non suscipit maius & minus.
3 Quando, habet proprium, esse in tempore, estq; respectus mensuræ, inter tempus & rem temporalem.
4 Omnia tempus habent.
5 Quæ participant in tempore, & sunt in tempore, cum ipso ætatem agunt & seipsis seniora & iuniora dicuntur.
6 Distingue tempora, & multas consiliabis antinomias.

De

De Habitu. Cap. IX.

COgnita distinctione temporali externa, alia rei scientia notior offertur ex habitu. Qui est medium quoddã, inter corpora,& ea quæ corporibus adiacent, secundum quod, hæc scilicet quę adiacent, haberi,illa autem nempe corpora, habere dicuntur. ita habitus,armatura,tunicatio.&c.Quamobrem & habitus ab habere differt, quòd habere possessionẽ quandam referat. Habitus itaque, est adiacentia corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt: Quæ in corpore humano, intelligunt esse in accidente mediante inter corpus hominis & vestimentum,vt non circundationem ipsam,non vestẽ,nõ tẽpus ostendant,sed differat habitus,a quãdo,ab ubi,& a situ.

Possumus tamen in hac arte,extra prædicamentorum naturam, hic sedem constituere rationum ductarũ ab omni ornamento ab ornatu extrinseco adhærente,uel attributo. Sic in summa, habitus continebit propriè vestitum, deinc generaliter omnem ornatum possessionis uel quasi, modum habendi,item dominij titulum, atque habitum siue dispositionem rei, quæ tamen est qualitas propriè.

Axiomata. Habitus.

1 Habitus, suscipit magis & minus.
2 Habitus non suscipit contrarium.
3 Talis quisque esse præsumitur, quales sunt ij, quorum utitur habitu.
4 Priuatio præsupponit habitum,in possessione.

De Qualitate. Cap. X.

ACcedit plus ad substantiam qualitas, quàm cætera prædicamenta,& idcirco,postremam ex Accidentibus constituimus, quò facilior esset transitus ad ea, quæ substantiatum continent.

Est autem qualitas, forma accidentalis, incorporalis,secũdum quam quodlibet dicitur esse tale.

Qualitas in summa, alia intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca rursum, vel habitus & dispositio, uel naturalis potentia. Dispositio, est quędam præparatio, qua quid postea

facilè

facilè fieri poteſt, Quamobrem ea diſpoſitio, imperfectius habitus, & initium eius dici poteſt: Differũtq; diſpoſitio & habitus, quod diſpoſitio ita ſe ad habitum habet, ut ætas puerilis ad virilẽ. Atque iterum diſpoſitio, eſt aſſuefactio & promptitudo actibus pluribus comparata; veruntamen infirma, hoc eſt, qualitas inſenſibilis ex multis actibus uel unico acquiſita, ſed non firmiter radices agens, & quæ a ſubiecto facilè amoueri poſſit. Iterum habitus & diſpoſitio, aut animæ, aut corporis: Animæ, cũ ſubiectum, eſt in anima, aut in eius intellectu, uel in uoluntate. Ex habitu & diſpoſitione intellectus, oriuntur, ſapientia, ſcientia, prudentia, ars, opinio. Ex uoluntate habitus & diſpoſitiones morales ſunt uirtutes, iuſtitia, fortitudo, temperantia, item uitia. Corporis habitus & diſpoſitiones, habent ſubiectum in corpore: atque in iſtis corporeis qualitatibus, ultra ea, quæ ars addit, aliquam membrorum exercitationem exigimus, ueluti in habitu pila ludendi, ſcribendi, currendi, & ſimilium.

Naturalis qualitas intrinſeca, eſt potentia uel infirmitas naturalis, qualitas congenerata, cum naturali complexione temperamenti alicui indita, per quam aliquid naturaliter fit, potens vel impotens ad agendum, obſiſtendum, uel non agendum. Ad eum modum naturaliter, quidam ſunt ſani ex conſtitutione naturæ; alij naturaliter ægri, alij molles, duri, ad pacem, ad arma ſati. Huc pertinent omnes potentiæ naturales, tam animæ, quàm corporis: animæ, ut qualitas uoluntatis, intellectiua, memoratiua, quæ quidem indigent corporeo inſtrumento, ſed immediatè habent ſubiectum in anima. Naturales corporis potentiæ & qualitates, ſunt facultateſ uegetatiuę, ut attractrix, retentrix, qualitas &c. Item ſenſitiuæ interiores, & exteriores, & motiuæ ſecundum locum.

Extrinſeca Qualitas, aut paſſio, aut figura eſſe poteſt. Paſſio, eſt paſſibilis qualitas: Attamen differunt, quòd paſſio cito tranſit, nec fixa eſt, ut de diſpoſitione dicimus; Paſſibilis autem qualitas, diuturnior. Exempli cauſa, ſubitò iraſci, paſſio eſt: Radicata autem paſſio iracundiæ, paſſibilis eſt qualitas. Atque comprehenduntur omnia obiecta ſenſuum exteriorum, ut colores, lux, lumen, ſoni, voces, ſapores, qualitates tangibiles, frigidum, humidum, calidum, ſiccum. Figura, eſt qualitas formæ extrinſecę, qualis figura anguli, quadranguli, & ſimiles geometriæ. Item figura, pulchritudo rei

cuiuſ-

cuiusque: item triste, benignum, lętum, & aliæ formæ uultus, & reliquę notæ, characteres, & superficierum distinctiones, uel naturales, uel artificiales rei cuiusque, ut domus, uestis, &c.

Cæterum forma, tripliciter usurpatur. Primum, pro forma substantiali, qua compositum naturale constituitur & habet essentiam actu, ueluti per animam formam dantem, homo dicitur, per animæ & uitę alterius formã, leo, &c. Quę forma non est in prædicamento qualitatis, quia est substantia. Secũdo, forma ponitur pro omni re, quæ uere est accidens, & dat esse accidentaliter, postquam subiectum constitutum est, uel dum constituitur per formam substantialem, in esse accidentali, quæ forma, inuenitur in nouem omnibus prædicamentis. Tertio, forma sumitur in specie, siue ut dicunt specifice, pro re accidentali, quæ procedit ex determinatione uel circumscriptione quantitatis conclusæ lineis, aut aliqua superficie, pr out quibusque rerum conuenit naturis.

Axiomata Qualitatis.

1 Qualitas aliquando suscipit contraria, ut uirtus, uitium, album, nigrum: Interdum non suscipit, ut apparet in coloribus medijs inter album & nigrum, nempe in rubro, pallido, & similibus.

2 Figuræ contrarium non admittunt.

3 Qualis aliqua, non tamen omnis, suscipit maius & minus.

4 Magis & minus suscipiunt figuræ imperfectæ, quales sunt rectum, curuum, conuexum, concauum, & simile, quia potest esse rectior, magis incurua uel conuexa, linea.

5 Magis & minus, non suscipiunt perfectæ figuræ, quia illis nihil addi uel detrahi potest, sine mutatione speciei. Talis figura est spherica, cubica, pyramidalis, triangularis, quadrangularis, &c.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER SEXTVS.

Vbi agetur de prima cellula classis substantiarum, Nempe de Deo & Theologia.

De ratione methodi presentis, & de classe substantiæ in uniuersum. *Cap. I.*

ABsoluto cursu, per accidentia instituto, ex quo rudior quædam nobis erit comparata cognitio ad substantias regnum conuolandum ordine est, & a singulis eruenda, & aduocanda auxilia, cognitio propria & singularis, rõnes, probationes, & distinctiones. Hicque incipimus uella, in altissimo profundoq; pelago, nauigationi dare, & a præludijs ad rem ipsam deuenimus. Quamobrem qui hanc classem probe cognouerit, nihil fere habebit eorum quæ sciri possunt, incognitum. In primis etenim rerum omnium, ex admirabili istius classis graduum ordinatione, apparet perfectionis distinctio, mutuaque connexio: Deinde ex cuiusque gradus summaria anacephaleosi, natura præstantiora traduntur. Proinde annota, in supremo gradu Deum esse, & postea alios, eo minus præstantes, quo magis recedunt ab eo, ut quanto magis ei uicini sunt, tanto sint inferioribus meliores: semper enim, descendendo, aliquid amittunt perfectionis maioris, & contra ascendendo perfectionis

fectionis adijciunt. Hinc & licet colligere, nihil uerè perfectum infra Deum, nec quicquam Deo esse perfectius, quia vlterius gradus alius nō inuenitur eo superior: sicut inferior, elementorum simplicium est, ubi consideratio rerum simplicium, ex quibus artificis summi prudentia, ascendentium graduum replentur distinctiones, per colligationes, & concatenationes implexas, Quas ut facilè concipias, constitue duplicem ordinem in hoc schemate rerum, vnum quo fit descensus, elongatio vel diminutio perfectionis: alium, quo fiat ascensus a minus perfectis ad magis perfecta, & a simplicibus ad composita. Deinceps, ut perfectiora intelligas, a simplicioribus incipe. Primus itaque naturę gradus & minor, in simplicibus elementis rerum, scilicet ex principijs incompositis constituitur. Ex horum mixtione & compositione prima, nascitur secundus gradus, qui res tantùm compositas, & maiorum rerum rudem materiam contineat: & ideo quia simplex est elementorum ibi compositio, inde generata, uel facta, dicuntur elementata, & corpora silentia Hebræis, sine vita. Ex hoc, tertius gradus alius accipit materiam, cui additur vitæ animalis rudimētum, nempe vita vegetans, qualis inest plantis. Quartò, hic fit accessio sentiendi, & constituitur gradus alius vitę sensualis, in quo sunt omnia genera & species brutorum animalium. Sextò Deus adhuc viuendi substantiam excellentiorem humano huic, admirabilique opificio adiunxit, quæ non ex compositione elementali corporea penderet, & esset vitæ animali & uegetatiuæ superior, hanc animam diximus; Quæ sine corpore esse potest, postquā scilicet a corpore seiungitur morte. Et septimo, quia anima simul, & semel, ac perfecta sunt eius organa in corpore hominis, creatur, & corpori infunditur, fit alius gradus uitæ hominis intellectualis, qui quidem habet omnes facultates vitæ vegetatiuæ & sensitiuæ, quæ non ex ea animali uel plantæ, inferiorive commixtione, sed ex animæ pendeant & regantur vi, & potentia: hæcque anima supra corpoream est substantiam sibi subiectam, si suum tueatur gradum. Nam si ei corpus & uita sensualis imperet, tunc ad gradū inferiorē, ex proprio decidit. Et quia uicinitas illa graduū bruti & rōnis in anima, mouet pugnam in subiecto hominis, altior & ꝑstantior erit in cœlo gradus & in angelo: In cœlo septimus habita rōne corporis, quod liberum est, omnesq; suas actio-

nes ſecundum legem a Deo præſcriptam, exerit ſine pugna, & impedimento aliquo: In angelo autem octauus gradus, eo quod, & ipſe non patiatur pugnam corporis, & ſine corpore eſt, & prętantius anima noſtra intelligit, efficacius operatur, gratia firmatur, ne labatur, proximius Deo accedit, unde omnia perficiuntur, ubi ultimus & ſummus gradus, perfectio ipſa aliorum, fons rerum omnium.

Graduum perfectionis naturæ Epitome.

Ordo, quo	1 Deus.	9	
à Dei perfe-	2 Angelus.	8	
ctione, res de	3 Cælum.	7	
clinant.	4 Homo.	6	
	5 Anima rationalis.	5	*Ordo, quo*
	6 Vita ſenſualis.	4	*à ſimplici-*
	7 Vita vegetabilis.	3	*bus ad perfe*
	8 Elementata, uel ſilentia.	2	*ctiora fit a-*
	9 Elementa principia ſimplicia.	1	*ſcenſus.*

De Dei nominibus. *Cap.* *II.*

DE Deo hic, non quidem de cognitione eſſentiæ eius perfecta, quia incomprehenſibilis eſt, ſed quatenus cõceſſum eſt, agemus.

Nomina quę Deum dicunt, uel ſignificant uniuerſaliter, uel per compoſitionem caballaſticam, uel per attributionẽ, uel metaphoricè, uel per relationẽ ad creata, uel ratione proprietatis. Generaliter, ut plerumque, omnibuſq; ferè orbis populis, appellatio hæc numinis ſummi, eſt quadrilitera. Apud Hebreos, אדני adonai, יהוה Iehoua, אהיה eheich, qui eſt, &c. Aſſyriis, Adad: Perſis, ςυρή. Aegyptijs ϑωύϑ uel ϑεύϑ Magis ὀροή: Arabibus, ἀλλὰ: Græcis ϑεὸς: Turcis ἀγδι: Ethruſcis ἐσάρ: Latinis, Deus: populis noui orbis, zimi.

Per compoſitionem Caballiſticam, ex ſacris literis caballiſtæ plura nobis tradunt nomina, de quibus ſi Deus uitam largiatur, & uelit, latius in iam præparatis dicemus commentarijs de Deo. Per attributionem, nomina ſunt ſeptuaginta fortitudinis, qualia benedictus, creator, magnus, &c. Et totidem amoris, ut uir, iuſtus, &c. quibus ab ijſdem caballiſtis appellatur, quę in commentariis utroque idiomate, & Hæbreo & Latino, exhibebo.

Metaphoricè Deus, siue per translationem, dicitur Leo, astrum, pastor, custos, &c. Per relationem ad creata, creator, dominus, sanctificator, refugium, salus, &c. Ratione proprietatis, Deus dupliciter dicitur, uel ratione proprietatis persona lis, uel alterius. Personalis proprietas, sanctissimam Trinitatem exprimit, in qua pater generans, filius nascens, & spiritus sanctus procedens. Ratione alterius proprietatis, Deus dicitur Bonitas, fons bonorum, Sapientia, uita, deitas, essentia, æternitas, per se existens, &c.

Nomina Dei & Domini nostri Iesu Christi sunt, Christus, unctus, Messiah, Emanuel, uerbum Dei, unigenitus patris, primogenitus uirginis Mariæ, α & ω, uia, ueritas, panis, uita, iustitia, semen iustum, filius hominis, uermis, &c.

Nomina Spiritus sancti, charismatū largitor, digitus Dei, columba, uentus, occultè gratiam inspirans, ignis, mel, ros, oleum animam impinguans, animumque exhilarans, paracletus, consolator.

De Distinctione veri Dei ab idolis, & vnde idola. Cap. IIII.

DEus, aut uerus, aut fictus, seu idolum. Deus verus unus est substantia. Malac.2.c. 1.Corint.1.Sapien.12.Deus Deorum dominus. Psal.49.In personarum trinitate, pater, filius, Spiritus sanctus. Sunt & Dij dicti participatione homines aliquando, ut ob creationem, filij excelsi omnes. Psalm.81.uel ob adoptionem, regenerati Christiani.Rom.5.& 8. Ioha. ca. 1.uel participatione beatitudinis, & eius fruitione, uel ob ministerium Dei exequutum, ut Moses constitutus a Deo, Deus Pharaonis, Exod. ca.7. & angeli boni, dij. Iob.cap.1. Quodque iudices Dei iudicium exerceant, dij dicti. Exod. 22. Psalm.46.

Falsi dij, originem habuerunt ex Diaboli impietate, uel ex præsumptione & sui superbia, ex aliorum fictione, ex inani ratiocinatione, ex admiratione uirtutis, ab euentibus, locis, regionibus, a metu & superstitione. Diaboli impietas uel suasio, potissima fuit idololatriæ causa, & seminarium falsorum deorum. Voluit ipse enim, esse Deus, & similis fieri altissimo. Esai. 14. uoluit & adorari ab ipso Deo domino nostro Iesu Christo. Math 4.sic dij gentium, dæmonia.Ps. 90.

eaque persuasione primos parentes aggressus est. eritis sicut dij, Genes. 3. Præsumptione autem propria deos se dici uoluerunt & passi sunt, superbia uel rerum placido successu, plures. Vt rex Tyri, Ezechiel. 28. Herodes, Actuum, 12. Alexander, & alij. Fecerunt aliqui sibi deos, & unaquęque gens fabricata sibi est Deum suum, 4. Reg 17. vt Sydonij, 3. Re. 12. Ephesij, Actuum. 19. adorauerunt & rectores orbis terrarum, Sap. 3. Atque per adulationem Deum dixerunt Nabuchodonosor. Iudith. 5. ut ob nimiam dilectionem, aliquando filij parentes, & contra patres filios post mortem uenerati sunt, & dicarunt cultus diuini ergo, statuas. Sapient. 14. Sicut & ob uirtutem insignem & miracula uoluerunt Dei honores deferre Apostolis, Actuum. 14 Prisci, rerum inuentores, uel qui earum usum docerent, pro dijs honorarunt. Lactant. lib. 1. cap. 18. eosque, qui eis aliquo modo profuissent. Hinc illa farrago idololatriæ Cæreris, Bachi, Iouis, Herculis, & similium. Fuit & aliquando Dei delatus honor tyrannis, ad conciliandas sibi eorum mentes.

Ex inani ratiocinatione pertinaces in suis axiomatibus philosophi, cum non possent ad supremum, primum & præcipuum gradum conscendere principiorum, quæ sibi persuadebant esse principia priora, constituerunt deos. Sic Alcmeon, deos dixit sydera: Alexander Milesius, astra. Anaximenes Milesius quoque, aerem: Aristoteles, sed uarie, mundum & mētem: Brachmanes, lumen rationis: Cleanthes Assius Stoicus, æthera: Chrysippus, diuinam necessitatem: Democritus pœnam & beneficium: Empedocles quatuor elementorum naturas: Heraclitus Ephesius, deos ex igne: Parmenides & Melissus, coronam quādam fictitiam uniuersi: Prodicus Ceus, quatuor elementa, solem atque lunam: Pythagoras, Samius, & Mar. Varro, animam per uniuersum mundum meantem: Straton & Lucretius naturam. Stoici mundum: Speusippus uim naturalem: Theophrastus, unum & uniuersum & omne: Zeno Citieus, diuinam legem & æthera.

Ab admiratione uirtutis, uirtutes ipsas, & alia, pro numine habuerunt; ut pudicitiam, concordiam, spem, honorem, clementiam, fidem. Sic de uitiis etiam aliquibus: Ab euentibus, fortunam, uictoriam, & similia deas fecerunt. A locis, plures ethnicis, ut terrestres, cœlestes, inferi, palustres, montani, marini, fontanales, fluuiales, manes, lares, &c. A regionibus

gionibus cœli & alios distinxerunt, de quibus ad fastidium usque Cicero. Metus & superstitio, eiusdem farinæ quoque deos fecit, serpentes, dracones, pomonam, floronam. Faciunt & Deum suum quidam uentrem, id est uoluptatem, ut 1.Corin. ca.6.ad Philip.3.

De Theologia. Cap. IIII.

QVia theologia, nihil aliud est quam sermo de Deo, de ea disputandi conueniens sequitur occasio: hoc tamen præter morem in superioribus usurpatum, eo quod de rebus agatur, arduis probationes quasdam subnectemus dictis, ne dum commentaria in has syntaxes expectantur, dubius remaneat & ab authoritate diuinæ paginæ ieiunus & destitutus animus.

Basis itaque & fundamentum Theologię, Deus.

At sermo de Deo, uel theologia, docet in summa, Deum cognoscere, eius mandata & ecclesiæ uniuersalis seruare, mysteria & sacramenta legis, fęlicitatem beatorum, pęnas, & supplicia contumacium. Theologia, alia uera, alia falsa: uera rursum, triplex, mystica, symbolica, simplex. Mystica theologia, est secretissima mentis cum Deo loquutio, diuinæ caliginis intuitio, & ad Deum per secretiora & admirabiliora scansio, qua per contemplationem, quis erigitur, usque ad ipsam unitatem, Deo magis appropinquando, relictis sensualibus & intellectualibus ipsis. Symbolica, est quæ per figuras & inuolucra quędam alia, diuina significantia, ea quæ Dei sunt, exhibet. Quemadmodum, Pythagoras olim suis dogmata tradidit, & Dominus noster Iesus Christus parabolis, seu proemijs usus: symbolicas & Prophetarum aliquas uisiones, & angelorum apparitiones. Symplex theologia, est quæ ita simpliciter docet, ac tradit.

Falsa Theologia, est deorum falsorum, fictæq; religionis, & hęreticorum. Eusebius, aliter theologiam diuidit, in fabulosam, naturalem & ciuilem. Fabulosa, quam & historicā dicunt, poetis maxime attributa. Naturalis & mystica, quā sapiētes approbarunt. Ciuilis quæ in singulis ciuitatibus, consuetudine & legibus defenditur.

Theologia, continetur in lege antiqui testamenti, & noui, utraque, scripta & non scripta; uolumina rursum testamenti antiqui, diuidunt, in legem, prophetas, & hagiographa

Hebræi. Legem ſcriptam dicunt, תורה בכתב cuius quinque libri, Geneſis, habens 50. capita: Exodus, habens cap. 40. Numerorum, capita 36. Deuteronomium, capit. 34. Prophetas, in maiores uel primos, & minores diuidunt. Maiores illis, Ieſaias, habens capita 66. Hieremias, habens capita 53. Ezechiel, habens cap. 48. Connumerant inter primos prophetas Thalmudiſtæ libros Iudicum, Ioſue, & Samuelis, id eſt, primum & ſecũdum Regum, & Melachim, ideſt 3. & 4. Regum, vt ait Galatinus lib. 1. aduerſus Iudæos ca. 1. Minores dicunt Prophetas, Oſeam, Ioelem, Amos, Abdiam, Micheam, Nacum, Abbacuch, & alios ſequentes, inter ſacra Biblia.

Hagiographa, hæbræi uocant כתובים inter quæ annumeramus libros Sapientiæ, Eccleſiaſtem, Eccleſiaſticum, Pſalmos, Prouerbia: Hiſtoriales, Ioſue, Iudicum, Heſter, Thobiam, Ruth, &c.

Notat Rabi Kimhi in directorio uiarum linguæ ſanctę, per verſus apud Hebræos ſacra Biblia fuiſſe ſcripta, atque in libris legis, eſſe verſus 5845. Prophetarum omnium qui in Habraico extarent ſermone, 9294. Hagiographorum. 8064 Quod non eſt referendum ad omnia uolumina, quæ hodie extant Latinè excuſſa, quę quamuis ſint in canone eccleſiaſtico, & merito recepta, non tamen ſunt in canone Hæbreorũ.

Legem non ſcriptam Hebræorum, Kabalam & traditionẽ dixerunt antiqui: Et Rabini eorum nominãt, תורה שבעל פה id eſt, legem quę in ore, ſcilicet Moyſis, data eſt in monte Synai, quam ille tradidit Ieoſcuę, Ieoſcuas autem ſenioribus: Seniores prophetis, & prophetæ uiris ſynagogæ magnæ, ut ſcribitur in libro qui פורקי אבות, id eſt capitula patrum. Per hanc, intelligunt, myſticam & ſpiritualem legem, publicatam primùm a Mayr, qui, ex Idumæo necromãtico, factus Iudęorum proſelytus, falſo interpretatus eſt legem diuinam, & prophetas, & legem illam contexuit & confinxit quam dicunt, Miſna, ideſt ſecundam legem, & multis uoluminibus illuſtrauit & prę ſcripſit Rabi Monoa, ut refert Iacob. de Valentia in Pſalmum 81.

Noui teſtamenti lex etiam, & ſcripta & non ſcripta eſt. Scripta, habet Euãgelia 4. Sanctorum Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Continet & hiſtoriam Apoſtolorũ, Epiſtolas eorundẽ, & prophetiam Apocalypſeos. Non ſcripta continetur traditionibus Apoſtolicis & Eccleſiaſticis, uniuerſalibuſque ſynodis.

nodis. Et in summa, in omnibus sacris uoluminibus & cõstitutionibus, littera, gesta docet: quid credas, allegoria: moralis, quid agas: quo tendas, anagogia.

De epitomæ totius Theologiæ. *Cap. V.*

APostoli Domini nostri Iesu Christi, pædagogi totius ecclesiasticæ disciplinæ prętantisſimi, omnẽ fidei, & Theologiæ rationem in capita duodecim, per compendium coniecerunt. Singulis quid de ea sentirent exprimentibus, unde epitome illa, nobis symbolum dicitur Apostolicum. Hocq. christianis ubiq. per orbem uniuersum, pro thessera est, qua se internoscant, & pro lapide Lydio, ad quem dicta, factave, & scripta nostra, relata & collata, num christiana sint, comprobentur. Oportet credere antequam intelligamus. Esaiæ c. 7. Quãobrem omnia capita fidei, & symboli apostolici, per verbũ credo incipiunt.

Symbolum Apostolicum.

	SS. Apostolorum nomina.	*Articuli.*
1	D. Petrus.	Credo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem cœli, & terræ.
2	D. Andreas.	Credo in Iesum Christum, filius eius unigenitum.
3	D. Ioan. Euang.	Qui conceptus est de Spiritusancto: Natus ex Maria virgine.
4	D. Iacobus Maior.	Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.
5	D. Thomas.	Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.
6	D. Iacob. Minor.	Ascendit ad cœlos, sedet ad dexterã Dei patris.
7	D. Philipp.	Inde uenturus est iudicare uiuos, & mortuos.
8	D. Bartholomæus.	Credo in Spiritum sanctum.
9	D. Matthæus.	Credo ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem.
10	D. Simon.	Remisſionem peccatorum.
11	D. Iudas.	Carnis resurrectionem.
12	D. Matthias.	Vitam æternam.

De Theologia uinculo, dilectione, & diuinis praeceptis. Cap. VI.

EX dilectione, pendent lex & Prophetæ. Ea autẽ est, Dei, & proximi. Dilectio Dei, instituitur per tria priora pręcepta primæ partis tabularum mandatorum diuinorum, ficuti reliqua Decalogi mandata, actus nostros ad proximi dilectionẽ formant. Sunt & alia extra Decalogum, quæ & eodem referri par est. Decalogi præcepta decem sunt.

1 Non habebis Deos alienos coram me. Exo. 20 Deut. 6. & 5. Leui. 26. Psal. 80. Iosue 24 1. Cor. 6. & 10. Gen. 35. Hic cultus iniungitur diuinus. Dilectio Dei, est cordis, in fide, spe, & charitate. Fidei diuinæ aduersantur, uel repugnant, omissio bonorum operum infidelitas, dubitatio fidei, nimia scrutatio eiusdem, hæresis, fidei abrenuntiatio, magia, incantatio, obseruatio sortium, dierum, & temporum, & somniorum uana, irreuerentia in Deum & eius sanctos, superstitio, idololatria. i. deferre cultum qui soli Deo debetur, creaturis. Spei bonæ aduersatur excessus, nimia sui confidentia, nimia securitas, uel nimia præsumptio suorum meritorum: aduersatur & defectus, desperatio misericordiæ Dei. Repugnat charitati dilectionis Dei, seruili timore & pœnæ formidine, Deum colere, uel ob retributiones solas, & res temporales, cumq. odio proximi: itẽ anteponere diuinæ uoluntati hominum iussa.

2 Non assumes nomen Dei tui in uanum. Exo. 20. Quo præcepto, dilectio Dei in uerbo, mandatur. Cui repugnat, periurium, blasphemia, hypocrisis, uotum pro uanis & illicitis, uoti culposa dilatio, & infractio, iuramentum temerarium, cuiusmodi illud est, quod non fit cum iudicio, uel discretione rerũ cum ueritate, necessitate cogente, pro iustitia, & cum Dei reuerentia. Assumit & nomen Dei in uanum, qui sacris mysteriis, sacramentis, & gratia diuina abutitur.

3 Memento ut diem Sabbati sanctifices. Exo. 20. Hoc iubet & re ipsa Deum diligere. Cui repugnant, excessus & defectus. In excessu peccatur, festis diebus opus facere seruile. Dare operam ludis, theatris, negotiationibus, irreuerenter, uel superstitiose sacros dies colere: defectu committitur in illud præceptum, non omnino uel male, uel pro parte colere, omittere, quæ diuini officij sunt, uel sacrarum ceremoniarum, non ieiunare, ieiunia temere peruertere.

Hono-

4 Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram. Honor hic, consistit in ueneratione, obediẽtia, ope, & auxilio spirituali, & temporali. Pater proprie & mater, ratione generationis dicitur. Patris nomen tamen hic, referri potest ad Deum ratione creationis, & generationis, dignitatis curæ & potestatis. Erit & pater ratione informati animi, & ingeneratæ doctrinæ, discipulis præceptor: patrinus, qui cathechizat, & instruit baptizatos, prælatus, magistratus, & ratione potestatis & solicitudinis paternæ, princeps, tutor, adoptans, & ratione ætatis, senior. Inhonorantur isti omnes, ingratitudinẽ, inobediẽtia, irreuerentia, contẽptu, irrisione, cõtumelia, detractione: si percutiantur, si non alantur, si non iuuentur.

5. Non occides. s neque te, neque alium, non ore, nõ corde, non opere. Corde, qui odit fratrem suum, homicida est. 1. Io. 3. Ore, contumelia, detractione, & consilio necem quis inferre potest, saltem bonæ famæ interitum, ut iudices, sententia et innocenti possunt uitam impie adimere. Opere, quis potest, uel ansam exemplumq. dare perditionis, uel manu propria, duello, aliove modo occidere, uel auxiliari, uel occasionẽ præbere, ut uenenum, uel poculum subijcere. Licet tamen certis de causis interdum, non quidem propria, sed publica authoritate, mortem inferre. Sic licet animalia ad usum uitæ concessa, sine iniuria tamen alterius, necare: licet pœnas ultimi supplicij, lege iusta aliqua iubente, impijs irrogare: in bello indicto iusto, hostes interimere. Se autem occidere ulla ex causa non licet, uerum oblatam mortem, & illatam eligere potius, quam aliquid scelestum committamus, ęquo animo & alacriter, ob Dei fidem, salutemq. proximi, licet & decet. Sicuti sancti Dei martyres, post martyrum omnium caput, fecerunt.

6 Pręceptum, Non mœchaberis. Exo. 20 Mar. 10. Heb. 13. Hoc pręcepto, sordes ueneris illicitę submouentur, & prohibẽtur, ut mollicies, qua se quis uoluntarie polluit: Cor. 6. Genes. 38. infandum crimen Sodomiticum. Rom. 1. Gen. 19. Leui. 20. concubitus cum brutis, Leuit. 20. prohibetur, & cum mulieribus extra matrimonium: ideo damnata fornicatio dicta simplex. 1. Corint. 6. ad Ephes. 5. non erit scortum. Deut. 23. prohibetur adulterium, Leuit. capitu. 20. Tob. 4. item stuprũ, uel cum uirgine, uel uidua: Incestus cum consanguinea, uel affini: sacrilega commixtio cum moniali, monacho, presbytero, diacono, subdiacono. Raptus, contra uoluntatem coniugum,

gum,uel parentum,uel ante nuptias coniunctio, abusus uxoris in cōcubitu,& omnis illa turpissima fellatio,& irrumatio.
7 Non furtum facies.Exo.20.ad Ephe.4.Mar.10. Hoc prohibetur iniuria a bonis proximi,sicuti superiori prohibebatur a persona.

Furtum est,inuito domino,rem eius contrectare,illicite retinendo,subtrahendo,latrocinando,prædando, per artes illicitas extorquendo,ut ludo,lenocinio,adulterio,usuris,rapere simoniace,adipisci beneficia: bona pauperum retinere, bonis a Deo concessis abuti:male bona alterius dispensare.

8 Non loqueris contra proximum tuum falsum. Exod.20. Deut.5.Leuit.19.hoc in iudiciis egemus, ne quis falso deferat,accuset,testetur,iudicet;item in societate conseruanda hominum,ne falsum quis dictet,scribat,dicat,quod famā,amicitiam,ueritatem,honorem alterius tollat,imminuatue:conuitiando,calumniando,ne quis mentiatur.

Mendaciorum D.Aug.species constituit plures, libro proprio:capitale,ut in religione:alicui nocens,& neminē iuuans: aliquem lædens,& neminem iuuans:aliquem iuuans,neminē lædens:in sola mentiendi fallendiq. libidine:placendi cupiditate dictum.Quod nulli obest,& prodest alicui; obest tamē mentienti, qui nunquam propriam animæ salutē debet postponere utilitati,uel bono alterius.

9 Non concupisces domum proximi tui,&c.Exo.20.1. Cor. 10.Rom.7.2.Pet.1. Hoc præcepto radix omnium delictorum exscinditur nempe cupiditas.1.Tim.6.

10 Eodem referri debet,ultimum præceptum:Non desiderabis uxorem proximi.Deus.n.maxime cor & uoluntatem scrutatur.1.Reg.16.Sap.1.quia ex corde exeunt delicta, & cogitationes prauæ. Mat.15.b.& concupiscentia cum conceperit, generat peccatum,ex cuius consumatione mors.Iac.1.b.

Reliqua de præceptis, & quædam Axiomata de Deo, & Theologia. Cap. VII.

VLtra decalogi præcepta,alia dicuntur moralia, alia ceremonialia, alia iudicialia. Moralia de moribus statuunt, quæ nō fuerunt in lege Euangelica sublata, vtpotè quę iuris naturalis,& immutabilia sint.Ceremonialia, modū,& formā colendi Dei præscribunt.Iudicialia, ad commercia humana, & politiam pertinent:quorū ceremonialiū scilicet, & iudicia

lium

lium species, lege noua partim sublatæ, inquantum umbras futurorum referebant, partim retẽtæ, & rursum institutæ. omnia præcepta apud Hœbræos, uel affirmatiua numero 243. uel negatiua numero 365. erant. Reducuntur & illa ad præcepta Decalogi, uel tanquam conclusiones ex illis elicitæ, uel tanquam principia, uel ut sæpes & propugnacula eorum, qualia potissimum cæremonialia.

Axiomata de Deo.

1 Nihil in Deo, quod non sit Deus.
2 Deus accidentia non recipit, quamuis enuntietur per attributas alijs proprietates.
3 Deus substantia incomprehensibilis, sicut & eius opera.
4 Cogita de Deo, quicquid melius potes: de re quicquid deterius uales.
5 De Deo amplius credere debes, quàm scire possis.
6 Religio nobis a natura indita, modus autem collẽdi Deũ ex lege & more receptus.

Axiomata de Theologia.

1 Scripturæ sacræ authoritas, suprema omnib. alijs est, quia a sancto Spiritu dictata, subiectumque habet nobilius Deum, & finem præstantiorẽ, uitæ æternæ beatitudinẽ.
2 Theologiæ studium bene ordinatum, incipit ab articulis fidei, vt aliæ scientiæ a naturaliter notis principijs.

De Sacramentis. Cap. VIII.

ELegit Deus certam materiam, per quam addita forma ex sanctorum uerborum conceptione, diuinã gratiã suo arbitrio distinctam, hominibus exhiberet, non secus ac potestate sua, in creatione rerum, singulis uerbo suo concessit, certas & efficaces naturas ex tota substantia pendentes. Sacramentum itaque, & sacræ rei inuisibilis, uisibile erit signũ inquantum res uidetur, sed ratione gratiæ oblatæ, erit ultra signum, res ipsa significata, ut signũ est esse animã in corpore hominis, si corpus fungatur hominis actionibus, & tamen ibi ultra signũ animæ, anima est ipsa efficax, sed indiuisibilis.

Sacramenta, alia legis diuinæ antiquæ, alia nouæ. Antiquæ erant ceremoniæ legales, potius tamen pura signa, quã uere sacramenta, quod tantum futuram gratiam indicarent, non autem exhiberent. 1. Corint. 10. b ad Hebræos 8. 9. 10. D. Ambros. in Psal. 73. Erat & circumcisio sacramentum legis antiquæ;

quæ,quæ delebat originale peccatum præputii minutione,in uirtute & fide tamen futuri,non præsentis Messiæ.

Nouæ legis, secundum catholicam ecclesiam sacramenta septem sunt, quibus Deus nos sibi consecrat, sanctificat,nos curat, & conseruat.

Primum Baptismus Christi in remissionem peccatorū, de quo Ioha.3.ad Ephesios.5.1.Ioha.5.Actuum 2.Cyprian. li. 1 Epistola 12. alius a Beati Iohannis Baptismo,qui in pœnitentiam erat institutus.Actuū.9. & in actis concilij Niceni.Hoc ianua aliorum sacramentorum.c.fi. De cleri. non baptiza.ministran. in uolumine Grægorij.

Secundum,confirmatio,de qua Actuum 19. in conc. Flor. apud Cypri. De Ablucio. ped. & lib.1.Epist.12.in conc Trid. decreto,de confir. cap.1. Aug. contra Donat. ca. 20. Et contra literas Petillia.cap.144.

Tertium,Eucharistia,Ioh.6.concil.Flor. &c.uocat D. Dionysius Areopagita hoc sacramentum, consummationē aliorum sacramentorum, lib.de ecclesiast. hierarch. cap.4.

Quartum, pœnitentia: Actuum 8. Ioannis.2. cuius partes contritio, confessio,satisfactio.

Quintum, extrema unctio, Iacob.5.D. Chrisosto. tracta. de Sacerdotio.

Sextum, matrimonium. Ad Ephes. 5. Matthæi.19.

Septimum sacer ordo,& potestas,ad tractanda & exhibēda sacrosancta fidei Mysteria.1. Timo.3. Constituitur autē hic ordo, inter ecclesiasticas personas, quarum inferioris ostiarij tēpli.1.paral.9.15.& 26.c. ostiarius,23.dist.in decreto magno Gratiani.Deinc lectores,de quibus Actuum 15.Luc.4. Cypri. lib.3.Epi.23. & li.2.Epi.5.Tertio exorcistæ,de quib.& Actuū 19,Ioseph.li.8.antiqui.c.2.Quarto, Acolytæ,de quib.Cypr.li. 2 Epist.epist.8. c. accolytis, 23.dist. c.cleros 21. dist. Quinto subdiaconi, c.subdiaconus, 23 dist. Sexto Diaconi, Actuum 6.dicto c. cleros. Septimo presbyter.1.Tim.3.

Considerantur in sacramentis,Deus,qui gratiam largitur, materia, cui uerba accedunt: forma in uerbis & alijs posita. Minister & dispensator mysteriorū,gratia ipsa concessa, sine res sacramētalis,& character,in his potissimum, qui characterem imprimunt indelebilem,ut Baptismus,cōfirmatio,ordo. Consideratur & modus exhibendi sacramenta,in quo quędā præcedunt, & quædam sequuntur obseruanda.

SYN-

SYNTAXEΩN

ARTIS MIRABILIS, LIBER SEPTIMVS.

In quo, agetur de Angelis & Magia.

De Angelorum diuisione *Cap. I.*

SEcundum locum, post Deum inter substantias Angeli habent, in nostra arte, Spiritus diuini ad ministerium Dei, a Deo creati, hominib. eius uoluntate, ad salutem operandam etiam officiosi, nuncij, & legati Dei, unde & ἄγγελοι dicti, incorporei, imateriales, impassibiles cor poraliter, non mente, quia gaudere, contristari, amare, & me tuere dicuntur.

Angeli, omnes creatione & substantia boni sunt, electio- ne autem facta aliqui mali, distincti ideo ab ijs qui boni re- manserunt. De bonis prius agamus, de malis deinceps,

Bonorum angelorum synonyma.

Angeli. Genes. 32, Exod. 14.
Angeli boni. eo.
Angeli Dei. eo.
Angeli domini, Genes. 16.
Angeli Sancti. Lucæ. 9.
Filij Dei, Iob. 1.
Electi, 1. ad Timo. 5.
Reges, uel מלכים melachim.
Dij, uel אלהים elohim.
Vigiles, Daniel. 9.

Ange-

Angelorum bonorum ordo,hierarchia dicitur cælestis, est namque triplex hierarchia, nempe super cælestis,Deitatis solius. Cœlestis, angelorum: Terrestris,militantis ecclesiæ.

Secundum Christianos,ex D.Dionysio Areopagita Hie rarchia cęlesti's, tres classes, & nouem ordines habebit huiusmodi.

Prima clasis.

In 1.ordine &supremo,uiciniores Deo angeli,dicũtur שרפים Seraphim, idest incendentes, & ardentes in illustratione diuinæ contemplationis.Esai cap.6.

In 2.כרובים Cherubim,idest multitudo scientiæ.Esaiæ.6.Eze chiel.9.& 28.Psal.79.

In 3.Throni,apud quos,relucet iudicij diuini & uoluntatis Dei rectitudo.meminit D.Paul.ad Colo.1.

Secunda clasis.

In 4. Dominationes, ex ijs legitima formula dominandi, & imperiorum,Dio.Areopag.lib. de cœl.hier.c.8.

In 5.Principatus,ex quibus ducendi, & regendi notio.

Jn 6.Potestates. ex quibus modi coactionis iusti & legitimi.

Tertia clasis.

In 7.Virtutes.

In 8. Archangeli.

In 9. Angeli.

Ordines primæ & secundæ classis,in cõtemplatione & dispositione eorum quæ exequi alios oportet,cõsistere uidetur.

Tertia autem classis in actione & exequutione.

De officijs bonorum angelorum. Cap. II.

Officium bonorum angelorum,ministerium exhibet uel Deo immediate,uel hominibus,uel alijs reb.in Dei mi nisterio contemplatio, & uolũtatis eius executio. Circa homines,ministerium angelorum societates, prouincias, & respublicas & imperia eorum solicite curare,uel singulis adesse in illis custodiendis, conciliandis, defendendis,iuuandis,eru diendis,deducendis, sanandis,

Exhi

Exhibent autem ſuam opem, uel iuuiſibiliter, ut plerũque, uel uiſibiliter; ea forma, quæ congruit myſterio, uel quę con cipi posſit ab eo cui apparent: ut aliquando apparuerunt in forma rotæ, animaliũ, hominis, alati, iuuenis, paſtoris, & alijs figuris, ut dicemus in commentarijs.

Circaꝫ res alias angeli ſoliciti, cum eas ex Dei lege diſponunt, conſeruant, tuentur aduerſus dæmonum & alioũ vim cum tempeſtates fugant, utilia promouent.

De dæmonibus ſiue angelis malis & nominibus eorum quibusdam, Cap. III.

Angeli mali, dæmones ſunt, quos tamen Ethnici & bonos & malos genios rati ſunt eſſe.

Synonyma, quibus generaliter omnes impij Spiritus appellantur.

Angeli mali, Pſal.77.	Volucres cæli, Matt.13. Mar. 4.
Diabolus, Matthæi 25.	Leo deuorãs, rugiẽs. 1. Pet.c. fi.
Dæmones, ſępe.	Leuiathan. Iob. 40. ἀπογγύων, Apoc. 15.
Serpens, Genes.3. Apoca.12.	Exterminator, eo.
Draco. Apoc. 12.	Vectis, Eſaiæ.25.
Beemot, Iob.40.	Serpens tortuoſus, Iob. 25.
Principatus ad Eph. c. fi.	Tentator, Matthæi.4.
Poteſtates tenebrarum.	Inimicus homo, Matthæi.13.
Satan, calumniator, Luc.10. Matthæi.16. Apo.20.	

De diſtinctione Dæmonum, & de quibuſdam naturis eorum. Cap. IIII.

Diſtinguuntur dæmones, uel ratione nominis ſuppoſiti, uel ratione locorum in quib. degunt uel operantur. Nomina, uaria ſunt, partim apud magos uanisſima & confiсta, partim ex aliqua alia cauſa illis impoſita, ut Beelzebub, Baal, Dagon. &c. A locis, dicti cœleſtes, uel aerei, aquatiles, terreſtres, ſubterranei, ignei, uagi Cœleſtes uocat aereas poteſtates D. Ioannes, Apoca. cap.13. & D.Paul. poteſtates aeris huius, ad Epheſ. 2. Dominus autem IESVS CHRISTVS, uolucres cœli, quæ bonum ſemen, in utilitatem hominum ſparſum, deuorent, Matthæi 13. Marc. 4. Luc. 8. iſtos, dicunt ne-

Vagi dęmones, miseri magis dicuntur ab Empedocle,errãtes quos impellat æther in pontũ atrũ,& inde põtus in cõtinẽtẽ proiiciat,tellus rursum agat in solẽ rapidũ, qui postea implicet illos telluris uertigini,ut ait Plutar.li.nõ esse fęnerandũ.

Dæmonum quorundam qui sibi Dei cultum vsurpauerant, nomenclatura. *Cap. V.*

ADonis,Thamus Hebræis. i. consumptus,siue incendiũ: idolum Syrorum.Ezechiel. cap.8.

Adramelech, idest.pallium regis,uel magnitudo, uel potentia regis, idolum Sepharnaitarum.4.Reg.17.

Anamelech,id est,afflictio,uel responsio regis,etiam Sepharnaitarum idolum.4.Reg.ca.17.

Asima,idest delictum: idolum uirorum Emath.

Astharte,a caule uel grege dicta Dea; idolum Sydoniorum. 3.Reg.11.4.Reg.23.

Astaroth,idolum Palestinorum. Ioseph.li.6.antiq. cap.14. 1. Reg.47.& 4 Reg.23.

Baal, idest dominus,uel subiiciens,aut possidens: idolum Sydoniorum, Samariæ & Moabitarum.Num.22.Iudic.6. ad Rom.11. De hoc 3.Reg.16.18.19.22.& 4.Reg. 3. 10.17. Hieremiæ cap.2.12.23.32.Oseæ c.2.10.13.Martẽ, Græcis fuisse arbitratur Lactantius lib.2.de orig.error.cap.15.

De Baalim Iudic.cap.2.3.8.& 1.Reg.7.12.& 3.Reg.8.& 2.Paralip.cap.24.28.34.

Baalberith, fœdus Baal, phanum Baal.Iudi.cap.9.

Beelzebub,idest Dominus, musca, idolum Accaronitarum. 4.Reg.1.Matth.ca.10.12.Marci 3.Lucę 11.Princeps dęmoniorum, ut Pluto apud Græcos.

Bel,idest uetustas,idolum Badoniorum,Hiere.50.51.Daniel 14.Esa.46.Belphegor, idest dominus hians, uel aperiens, dominus nuditatis: Idolum Moabitarum Oseæ ca.9.1. Numerorum 25. Deut.4.

Chamos,quasi palpans uel recedens,vel auferens;Moabitarũ idolum.Nume.21.3.Reg.13.1.Paralip.20. Hierem.48.

Dagon,idest frumentum,uel dolor,uel piscis eorũ:Idolũ Philistinorum.Iudic.16.1.Reg.5.1.Machab.10.

Deumus,cacodęmon adoratus in Tamerani insula. Ludouicus Romanus Patritius lib.5. Nauigation. cap.2.

Melchon,rex uel cõsiliator eorum, idolum filiorũ Ammõ.1.

Reg.23.1.Paralip.20. Hier.49.
Militia cœli, siue stellarum numen, Deuter.17. & 4.Reg.17. 21.2.Paralip.33.Hierem.59. Sophon. 1.
Nergal, idest explorans, uel lucerna: Idolum Cuthæorum.
Nibhas, prophetans, uel misionem loquens, Idolum Euæorũ.
Regina cęli, Hieremiæ 44.quo loco, legunt Hebræi, opus cœli, unde alij horoscopia, alij lunam intelligunt.
Phegor, hiatus.nuditas: Nume.25. Deut.3.4. Iosue.22.
Remon 4.Reg.5.idest, altitudo.
Remphas, exaltatio nihili. Actuum.7.
Serapis idolum Ægyptiorum, apis & osiris dictum, quod Porphyrius putat principem & Imperatorem malorum dæmonum, & tesseram Theodoretus li.3.Græcar. affectio.
Succor Benoth, id est tabernacula filiarũ, idolũ Babiloniorũ
Tarthar, concatenatus, idolum Heneorum.4.Reg.17.
Vualdat, idolum etiam Babyloniorum: Abdias lib.8. histor. Apostolicæ. Obseruarunt & aliqui, illa nomina Iupiter, Mercurius, & aliorum idolorũ, fuisse nõ hominũ, sed dęmonũ, ut Origenes cõtra Celsum. Euseb. li.4. Præpar. Euang.

Alia distinctio dæmonum, & ex operibus eorum. Cap. VI.

DIstinguuntur etiam dęmones, a muneribus quę exequũtur. Quamobrem, aliqui ultores sunt scelerum, Eccles. 39.& ita usurpatur illud, tradi satanæ & angelis eius; talis potest esse qui dicitur Asmodeus, destructor, uel ignem mensurans. Tob.3.aliter dictus Samuel. Talis & Abbadon.i.perdẽs. Alij præstigiatores & magici, alij seminatores malorum. Apocal.7.Alij criminatores, exploratores Apocalyp.9.Alij tentatores, quales παρέδροι assessores diaboli, ad uitæ tædium & desperationem impellentes, alij insidiatores, &c.

Insinuant se, & hominibus apparent dæmones, istis de causis potissimum.

1 Si inueniat eos uacuos bonis actionibus.
2 Si sæpe inuocentur, si se ipsis quis deuoueat.
3 Si curiosa quis sectetur.
4 Vel ardeat habendi desiderio.
5 Si impurus sit, non secus ac beati mundi, Deum uidebũt.
6 Si nimio odio proximi, ultionẽ perniciosissime expetat.
7 Si nimia tristitia deijciatur.

De Magia vetita & potestate dæmonum. Cap. VII.

SVbiectum improbatę magiæ & præstigiorum, in dæmonibus est, & in superstitione uana.

Exercent itaque potestatem suam dæmones, in ea quę animi, quæ corporis, quę externa sunt. In animum agunt, eundē de mente ac sanitate deturbantes, infatuantes, phantasmata porrigentes, sicuti dum Saul furebat, quando possidebatur ab spiritu malo, 1. Reg. 16. Et lunatici apud D. Matth. 17. agūt & persuadendo intrinsecus mouentes uoluntatem, incitant & eandem extrinsecus, cū mouent corpus obiectis, philtris, ueneficijs, cogunt aūt nunquam, perturbant & animum, dū Dei permissu inuadunt animam, ut apparet in energumenis, item dum imbuunt malis artibus & magicis aliquem.

Super corpora potestatem exerunt, uel transferendo corpora, sicuti Matthęi 4. & ut ferunt fide digni authores, Simonem magnū per aera uolasse, Egesippus lib. 3. de excidio Hierosoly. D. Ambros. sermo. 66. & in cap. 8. ad Romanos D. August. sermo. 3. De Petro & Paulo. Quod & bonos angelos aliquando fecisse legimus: Sic enim puto raptum Eliam, Abbacuc delatū in lacū Danielis. Dan. 14. Et D. Philippum translatū in Azotū, Actuum 8. Operantur & magicè mutando corpora, si uera sunt quæ referunt mutatos fuisse socios Vlysis a Circe, in bestias, ut Plutar. in Grillo. Virg. in Pharmaceutria, Homerus, & alij scribunt. Item socios Diomedis, in aues, apud Virgil. in 10. Ænei. & Ouid. 4. Metamor. Archades traiecto stagno, in lupos, apud Pliniū li. 8. c. 22. Homines in iumenta, apud D. Aug. lib. 18. de ciuit. & Pallad. in uita Macharij Alexādrini. ca. 19. & 20. Sicuti & sacra pagina in exordio tradit, uirgas in colubros mutatas, aliaq; magicis incātationibus a magicis Pharaonis. Rursum & potestatē in corpora exerunt occidendo, Dei permissu, ut Iob. c. 1. Morbos inferēdo, fascino, incantatione, mutatione & corruptione elementatorum: cōstringunt & concumbendi cum mulieribus potestatem, can. Si per sortiarias, ca. requisisti, 33. q. 1. tit. de frig. & malefic. Quod operantur (secundū Palladinum Hierosolymitanum episc. in 4. Senten. distinct. 34. q. 2. art. 5.) modis quinque.

1 Per interpositionem corporis.
2 Per refrigerationem uirtutis generatiuæ.
3 Per detentionem membrorum genitalium.

4 Per occlusionem spirituum, quorum ui fit congressus.

5 Per speciem menti obiectum, quòd videatur mulier turpissima.

Dicunt in res externas dęmonum potestates apparuisse, in traductione facta alio messium satarum, ut ait Virgilius in Pharmacentria: dumq; ait, 4 Aenei. deduci montibus arnos, sicuti & Plinius lib. 17 cap. 23. tradit alia similiter ijsdē incantationibus, traduci; operantur & mirificè in externa, subtiliter mouendo, tollendo, impellendo, & aliunde in unum locum cogendo.

De Definitione & distinctione magiæ. Cap. VIII.

Magiæ nomen, Persico idiomate, tantum exprimit sapientiam & apicem perfectioris philosophiæ: Nā idē sunt magi apud Persas, ac apud Græcos, philosophi: apud Indos Brachmanes & Gymnosophistæ: Apud Gallos Druydæ, Bardi, & Semnothei: apud Siculos Galeotę: apud Aegyptios, sacerdotes, apud Italos Hetrusci, haruspices: apud Latinos sapientes: apud Caballistas prophetæ: apud Babylonios & Assyrios, Chaldæi. Cæterum, cum ferè cuncta saluberrimis orta initiis, peruenerint ad nimium, degenerarunt & discipuli aliqui a magorum & sapientum puris purisq; institutis, atque aliquando præter modum curiosi, uel affectata quadam sciendi superstitione, metas ueræ sapientię transgredientes prolapsi sunt in uanas illas magiæ improbatæ obseruationes, & tam celebri magiæ nomine conspurcato, in odium appellatio antea honoris & præstantię, conuersa & in dedecus est, ut & docet Plinius lib. 30. cap. 1. & alibi. Constat igitur, ob abusum magiam exosam; at quatenus suis regulis continetur, cognitionem esse rerum eximiarū, diuinarum & humanarum, siue naturalium, aliamq; probam nempe naturalem, & diuinam; aliam improbam, nempe dęmonicam, natam ex abusu diuinæ sapientiæ: & superstitiosam, natam ex eiusdē abusu & rerū naturalium. Naturalis magia est, quę ex naturis rerū, nō omnibus sed doctioribus & peritioribus cognitis, pendentibus, uel ex tota cōpositi substantia, uel certa aliorū mixtione effectus operatur mirabiles: estq; philosophiæ physicæ consummatio, atq; apud uulgus instar miraculi. Quare hęc accipit effectus a natura, & uirtute cęlorum, stellarū, elementorū, animalium, metallorū, plantarum, lapidū, quorū scientia, ex astrolo

gia.

gia,metaphysica,physica,medicina,experiētia &obseruatiōe.

Siue sit diuinatrix, quę futura & effectus ex causis naturalibus pendentes prędicat:siue operatrix,quę mirabilia ignorantibus causas & uires rerum,exhibeat. Diuina sapientia,uel magia,quę in uirtute,in nomine & potestate Dei,non rebus naturalibus consistit,ueluti,quando prophetæ uētura prędicūt, quādo eo modo miracula Christiani perficiunt, uel fide, uel oratione;unde uera cabala,quæ est superstitione Rabinorū, conspurcata, fuit composita ex nominibus omnipotentis Dei,uel expressis in sacra pagina,uel extractis arte aliqua,uel receptis per manus a uiris sanctis.

Improba, dæmonica,uana & superstitiosa, est quę Theurgia & γοτιεία dicitur, illaq; aut simplex inuocatione & operatione constans dæmonum; Aut composita, scilicet addito quodā fuco naturalis cuiusdam uirtutis, uel uerę religionis interposito colore, ut incauti eius pretextu decipiantur, & plerunque illa composita, est specie recti decipiens.

Composita itaque magia uanissima, utitur inuocationibus dæmonum,uel tacitis cū ijsdem pactionibus,quæ maximè homini Christiano,abominatio,& ut fraudes celet,addit ex quatuor elementis aliquid,uel terræ,unde geomantia:uel aquę,unde hydromantia:uel aeris,unde aeromātia:uel ignis, unde pyromantia. Abutitur hominibus olim eos sacrificare iubens,ut exta inspicerētur. Abutitur & hominibus, ut instrumentis suę impietatis,per eos promente dęmone oracula per os,per pectus,per umbilicū,per genitalia,ut scribit Plutar. De cessatio. oracu. Iamblychus, De mysterijs Aegyptiorū. Origenes lib.7. contra Celsum. Eustatius, in 2. Iliad. D. Chrisost. homil.9. in epist. ad Corinth. Cęl. Rhodig. lib.4. ca.10 Scrutatur & magia,in manu lineas, unde nata χειρομαντία, uultus, & faciei sectiones, & proportiones,(quæ tamen,si non excedāt temperamenta corporea, non omnino improbantur) hanc dicunt physionomiam.

Abutitur,etiam animalibus,dum ex auium garritu,persuadere futurorum nititur cognitionē, hanc dixere augurium, ut ait Cicero.2. de diuina. uel dum diuinat per earundem inspectionem,vnde haruspicium,auspiciū,seu οἰωνοσκοπία, Tiresię inuentū,secundū Plinium lib.7. cap.56. uel dum uolatilium iubet pastum,cantum,uolatum, obseruare, ac si in illis esset diuinitas, aut futurorum notio,cum tamen,nec se,ne-

ſibi futura, aues cognouerint. Quod & de alijs animalibus, quæ obſeruantur, dictum uelim.

Plantas item ſuæ inſaniæ accommodat, ut ait Pli. lib. 24. c. 17. lapides, & metalla, unde & λεκανομαντία, quæ fit peluibus aqua plenis dæmone inuocato, quam magiam apud Perſas ſeruari teſtatur Strabo in 15. Accedit κατοπτρομαντία, quæ per ſpecula fiat, Et ἀξινομαντία, quæ per ſecures, & alia inſtrumenta ferrea, ſiue alligentur cribro, unde ἀξινομαντία, ſiue clauis alligetur Pſalmis, ſiue quis alio modo metallis abutatur.

Horrenda & illa, quæ manes & mortuo putat ſe infeſtare, & euocare: dicta νεκρομαντία, quæ habet cũ dæmonibus colloquia, ad quam, uſus ſuperſtitioſus & uaniſſimus transfertur characterum, ſuffumigationum, eccleſiaſticarum orationum, & ſceleſtiſſimus fit ſacramentorum abuſus. Et in ſumma, nihil ſanctum eſt, quod magus non uſurpet & polluat. Atque idcirco in magia frequens abuſus, non dicam uſum, demoniorũ, ueneficiorum, collyriorum, unguentorum, potionum, philtrorum, alligationum, ſuſpenſionum, annulorum, imaginum, characterum, laminum, chartarum, certorum numerorum, ſonorum, ſacrificiorum, purificationum, ſolitudinum, ſortium, ligationum, faſcinationum, cogitationum, ſeu imaginationũ, animi exceſſus, incãtationum, adiurationum, exorciſmorum, cõſecrationum, deuotionum, ieiunorum, ſomniorum, orationum, ceremoniarũ, & coniunctionum cœleſtium. Et hæc hactenus, De Angelis bonis & malis dixiſſe ſufficiat. Supereſt, ut de ijs quæ in claſſe ſubſtantiæ traduntur, dicamus, quæ alius tomus Syntaxeõ proxime Deo fauente excudendus, docebit, in quo, breui compendio, de mundo, de homine, & de eius omnibus artibus, & inuentis docebimus, & de reliquis quę in artis ſpeculo explicanda, & percurrenda relinquuntur: nũc enim non datur otium, quia ad lectiones ordinarias proſequendas, Cadurcum reuocor.

FINIS.

COMMENTARIA
IN
PROLOGOMENA
SYNTAXEΩN MIRABILIS
ARTIS,

Per quam de omnibus diſputatur
habeturq́ue cognitio.

*Authore P. Gregorio Tholoſano, iuris
ciuilis in academia Cadurcenſi
profeſſore.*

VIRTVTE SIC



CEDIT INVIDIA.

VENETIIS,
Ex Officina Damiani Zenarij.
M D LXXXVI.

CLARISSIMO VIRO VNDIQ. absoluto, Nicolao a Bauffremont, Baroni, & domino a Senescey, equiti Regio Torquato, & a secretis regis consiliario dignissimo, magno Galliarum domusque regiæ prætori, necnon balisuo Cabilionensi, &c. P. Gregorius, in Cadurcensi academia iuris Cæsarei publicus professor. S. D.

QVum typis excudi curarem syntaxes artis mirabilis, Illustriss. didici non tam ex relatione uirorum doctiorum, quam ex tuiipsius colloquio, inter proceres heroesque aulicos, te singulari quadam musarum familiaritate, & bonarum artium præstantia, ut luna pollet inter ignes minores, multis præclarissimis uiris anteire. Mirum quidem primum, & fere incredibile visum, hominem tot negotijs occupatum, curisq. grauioribus reipub. implicitum, literarum studijs, & scientiarum labyrinthis, uel aliquantulam impendere posse operam: tandem tamen, admonitus fui, quod cum maiori admiratione admirationem sustulit, te quas genio cæteri dant horas, musis & literis consecrasse, & a bellorum strepitu defessam mentem, solitum continuata lectione reficere: ad hæc, tanto ingenij dotatum acumine, ut quæ alij, uelut fortis dissimilis sciungunt, ob laborem qui seorsum totum uidetur deuorare hominem, possit exiguo tempore, & leui molestia, una pertractare. Quamobrem

cum

cum ob id, tum ob tuam in uiros literatos humanitatẽ, qua etiam me dignatus es, decreui hosce primos in artẽ nostram commentarios, qui tunc cum te noui etiam præ lum expectabant, oculis tui perpoliti ingenij subiicere, sperans, si tibi probentur, eo magis a cęteris eruditis pro bandus: neque parua laus mihi accedit, magnis placuisse viris. vellem autem, eorum munus eo suscipias animo, quo is qui tui est obseruantissimus, offert. Vale. Lugduni. pridie Non. Nouemb. 1574.

Εἰς Μοῦσαν περὶ λαμπροτάτου καὶ ἐπισημογικωτάτου ἀνδρὸς Πέτρου Γρηγορίου ᾠδή.

Στροφή.

Μοῦσα παργήσου τὸ ἄκρον
Ναιετῶσ' ὄρος πνέουσα
Ῥεῖθρα πηγῆς κασταλίης
Ἴθι δεῦρο, καὶ ἐμοὶ
Νῦν μέλος ἡδύλογον δὸς, κῦδος αἰγεῖν
Ἕνεκα Γρηγορίου ἐσθλὸν δυναίμην,
Ἔργον ἐστὶν οἶδα καλῶς,
Σφόδρα μὲν ἀργαλέον, τὸ σέλας
Φῶς τε λαμπρὸν εὐρηχώρου
Γαλλίας, ὡς χρὴ ἐπαίνους.

Ἀντιστροφή.

Ἀξίους ῥαίνειν, ὃς ἐντὶ
Ταῖς ἐπιστήμαις μέγιστος
Ἠδὲ θαυμαστὸς σελέθει
Ξυνετεῖσι τοῖς βροτεῖς.
Τῶν νομικῶν δὲ κρατεῖ τῶν νῦν ἁπάντων
Ἠδὲ παλαιοτάτων, ὡς ἠέλιοιο
Ἀστέρας φάος σκοτίζει.
Τίπτε ἀτὰρ γλυκύτατα λέγειν
Καὶ μεγίστην ἀγχίνοιαν
Λανθάνω αὐτοῦ, τὸ ἔργον.

Ἐπῳδός.

Τοῦτον μὲ βάρος βάρυνει
Λίην, ἂν ἐμοὶ
ὦ δυνὴν οὐκ ἐπικουρεῖς,
Ταῦτ' ἐγὼ λίσσων τότε.
Φωνῆς ἄκουσα παρθένου
Μούσης λεγούσης τόδε ῥῆμα.
Εἰ κενὸν βέλη ἐμεῖο
Τὴν βοήθειαν μάτην
Τὸν Γρηγόριον κελαδεῖν,
Ὁ δ' ἐοῦς συντάγμασι
Γλῶσσά τε δόξης τυγχάνει σφόδρα ἀσπέτου.

Πέτρος Γέραρδος Βάξιε.

IN LIBRVM PETRI Gregorij, eruditissimi Iurisconsulti, Epigramma.

Gregorius miraclum orbis, lumenq; coruscum,
Maximus in sophia, iuris & arte uirum.
Gregorius peperit quem clara Tholosa, Garumnæ
Ob cuius famam læta fluenta tument.
Gregorius librum hunc nocturnis atq; diurnis
Perfecit studiis tempore in exiguo.
Quo lumen iuriq; alijs atque artibus adfert.
Conspicuum ingenij dexteritate sui.
Qui cupis ergo aliquid non tritum addiscere, cultum.
Et lepidum assiduo hunc uolue labore librum.
Hic etenim ueterum tibi erit uitè, Lector, & instar.
Illorum quos nunc rumor ad astra uehit.

In eundem.

Phœbus ut exoriens, currusq. è gurgite Atlantis.
Extollens, tenebras, lucidaque astra fugat.
Sic liber hic fulgore suo compluribus olim
Doctorum scriptis quæ uiguere nocet.

Petrus Gerardus Vaxis Cadurcus.

PETRO GREGORIO IVRIS profissori apud Cadurcos consultissimo.

Si cultura dedit Graiæ Latiæq. camœnæ.
Vt ueræ sophiæ dinumerentur opes,
Phœbe, lyræ pudeat, lauro nam cingere crines
Hæc, Gregori, tua pagina sola potest.
Hoc illo maior, diffundens uindice fato,
Promerita ingenij flumina uina tui

Io. Bap. Bellandus.

IOAN. MATTHÆVS TOSCANVS ad Lectorem.

Cum iam Scæuola, cum Papinianus.
Quos longum numerare sit, Quiritum
Euoluant, referentque iura chartis.
Doctis scilicet, & laboriosis:
Quid nosce expediat nouum libellum
Qui eris materia refertum eadem?
Illud grægorij docet libellus,
Quod non Scæuola, non Papinianus.
Non Paulus, Iabolenus, aut trecenti,
Qui doctum faciunt modo, & peritum.
Iuris discipulum pium, bonumque.
Fingit Gregorius, Deoque gratum.
Quo plus est igitur pium, bonumque,
Quam iuris uocitarier peritum,
Hoc plus Gregorij dabit libellus.
Quam det Scæuola cum Papiniano.
Cum Paulo Iabolenus, ac trecenti.

באורך נר נר אח־אור

ELENCHVS CAPITVM HORUM Commentariorum.

COMMENTARIA
IN PROLOGOMENA
Syntaxeωn artis mirabilis.

De omnibus posse disputari, & omnium cognitionem quandam haberi.

CAPVT PRIMVM.

PRINCIPIORVM principio inuocato, atque artium, scientiæ, & bonorum omnium largitore placato Deo, suffragijs Dei paræ sanctissimæ, & aliorum priorum cælitum accitis: moneri expedit, initio, Deum optimum maximumque, cunctorum creasse rerum thou & bahu, materiam scilicet & formam, ac uniuersi ornatum, Vltimum autem creationis sex dierum opus fuisse hominem, ut omnium, quæ in cælo quæue in terra naturam, & uim, in unam ueluti epitomen referret eximiam, non secus ac periti artifices faciunt, qui totius operis molem prius mente agitãt partibusque conuenientibus destinguunt, deinceps reipsa, cõsummatum in lucen educunt opus. Vt non immerito in hoc homine & cælestia, inuisibilia, & terrena, & uisibilia, quæ ue ex his componuntur, quodammodo naturam propriam reco guoscant, eique ut affini & cognato inseruiant, sicuti latius, cum de homine tractabimus, Deo iuuãte explicabitur. Quod in primis persuadere potest, omnium rerum cognitionem homini esse necessariam, quin etiam illi fuit imperatum seipsũ, nosse: & Moses olim quemquem sæpe admonuit his uerbis, attende tibi. Quæ quidem sui notitia, est rerum omnium ab-

ſolutiſſima diſputatio, per quam paulatim & perfectiori cer tiorive ordinato tramite, ad Dei notitiam perueniamus, etſi illa ſit perdifficilis, quandiu corporis huius pondere & uinculis deprimimur. Corpus quippe, ut ait Salomon, a quod cor rumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum, multa cogitantem, ex quo homo in turpe prolapſus delictum, contumax legi impoſitæ de non edendo fructu ligni uitæ, caliginem ignorantiæ ſubiuit, ut nec minimum quiduis plane cognoſcat, & quod antea infuſa cognitione perfecte nouiſſet, nunc non niſi ſummo cum labore diſcere, idque imperfecte, & lippis oculis cernere poteſt. Proinde lucubrationes & uigiliæ, quæ in ſtudia impendũtur, ab Eccleſiaſte dicuntur nomine occupationis peſſimę. Et propoſui, inquit, in animo meo quęrere & inueſtigare ſapienter, de omnibus, hanc occupationem peſſimam, dedit Deus filius hominum, ut occuparentur in ea. Additque, quod in doctrina & ſapientia, prudentia ſtultitiaque dignoſcenda, nihil aliud uerſetur quam labor & afflictio ſpiritus, atque in multa ſapientia, maximam eſſe indignationem, & addentem ſcientiam, addere & laborem. Quamobrem, in hac parte egemus neceſſario arte aliqua & methodo, alioquin non poſſumus a tam implexo labyrintho nos explicare, nec quęſtionem propoſitam diuo Ioanni Baptiſtæ a Iudeis, diſſoluere. Tu quis es? Porro ſi ignorans te, o pulcherrima anima inter mulieres, hoc eſt, inter alia opera Dei, egredere & expergiſcere a graui ignorantię ſomno, & abi poſt ueſtigia gregum tuorum, contemplare, inquam, ordinem rerum creatarum, in quibus diſces rationem tuæ pręſtantiæ, admirabilem rerum nexum, altitudinem & profundum ſcientiæ & ſapientiæ incomprehenſibilis demiurgi uel architecti omnium Dei, ut admonet Salomon. Sic proprium dicitur hominis ſcire per cauſas, quas quidem probe cognoſcemus ſi nos ipſos perfecte cognouerimus. Quod ut aſſequamur, nobis explicanda multis ante ſeculi incognita ars, certis legibus & præceptis concludenda erit. Verum ante remouendus eſt uulgi erroris ſcrupulus, dum nouum putant & fere inauditum, artem & ſcientiam aliquam eſſe, qua in omnibus erudiamur, & per quam ratio de omnibus aliqua reddi poſſit. Cum ſcriptum ſit, Cunctæ res difficiles, non poteſt homo eas explicare ſermone. Et rurſum, ego Eccleſiaſtes fui rex in Hieruſalem, & propoſui in animo meo

ſapien-

sapienter inuestigare de omnibus, quæ fiunt sub sole &c. Vidi cuncta quæ fiunt, & ecce uniuersa uanitas. Addit Plinius, omnium rerum posse adferre causas, non minus mirum esse, quàm constare in aliquibus. Et Virg.

lib.2.hist. nat.c.12. in car.de Aethna.

Quæ mortali spes est, quæ amentia maior,
In Iouis errantem regno perquirere uelle.

Suffragatur Saluius Iulianus, cognomento Seuerus, Mediolanensis iuris peritissimus, Iaboleni discipulus, qui inter responsa, frequentatum illud edidit tri um apud iuris utriusque studiosos. Non omnium quæ a maioribus nostris constituta sunt, rationem reddi posse. Sunt aliorum testimonia qui subscribunt huic sententiæ, non tam excusandæ ignorātiæ gratia, quàm quia ita rerum experientia cognouerint, serió de rebus diuinis philosophati: docueruntq; mortalium cognitionem, ad illum conscēdere gradum nō posse, ut omnia Dei opera imo nec minima, possit plene indagare. Et, tāquam curiosam & extra cancellos infirmitatis humanæ, discendi nimiam cupiditatem, potius mortalibus inutilem & noxiam, procul ablegauerunt. Suadet & ratio quæ non inuenerit omnium causam moueat & cogitare debere se hominem esse, Deo ipso sine proportione inferiorem, Deique ad mensuram sapientiæ participem, non illi æqualem, non similem: tantoque Dei cognitione minorem, quanto excellentia naturæ eius uincitur, & limitatam cum habeat & circumscriptam naturam cognitionis infinitæ non esse capacem, ut doctè scribit D. Irenæus. Accedit non tantum uanum esse, cognitioni rerum omniū se immiscere, sed & impium de aliquibus disputare uelle: ueluti de Dei essentia incomprehensibili, dogmata velle ratione humana explicare: nō aliter quàm si quis uellet mare omne cribo concludere: globum uniuersi pugno constringere: Cum finiti ad infinitum nulla sit proportio. Stultè omnino hæc proculdubio uidetur quis moliri, stultius autem creaturam cum creatore de cognitionis similitudine certare, dignumque potius diuina animaduersione uindicta, scrutator enim diuinæ maiestatis, opprimetur ab ea. Nec bonum est multum mel comedere: ut habetur in prouerbijs hagiographum, & omnis bestia: quæ tetigerit montem, scilicet celsitudinem

l. non omniū. l. 19. de legib. li.1. Pan. tit. 3.

Lib.2.cōtra Hær. cap. 43. Prouerb. ca.25.d.

Dei, lapidabitur, ut ait Deus in Exod. Sed neque ratio reddi poteſt, nec expedit quidem, de omnibus miſterijs actibuſque diuinis. Incomprehenſibilia enim ſunt iudicia Dei: quod Diuus Paulus admonuit, dum raptus ad tertium uſque cœlum ingenue profeſſus eſt, ſe ibi diuina & arcana audiuiſſe, quæ non liceret hominibus eloqui, ut multo magis non liceat de his rationem ueluti de dubijs reddere, cum diuina, ueluti indubitata credi debeant & non agitari. Ideo idem D. Paulus, animo uoluens ſupereminentem Dei eſſentiam, totus in admirationem raptus, exclamat. altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles uiæ eius, quis enim cognouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit. hoc & Moſes, iuſſu oraculi erigens tabernaculum Deo, figuris inuolute explicauit, dum duos cherubinos ad latera propitiatorij adiecit, qui expanſis alis uelabant oraculum: Et Iſaias, Seraphim dixit in throno altiſſimi, uelare alis faciem & pedes domini: indicantes per hæc adita, incomprehenſibilem Dei maieſtatem eſſe. Diuus etiam Cirillus archiepiſcopus Hieroſol. proprietates, inquit, Dei eloqui non licet, nec poſſumus. Et in his quæ de Deo dicuntur, hæc maxima ſcientia eſt, ignorantiam fateri. Magnus item ille Baſilius Cæſarienſis epiſcopus, docendo Dei proprietates eas eſſe ait humano ingenio incomprehenſibiles, & arrogantiam ſummam de illis diſputare, quæ rurſum alibi repetit, Idq; ob noſtrę mentis infirmitatem. Vnde & Dionyſius Areopag. teſtatur, non eſſe poſſibile aliter illucere diuinum radium nobis, niſi per uarietatem uelaminum ſacrorum anagogice circumuelatum, & niſi prius ſit ſecundum nos ut ait, hoc eſt accommodate prouidentia paterna connaturaliter & proprie præparatum. Additque idcirco in uiſionibus ſacroſanctis ſpirituum figuras effingi imagine boum, aquilarum, rotarum, leonum, uolatilium & huiuſmodi. Subſcribit D. Io. Damaſcenus, & ἄρρητον τὸ θεῖον καὶ ἀκατάληπτον, θεὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, id eſt, effari nequit uel comprehendi diuinitas, Deū namque nemo uidit unquam. Eo quod ut ait B. Paulus, Deus inhabitat lucē inacceſſibilem, & nubes & caligo, ut Dauid, in circuitu eius. Et ruſum, caligo ſub pedibus eius.

Exod. ca. 19. c. — *2. ad Cor. c. 12.* — *Ad Roman. 11.* — *Exo. 25.* — *c. 6. 1.* — *cath. 1. Illuminat.* — *lib. 1. cō tra Eunomium de quali. Sp. ſan.* — *Super Pſ. 115. de ſubſt.* — *Lib. 1. de cæl. hiyera. cap. 1 cap. 2.* — *lib. 1. orth. fid. c. 1* — *1. ad Timot. c. 6.* — *2. Pſ. 96.* — *Pſal. 17. & 2. Reg c. 5*

eius. Cum hac & apparuit Mosi; & in horrore magno, & tenebroso, Abrahamo, pactum cum illo initurus. Et quid diutius immorer in singulis persequendis, quæ sacrosanctæ narrant literæ, cum nobiscum gentilium authores consentiant. Inter quos insignis antesignanus erit Corne. Tacitus. Sanctius & reuerentius, inquit, uisum est gentilitati, de actis deorum credere, quam scire: nemo autem dubitat scire, dictis philosophantibus, idem quod per causas cognoscere. Et ideo scientiam repellendo, repulsam curiosam per rationes humanas disquisitionem, non cognitionem fidelem: Nulla enim est similitudo perfecta Dei, quia non nisi unus, quamuis sit trinus in persona, nulla causa originalis, a qua posit dici Deus, cum sine principio, nullum accidens in Deo, neque alia in eo sunt, quæ alij conueniant: unde per alia, nec per rationes alias, quam per seipsum, & a seipso perfecte cognosci & sciri possit. Itaque Plato, audacter sed uere dixit, fatendum esse nos nihil de Deo cognoscere, neq; de ipso neque de illius nominibus quibus seipsum uocat, quanquam constet eum seipsum uero nomine nuncupare; tractandumque de ipso, prout in lege homines acceperunt; quod de essentia Dei intelligendum est, ut nullis rationibus assequi illa possimus, nisi eatenus, quatenus nobis in lege & oraculis, & per ipsum dominum nostrum Iesū Christum reuelatum extitit. Consentit Proclus dum ait, nos perfecte uenari non posse Dei cognitionem, per sensibiles & compositas rationes. Quia si id fieri posset, accideret ut parem uim ingenij haberet homo ac Deus, imo maiorem, si ipsum ut est, comprehenderet, latius enim paret continens, contento, pro facultate & modo continendi, & ita animus, qui comprehenderet: Deum, qui spiritus immensus & interminabilis & infinitus est, infinitus esset, & maior infinito, si infinitum, ut est, continere & cōplecti posset, & ita maior Deo esset, & ipse Deus quoque. Quod effari etiam præter blasphemiam, quam absurdum sit, nemo est qui non uideat: Quandoquidem nullo modo fieri posit, ut infinitum quod est Deus, contineatur & comprehendatur: nam tunc non esset infinitus, sed finitus, si esset comprehensibilis. Neque fieri potest, Deū esse comprehēsibilem: nā si esset comprehensibilis, illud quod

Exod. 19. *Genes. c. 15.* *lib. de moribus crimen.* *in cratilo* *Loco quo tractat de inuentione patris.*

eum comprehenderet, eſſet potius Deus, tanquam maius & pręcipuum & antiquius & ſummum. Sūmum autem & ſupremum quod eſt, quodq; per ſe eſt, & ſuper eſſentiam, & ab alio non dependens, ſed ex ſeipſo & in ſeipſo nec eſſe eſt ut ſit Deus. Quod, & nouit Sibylla Erythrea ἀλλὰ θεὸς μονὸς εἷς πανυπέρτατος. Sed Deus unus ſolus omniū ſupremus: quod & citat D. Clemens. Alphraganus etiam Arabs uoluit, res diuinas ac pura fide credibiles, altioris eſſe ordinis, a quarum comprehenſione debilitentur rationes humanæ, nec illas queas aſſequi. Item Theophraſtus ſic notat. μέχρι μὲν οὖν τινὸς δυνάμεθα δι᾽ αἰτίου θεωρεῖν ἀρχὰς ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων λαμβάνοντες ὅταν δὲ ἐπ᾽ αὐτὰ τὰ ἄκρα καὶ πρῶτα μεταβαίνομεν, οὐκ ἔτι δυνάμεθα, εἴτε διὰ τὸ μὴ ἔχειν αἰτίαν, εἴτε διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν. quod eſt hucuſq; ad aliquid quidem poſſumus ſpeculari per cauſas, primordia a ſenſibus ſumentes: Quando autem ad ipſa extrema & prima tranſierimus, non amplius poſſumus: ſiue eo quòd non habeamus cauſam, uel propter noſtram impotentiam & mentis debilitatem. Nam eius rei cuius non eſt prius, demonſtratio eſſe non poteſt ulla, & conſequenter nec a nobis explicationem ex noſtris ſuſcipere poteſt. Quod & nouit Plato. Sed melius atque omnino expreſse uerſibus quatuor expreſſit Euripides, inducens loquentem Hecaben his uerbis.

lib. 1. χρησμῶν oraculorum. In protreptico. lib. quem de ſcientiis ſcripſit. in ſuis metaph. In dialog. in Troadib. actu 4. uer. 24

> Ὦ γῆς ὄχημα, κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
> ὅστις ποτ᾽ εἶ σὺ δυστόπαστος εἰδέναι
> Ζεύς, εἴτ᾽ ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν,
> βαίνουσ κέλευθον καὶ δίκην τὰ θνητ᾽ ἄγεις, id eſt,

O terræ uehiculum, & in terra ſedem habens,
Quiſquis tandem es, inacceſſe noſtris animis
Iupiter, ſiue naturæ ordo ſic ferat, ſiue mens mortalium;
Te ueneror: omnia enim ſecreta & ſine ſtrepitu.
Qui facis incedere uia, & iuſto libramine mortalia & humana.

Quocirca cuique uideri poteſt neceſſario concludendum, artem generalem ad omnia enucleanda, inutiliter & uane nos polliceri: Cùm nec omnia a mortali intelligi poſſint, ſitque id proprium Dei, omnia ſcire & omnia noſce, & extra illum neminem eſſe, qui id ſibi attribuet

buere possit. Et ita etiam testantur, qui Deum uere non nouerant, ut & Sibylla Erythrea.

ἀθάνατος σωτὴρ πανεπίσκοπος ὅς ἀ ἐκέλεσεν
ἀγγέλειν ὑμῖν, ἵνα μὴ ἀρεσὶν ἐξαπολῆθαι. id est
Omnia nanque nouit
Immortalis saluator, qui omnia prouidet, & me iussit
Nunciare uobis, ne mente pereatis.

Firmat Maximus Tyrius Et apud Homerum. Menelaus Idotheam filiam Prothei marini senis, alloquens pro dea, eam affatus sic ait: ἀλλά σύ πέρ μοι εἰπὲ, θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν. Sed tu dic mihi, Dei enim omnia norunt & sciunt. Quod certè & defæcatius cecinit Dauid, ecce Domine tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua. Salomon oratione sua ad Deum: Tu nosti, inquit, solus cor omnium filiorum hominum. quod etiam scribitur rursus alibi, ne quis putet ea dicta temere sed prouide, atque Apostoli otantes repetũt, Tu Domine, inquiunt, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris. Et Baruc, qui scit uniuersa, nouit eam sapientiam, & adinuenit eã prudentia sua. Et paulo post, hic est Dominus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Iterumq; Salomon, rerum sapientia tua quæ nouit opera tua, quę & adfuit tunc, cum orbem terrarum faceres. Nouit autem ille eo modo, ut omnia sciat & nouerit antequã fiant. Sic enim professa Susanna calumnijs impetita apud Danielem: Deus inquit æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium attulerũt contra me, & ecce morior, cũ nihil eorum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt contra me. Neque quicquam simile de hominum aliquo, quis nisi fuerit amens, efferre unquam audeat, ut cuncta nuda & aperta oculis mentis eius sint, ut omnia nouerit. Imò contra, plures fuerunt, qui nec aliquid ab hominibus sciri posse dixerunt, nihil percipi, nihil cognosci, & angustos esse sensus, imbecilles animos, breuia curricula uitæ, & (ut ait Democritus) in profundo ueritatem esse demersam, opinionibus omnia inuolui, nihil teneri, nihil ueritati relinqui, & in summa, omnia tenebris circunfusa. Itaque Archesilas negabat esse quicquã quod sciri posset, ne illud quidẽ ipsum, qđ sibi Socrates reliqsset. Sic

lib. 1. Sybill. orac.
Sermone 31. a
Odyss. ver. 379
Psal. 18. a vers. 4
3. Regum ca. 8. eo. ver. 39
2. Paral. c. 6. eod. vers. 30.
Act. 1. d. fol. 24.
cap. 3. d. vers. 32.
Sap. 9. b vers. 9.
ca. 13. e. vers. 42.

omnia Socrates,& alij latere censebant in occulto,neque esse quod cerni,aut intelligi posset. Quod & Carneades, & Plato, & tota uetus philosophorum turba putauit, qui ideo omnia in utramuis partem disputantes,nihil certi reliquerunt,ut testis est Cicero 2.Galenus etiam Pergamenus,scientia,inquit,est conueniens, firma, & nunquam a ratione declinans cognitio : eam autem neque apud Philosophos,præsertim dum rerum naturas perscrutantur inuenias,multo sane minus in re medica. Et ut breuius me expediam,nec ad homines quidem unquam uenit.Atque idem, scientiam in dubium reuocat; nititurque probare ex eo, quod non omnibus idem uideatur, neque honestum,neque sapiens esse, neque uerum: Et inde necessario existere contentionem. Nam etsi maxime fuerint ea definita,non tamen ideo scio: sed est in omnibus opinio, ex qua par est nasci controuersiam, ut sentiunt illi qui scientiam firmam esse, & congruentem ducunt, sed non facile inueniri. Pindarus autem rationem mihi reddere eximie uidetur.

Lib.3.aca de.q.in fine. 10. ubi.in Isago. li. qui, medicus inscribitur. tom.4.& libr.3.de dif. pulf. in initio.

-ἀμφὶ δ᾽ ἀνθρώπων φρεσὶν ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι κρέμανται. id. circa autem hominum mentes, errores innumeri pendent.

Olymp.ode 7.strophe 2.

Et Plato,nullum hominum, omnia scire posse contendit,ut Maximus Tyrius humanum animum ait,mirum in modum imbecillem,facilemque ratiocinationibus in omnem partem flecti. Quod uidelicet in hac secunda uita, densissima caligine circundatus sit. Ideo, & peritum etiã uiatorem aliqua rupe,cœno,foueave decipi: peritum nauitam, non semper rite gubernare: medicum terreri etiã peritum ignotis, & probat Lactan.Quæ certe omnia uera sunt,& quæ nos pollicemur nihilominus uerissima, nẽpe artem esse, per quam de omnibus ratiocinari poterimus,omniave cognoscere.Verum hæc cognitio, & ratiocinatio non transgreditur humanas uires, sed secundum illas, quibus placuit Deo optimo maximo præditam fore hominis mentem,regitur.Quæ enim alterius cognitionis obiecta sunt,quæve alio modo, quam ratiocinatione noscuntur, non ueniunt in hanc tractationem, ut docebimus. Sic uerissimum est, neque pugnat quod scribitur, altiora te ne quæsieris; & fortiora te ne scrutatus fueris,

In Sophista,uelde ente. Serm.26 li.3.in fi. de fal. scien. Eccl.c.3. c. versu. 22. & sequen.

sed

ſed quæ præcepit tibi Deus,illa cogita ſemper, & iu pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt tibi neceſſarium ea,quæ abſcondita ſunt uidere tuis oculis. Iu ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus,non eris curioſus. Plurima enim ſupra ſenſum hominum, oſtenſa ſunt tibi. Multos enim ſupplantauit ſuſpitio illorum,& in uanitate detinuit ſenſus illorum: Nos namque quid ſit ſubſtantia Dei, uel eſſentia, quæ ſit eius perfectio,ſiue angelorum,ſiue cœleſtium, ſiue reliquorũ, perfecte,& ut ſunt,inquirere non docemus: ſed rationes, & cauſas adferre,quare ita eſſe perſuademus rationũ quippe omnium cumulus eo pertinet, ut aliquid tale eſſe perſuadeatur,atque tandiu noſtra ars locum habet, nõ ultra: ubi enim perſuaſum eſt,ceſſat ars,& remanet ueritas, nota uel per ſe,uel firmiter credita, neque dubitatione amplius interpolata. Quin & rationes de diuinis, imo de inquiſitione circa eſſentiam Dei,traduntur: non quod oſtendãt omnem eſſentiam,ſed quia per conſiderationem deitatis expellant de eſſentia inquiſitionem. Vt quia Deus eſt incomprehenſibilis,immenſus,infinitus, omnipotens, omnia in omnibus,& nihil eorum, in quibus uirtutem exercet. Rationes quoque ſunt circa incomprehenſibilitatem eſſentiæ, non tamen docentes eſſentiam, niſi per conſequens,nempe incomprehenſibilem,& ita Deum. Quibus infinitæ poſſunt addi per noſtram artem probationes aliȩ idem de ſecretis,admirabilibuſque Dei effectibus in creaturis,dicendum. Ex quibus etiam Dei cognitionem, & eius admirandæ maieſtatis,admirandæ,& inuincibilia,colligimus contra incredulos,argumenta: Quæ ad cœleſtia, inuiſibilia, & immortalia,certa arte nos deducunt admirabili operum Dei connexu, & cathena, quà ordine, per noſtram artem ueluti filio Ariadnes Theſeus, extra hæc caduca, & inferiora tracti, ad ſuperiora euehimur,uſque ad illud ineffabile primum,quod Deus eſt. Et ita loquitur Paulus: Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem,& iniuſtitiam hominum, eorum qui ueritatem Dei in iuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt iu illis. Deus enim reuelauit, & inuiſibilia ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur,ſempiterna quoque eius uirtus, & diuinitas,ita

Rom. 1. c. uer. 18. et & ſeq.

ut sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non tanquam Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum, & quæ sequuntur. Et Iob. Interroga iumenta, & docebunt te; loquere terræ, respondebit, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod manus domini hæc fecerit? Adde sacra oracula, spiritus sancti reuelationes, sacras literas, quæ rationum nobis rerum diuinarum abunde suppeditant fontes, non quidem omnibus, sed ijs qui animum adhibent, & inquirunt, & in lege meditantur, prout iubetur libro Iosue. Veluti terra non omnibus fructum producit, sed tantum diligentibus agricolis, & assiduis cultoribus. Sic enim homini, qui labori addictus est, Dei sententia comparatum est, ut nihil optimi, uel excellentis circa sudorem consequatur. Nec quis nucleum edit, quin decorticet; Aurique uenas, non in præruptis montibus quisquã colligit, quin prius, immensis laborib. cuniculos duxerit omni ex parte per uiscera terræ, donec ad uenas ꝑ silices perueniat; eo mõ maximus labor certe, in rerũ ueritate eruẽda, inter tantas tamq. densas hominũ carnalium tenebras, & multas cõuenit tentare uias, ut præcipitia falsitatis uitẽtur. Minor tamẽ labor itineris, si quis edoctus fuerit uiã compendiariã, quæ, quo quis proficisci uelit, & se & alios leui negotio deducat, quã nos docemus. Quænã illa quæris? rõnis inquã est discursus, & causarũ reseratio, quæ duo, nẽpe rõ & causæ, cum aliæ & sint diuersæ a reipsa, tamẽ ad rẽ ipsam, uiam sternunt facilẽ. Nihil n. in terra sine cã fit, ut scribit Iob. Et Arnobius, quicquid geritur inquit, dẽt habere cãm sui, neq. ita esse a rõne seiunctũ, ut in operib. feratur cassis, & uacuis ludat inanitatis errorib. Et rursus quæcunq. ab hominib. fiunt, maximeq. in re sacra, debent hẽre suas cãs, neq. sine rõne est quicquã in negotiis omnibus, atq. in omni administratione, faciendũ. Et laudatur Anto. Pius Cæs., quod omnium quæ gessit in senatu, per edicta rõnem reddidit, ut scribit Iul. Capitol. Et misero rũ uere refugiũ est, imo certe alienũ ab interiori homine qui rõne utitur, non posse rerũ discernere cãm aliquã. Et quanquã non possit cãm essentialem reddere, quę in omnibus a creatione Dei uirtute natiua cõsistit, brutũ omnino est, si saltẽ, uel quod ita placuit, uel utile, uel honestum,

c. 12. a. b uer. 7. 8. 9

c. 5. uer. 6

li. 7. contra gẽtes. eo. li.

In eius uita.

uel conueniens fit,non rõcinctur,uel a fine,uel efficientę uel ab aliis medijs,quæ nos trademus.Monet nos & ad id Dei illa prouidẽtia,qua quotidie audimus,& experimur,nihil temere,nihil fine rõne,& cã,non fato, non casu,in essentijs fieri. Excitat & nos particularis nostra prouidẽtia, quæ dicitur prudentia,non esse animalis rõne utentis, res aliquas,negotia aggredi,nõ actiones aliquas tẽtãdas, fine examine præponderantium rõnum,in quibus consultatio difficilis, electio periculosa, cum sit discretio bonorum a malis,& in bonis bono melius reperiri possit: & aliquãdo præsens bonũ cõtemnere expediat, & a negotio rõnabili ad rationabilius traduci. Nã ut ait Achil.apud Euripid.P.

Ἀλλὰ οἱ λόγοι καταπαλαίουσιν λόγους

Rationes antiquant rationes,& tollunt.

In summa intelligere possumus ab hominibus cõsulto omnia fieri debere,& rationẽ, factorũ esse debere animã. Quã si hic nõ adhibeamus dũ uiuimus, futurũ est a nobis a Deo exquirendã iri,quare nõ adhibuerimus. Dixit.n.dominus noster Iesus Christus,de omni uerbo ocioso, quod loquuti fuerint homines,reddent rõnem in die iudicii;ex uerbis.n.tui iustificaberis, & ex uerbis tuis condẽnaberis.

In Ephig. act.4.uer si.209.

Mat.12. c.uer.36 37

Esse debere aliquam artem generalem, adhuc docetur. Cap. III.

EO ergo deducta est oratio,ut intelligamus necessario hominẽ scire,& rõcinari oportere,quod & latius, cũ se offeret locus, explicabitur. Et quia,ut ait Cice. *ἥδιον γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι* nihil est dulcius, quàm omnia scire. Cumq. hoc nõ aduersetur humanæ cõditioni de omnibus dũmodo non transcendamus humanę scientię limites, inquirere,pręcepta particularia quędam distincta ab inuicẽ, unica generali arte concludi posse,qua inter se communicẽt,possibile esse mihi persuasissi attẽtius consideremus,in omnibus rebus unum semper reperiri genus, in quo spẽs oẽs participent,& concordent, quanquam quibusdã proprietatib.differãt.Et per cõsequẽs satis superq. cõstare, genere cognitio plene,& notionẽ spẽrum facilius se offerre nõ secus ac facile fluminũ sectiones in riuulos, & partitiones cognouerimus,si a fonte ad loca separationis,sequẽtes alueũ,peruenerimus.Sic & nõ inconueniẽs,&impossibile

4. epi ad att. 2.ep. 10.ex phocis.

quis

qs reperiet unico instro̅,diuersa opera diuersaru̅ artiu̅,psici,quia usus illius co̅modus diuersis.Sicut& ex quatuor elemẽtis,particularia corpora commiscentur,sed diuerso mo̅ vnica,uegetandi ui,omnes plantæ,& animalia omnia participant,& crescunt, unicoque corpore, sensus omnes continentur; unica mente artes omnes,& inuentiones comprehensæ,unico supposito res corporales,& incorporales consentiunt in homine,qui constat spiritu, & corpore.Cœlum ipsum ultimum uno ambitu, motu, & influxu omnia inferiora naturaliter complectitur,agit, & mouet, & omnia in eo concordant. Et denique hæc omnia,Dei unico intellectu,& mente una,creata sunt, & reguntur,ut in sole,omne lumen participat stellarum,in iustitia, uirtutes omnes,in summa ~~in~~ fœlicitate, omnia cætera bona, in morte æterna, omnis infœlicitas,& mala uniuersa; Deus tandem, & homo conueniunt, & simul resident in una hypostasi,nempe Christo domino nostro,qui & filius Dei,& filius hominis,uerus Deus,& uerus homo. Quæ cu̅ ita se habeant,& cum communia contineant particularia (ueluti qui ponit hominem,& statim ponere uideatur particulares,& indiuidua Socratem,Platonem,& alios,ut scribit Aristoteles,)proculdubio, & mens hominis,& ratio, ad omnes artes extendentur, si optima generali quadam sciendi,& intelligendi methodo informentur, atque facile ad alias particulares peruenient cognitiones, ueluti etiam in particularibus quibuscunque disciplinis,notiones sunt quædam præludia uniuersalia,ex quibus statim facile ars conflatur,& peritia. Quæ per se certe arida,& ieiuna, imo conficta sunt interdum,uel eiusmodi uidentur,exempli gratia,mens humana in geometricis,lineas,puncta,circulos,parallelos, & figuras ex his compositas adfinxit demonstrationis gratia,ut aliud significaret, ad perficiendu̅ artem. Musica,habet suas claues,notulas,lineas,spatia; Et singulæ fere artes, quædam alia,quæ animum tantum ueluti ratiocinationibus quibusdam ad id, quod intendunt, præparant. Nonne etiam uidemus,usum literarum ueluti quandam rerum omnium communem custodiam, & uocum, & conceptuum, & naturarum proprietatumque rerum cœlestium,& supercœlestium,& terrestrium,prẹteritorum,præsentium, & futurorum? Si quis autem literas

4. de gen. ani. c. 3

teras non norit, quæ tamen numero paucissimæ sunt, nec omniũ, quæ illis cõtinentur sine interprete erit particeps. Et si forsan aliqua illorũ sine his nouerit, cæteris erit priuatus, non alia ratione, quàm quòd tam exigua, sed communia omnium elementa scripturarum, literas dico, nõ nouerit coniungere, & miscere. Latent & in mente scientiarum semina omnium, ut dicemus, & elementa. nam, ut scribit Alex. Aphrodisæus, substantia, scientiæ, fontes vniuersæ, animo insita sunt, quemadmodum igni calor insitus est, unde putauit Plato, animum nostrum reminisci, non discere. Sed non omnes norunt, nec ea miscere didicerunt. Quocirca nec omnes ratiocinari pariter possunt: non pueri, nec ij qui spiritalibus prętermissis, cutem curãt, epicuri de grege porci. Neque hi similiter, qui duobus uel tribus uerbis compositis & conceptis, statim se arcem sapientiæ expugnasse, sibi persuadent, quiue omne studium in ornatu uerborum & quadam phrasi corrasa desudant, ut queruli psitaci, & loquaces picæ, molæ ropalis circumquaque agitatæ temere, contempta rerum inquisitione. Qua in re Menedemi laudabo sentẽtiam, qui, vt Cicero scribit, illas nugas rhetorum, & exordiorum, & alia quę pro nugis habebat, reiiciebat ab arte bene dicendi, & bene de rep. consultandi: Atque ullam artem esse negabat, nisi quæ cognitis penitusq; perspectis, & in vnũ exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus, contineretur. Qua opinione adductus idem Cicero, testatur sibi accidisse, disertos cognosse nonnullos, eloquẽtem neminem. Eloquentem existimans eum, qui mirabilius & magnificentius augere posset atque ornare quæ uellet, omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerẽt fontes, animo & memoria contineret. Istud visus est idẽ Cicero sibi comparasse in libris eloquentiæ suæ. Tamen nec is nec eius scholæ homines, unquam ut existimo, consequuti sunt. Quanquam enim ij, unam & eandem rem uerbis pluribus uariare potuerint, non equidem contigit uerè dicere, sed multum & uarie dicere; potius eo ipso a republica explodendi, quam in cætu hominum recipiendi ueluti impostores, fascinatores, uel interpolatores ueritatis, vmbratilium orationum & spectrorum artifices, histriones, & mimi & nugiuenduli, omittentes ueram

lib. Problem. problem. 121

1. de oratore.

Dialogo de Ocas.

ram & propriam materiam oratorum dicendi, quæ, vt etiam testatur P. Corne. Tacitus, consistit in iudiciis de æquitate, in deliberationibus de honestate, uel horum mixtione, de quibus, inquit, nemo uarie, copiose, & ornate dicere potest, nisi qui cognouit naturam humanam, & uim uirtutum, prauitatemq. uitiorum, & intellectum eorum, quæ nec in uirtutibus, nec in uitijs numerantur. Olim pulsi urbibus etiam merito garruli, & uaniloqui illi rhetores, & nostri christianæ philosophiæ antistites, uerborum solum architectos explodunt. Inter antiquos D. Paulus, videte ne quis uos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam. Nam in multiloquio, non deest peccatum. Et uir linguosus non dirigetur in terra. Qui enim multis uerbis utitur, lędit animam suam, ut scribitur in Ecclesi. idest multiloquio falsum adumbrare nixus, seipsum perdit. Et ista est egestas præcipua, de qua loquitur sacra pagina. Vbi sunt uerba plurima, ibi frequenter egestas, & alibi, in Eccles. stultus uerba sua multiplicat. Multiplicat inquam, quia quod falsum, & per se inuisum est, multis uerbis psuadetur. Vnde Paulus ab hoc crimine expresse se purgauit, ne mendaciorum uideretur annunciator. Et ego cum uenissem ad uos fratres, ueni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians uobis testimoniũ Christi. Et postea. Et sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus, & uirtutis. Et ad Ephesios scribẽs eos admonet dicens, nemo uos seducat inanibus uerbis: propter hoc. n. uenit ira Dei in filios diffidentiæ. Et rursum discipulum admonet, formam cum habere sanorum uerborum, quam ei tradiderat. Nam, ut scribit Iulius Roma. Pont. ad diaconum, Flacillum, Narcisum, & alios, in rebus ecclesiasticis, non specimen eloquentiæ, sed canones Apostolici requiruntur, operaq. dari solet, ne quis ex pusillis scandalizetur. Et D. Basilius magnus: Sacra inquit, schola, præcepta rhetorum, aut instituta non sequitur, nudam rerum expositionem pro encomiis habet, quam & nobis & sanctis satis esse existimamus. Rursumque idem: non sectamur, inquit, eloquentiam uerborum, quæ apud vos suscipitur, neque concinnæ uerborum structuræ studemus. Apud nos enim nõ sunt qui uerba tornãdo effingãt, neq; apud

Col. c. 2. b uer. 8. Prou. 10 c. uer. 19 Ps. 139. c. uer 12. c. 20. a. uer. 8. Prou. 14 uer. 23 c. 10. cap. uer. 14 1. Cor. 2. a uers. 1. ep. Timo. c. 1. d. uer si. 13. ep. quæ legitur. in 2. apo. De Atha. libr. exame. hom. 6.

apud nos curæ est sonora uocum modulatio, sed ubique præfertur clara & expressa uocum significatio. D. quoque Bernardus. apertius eloquentiæ nudæ a rerum cognitione, corruptelam paucis explicat, dum ait, uerbosulum adolescentem & studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, nihil aliud, quam hostem iustitiæ repures. Atque ut manifestius doceam Christianos non tantum uerbis, sed etiam re ipsa istos psitacos, uerbososque iuuenes, abhorruisse, non piget referre historiam quę scribitur apud Cassiodorum ex Socratis historia ecclesiastica. narrat autem Eudoxium Arrianum sub ualente Cæsare orientis, creasse quendam Eunonium sophistam & dialecticum atheum dictum, in Cizico episcopum & iussisset expellere Eleusinum. Illumque, cum illud uenisset, usum more solito dialectica, quasi peregrinum aliquid auditoribus inferret. Quamobrem Cizici tumultus ortus cũ esset, eum urbe ciues expulisse, cum ferre non possent fastum uerborum eius. Nos etiam ut cum tantis uiris consentiamus, atque ut tempori pareamus, quod multum teritur in ampullatis & tumescentibus orationibus, uerba uenari & effundere sine ratione non docebimus, sed uerba rebus inseruire. Siquidem methodus artis nostrę, scopum habet, ut res explicet, & artes. Artis autem omnis præcipuum est, uera cum ratione dicere. Quod & Aristot. scribit τέχν inquit, ἥ ἕξις τὶς μετὰ λόγυ ἀληθῦς ποιητική ἐςὶ. ἡ δὲ ἀτεχνία τὐναντίον μετὰ λόγυ ψευδῦς ποιητικὴ ἕξις περὶ τὸν ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, id est, ars est habitus faciẽdi uera cum ratione. Contrarium aũt artis est, facere falsa cum ratione, circa id quod aliter se habere potest. habitus autem & determinatio, in unaquaque arte, ueluti certorum pręceptorum collectio, consideratur. Hęc non ad particularia & indiuidua applicantur, sed ad uniuersalia. Sicuti, qui de medicinæ arte disputauerit & eius subiecto, non Petrum, non Ioannem considerat, sed tantum corpus humanum. Nam de particularibus sicut de infinitis, scientia nulla est, ut tradit idem Aristot. Et artem, eadem ratione uniuersalium cognitionem ait, sicut experientiam, particularium, Et alibi. in cunctis artibus, & scientijs, inquit, quæ non circa partem, sed circa genus aliquod perfecte existunt, satius est considerare, quid

4. de consid. lib. ad Eugenium Papam.

6. Ethic. cap. 4.

li. 1. Rhethor. ad Theo. c. 1 lib. 1. metaphy. c. 1 & lib 4. polit. c.

cuique conueniat generi. Sunt namque in singulis artibus & scientijs, quædam generalia & præcipua subiecta, quæ postea calculo exactiori in partes distribuuntur. Subiecta illa sunt veluti limites, quibus transcensis, ab una in aliam artem vel scientiam traducimur. Et arithmetices subiectum, numerus: astrologiæ, cęlum: geometriæ passiones, & corporum magnitudines: iustitia, iuris ciuilis, & sic de similibus, quæ hæc omnia in nostra arte rationes sibi comparare possunt, sicuti & Arist. earum omnium effectricem rhetoricam ratus est, in qua facultas discutiendi, quod in unaquaque re, probabilis videatur. Nam quòd artes omnes communibus quibusdam inter se utantur vinculis, ut idem Aristoteles tradit & Cicero, uidetur mihi causa unica, communis mentis natura, quæ est omnibus hominibus, & oratio, qua quilibet homo insignitur. Et si uelis exemplo familiarius id discere, periculum licet facere in rusticis & imperitis alicuius artis, quibus si proponatur quæstio quædam artis ignotæ, conabantur ex mentis notione communi hominibus, vtcunque ratiocinari, uerum confusè & impolitè & sine ordine, non tamen sine ratione: nam rerum experientia & animi exercitatio, superflua & incondita in animo disponit: unde artes ortæ, ut non tamen mens ex arte, & ratio, sed tantum rationis ordinatio fiat: ueluti aurum, quod ab scorijs & fæcibus metallorum expurgatur, non accipit ab artificibus naturam & essentiam, sed candorem & superfluorum repurgationem. Vt simile quidam accidat animo, qui cum multis passionibus & opinionum erroribus obtenebretur, ueluti fęcibus extra naturam ascitis, Dei potissimum lumine, cuius uultus lumen super nos signatum est, artificio quodam, ad puritatem & lucem suæ præstantię educitur, & purgatur. Et Galenus fatetur, quandam esse artem, quam tamen non docet, quæ & reliquas constituat. Et persuasum habent Philosophi, ut tradit Aristoteles, omnis entis ad unum aliquid & commune fieri reductionē & docet longa oratione Galenus alibi scientias & artes, alias alijs supponi. Legimus & apud iuriscōsultos & alios iurisperitos, prudentiam complecti diuinarum, & humanarum rerum scientiam: in his autem omnia. item Aristo. Intellectus, inquit, siue mens rerum intelligibilium

d. li. 1. ad Theo. c. 2

Arist. 1. Ezech. c. 11. & Cicero pro Arch. po.

li. de arte curat. ad Thrasibulum.

Metaph.

ad Thrasib. de arte.

lib. 1. de part. ani. cap. 1.

liũ eſt, itaq; rerum oĩum notiones, naturalis una tenebit. Et Plato, omnes ſcientias, ſine dialectica cæcas dicit eſſe.

lib. Siſiue dial 7 de Rep. uel de iuſto.

Quid ſit ars noſtra magna. Cap. III.

TRanſacta enim & ſopita controuerſia, qua difficile, imo fere impoſſibile eſſe de omnibus cauſas exhibere, perſuadebatur, cumque iam docuerimus poſſe nos de diuinis, & per diuinas rationes, determinare, per uiſibilia ad inuiſibilja, ueluti certis quibuſdam ducibus peruenire. Reliquum eſt ut quæ ſit illa ars, aperiamus, per quam ſcandere per mirabiles illos gradus tuto & breuiter, compendio temporis ualemus, quæ permaxime iucunda & optata diu ab ſtudioſis eſt, cum uita ſit breuis, ars longa: & non ſolum in medicina, ut aiebat Hippocrates, experientia periculoſa, ſed etiam fere in humanis omnibus actibus, quorum exigua experientia præcipiti uolatu, caniciem cum periodo adijcit, ut fuerint plures qui naturam, non auſi dicere Deum, incuſauerint, quod coruis diuturniorem & longiorem uitam, quam hominibus dederit. Blaſphemi certe, & nimiũ queruli: cum hominis ſufficiens ſit ætas, quantum nis breuis, pro neceſſarijs exequendis: Quam tamen plerique ferunt, & fere omnes, non in diſquiſitione ueri, ſed in contradictionibus uanis, & inutilibus ſermonibus, alij uoluptatibus, alij in parandis mammonæ miſeræ aceruis, quibus quidem ætas breuis eſſet nõ ſolum ceruorum uel coruorum, ſed & totius æui & mũdi uniuerſi, inſatiabilis enim eſt cupiditatis ſitis. Vellent & ij lubentiſſime corporis uoluptatibus, & acquirendis diuitijs, & eorum curis, ſimulque & ſcientiæ parandæ, tempus ex animi ſententia dari, cum tamen fieri nequeat, ut qui implicitus eſt & irretitus numellis & retibus uoluptatum, aut diuitiarum, bene unquam philoſophetur. utque, qui animam habet his tumultibus conſpurcatã & de mentem, probe poſſit de eximijs & altioribus diiudicare. Quo circa primus huius artis gradus & baſis eſt, animum ab his ſordibus & extraneis paſſionibus repurgare, & Deo coniungere. in quo uera ſcientia, quique dat omnibus affluenter, pro modo diſpoſitionis & purgationis animæ. Non enim in maleuolã animam introibit ſapientia, ut ait Salomon, nec in corpore ſubdito peccatis, & Plato cuique

In pri 1. aphoriſ.

que etiam certi facultatem a Deo tribui, certi cuiusdam operis, iudicandi, testis est. Sequitur deinde illud quod est confusionis mentis, & indispositarum cogitationum coordinatio, in quo latet tota artis nostræ methodus: docet enim omnium præceptorum quæ diffunduntur per res, & scientias, artesque particulares, in certa capita reductionem ordinatam, ex cuius cognitione postea mens dispēsat ordinate, & inconfuse propria unicuique negotio oblato, disputando, tractando, consulendo, probando, uel refellendo, uel docendo, uel eligendo. hæc enim in omnibus locum habet. ars quippe omnis, ut ait Plato, de aliqua re persuadet, sed diuerso modo, causæ rerum diuersitate connectuntur & considerantur; ueluti & unum & eundē angulum rectum faber, & geometra, diuerso modo tamen inquirunt: fines enim sunt diuersi, sed media fere eadem, & ita de angulo tradit exemplum Arist. Galenus scribit materiam non distinguere artes, quia & illa plerisque communis, sed fines ad quod diriguntur precepta particularia, & interdum communia. Sic nostrum corpus quatenus naturale est, physicæ scientię subiectum esse quis dixerit, quatenus sanitatis, medicinæ, quatenus bonó habitu prædictū, exercitatoriæ. Ideo qui hęc separatim discutit, diuersos fines cognoscere debet, & sic præcepta particularia ad finem tendentia, & idem Galenus fere eadem alibi. Qua ratione & nos in hac arte magna ne quid deesset particularium finium, singularum scientiarum, ueluti quoddam epitome contexuimus, ut Dei beneficio & nostro medio, quicunque nostras habuerit lucubrationes, nullis alijs libris, uel certe paucissimis egeat ad scientiarum Encyclopediam addiscendam. Nam (quod uere admirandum est, & unde ingentes gratiæ maioribus qui iter indicarunt artis, & ichnographiam tradiderunt, habendæ sunt) si bene animaduertas in hac quam tractamus arte, omnes scientiæ particulares, & earum præcepta sub generalibus continentur expressa: tractanturque in ea, physica, metaphysica, actiuæ, factiuæ & contemplatiuæ artes, ut merito ars magna, seminarium magnum, & scientiarum omnium directio & probatio nominanda sit, & lapis quidam Lydius, per quæ uerum a falso dogmate separatur, ut illo aurum ab alijs distinguitur metallis.

Qua-

li.14. qui Ion uel de furore poetico inscribitur.

lib. 14. In Gorgia.

1. Ethico. cap. 7.

lib. ad Thrasybulum an ars tuendæ sanit. ad medicinam spectes tom. 1 Inli. Hip. quinquænem medica transtuli, inscribitur commentar lib. 1 tom. 06. & tomo 8. lib. de medicæ art. const.

Qua melior certè nulla alia esse potest. Hinc procedit singulorum intellecta distinctione, statim artium particularium distinctio. Siquidem cuiusq; artis constitutio, ex discrimine propriorum a communibus oritur, ut ait Galenus. Sic Plato, quicquid, inquit, artificiosum est, mensuræ quodammodo particeps esse apparuit. Quoniam uero quidam considerare nequaquam per singula genera diuisione eundo solent, hæc tam longe inter se differentia, statim conferunt in unum similia iudicantes. Sed & contrarium huius faciunt, quæ diuersa sunt per partes minimè distinguunt: cum oporteat, ubi quis primo multorũ percipit communionem, non prius desistere quam differentias omnes, in ea quæ speciebus clauduntur, inspexerit: atque iterũ, quoties dissimilitudines plurimas in multitudine sentit, & ægrè sentit, non prius ab hac aspectus molestia desistere posse, quam cuncta quæ cognata sunt, intra cognationem vnam proprietatemque concludens vnius generis essentia uestiat. Neque, ut scribit Maximus Tyrius aliud est scientia quam stabilitas rationis, iisdem semper uestigiis hærentis, captantis primo cognatas quodammodo res, post distinguentis quicquid in eis uiderit dissimile. Materia itaque circa quam uersatur nostra ars, erunt omnes res & scientiæ, de quibus disputandum erit, atque in his, ueluti artificium quodlibet in subiecta materia, operatur, continens certa generalia præcepta in se, quibus singularia disputantur, & distinguuntur a confusione. De quibus Deo iuuante in alio libro tractabimus.

In cõmenta. in lib. de uictus ratio. in morbis acutis to. 6

In li. 16. vel ciuili, siue de regno.

Sermone 40.

De potentia & actu. *Cap. IIII.*

Repetamus interim, ut ordine uiam ad grauiora sternamus, omnia potentiam & actum respicere, atq; potentiam sine actu esse posse, actuum autem non item sine potentia præiacente. factum quippe nihil dicitur ab aliquo, nisi prius qui fecit, potentiam siue dispositionem quandam faciendi, habuerit, quæ non fuerit semper actu, ut docet Aristoteles. Sic principia substãtiarum sunt semina, quæ se habent ad substantiam, sicuti potentia ad actum, ut scribit idem Aristoteles. Non tamen actus potentia uere est, nisi solum in potentia, ueluti lignum,

lib. 1. de cælo. c. fi.

lib. 1. de part. animа. & eorum causis ca. 1.

 tripus

tripus, ſcapha & huiuſmodi eſt, potentia non tamen actu, quia actus ut ligneum tripus fiat, uel ſcapha, medijs alijs, ſcilicet arte aliqua & inſtrumento fabrili, ex potentia ad actum ducitur. Aliud exemplum familiarius, homo potentia rationalis eſt, hoc eſt ratione omnes actus ſuos moderari poteſt, actu tamen & re ipſa, ſemper non moderatur; ueluti ſi furioſus, ſi infans, ſi affectionibus illegitimis ducatur. potentia namque rationis non deducitur ad actum, hoc eſt non moderatur actus. Et Galenus certe optimus philoſophus ait. Quod quale dicitur, tale autem nondum eſt, ſed poteſt tale eſſe, ideſt hoc eſſe, poteſtate, dicimus hominem, uerbi gratia, qui modo natus ſit, rationalem, & auem uolatilem, & canem uenaticum, & equum celerem, ſcilicet, quod eorum unumquodque futurum omnino eſt, ſi nihil id extrinſecus impediat, hoc ceuiam id ſic appellantes, unbe arbitror hæc eſſe poteſtate, non actu, dicimus. Perfectum namque eſt, atque iam præſens, ipſa energia uel operatio, ſiue quod actu eſt, quod uero poteſtate eſt, imperfectum & adhuc futurum atque ut fiat quidem, id quod dicitur. Sciendum tamen eſt ex potentia deducta in actum, ex illo actu aliam potentiam oriri poſſe, ſicuti docet Ariſtot. & tunc diuerſa eſt potentia ſecunda a prima, ſicuti materia prima diuerſa eſt a ſecunda: prima namque informis, ſecunda autem materia cum forma in aliam formam tranſit, retenta prima forma; ueluti aurum conſtat materia communi metallorum, & forma, quia aurum: ex illo tamen alia forma accedente fit ſtatua, uel aliud quippiam; cuius tamen ſecunda ſemper materia formata, nempe aurum. Sed clarius de potentiæ ortu ex actu agamus exemplo. Diuerſo modo potentia, ſciens eſt qui diſcit, & qui iam ſcientiam habet & non contemplatur. Cum autem actiuum & paſſiuum ſint ſimul in actu, qui patitur a potentia, & agit alia potentia, euadit interdum id quod eſt potentia, ut actu ſit tale, ut id quod diſcit, & ex eo, quod eſt potentia, fit aliud potentia rurſus. Qui namque ſcientiam habet & non contemplatur, eſt potentia quodammodo ſciens, ſed non ut erat, antea quam didiciſcet. Atque cum ita ſeſe habet, niſi quid prohibeat, operatur ac contemplatur, uel in contradictione ignorantiaque

Tomo 1. lib. 2. de tempera.

erit.

erit. Est etiam quædam potentia, alia, secundum naturam, alia præter naturam. Secundum naturam potentia est, cum in seipso aliquid tale principium habet, & non per accidens. Præter naturam contra, cum per accidens, ueluti ignis potentia mouetur sursum, & graue deorsum: per accidens autem & ui exteriori ignis deorsum, graue sursum. Mouentur itaque actu naturaliter, cum sub potentia suos ad actus mouentur. has duas species potentiæ ponit Arist. Galenus latius tres constituere uidetur. Prima ista est quæ maxime proprie sola potestate esse dicimus, ea, in quibus natura ipsa suopte impetu ad absolutionem uenit, utique si extrinsecus nihil impedimento sit. Deinde materiæ continentes ea quæ facienda sunt, propinquæ, facienda potestate sunt, sicuti cum sanguinem potestate carnem appellas, quoniam minimam mutationem ad carnis generationem requirat. At non qui in uentriculo habetur concoctus cibus, carnis materia est, sed prius fit sanguis opportet. Longius etiam absunt maza & panis, quippe quæ, ut caro fiant, tres sui mutationes requirant, cæterum hæc quoque omnia potestate, caro dicuntur. Etiam ante hæc aer, ignis, aqua & terra, etiam horum ipsorum communis materia, atque hæc omnia, magis minusue abusiue loquentibus, nobis dicuntur. Dicitur autem & tertio in loco, potestate esse aliquando, & quod ei, quod ex accidenti esse dicitur, est ex aduerso positum, ut si carnosi quis iuuenis lauationem, corpus eius ex accidenti non ex propria potestate calefacere dicat. Subiungam adhuc eius exempla, bitumen, resina, sæuum, oleum, & pix, calida potestate sunt, quod utique energia celerrime calida fiunt, etenim celerrime inflamantur. præterea cum corporibus nostris amouentur, ea manifestissime calefaciunt; ea autem non sunt actu calida, ideo tactu non sentiuntur talia, & ita differunt, & a solis & ignis calore, quia illa actu calida, hæc tantum potentia, eadem de frigidis potētia quis poterit colligere. Sed adhuc ἀκριβέστερον de potentijs cum Aristotele dicamus, ne posthac hæc omnia sint a nobis sæpius inculcanda. Potentiarum quædam nobis natura inditæ sunt, ut diximus, ueluti sensuum, quædam consuetudine, ut tibijs canendi: quædam doctrina, ut artium. Nam idem Aristot. ait, om-

lib.6. metaph.c.5.

eo.lib. 9. meta.c.5 omnes artes, & factiuæ scientiæ, potentiæ esse. Item potentiæ aliæ rationales, aliæ irrationales: nam quædam cũ ratione possunt mouere, quædam sine ratione. Rationales illas potẽtias necesse est in animato corpore esse, has autem in ambobus. Quæ cum ratione possunt mouere, & potentiæ sunt eorum rationales: quę autem sunt irrationalia, horum & potentiæ irrationales. Et notandum est, potestatem quæ cum ratione est, contrariorum esse posse diuerso modo effectricem; potestatem autem irrationalem, uuius, ut calidum ipsius calefaciendi sola potestas. Medicandi uero potestas infirmitatis & sanitatis causa est, quia scientia, scientiæ ratio: Ratio autem eadẽ manifestat & rem & priuationem, quanquam id non faciat similiter. Sic enim quodammodo amborũ est, sed magis eius quod existit: quare cum potentia sit faciendi, uel patiendi in ratione, uel uoluntate principium, sit quid uel patitur necessariò. Sed qualitates quæ adduntur bene, aut male, non necessario, sed ipsius benefaciendi, uel malefaciendi potentiam sequitur solius agendi, uel patiendi potentia. Potentia namque quædã est homini benefaciẽdi, nã si non esset illi hęc potentia, impossibile esset homini unquam bene agere: nam quod priuatur potentia, impossibile est fieri; quod impossibile fieri est, actu esse nequit: cæterum uidemus & actus & bene fieri, scilicet bene agere homines, ergo in illis potentia, & male: pariter ergo & potestas ab uno & eodem fonte uoluntatis. Sicuti ex anima contrarij motus fiunt, quiescere, & moueri, loqui, tacere, diuersis tẽporibus. Quoniam quod potest, aliquid potest, & aliquando, & aliquo modo, & necesse est esse quiddã quod dominetur siue appetitum, siue electionẽ. Quæ interdum ad actum peruenire prohibentur, uel intrinsecus aliquo prohibente, uel modo non bene congruente & medio: sicuti in potentia irrationali, ea ad actum non peruenit, si aliquo medio impediatur, uel medio, uel agente non bene disposito. Quo fit, ut, quia potentia nõ potest interdũ omnino se explicare, propter resistentiam mediam, qua sublata posset, actus remaneat imperfectus necesse sit. Ita semen interdum natura degenerat, & natura ex semine humano & animaliũ, monstra producit, & animus extrinsecis & uanis & alienis a ratione, occupa

tus & obsessus, suo non fungitur officio. Et hæc hactenus de potẽtia prælibata, seq. sufficiens, latius nãq; de ea postea cum de principio potestatis tractabimus suo ordine lib. 2.

Quo pacto in homine, scientiæ generalis semina potẽtia insita sint, curue alij alijs doctiores, & unde animalibus quædam cognitio. Cap. V.

VTilitatem ex præcognitione illius potentiæ nunc accipe. Dicimus itaque in hominis dignitate, quod pertinent ad sciendi & intelligendi sagacitatem, considerari & aptitudinem siue potentiam naturalem, & pariter acquisitiuam ex doctrina & meditatione artificiali & labore expertium & prudentiorum paratam, quam ue potẽtiam diximus quodammodo ex actu prioris potentiæ cõparari. Hæc autem unde originem habuerint, quaue ratione mentes hominum uniuersam scientiam perfecte per se nec explicite omnia, nec omnes aliqua pariter, nouerint, aut quare alij alijs magis minusque scientes sint, cum tamen æque homines sint, narrare præsentis est instituti. Cumque illud dignum sit & iucundum & utile scitu, longior de eo non erit tedio narratio. Igitur in confesso omnibus ferre, & pro uerissimo creditum, tum ab ijs, qui a sana fide exules fuerunt, tum ab ijs qui uerum & unicum uenerati sunt Deum, nullum animal natura immunem a cognitione esse. Videmus namque animalia recens nata, etiam priusquam perficiantur particulę & instrumenta ad ea quæ agere debent, concessa, ea tamen agere conari; sic uitulus cornibus petere tentat, cum nulla tamen cornua appareant, pullus equi calcibus teneris calcitrantem uideas, & aprum quendam pusillum genis sese tueri conantem, magnos dentes nondum habentem; & catulum recenter natum, mordere affectantem teneris adhuc dentibus. Vnde autem, nisi quadã indita facultate. omne enim animans suæ ipsius animæ facultates, ac in quos usus partes suæ polleant maxime, nullo doctore pręsentit, ut obseruauit Galenus, & Xenophon, animalia singula, inquit, norunt pugnam quandam, nec ab alio quopiam didiscerunt, quam ipsa natura, ueluti bos cornu percutere, equus ungula, canis ore, aper dente: quæ quidem animalia etiam cauere sciunt, a quibus est cauendum,

li. de usu par. hum. corpo. c. 3

li. 1. Cyri padiæ.

dum, sine ullius prorsus doctoris præceptione. Addendus eiusdem sententiæ Horatius.

li. 2. ser. sat. i. uer. 50

> Vt quo quisque ualet suspectos terreat, utque
> Imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
> Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus
> Monstratum.

libr exameron homil. 9.

His adstipulatur, & Basilius magnus, docetque multis exemplis: aliique permulti authores confirmant, ducti quotidiana experientia. Ita agni inter numerosum gregem, matris ubera recognoscunt: ursa uulneribus saucia, uerbasco sibi medetur: testudo uiperæ ueneno morsa, sibi contra uenenum prouidet origani pastu: uulpes laricis lachryma, uulneribus se ipsam curat; anguis fœniculi pastu lippitudinem a se propellere nouit. Et ut absoluam cum Plinio, Pudendum rursus feras, magistra natura quotidie inuenire, siue semper scire iudicemus, & omnia animalia, quæ sunt salutaria ipsis nosce, præter hominem. Aristo. etiam scribit, animalium munus esse, non solum generare, quod commune omnium uiuentium, & plãtarum est, sed etiam cognitiones alicuius unum quodque esse, aliud maioris, aliud minoris, aliud minimæ, Sensum enim habent, sensus autem cognitio quædam est. Et clarius alibi statim a principio scribit, animantes habere uim quandam naturalem uideri, in quauis animi affectione, hoc est prudentia, stultitia, fortitudine, ignauia, clementia, acerbitate, & reliquis habitibus generis eiusdem, Constant autem, & hæc ex morum uarietate animalium, de quibus eximios composuit libros Aelianus inscriptos de natura animalium. Aliæ namque, ut ait Aristoteles, animantes mites, remissæ, non peruicaces, ut boues: aliæ animosæ, peruicaces, brutæ omnino, ut sues syluestres; aliæ ingeniosæ, ac timidæ, ut cerui, lepores, cuniculi: aliæ illiberales, perfidæ, insidiosæ, ut serpentes: aliæ liberales, fortes, & nobiles, ut leones: aliæ illiberales, feroces, insidiosæ, ut lupi: aliæ astutæ, malitiosæ, & callidæ, ut uulpes; aliæ animosæ, amatrices, assentatrices, ut canes: aliæ mites, & mansuetudini addictæ, ut elephantes; aliæ uerecundæ, & cautæ, ut anseres: aliæ inuidæ, & ornatus, & politiæ studiosæ, ut pauones. Sed quid ultra? nonne omnes suis prouident natis, id que summa diligentia, & solertia, ut scribit Cicero, natu-

li. 27. histo. natu. c. 3

libr. i. de gen. ani. c. fi.

lib. 9. de hist. ani. c. i.

l. i. de histo. anim.

ra

ra docente? quin ut idem alibi dedit eadem natura beluis,& sensum,& appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capescendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Quis non astutiam pinnophylaces, & pastinacę in quęrendo cibo dixerit subtilem, & scientificam cum Plinio? Quis etiam cum Cicerone plataleę auis ingenium non miretur, quę astu, & ui cibum ex rostris marinarum auium extorquet? Quis non eximios apud Aristoteles Theophrastum, Ælianum, Plinium animantiũ non uideat mores sagaces, & doctrinam uiuendi naturalem, medendi, fugiendi, cauendi, & huiusmodi peritiam? Immo & rerum futurarum, & incertarum pręscia esse eadem legimus,& nouimus: ut hinc etiam homines non uereantur exempla,& cautionem sibi, uelut ex sacrario constanti naturę utilia depromere. Delphini tranquillo mari lasciuientes, flatum ex ea qua ueniunt parte, imminere designant, & turbato mare spargentes aquam, trãquillitatem. Loligo uolitans, conchę adhęrescentes, echini sese affligentes, aut cum arena suburrantes, tempestatis signa sunt: ranę quoque ultra solitum uocales, & fulicę matutino clangore, item mergi anatesque pennas rostro purgantes uentum. Cęteręque aquaticę aues concursantes. Grues in mediterranea festinantes, mergi maria, aut stagna fugientes, grues silentio per sublime uolantes, serenitatem, ut noctua in imbre garrula, at sereno, tempestatem. Corui singultu quodam latrantes, seque concutiẽtes, si perseuerent, uentos, ut si carptim uocem resorbebũt, uentosum imbrem; Gracculi sero a pabulo recedentes hyemem,& albę aues cum congregabuntur,& alia sunt huius pręcognitionis exempla apud Plinium. Nonne & Hieremias testis etiam? miluus in cœlo cognouit tempus suum, inquit, turtur,& hirundo, & ciconia custodierũt tempus aduentus sui. Nonne etiam in usus suos inuenta, & edocta ab animalibus, transtulit homo? quis ignorat chelidoniam herbam,& eius alexipharmacum, contra oculorum tenebras ab hirundinibus inuentam. Inuenerunt,& canes canariam, qua fastidium leuant: Ceruę monstrauere elaphoboscõ, item seseli, enixę a partu,& ad uulnera dictamnum, quo depasto a se excutiunt tela infixa, ut scribit idem Plinius,& plura Arist. Et alibi Plinius. Nec referre

de nat. deor.

li. 9. c. 42

2. de nat. deo.

li. 18. c. fi.

c. 8. cap. uersu 7.

riti suis in responsis ab his abhorrēt. Siquidem Domitius Vlp.Papinianæ doctrinæ auditor, in Phœnicia prouincia natus, aliquando magister scriniorum sacrorum Alexandri Cæsaris, scribit,ius naturale extendi ad belluas, quadam,ut intelligendum est,participatione;ius,inquit,naturale est, quod natura omnia animalia docuit; idque firmat exemplis, hinc descendit maris,& fœminæ coniunctio, quæ in coniunctionibus hominum legitimis dicitur matrimonium;hinc liberorum procreatio, educatioque. Videmus enim istius iuris cætera animalia,peritia cēseri,feras quoque bestias. Hoc & postea,qui anacephaleosim iurisconsult. breuius contexuerunt,& institutiones iuris ciuilis collegerunt,iussu Iustiniani, nempe Tribonianus, & socij, iisdem fere uerbis iusque exhibuerunt legum tyronibus. Quid autem sit hæc natura,quæ hęc docuit,Dei prouidentiam qua singula sibi a Deo præscripta peragunt existimo omnibus palam esse. In genesi quippe uniuersali rerum rebus cunctis propria distribuit,cum, quę generationis sunt, tum ea, quæ ad conseruationem geniti necessaria erant, quæ quanquam minima uideantur,sunt tamen sapientissimæ, & indeficientis prouidentiæ, & generaliter, & particulariter certissima argumenta, ut non tantum rerum omnium generalis in Deo admiranda sit cura, sed & minimarum solicitudo,quæ non secus, ac malum granatum uno ambitu corticis, & omnia inclusa nutrit, & acinos etiam domunculis diuisos alit pari cura. Respicite inquit Christus uolatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater uester cœlestis nutrit ea. Et Dauid produxit iumentis fœnum, & herbam seruituti hominum, & saturabuntur ligna campi, & in cedris libani quas plantauit passeres nidificabunt; herodii domus dux est eorum; montes excelsi ceruis, petra refugium herinaciis, fecit lunam in tempora, sol cognouit occasum suum, Posuit tenebras, & facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ, catuli rugientes, ut rapiant,& quærant a Deo escam sibi. Et paulo post dante te illis colligent; aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. auertente autem te faciem, turbabuntur;auferes spiritum eorum,deficient,& in puluerem suum reuertentur.

in li.qui & ordine 2. de iust. & iu.ti.i. pā de. ti.i.in §.ius naturale.

tentur.

Ps. 144. vers. 16. 17. tentur. Et rursum oculi omnium in te sperant domine, & tu das escam illis in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et uis adhuc ultra tibi probari naturæ animalium, ut reliquarũ rerum, authorem esse dominum Deum? recordare literis consignatum, animalia uerbo Dei tanquam ad domini uocem obedisse, & naturam pro eius nutu temperasse, uel exuisse, & seruis eius pepercisse. Intuere Danielem in lacum famelicorum leonum, ferocissimorum depositũ, remansisse illæsum. Et Ionam Prophetam e uentre piscis prægrandis, ubi tribus diebus & tribus noctibus manserat conclusus, uiuum exeuntem, quando dixit pisci Deus, ut eum in littore deponeret. Contemplare omnia genera ferarum, etiam earum quæ domari non possunt, iussu Dei cum Noe in arca fere per annum pacifice victitasse: deinde in heremo magna ac terribili, in qua erat serpẽs flatu adurens scorpio & dipsas, magnum appaluit in vitus eorum Dei imperium. Scimus & viperam, quæ inuasit manum Pauli in Mytilenæ insula, contra eius ferè naturam & barbarorum insulanorum expectationem, nihil nocuisse. Scimus & asinam Balaam contra eius naturã, iussu Dei authoris naturę, & dispensatiue loquutam. Omitto pleraque huiusmodi exempla ex historia patrum Lausiana, Abdiæ, & Theodoreti, Hieronymi, & aliorum recensere, cum indubitatum sit inter Christianos, potestatem datam a Deo hominibus in eius nomine conculcandi leones, dracones, serpentes, & superandi lethalia huiusmodi, quam nemo dicet ab alio dari potuisse, quã ab eo, qui naturam singulorum in sua manu haberet. Nouerunt & Ethnici, inter cęteros Plinius, dum ait, hic est ille qui plurima in uita inuenit Deus, hoc habet nomen, per quem & intelligitur eadem & parens rerum omnium & magistra natura. Ideo respiciens ad authorem naturæ, sic rursus scribit idem Plin. mihi contuenti se persuasit rerum natura, nihil incredibile existimare de ea. Et Cicero naturæ rationem dixit diuinam legem. Et alibi, nos naturam optimam ducem, tanquam Deum testatur sequi debere, tanquam inquam Deum, non ꝙ natura Deus sit, ut rati plerique antiquorum sunt, sed quia natura nihil aliud est, quã diuinę prouidẽtiæ instrumentum

Daniel. 14. c. Ionæ 2. Gen. 7. c. Deut. 10. cap. 8. vt scribitur actuũ cap. 28. a vers. 3. numer. cap. 22. Lucæ c. 10. c. uersic. 19. Lib. 25. histo. natu. cap. 3. li. 11 c. 3. tertio offi. in dial. Lælij, uel de senect.

mentum

mentum, quę ubi uidetur prouide incedere, non ducit se ipsam ipsa, sed ab ipsa prouidentia ducitur, fines omnium ordinesque & in seipsa præscribente, & naturæ prout uult inscribente: Quocirca Plato ponit duas causas rerum omnium effectrices, diuinam & humanam: diuinam quidem naturæ omnium effectricem; humanam autem artificialium. His consentire uidentur Epicurus & Lucretius, nisi quod ipsi naturam ipsam diuinam putarunt, decepti quòd nescirent naturam tam certam & admirabilem esse, quòd a Deo regeretur. Sic enim de Epicuro Lucretius testatur.

lib. 15. in sophista, vel de ente.

Nam simul ac ratio tua (scilicet ò Epicure) cœpit vociferari,
Naturam rerum diuina mente coortam;
Diffugiunt animi terrores: mœnia mundi
Discedunt: totum uideo per inane geri res.
Apparet diuum numen, sedesque quietæ:
Quas neque concutiunt venti, ac nubila nimbis
Aspergunt, nec nix acri concreta pruina
Cana cadens uiolat: semperque in nubibus æther
Integit, largè diffuso lumine ridet.

lib. 3. de rerum natu. uer. 4.

Snnt & alia philosophorum, & Ethnicorum, testimonia, qui causam & uim efficacem naturæ ex Deo pendere docuerunt. Cęterùm cum & rerum omnium creatio ad Deum omnino, certius nunc referatur, ut forsan aliàs, si se offerat locus, dicemus, non egemus, ut existimo pluribus testimonijs pro superiorum probatione. Ex quibus etiam & non obscurè ratio apparet, unde & quare animalibus quædam doctrinę naturalis inest capacitas & potentia, aliquibus tamen magis, alijs autē minus, sicut Deo omnium opifici sapientissimo placuit, alia namque extra communem generis animantium potentiam, aliam habent potentiam præstantiorem, suntque docibilia animalia; alia nequaquam arte hominum sicurari queunt: ut in uolucribus hirundines sunt indociles, e terrestribus mures: cū elephanti iussa faciant, leones iugum subeant, in mari uituli, totque piscium genera mitescant, ut notat Plinius, eo modo non solum naturali, sed etiam acquisititia doctrina fiunt mirabiliora; sicuti & uidemus aues uarij generis, arte, plura, quàm natura doceat, potentia tamen pręcarrente, addiscere, ut psitasios, & picas, & coruos

lib. 10. & 45.

uoces

bit Cicero equus ad cursum, ad arandum bos, ad indagandum canis: sic homo ad duas res, ad agendum & intelligẽdũ est natus. Estq; omnium animalium longè sapientissimus, ut ait Arist. Et Iuuen. loquẽs de natura hominis ait.

lib. 2. de finib. bono & malo.

lib. de mũdo.

Saty. 15. versi.

— *Separat hæc nos*
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorumq; capaces?
Atque exercendis capiendisque artibus apti
Sensum a cælesti dimissum traximus arce;
Cuius egent prona & terram spectantia mundi.

Atq; Claudianus Ælianus Prænestinus his uerbis a brutis hominem distinguit scribitque ἄνθρωπον μὲν εἶναι σοφὸν, καὶ δίκαιον, καὶ τῶν οἰκείων παίδων προμηθέστατον, καὶ τῶν γεινομένων ποιεῖσθαι τὴν προσήκουσαν φρόντιδα, καὶ τροφὴν ἑαυτῷ μαστεύειν, καὶ ἐπιβουλὰς φυλάττεσθαι, καὶ τὰ λοιπὰ ὅσα αὐτῷ σύνεστι δῶρα φύσεως, παράδοξον ἴσως οὐδέν. καὶ γὰρ λόγου μετείληχεν ἄνθρωπος τοῦ πάντων τιμιωτάτου, καὶ λογισμοῦ ἠξίωται, ὅσπερ οὖν ἐστὶ πολυαρκέστατός τε καὶ πολυωφελέστατος, ἀλλὰ καὶ θεοὺς αἰδεῖσθαι οἶδε καὶ σέβειν. Id est, hominem quidem esse sapientem & iustũ, propriorũ liberorum prouidentem, & factorũ gerere cõuenientem curam, & sibi inquirere cibum, insidiasq; cauere, & cætera in eo esse naturę dona, non est ualde paradoxon: est enim rationis particeps factus homo, qui est omnium honorabilissima creatura, atque ratiocinatione digna habita, pluribus in rebus seipsum iuuare & promouere potest, & Deum venerari & colere. Aliorum hac de re etiam nobis suppetunt testimonia, quæ Deo fauente fusius proprio loco tractabimus; sufficiet autem in præsentiarum prosequi, unde & a quo sciendi uim natura hominis ortũ habuerit. Qua in re contemplemur oportet, initio hominẽ à Deo creatũ esse perfectum, & omni ex parte rerũ omnium peritum creatus nãq; est ad imaginem & similitudinẽ Dei, quod ad animæ pertinet pręstantiã, siqui dẽ rõne animæ nõ corporis, imago accipiẽda, ut errantes hæreticos, quosdã declinemus, ut docet D. Chris. Componitur etenim homo duab. partib. potioribus, corpore inquã & anima. Primæ partes animi, secũdæ corporis, ut ait Cic. & Arist. homo, vt animal cõstat aĩa, inquit, & corpore; quorũ unum imperat sm naturã, nẽpe anima; aliud paret,

In Preolog. lib. 1. de anim.

tomo. 1. ope. hom 8. in ge 1 2. & 5. lib. de i ni. bo 1. & m al. lib. 1. p litic. c. 3.

nempe

nempe corpus. Quæ & sequitur Plutar. Quamobrem duæ in homine cognoscendæ naturæ, animæ unam, corporis alteram, quas sola discernentes intelligentia, & distinguētes contemplatione subtilissima uelut etiam imaginatione animi continentes, non sequestramus adinuicem, nec eas reciproca uirtute partimur, sed unius esse prorsus animaduertimus, ita ut iam duæ, non amplius duæ sint, scilicet quod unaqueq. secundum se subsistat, quinimo utraq. vnū animal faciat, ut scribit D. Cyril. Alexandrinus. Sic anima rationalis & corpus unus est homo, ut ait Athanasius, & utrumque Deus creauit in uno supposito, iustissimis rationibus, Atque ut probat D. Greg. Nazianze. homo & corpore & cælesti spiritu compactus, ut quando propter imaginis formæq; præstantiam efferemur, luti, materiæque humilitate deprimeremur. Ex luto enim Deus creauit corpus, sed tanta admirabiliq; præstantia, ut sapientiæ & scientiæ eius, ex opificio perpetuo nobis relinquatur admiratio, tam concinnæ compositionis, mirabilem Deum fuisse solum opificem, ut late docet D. Cyrillus Hyerosolimitanus Episcopus. Sunt enim in hominis corpore certæ tam admirandę partium connexiones, & usus membrorum insignis diuersorum, subtilissima structuræ colligatio membrorum, ut scribit Irenæus, tercentorum uiginti quatuor, ut non nisi supernaturalem artificem horum authorem credere cogāt. Iungitur huic thesaurus, anima scilicet, corporis infinitus, quæ uasibus fictilibus, ut ait Paulus, continetur. hinc opus eximie formatum & affabre factum, miro decore & pulchritudine celebre, a Deo, qui quidem homine non indigebat, sed ut haberet in quem conferret sua beneficia, ut scribit idem Irenæus, huius pars una, nempe anima creata initium habuit, finem uitæ tamen habitura non est, quod ad substantiam pertinet, immortalis, corporea autem altera pars hominis est mortalis, animata, & suffulta, ex indita anima. Ideo eius pars nobilior hominis, anima inquam, homo uere dicitur: quoniam Deus inspirauit ei animam quæ operatur, & insufflauit ei spiritum uitalem. Et rursum formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem. Et inde pendet nobilitas illa hominis, supra

pol. c. 3. libello de uirtu morum. epist. ult. ad Success sum Isaiæ Episcopum in symb. fidei. oratio de pauperibus amandis. Genes. 1. catach. 4. illumi. li. 1. contra hæreses c. 14. li. 4. contra hære. cap. 28. ut scribitur sap. c. 15. uers. 11.

upra reliquas creaturas. Planta ſiquidem cæleſtis, homo quæ quantum figura, forma quæ corpore cæteris antecellit, tantum dignitate animæ præſtat: hic caput animalibus cunctis ad humum pronum ad uentrem reſpicit, uoluptatem omnibus modis proſequitur, caput hominis ſurſum in cęlum exurgit, oculique ſupera non terreſtria contemplari accomodi. Vt ſi quando aliquis carnis, & corporis ſtimulis ſuccumbat, uentrique & his quę ſunt ſub uentre inſeruiat, comparabitur merito iumentis inſipientibus, quia ſimilis factus eſt illis, ut magnifice ſcribit uere regius antiſtes Baſilius magnus. Et ut ait D. Auguſtin. duæ ſubſtantię quidem in homine ſunt, una corporis cum ſuis ſenſibilibus, alia animæ cum ratione, ſed corpus nihil operatur ſine anima, ſine corpore autem anima ratione ſua agit. Quare & Plato exiſtimat nihil aliud eſſe hominem, quam animam. Et alibi idem Plato ait, ἡμεῖς ἐσμὲν ψυχὴ ζῶον ἀθάνατον, ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ. i. nos ſumus anima immortalis q̃ incluſa eſt in mortali loco minuto. Cui adſtipulatur Arnobius, quid, inquit, aliud ſumus, quam animæ corporibus incluſæ. Atque Hæbreorum præcipui, partem immortalem hominis, nempe animam præcipuam, uerum eſſe hominem arbitrantur, corpus uero quaſi hominis eſſe indumentum, ut ſcribit Euſebius Pamphil. & Ariſtoteles. Sed clarius ſacræ literæ in homine duplica conſiderant, id quod exterius apparet, quod carnalem dicunt & exteriorem hominem. & quod interius eſt, nempe animam, quam uocant interiorem hominem. Ad imaginem Dei homo interior, nempe anima, creatus eſt, non homo exterior. Cum Deus ſit ſpiritus, iſque omni mole corporis careat, inquantum Deus ut notat D. Ambroſius. quanquam aliter alij, ſed alieni ab eccleſia catholica pro hæreticis iudicati, ſenſerint, corpus ſcilicet ad imaginem Dei creatum, quę eſt Anthropomorphitarum hæreſis introducta ab Andeo quodam & genere & lingua Syro, ut ſcribit Nicepho. Caliſt. dixit porro ſacra ſcriptura caute ad imaginem Dei & ſimilitudinē Dei, factum hunc hominem, ut doceret non ex natura Dei illum eſſe, quia ad imaginem, hoc eſt ad ſimilitudinē imaginis Dei, imago autem Dei uera eſt filius Dei, Deus ipſe, ut ait Paulus. Nos autem non imago Dei, ſed ad ima-

homil. 9. li exame.
lib. de eccleſ. dog. mat. c. o
lib. 5. in Alcib. 2. ſiue de natura ho.
l b. 37. in axiocho.
lib. 2. cōtra gentes.
lib. 2. de præpa. euāg. c. 2.
lib. 4. politic. c. 5.
tomo 1. lib. de inſtitut. uirginis. c. 2. & 3.
lib. 11. c. 14.

sancti participationem, animæ hominis impositam credimus. Creaturarum enim per spiritum perfectio est hūc ad imaginem Dei factum asserimus, quoniam participatione Spiritus sancti ad Deum formatus sit. Sed quem spiritum Moses per sufflationem datum homini asseruit, hunc rursus Deum per resurectionem renouans in nobis insufflauit discipulis suis dicens, accipite Spiritum sanctum, ut reformati ad pristinam imaginem, creatori conformaremur per participationē Spiritus sancti. Hactenus Cyrillus Alexandrinus patriarcha. Mandarunt etiam literis Ethnicorum philosophi animum hominis quiddam esse diuinum, in quo rerum pene infinitarum essent cognitiones, & diuinationes, ut scribit Cicero. tum Plato uoluit homini cum Deo esse appellationis parilitatem, consortiumque naturę, ut ob hanc participationem dij homines in sacra scriptura dicti sint, participes eorum quæ Dei sunt, id est agentes quæ Deus agere solet, cum tamē unus sit Deus natura. Eadē & fere censuit Apollon. Thianeus, ut scribit Philostratus, sic enim ait, quod sit hominibus cum Deo quædam affinitas per quam solum in animalibus Deum homo cognoscit, & de propria natura philosophantur, & in quo diuinitatis est particeps, formaquæ, ut aiunt, Deo similis est: uirtutesque a Deo colligit hominibus prouenire. Hac nos imagine etiam capaces sumus scientiæ, imo scientes: & quanto quis puram nitidamque hanc conseruat, tanto prętantius cognoscit, dijudicat, & altiora & secretiora penetrat, ueluti quadam cum Deo omniscio, familiaritate consuescēs, & ab illo hauriēs eo radiorum diuinitatis capacior, quò puritate Deo magis coniungitur, sicuti in cœlesti illa hierarchia, teste diuo Dionysio Areopagita, proximiores ordines Dei contemplatione, Deo proximiores, secretiora, a Deo ueritatis rerum speculo & prototypo perfecto, hauriunt & cognoscunt: quare & Deo uiciniores, rursum Seraphim dicuntur, id est, scientes uel ardentes. Constat etiam antiquos, qui mundam & impollutam transegerunt uitam, non eguisse doctoribus uel literis, siue scientiarum scripturis, sed literarum loco gratia Spiritus sancti usos. Nam & Noacho & Abrahæ, Iobo, & Mosi, per semetipsum locutus Deus est, nō per literas, quia scilicet munda eorum

lib. 2. de fin. bono. aut. malorum. In Timęo.

lib. 7. de cuius uita cap. 3.

corda repererat. Postquam autem populus Iudæorum, in uitiorum ima delapsus est, necessario iam inde literæ datę ac tabulæ, & ea, que per eas tradita est admonitio. Et hoc non tantum probis uiris prioris sacrosancti testamenti, sed etiam noui, accidisse legimus. Siquidem nec apostolis scriptũ aliquid tradidit dominus noster Iesus Christus, sed literarum loco Sancti spiritus gratiam, se illis daturum repromisit. Ille. inquit Spiritus paracletus, quem mittet pater, suggeret uobis omnia. Et rursum, aute reges & principes ducamini propter me in testimonium illis, & gentibus: cum autem tradent uos, nolite cogitare quo modo aut quid loquamini; dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini: non enim estis uos qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis, ut scribitur apud D. Matth. & apud Lucam Spiritus sanctus docebit uos, quid oporteat uos dicere. Quomodo autem docuerit illos, habetur in historia Apost. dum in die Pentecostes repleti sunt discipuli & Apostoli domini nostri Iesu Christi spiritu sancto, & cœperunt loqui uariis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Quocirca & D. Paul. an experimentum quæritis eius, ait, qui in me loquitur Christus. Et D. Lucas scribit, Christum aperuisse discipulis sensum, ut intelligerent scripturas, hæcque longe ante facienda Deus pollicitus erat etiam. Is enim cum parcere peccatis, & lapsum primi hominis reparare decreuisset, infirmitatem ẽt imaginis stabilire decreuit, & obscuratũ intellectum purificare, sua absque meritis nostri gratia. Sic enim scribit Hieremias, hoc erit pactum quod feriã cum domo Israel, post dies illos dicit dominus; dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribã eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum, dicẽs, cognosce dominum: omnes enim cognoscẽt me, a minimo eorũ usque ad maximũ, ait dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum nõ memorabor amplius. Quod & D Paul. impletũ testatur, Vos epistola, estis Christi, ministrata a nobis & scripta, non atramento, sed spiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Vidimus etiam Apostolos antea piscatores, uel telonio, uel pellibus addictos, eo spiritu reple-

Ioa. c. 14 d. uer. fi. 26
c. 10. uer. 18. 19. 20. c. 12. uers. 12.
Act. c. 2. a.
2. ad. Co. epis. c. 13 a. uersi. 3
ca. 24. g. uersi. 45.
epis. 2. ad Cor. c. 3. a uerbo. 3.

pletos & edoctos, menteque purgatos, supereminentis doctrinæ gratia facundiaue repletos: atque tantæ doctrinæ præstantia, omnium dogmatum errores, gentilium, Græcorum, Persarum, Chaldæorum, Indorum ue detexisse & perdidisse, arcanorumque incognitorum adyta reserasse: & toto orbe terrarum breui tempore, omnium philosophorum sectas superasse, & ad sanctissimam ueramque philosophiam, calcatis erroribus, impijs, cælesti ueritatis lumine illustratos, adduxisse, ac simul & per uniuersa latissimi orbis loca, doctrinam atque philosophiam ueram suam firmis radicibus plantasse. Non alia ratione, quam quod semina doctrinæ illius, ab illustrata mente & purgata, recepta fuerit, post missionem spiritus sancti, & reparationem imaginis per Christi passionem, ueritate ipsa ab ea eximia potentia hausta, quæ uere per se, apud omnes homines rationis capaces, uisa est eiusdem efficaciæ; uel uti & quæ uera sunt apud omnes, non aliter quam ut sunt, se habere possunt. Quod non ante illud lumen spiritus sancti receptum contigerat apostolis nosse, quibus & Christus dixit: Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem uenerit spiritus ille ueritatis, docebit uos omnẽ ueritatem. Vis autem scire hũc spiritum ex Dei imagine esse, audi quid his subiungatur. Non enim inquit, Christus Deus, loquetur a semetipso, sed quęcunque audiet, loquetur, & quæ uentura sunt annunciabit uobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit uobis. omnia quæcunque habet pater, mea sunt. Propterea dixi uobis qa de meo accipiet, & annunciabit uobis. Et forsan hoc in loco non inutiliter D. Bernardus citabitur, Homo, inquit, ad imaginem Dei creatus est & similitudinem, hoc est ad intellectum & meditationem filij, perquem intelligimus, & cognoscimus patrem. & accessum habemus ad eum. Mens siquidem nostra eo ipso imago eius est, quo eius capax est, particepsue esse potest. Nec tam simile est illi summę sapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam & uoluntatem, in illa trinitate ineffabili consistit. Ex quibus duo colliges, nostram imaginem esse ad intellectũ & contemplationem filij; secundo Trinitatis sanctissimæ in nostra mente esse imaginem. Quid autem est, qua so,

Ioann. euange. c. 16. B. uer. 12. et 13. in d. c. 16. D. Ioan.

in medit. suarum princip.

Dei contemplatio, & filij Dei, quam rerum omnium cum eius cognitione, dilucida cognitio? omnia enim pater cũ filio nobis donauit.

Et in mente diuina & in Deo ipso, omnes res ueluti in idearum omnium prototypo & authore, relucent, ut in ipsissima ueritate. Vnde qui Deum cognoscit, cognoscere ue potest, qualis est nostra mens, statim in illo omnia perfectius, quam ex qualibet alia arte cognoscet: & per consequens, uerae sapientiae & scientiae fundamentum est, Deum nosse, Et tunc non tantum existentia, sed & non existentia, nempe praeterita & futura assequetur: quia cognoscendo Deum qui perfecte res nouit antequam sint, & illas etiam in eo ut splendido & nitidissimo speculo uidebit. Quare aliquando Prophetae uocabantur uidentes, quod Deum ita uidentes, ad consulta responderent. Et olim vnusquisque, inquit textus, in Israel sic loquebatur si consuleret Deum, Venite & eamus ad uidentem: qui enim propheta dicitur hodie, dicebatur tunc uidens, & prophetia uisio; ut uisio Esaiae prophetae. Et rursum, nunquid non populus a domino requiret uisionem? Et iterum, Prophetae eius non nouerunt uisionem. Et alibi, quia locutus est dominus in uisione sanctis suis. Nec reticenda praestantissimi uiri sententia, qui expertus, locutus est fere omnino analphabetus, sed omnium rerum & futurorum apprime scius. Is fuit Beatus Antonius, summus uir & heremi cultor. Hic enim uirtutem ullam non esse docuit futura praedicere, quod e diuerso in uitio non sit positum futura non posse, ut ob hanc rem quis poenam metuat; Caeterum unum illud beatitudinis uere existimabat: Rite Deum colere, legesque eius & mandata inuiolata seruare: si cui autem amor futura cognoscendi incessat, puram, inquit, modo habeat animam, & futuri perspectio eum consequetur, Deo ueluti per speculum aliquod, cognitionem exhibente. Existimabatque uanum, quod in praesciendo ponebatur studiũ, cum tamen ille ualde ea praedictione polleret, ut etiam multo ante praedixerit Arrianorum persequutionem, ut haec omnia de illo scribit Sozomenus, & postea Nicepho. Calist. Cassiodorus. Et meminit de eius praedictione D. Chrisost. Itaque puritas haec mentis ad Dei cognitionem

ad Rom. cap. 8.

ut scribitur. 1. Re. cap. 9. b. uers. 9.

Esaiae. 1. cap. 8. d. Iesa. Threnorum. c. 2. c. uer. ut Psal. 88. d.

nem ex terræ fæcibus ſubleuata, prophetas, & ſecretorum, & futurorum ſcientes reddidit. Et Paulum plenè docuit, qui non ab hominibus neque per hominem, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti ſe accepiſſe teſtatur. Notusq; Saul & Dauid ex paſtoribus vates facti, cognoſcitur Salomon, vnica infuſione ſecreto omnium edoctus: agnoſcuntur, & reliqui uates ex paſtoribus & agricolis facti. Illuſtris Dauid ſubito incognitorum interpres. Nonne & primus homo Adam ante peccatum rerum omnium cognitio nem habebat? Neque de eo quiſquam dubitat: uel ſi illud neſciat, diſcat ex Geneſi eius. Scribitur namque de eo, hominem creatum ut præeſſet, & dominaretur piſcibus, & alijs rebus a Deo creatis. item rurſus omnia ad Adamum iſtius imperij confirmandi, & ueluti obedientiæ præſtandæ uel firmandæ cauſa a Deo, uel angelis ducta, ut uideret quomodo uocaret ea. Nomen namque rei cuiuſque tale eſt, quale Adam impoſuit. Quæ duo, nempe gubernare, imperareue, & nomina ſingulis imponere, non niſi eximiam, & perfectam notionem demõſtrant. Fuit autem conceſſa gubernatione, & poteſtate neceſſarium, ut ſcientia gubernandi tribueretur. Nec enim aliter ſine ea præeſſe bene potuiſſet, ſi quæ ſingulis expedirent, non noſſet: non enim eadem regula omnia regun tur, ſed ſecundum cuiuſque naturam, propria cuique applicantur & conuenientia. Denique nominum ſubſtantialis ratio haberi non potuit, ſine cognitione ſubſtantiæ, alias enim temerè & extra uim nominis quod rem indicat, dicta nomina fuiſſent. Quod quidem longè abeſt a priſca primaque nominis impoſitione, quæ ſtatim apud Hebræos naturam demonſtrat, apud Hebræos dico, quia hi utuntur idiomatæ, quo uſus creditur Adam. Et ita probat Euſebius Pamph. Et hoc etiam nuncupandi more accommodato rebus, uſi ſunt poſteri eius linguæ. Exempla penè infinita, id nos docere poſſunt. Ipſe namque Adam, quia ex terra creatus, Adam dictus, quòd Adama, Hebræis ſignificet terrã rubram. Et prima fœmina, eo ꝙ mater ſit omniũ uiuentiũ, Cheua dicta eſt, i. uita. Abel, qui occiſus, luctum ſignificat. Seth, quaſi poſitus in locum Abel, quia Sathach, id ſignificat, dictus Enos quaſi uir dictus. Nohah quaſi conſolãs, quia ipſe conſolatus eſt populum. i. in dilu

In hiſt. tripar. li. 1. c. 11. tomo 2. operũ ho mil. 8. in Math. Epiſt. ad Gala. c. 1 verſ. 12.

Gen. c. 1. ver. 28.

lib. 11. de præpa. Euange. c. 4.

Geneſ. 1. & 2.

se non recordaretur,si de corporis nuditate intelligamus. Sin autẽ de innocẽtiæ statu intelligamus, & eum eo se nu dum esse dicamus congnouisse,ignorantiam certe ex pec cato acquisitam& casum,& sic imperfectionem imaginis & de nigrationem fateamur,expedit. Vt autem explicem supinam illam & rudem ignorantiam,quæ ei post contumatiam obtigit,considero pœnam impositam præcepto prohibitionis,& sententiæ executionem:dixerat namqne Dominus,in quacunque hora comedetis,morte moriemi ni.Moriemini,priuationem uitæ indicat,separationẽ animæ & corporis,quibus constat homo: uita autem animæ est Deus,quia insufflauit,& participes facti sumus Spiritus Dei,modo quo docuimus.unde & Paulus,uita uestra abscõ dita est cum Christo in Deo,cum autem Christus apparue rit uita uestra, tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Atque Deus uita dicitur,sic enim ipse de se testatur. Ego sum uia,ueritas & uita. uitaque Deus omnium,quod uiue re omnes ab ipso accipiantur.uita autẽ illa quę eius,omni uita superior,est nullius indiga.Nam & ipse uita dicitur & super omnem uitã,uitæ author,excelsiorque uita, ut rite philosophatur D.Dionysius Areopa.Et D. Ioannes in euã gélio,quod factum est,in ipso uita erat,& uita erat lux ho minum.Et rursum,Ego sum panis uitę.Et iterũ, qui habet filium Dei,habet uitam, qui non habet filium Dei,etiam uitam non habet.Sic Moses,Diligas dominum Deum tuũ atque obedias uoci eius,& illi adhæreas:ipse enim est uita tua.Et alibi, in ipso, inquit Paul. uiuimus & mouemur. Quod ante ipsum, unus gẽtiliũ Aratus, dixerat:Et omnia quæcunq;sunt,uiuunt,eo Dei fulcimento,& præsidio eius subsistunt.Cũ spiritus domini repleuerit orbem terrarũ,& omnia in essentia cõtineat,sicuti dum aufert Deus rebus spiritum suum,omnia in puluerem suum,& ad nihilũ re uertuntur.Eodem & spiritu verbi domini, omnis uirtus: replet namq;omnia.Sic enim hymnographus,quo ibo ab spiritu tuo? si ascendero in cælum,tu illic es:si in infernũ, ades.Et Virgilius.

Principio cælum ac terras,camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ,Titaniaque astria.
Spiritus intus alit,totamque infusa per artus
Mens agitat molem,& magno se corpore miscet.

ad Cor.3. a. uer.3. & 4.

Iohan.6. 1.Ioan.5 Deutero 30.d.uer sic.20. actuum. 17. in Phæno menor Princ.7. Psal.33. Psal.1.c. 3. ut Psal. 138. Aeneid. ib 6.uer. 724.

Inde hominum, pecudumque genus, uitæque uolantum.
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis uigor, & cælestis origo.
Seminibus.

Quod & apud alios, qui aliquod numen uenerati sunt, cōstat, ut Platoni & sequacibus, ijsque potissimum, qui uitæ authorem norunt. Porro non æqualiter uis diuina, nec pari modo omnibus inest, sed aliter rebus corporalibus non uiuentibus, aliter plantis, aliter hominibus, aliter brutis; & alia præ alijs Dei maiore beneficio potiuntur, prout nobiliorem sortita sunt & capaciorem naturam, & ultra naturalem quandam & realem subsistentiam, egent ad illius naturæ perfectionem, Dei adhuc continuo auxilio. Sic anima, cum immortalis substantiæ sit, tamen ad uiuificandam & nutriendam illam substantiæ efficaciam, ad actus ad quos a Deo creata est, eget Dei perpetua gratia, ut eius ope actus exequatur. Vt enim corpus quantumuis animatum sit, sine cibo non potest diu uiuere corporali, eoque sublato obnoxium est interitui, neque quicquam probi operari ualet, macie, medullis & corpore debilitatum, & sic non fungitur suis actionibus, pro mortuo habetur: Sic anima, quanquam sua natura uiuat, tamē nisi cibo spirituali & ueluti quadam Dei participatione utatur, sterilis & obnoxia interitui ratione actionis & beatitudinis fit, priuatione cibi sui, & defectu luminis. Nec ex solo pane uiuit homo, sed ex omni uerbo quod procedit ex ore Dei. Quæ autem procedunt ab eo adorando ore, sunt præcepta eius, & quod uoluntatis eius est. Scribiturque, Quærite Deum, & uiuet anima uestra. Et cognitio Dei dicitur uita æterna, hæc est enim, inquit Christus, uita æterna, ut cognoscāt te Deum uerū, & quem misisti Iesum Christum. Ita a Deo duas uitæ trahimus uitas, vnam quod simul, essentiamque propriam habeamus: sic in eo, & omnia quæ sunt, uiuunt, quæque sua proprietate subsistunt: alia hominis diuinior, qua is Deo fruitur, ab eo consolatur, illustratur, beatusque tandem fit. prima uita essentiæ, quod ad animæ substantiam pertinet, non interit, quamuis intereat homo, corrupto corpore, & solutione facta corporis & animæ. & corporis in quatuor eleementa ex quibus componitur.

Deutero. c.8. Mat. 4. Ps. 68. uer. Ioa.

Quod

Quod ad secundam pertinet uitam & Dei illuminationem & fruitionem, declinante anima a Deo per peccatū, ratione priuationis, mori dicitur. i. separari a Deo. Quoniā qui elongant se a Deo, peribunt. Et anima quæ peccauerit, ipsa morietur, ut proprio libro latius docemus, ubi agimus de immortalitate animæ. Ex quibus dicimus peccatum ad mortem, & peccatum non ad mortem cum D. Ioāne. Siquidem cum mundum & immundum, iustum & impium sint sibi cōtraria, & uita & mors, & nemo possit duobus dominis seruire, fieri non potest ut, cum peccatū adest animæ, admisso Sathana impurissimo, Deus simul in nobis reperiatur. Nec possumus Deo uiuere, nisi antea peccato moriamur, ut ait D. Ambr. Et nisi quis dissideat a diabolo, pacem non habebit cum Christo, ut scribit D. Aug. Recedit. n. spiritus Domini ab anima illum abnegāte, & ea contaminata, tumq. occupatur a Sathanico spiritu. ueluti cum Saul, recedente spiritu domini bono, obsessus fuit a maligno. Recedit autem Deus non potentia puniendi, essentia uel præsentia, quia eo modo is est semper ubique: sed gratia, quia peccatum & iniquitates, diuisionem constituunt inter illum & peccatores. Et Deus longe est ab impiis eo modo. Et quia interdum cum peccato mortali, Deo non reconciliati ab hac uita mortali decedūt aliqui, mors illa animæ, priuatioq. fruitionis gloriæ Dei, animā perpetuo sequitur. Nam ubicunq, ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad aquilonem, ibi ardebit. Et quo in statu reperietur anima a corpore discedens, in eo iudicabitur. Est. n. tunc tempus post mortem, supplicij uel gloriæ: hic autem quandiu uiuimus, potest esse facultas resurgendi & recōciliationis cum Deo: quocirca mors illa in mortali illo peccato decedētium, dicitur etiam æterna, quę & mors secunda dicitur in Apoc. Nam prima mors dicitur dissolutio corporis, & separatio animæ, a qua transeunt quidam in uitā æternā. Qui credit in me, transibit, inquit Christus a morte in uitam: alij in mortem ęternam, hiq. perpetuo uisione, & fruitione Dei priuati, cum Sathana torquendi adiudicātur. Ergo uita priuatus Adā ob peccatū, priuatus Dei familiari uisione, a quo seipsum abscōdit, & cōsequēter & scientiā, quā nactus erat a Deo, peccato obscurauit, ueluti opposita nube & tenebris acięi oculorum mētis, &

Psal. 72. Ezech. 18 1. epist. Ioan. 5. d to. 4. li. de Ioseph. c. 14 qō. 92. in nouū test. in lib. 1. Reg. 18. uer. 10. Esa. 59. Prou. 15 Apoc. 4. Ioan. 5.

imagini Dei, nempe intellectu, uoluntate & memoria obnubilatis. Vis adhuc de his dilucidam probationem? considera. crassissimas ignorātiæ tenebras post peccatum illius, cum latitare se putaret, tanquam si Deus omnia & ubique intueri nesciret; de in considera tempus & locum, ubi se abscondi posse putabat, nempe in meridie, in quo radij luminis fulgentissimi, etiam oculis carneis & lippis posita clare detegebāt quælibet. Ab eo tēpore imago Dei in Adamo, & in his qui postea ex primis parētib. propagati sunt, remansit obscurata & tenebris uelata, illa tamen quæ ab eo indita est, remansit imago Dei in eo & posteris, siue fuerint ij Ethnici, siue Iudæi, quibusdā tamen minus, aliis magis obscurata. Relicta namque etiam post peccatum, & incredula anima, & per consequens imago Dei, quæ in ea est mens, ratio, & eius facultates uel potentię & sciendi & intelligendi & Deum cognoscendi Hanc imaginem Dei, pro arbitrio libero, nunc iuuante gratia expeditiore, anima uel excitat uel sordescere patitur, uel naturalem potentiam sequendo. uel contemnendo. Nā, ut ait D. Basilius magnus, Cum condebamur, hoc nobis inditum est, quod ad imaginem Dei facti sumus: ex proposito uero nobis acquiritur, ut similes Deo reddamur. Illud uero secundum propositum potētialiter nobis inest, effectualiter autem nos ipsos impellimus. Et nisi præueniens nos, dixisset qui fecit nos dominus, faciamus, & ad similitudinem nostram, nisi ad hoc ut ad similitudinem Dei efficeremur, potentiam nobis largitus esse, ex nostra utique potestate similitudinem Dei nō fuissemus adepti. Habeo igitur ex creatione illud ad imaginē, fio autē ex proposito, illud ad similitudinē: gratia illa propter quam tibi corona cessit, partim tua est. Si enim totum tibi dedisset opifex, quo nā pacto tibi fuisset apertum regnūm celorum. Nūc autē hoc quidem datum, illud autem imperfectum relictum est, ut post quam teipsum consummatum reddidisti, dignus habeare qui mercedis retributionem accipias. Hęc Basilius. Laborandum igitur nobis est in colenda & excitāda imagine & potentia, postquam a perfectione prima desciuit homo peccato, perpetuoque eius rei causa ratiocinandū. habemus agrū fęcundum a natura & a Deo primum datū animæ, mentem nostram omnium scientiarum capacem,

libr. exameron homil. 11.

hanc

hanc ab omnibus ruderibus purgare & spinis & alijs quæ semel suffocant, debemus, & ei negotio curam omnem adhibere, si segetes uelimus produci, inde & metere. Nouit id Hippocrates, dicens, Nostra natura seu ingenium, tanquam seges & ager est doctorum uero præcepta dogmata ue, semina sunt: disciplina autem & scientia puerili ætate comparata, est suo tempore semina in segetem agrũ que sationi paratum iactata fuisse: locus autem quo discitur, nutrimentum est aeris quod segeti & satis accedit: laboris uero cupiditas, est opera, tractatio ve, & subactio agelli: tempus autem hęc omnia corroborat, planeque nutrit. Est namque in anima aliquid duplex consideratum, anima ipsa, & uis animæ; in anima uiuere, in eius ui bene uiuere. Vt etiam notauit Aristot. Sic anima etiam existimatur, ueluti tabula rasa, & quædam papyrus, in qua licitum sit describere bona uel mala, cum ad utrumque semẽ ueluti ager, uim quandam producendi exerat. Atque, ut scribit Maxymus Tyrius. anima habet rerum omnium expeditissimum atque ocyssimum motum, utpote quæ sit conglutinata ex mortali & immortali natura, & ob eã partem quam a mortalitate desumpsit, sub brutali natura censenda sit. nutrit enim, auget, mouet, sentit: ob immortalitatem uero, ad diuinitatem accedit, quæ scilicet cogitat, ratiocinatur, edíscit, atq; efficitur sciẽs. Quatenus autẽ natura ipsa mortalis cũ immortalitate cõcurrit, id omne dicitur prudentia, medium uidelicet quiddam existẽs inter scientiam & sensum. Estque sensus animæ functio, quatenus irrationalis. sicuti mens, animæ functio, sed quatenus est diuina: harum media est prudentia, & ipsa eiusdem animæ functio, sed quatenus est humana: sensus enim experientiam colligit, rationem prudentia; mens uero stabilitatem. Id igitur quod ex his omnibus harmonice cõpositũ est, scientiam uoco. Sunt aliqui, qui sensualem, irrationalem, corporalemue partem tantum excollunt, & corporea tractant, hi animales homines, qui non percipiunt quæ sunt spiritus, præsentibus tãtum & apparentibus contenti, & curis seculi impliciti, spinis omnino referti, & passionibus animæ dediti: unde anima quia sana non est, sed his affecta & morbida, neque libere circa rerum contemplationem uacare potest. Cum sanitas animæ sit imper-

li. seu fragm. de lege.

hecaton. tade 2. de chari. hacató. 1

perturbatio mentis,ut ait Thalasſius monachus,unde ut idem ait,ſi uelis imperare animę,& ſcire, circuncide ante omnia affectionum cauſas. Ideo ex antiquis etiam, qui cognitionem excellentem nacti ſunt,omnibus temporalibus & caducis renuntiarunt,philoſophiæ uacantes, palliolo tantum contenti,repurgabant mentes, earum rerũ contemptu,& ab earum ſolicitudine.Biaſque tantum ſua ſecum portare profeſſus:alius dolio incluſus Alexandrum contempſit:alius diuitias in mare iactauit.Alij omnino a uulgari,& prophana turba procul ſe ſepararũt,quorum exempla & nomina tam nota ſunt, ut ſuperfluum ducam cognita pasſim referre. Sed & plures uſi ſunt proprij corporis caſtigatione,diſponentes organa, quibus anima liberius abſoluta a mole corporis, omentoque terreſtri,imperaret,& fungi ſuis uiribus poſſet, abſtinentes a corporis ſatietate uoluptateq. terreſtri, leui curſu & quatenus naturalis necesſitas patitur,hæc humi repentia pertranſeuntes,&alia contemnentes,ut altius conſcenderent,ad creatorem mentem traducentes.Ob id abſtinuerunt alij animalibus,ut Pythagorici:plerique a uino,& ab alijs ciborũ generibus:alij a uenere: alij ab omni ſpecie corporea uoluptatis,purgantes ut ipſi dicebant, his modis animas, ut apud Iamblicum,& Porphyrium,&Proclum ſcriptum eſt.

de myſte. Aegyp. lib. de ab ſti. anim. de ani. et dæm.

Noſtri chriſtiani,patreſque præſtantisſimi, lauacro regenerationis gratiam a Deo imagini Dei coniungentes,pœnitentia,ieiunijs,lachrymis, & orationibus animæ ſordes eluentes,intelligentiam, ſapientiam & doctrinam a Deo deprecantur,& obtinent. Et quibuſdam modis ex his antiqui populi Iſraelitici,ut Salomon,Eliſeus, Hieremias,ſeptuaginta ſeniores,Moſi auxilio dati. Iis ſimiles de quib. iam dixi apoſtoli,ſanctique patres. Fuit & Hor nomine, Ægyptius abbas,qui literarum omnino rudis, cum illi oblatus legendus libellus fuiſſet, oratione fuſa legere cœpit,ut ait Marullus, Quod & de ſeruo quoddam triduo orante,Fulgoſius tradit.Sic Baſilius epiſcopus, Ephreno Siriæ ſolitatio, Græci ſermonis uſum impetrauit,oratione, a Deo. Sunt his alij ſimiles, de quibus nec mirandum eſt ſi a Deo illud impetrauerint, quod antiqui Ethnici, Deo permittente ab alijs indignis Dei titulo, impijs ſpiritibus ſe obtinuiſſe iactarunt, ſicut Socrates a ſuo bono dæmone,

li. 2. c. 2. li. 1. c. 6. Maru. li. 2. c. 2.

ne,Hesiodus a musis,item Thynicus qui iisdem afflatus, hymnum absolutissimum composuit, ut Euages pastor diuino numine repente comicus factus dicitur.Omitto reliquos θεοδίδακτος dictos,ut eum qui se a nimpha Aegeria nempe numen aliud qui a Ioue leges hausisse dicebant. Paulo inferius enim de his alia subiungemus, Deo fauente.

Rationes adferuntur, cur non omnibus cognoscendi eadem facultas datur, cur diuersi non similia sciant. Cap. VI.

SEd & ex superiorib.'reliquum succedit ordine latius enucleandum,cur lumen illud cognitionis naturalis,illudque supernaturale, non communicatur æque omnib. Cuius,ex iam examinatis uera datur ratio,quod non omnes homines modo pari disponunt animas, quamuis illæ eiusdem potentiæ,& imaginis sint, & quod alij corporalis magis,quam spiritualis partis sint soliciti,ideo nō omnes similiter & docti & scientes:sicuti agri eiusdem naturæ,& continentis soli diuersa cura exculti tamen, uberiores fructus,uel minores,& diuersos natura, & quantitate, proferunt.Sunt.n.causæ plures, quibus impediuntur animæ,omnia & æqualia scire.Et in primis illud indubie tenendum est,omnia homines scire simul non posse,ob rerum multitudinem,& uarietatem,& propter memoriȩ humanæ imbecillitatem imminuta ui eius peccato originali.secundo nec plene, & perfecte de singulis ut res se habent,potissimū cum de essentia quæritur,sciri posse,quāuis de omnibus scientiam haberi aliquam seorsum,&separatim his examinatis. dicimus tertio nec pari modo oēs intelligere, cum & cuilibet animæ ultra potentiam sciendi generalē,quædā insit a Deo particularis beneficij elargitio:& aliæ alijs sint excellētiores in naturalib. & donis, ad intelligendū,&memorandū habiliores,acutiores ingenio,& pspicaciores intellectu.Quod & in angelis qui spūs sunt,inueniri constat.Et not.in sententijs Patrū. Quarto corporum diuersitas,& dispositio differens,'diuersam sciēdi constituit causam,& promptitudinē,Melancholici nā-

magis.sen ten.li. 2. d.32.litera I.

que

quę ingeniosi sunt: Et magni, inquit Cicero, refert, quali in corpore animi locati sint. Multa enim in corpore existunt, quæ acuunt mentem, multa quæ obtundunt. Idque pro organorum & temperaturæ, & crasis corporeę tenore, quibus anima ueluti instrumentis optimis, melius utitur, uel iuuatur: non minus ac optimus faber instrumentis optimis, melius utitur, malè autem dispositis, & non accommodis, non optimè, ut uult artem exprimit. Et si quis cupiat de membris aptis ad mentis functionem plura uidere, legat Aristot. & Galenum, mihi enim non animo insidet, quæ tradunt transcribere, & sufficit admonuisse, corpus, ut instrumentum, respondere debere animæ, potissimum in partibus cerebri, in quibus functiones rationales sedē habere dicuntur, quæ liberæ, & absque offendiculo esse in ministerio debent, & quibus malè affectis præcluditur functionis uis, & bene dispositis, maximus patet ad intellectum aditus. Quo fit ut pueri, in quibus dominatur pars corporalis, quæ quodammodo obruit aciem animæ, uelu ti natura tunc laborante in formando corpore, non sint ita sapientes & ad iudicandum certi, quamuis uasa bene dispositа sint, idque ob abundantiam alimenti, quod natura attrahit ad corpus uegetandum, ex quo & mentis uelu ti opilatio & impedimentum, membris nondum ad functionem rationis ut oportet, consolidatis & defæcatis. Videmus & rusticantes & callibus laboribusve obduratos, sanguinis crassi & cutis bouinæ indociles ferè: sanguine autem subtili, & spiritibus agilibus plenos, dociles, interdum & morbis diuexatos doloribusque plangendis occupatos, & corruptis, uel non sanis animæ instrumentis, parum ad discendum attentos, imo & memoriam priorum, quæ nouerāt, amittere. Vt refert Valerius Maximus quendam Athenis uirum eruditissimum, cum ictu lapidis uulnus capite excepisset, literarum oblitum, quibus antea tantopere studiosè inseruierat. Vt Messalam Coruinum proprij nominis oblitum post ægritudinem testatur Solinus. Polyhist. P. Crinitus, Plinius. & alijs idem accidit & ob senectutem, quæ indisposita crasis est, & Georgius Trapezuntius omnium literarum Græcarum & Latinarum, oblitus, sicut & Franc. Barbarus, ut author Volaterra: Quod & contigisse ætate Ciceronis Orbilio Pupillo Beneuentano narrat

1. Tuscu. quæstio.

In physio. Tomo libello num anima sequatur tēperamentum corporis.

li. 1. c. 8.

lib. 6.

lib. 1. c. 10.

li. 7. c. 24

lib. 2. Anthropo.

narrat Suetonius. singulorum namque animantium functiones, proprias sequuntur potentias: instrumēta ante ipsas functiones ac bona, & in summa singulorum animalium bonum, in natiuis operibus consistit, opera autem in necessario usu, vsus in facilitate potentiæ exercēdæ, potentia in aptitudine instrumentorum, instrumenta in uarietate naturæ, ut scribit Maximus Tyrius. Quintò diuersitatem efficit intelligendi uictus ratio: nam quanquam organa sint bene natura disposita, tamen exteriora quædam accidentia ea obtenebrant. Siquidem, ut ait Claudianus,

lib. de illust. grāmat.

serm. 32.

Luxuries prędulce malum, quæ dedita semper.
Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus.

Atque Veneris assiduus usus interiores spiritus exhaurit, & cerebrum debilitat, redduntur q; omnes ferè post coitum animo tristiores, ut etiam notat Aristot. Exeunt quippe cum semine aliæ facultates, & ita corpus debilitatur venere, ut idem Aristoteles scribit, & Galenus, Venerem cerebrum lædere, & vires elidere, Cuius rationem reddit Arist. Nemo, inquit, antequam coire incipiat, caluescit, sed a venereo coitu id potius euenit. Cum enim cerebrum frigidissimum omnium corporis partium sit, tum rei venereæ vsus magis refrigerat, cum is caloris sinceri naturalisque secretio sit: itaque cerebrum sentit meritò prius. Quæ etenim imbecilla uitiosaque sunt, causa parua, exiguoque momento immutantur. Et Plato etiā putauit semen esse uertebralis medullæ defluuium, ut notat Plutar. Sed & illam Venerem menti nocere idem Plato apertè scribit, his uerbis: Qui fluido stupidoque circa medullam abundat semine, utique arbor pluribus quàm conueniat fructibus grauida, nimia ubertate luxuriat, is profectò multis passim doloribus, multis item uoluptatibus in libidinibus ipsis, earumque fœtibus fructibusque affectus, per omnem fermè uitam, ob ingentes uoluptates doloresque insanit, ac furit: cumque huius animus propter corpus ęger sit atque insipiens, vulgo tamen non ęger, sed pro uoluntate sua, ut liber affectus falsò putatur, ueritas autem sic habet. Et Venereorum intemperantia maxima ex parte propter generis

li. problē. sectio 30 quæst. 1. lib. 1. de gener. animal. c. 18 Tomo 3. operū lib. 3. cōment. in li. 3 Hippocrat. de morb. uulgarib. circa finem. 5. de gen. anim. c 3 de plac. philos. li. cap. 43. li. 3 2. quæ Timæus inscribitur.

in Troad. act.4

neris unius habitum, per osſium raritatem in corpore lubricum madidumque, animi infirmitas. Quocirca & Euripid.

> *τὰ μῶρα ϖ' τάνυ ἐςὶ ἀφροδίτη βροτοῖς,*
> *καὶ τοὔνομα ὀρθῶς ἀφροσμύνης ἄρχει θεᾶς,* id eſt,
> *Venus recte eſt, id omne quod eſt ſtultum,*
> *Et rite nomen illi inſipientiæ inditum eſt.*

in hecub. li.2. Rhetor. ad Theo. 23

Atque idem Euripides alibi uenerem amentiæ præfectam eſſe dicit, ut eius etiam teſtimonium hoc citat Ariſtot. Alijque hoc probant, quorum ſententias omittimus. Sufficiunt nobis exempla, quibus docemur uiros in ſignio res, hac uenere etiam ſcientiam, & notionem ſui, & rerũ aliarum, oblitos fuiſſe. Nec quiſquam doctior Salomone. Is tamen a uenere, ueluti mente circunciſus, in idoli mere tricis ſuæ culturam fœditer lapſus eſt. Et qui Deo uero, & uiuenti templum prius conſtruxerat, aſſiduitate mulierũ irretitus, ueneri & idolis poſtea ædificauit. Vates Dauid pa ter eius, electus a domino, uenere Bethſabeæ faſcinatus, homicidium una cum adulterio admiſit. Num aliquis for tior Sãſone. In cauſam ſuæ fortitudinis quam ante tacuerat ex capillorum fato pendentem, non ſecus ac regnum, niſi ex capillo purpureo apud Ethnicos, tandem ueneris ueneno infectus, detexit & amiſit. Veluti & hæc eadẽ Nino imperandi peritiam, ſceptrumue e manibus excuſſit, columque & fuſum, & penſa ſubſtituit. Hæc etiam Herculi, pro claua, quam nec famoſi latrones, nec leo ferox, non hydra multicollis, non triceps cerberus, nec alia monſtra eripere potuerant, penſum & fuſum digitis aptauit, cum conſuetudinem Ioles ſequeretur? Et alij plures huiuſmodi, quos lubens prætereo. Et probant exempla quotidiana amaſiorum, qui ſauciati hoc dulci, ut aiunt, ueneno, ueluti animalia irrationalia muta, quæ ſecundum Plinium, & Ariſt. coitus tempore maxime ſæuiunt, miro modo mente uacui uidentur, & fere phanatici, proprium commodũ contemnentes, prodige omnia profundentes, a curis neceſſarijs, honeſtiſve actionibus uacui, uaniſſimi, nebulones, uerique proci Penelopes, nihil ultra quam ueluti por ci lutum fœtidum meretricum tractantes. Tales obuiam paſſim, iuuenes uere quidem, tempore quo rebus indagandis, atque litteris euoluendis uacare deberent, die noctuue

3. Reg. 11

2. Reg. 11 & 12.

Oui. li. 8. Metam.

Iud. 11. ut habetur apud Iuſt. li. 1. hiſtor. & alios.

ut ſcribit Oui Metam. li. 9.

ve muficis inftrumentis, & mellitis cum ueneno illo fermonibus, omne tempus obterentes: & quod peius, idolo ueneteo femper intenti, fiue bibant, fiue manducent, fiue cubent, mente in funeftantes, ut nihil aliud cogitent, non fua nec feipfos, phanatico quodam morbo cathenis ignorantiæ, & turpitudinis arcte conftricti. Et ut femel dictum fit cum Ofea, fornicatio, uinum, & ebrietas aufe-runt cor. Nec quicquam, ut ait Seneca, tam mortifetum ingenijs, quam luxuria. Quia perfectio intellectualis in homine, confiftit in quadam abftractione a fenfibilibus phantafmatibus: & quo magis mens hominis fuerit libera ab his, eo citius intelligibilia affequetur, & omnia fenfibilia in ordinem deducet. Idque docet D. Thomas. Et oportet intellectum qui optime intelligit, uidelicet rationem animæ, immixtum neque alligatum alicui rei effe, cum natura fua immixtum effe oporteat intellectum, ut fcribit Ariftoteles. Quæ & dicta uolo de uoluptatibus reliquis corporeis, & brutis, quæ & uim intelligendi fuffocat, uel comprimunt, ut late docet Lactantius, Adftipulaturq. D. Cyrillus patriarcha Alexand. Voluptates & uariæ affectiones, inquit, admiffæ, cor, & dignas cogitationes ab omnium mentibus auferunt: blandiffimæ namque domi næ funt, ut ait Cicero, uoluptates, quę maiorem partem animæ a uirtute detorquent. Siquidem quæ fenfualia fūt & dulcia funt, eaque anima tunc fequitur, impeditque cō filium uoluptas, ut idem Cicero ait rationi inimica, ac mentis, ut ita dicam, perftringit oculos. Ideoque, ut alibi ait, fubmouenda, ut recta fequamur. Et philo iudæus cenfet, in rebus non effe duo tam contraria, quam funt uoluptas, & fcientia, illamque intellectum corrumpere docet alibi: Omnino enim, inquit, fcire oportet, quod uoluptas tanquam lafciua meretricula amatorē appetit, quærens ftupri confiliatores, per quos illum, feu hamo capiat. Sunt autem huius cupidinis fequeftri fenfus, quos poftquam inefcarit, facile mentem fubiugat, quę res externus intro admittat, illis internunciis, & oftentantibus fingulorum formas, & ei fuum affectum imprimentibus, utque cera fimiles recipit per fenfus imaginationes, quibus comprehēdit corpora, quod per feipfam nō valet. Ea itaque ratione, & homines uim rationis amittūt, & cō-

c. 4. uer. 5.
in prin. i. lib. declamat.
2. 2. q. 15 ar. 1
li. 3. de anim. c. 4.
lib. diui-na. inft. 6 fiue li. de uero cultu, & c. 20. & fequen.
in Cat. maiore.
2. de fini.
To. priore ope. li. qđ Deus fit immutab.

templandi facultatem, ueluti tyranno cuidam mancipati & brutis similes facti. Nihil enim interest, ut dicebat Socrates, inter hominem incontinentem, atque uoluptate notatum, & pecudes. Sunt namque hæ uoluptates sensib. quibuscunque communes, & animalibus brutis. Vnde & homines nihilo ab his, iisdem utentes, contemnentesque ueras animi ex doctrina uoluptates, differre uidentur, ut docet Gellius, & Macrobius. Quin & animales illæ uoluptates furiosæ, animas nostras perturbant, & impedimenta innumerabilia præbent, ut ait Plato. Quapropter studiosi eas maxime deuitare satagent summa cura & diligẽtia, cum obuia & glabra ad libidinem sit uia, & facile delabatur per uoluptatem, in flagitium prona mortalitas, ut scribit Diodorus Siculus. Nec fieri potest, ut scribit Cicero, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, copia, inopia quoque nonnunquam impeditus, literis operam dare possit. Sic omittendæ sunt, sciendi cupidis omnes uoluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam pene omnium familiarum deserendus. Referunt historiæ authores, Cannas Hannibali Capuam fuisse. Siquidem inuictum alpibus, & indomitum armis, Campanię solæ (quis crederet?) & tepentes fontibus Baiæ subegerunt. Virtus namque militaris scientiaque, atque hostium præcautio, & mentis acies, uoluptatibus gustatis elanguit, ut narrat Liuius, L. Florus, Plutarchus, Appianus, Plinius iunior, Eutropius, Orosius, & Sylius Italicus, Polybius, & alij qui scripserunt de bello secundo Punico. Et ratione antiqui, ut uoluptatem mentis esse perturbationem docerent, Tantalum in exemplũ proposuerunt. Is enim cum eius esset amantissimus, atque Iouis pollicitationi confidens, qua quicquid petijsset, consequuturus esset, petijt, ut Deorum more in uoluptate omni uiueret, quod quidem obtinuit, & Iupiter satis fecit ei quam promiserat pollicitationi, quia promiserat: At ut nullo appositorum frueretur, uiueretque semper perturbatus, petram super eius caput casum minitantem suspendit, ob quam nihil potuit gustare ex præsentibus, ut narrat Athenæus quamquam sciam illam fabulam ad auaros ab Horatio referri, nec quicquam prohibet tamen & ad uoluptatis perturbationes, & oblitionem eius, quod fieri

xenophō. libr. 4. de dictis Socra.

libr. 19. Noc. At. 9

li. 2. Saturnal. c.

lib. 10. siue in Phi lebo, uel de summ. bono.

orat. pro M. Cæl.

deca. 3.

li. 3.

li. 2. epit. c. 6

in uitam Annib.

in libr. de bel. Lyb.

li. 7. dipnosof. c. 7

fieri oportet, pertrahi posse. Fuit & alius nempe Claudius Cæsar, qui, ut refert Suetonius, cum uoluptatibus, & uentri usque ad perniciem crapulæ deditus esset, in tantam mentis stupiditatem, obliuionemque profundam peruenit, ut occisa Messallina, paulo postquam triclinio decubuit, cur domina non ueniret requisierit, & multos ex his quos capite damnauerat, postero die statim, & in consiliũ & ad aleæ lusum admoueri iusserit. Nocent etiam, & functiones animæ impediunt crapula, ebrietas, & huiusmodi uoluptatis ministri: de quibus dicetur forsan alias. Erit etiam sexto ordine causa alia, cur non omnes pariter sciãt, nempe, incuria, & negligentia discere uolentium: Noscenamque expedit, quod sicut in agro quædam sponte etiã non sata, & sine externa agricolæ ope, & auxilio innascũtur: quædam nisi serantur, & excolantur, ita in hominis sciendi potentia, quædam per se innascuntur, quædam aliunde semina expectant & cultum: animalia quoque omnia quasdam proprias facultates ex seipsis non aliunde habent, & norunt, ut docuimus, fugiunt, nidificant, prædantur, cibos conuenientes eligunt: quædam aliunde addiscunt, ut quod uoces humanas discant aues, quod dominis obaudiant, ut æqui frenis dirigantur, domentur, pugnent & similia: sic homo ut ait Maximus Tyrius, scit aut inueniendo, aut discendo. Et Plato, duobus modis cognoscimus, uel inuentione, uel ab alio discentes. Animi inuentio indigena, in ipso existens, eiusque ex semine orta, uel potius in animo insita est, eaque nihil aliud quam uerarum opinionum excitatio, cum animus unum uenatur ex altero, & ex quibusdam perceptis, uel coniectatis, altius ratiocinatur, & negociatur, suscitatque cogitatione rationes, & ex illa quippiam aliud elicit, ueluti ex attritu lapidis, & chalybis, ignis excutitur, & apparet, qui antea potentia in lapide latitabat, primum potentiam in actum impellens, postea incrementum paulatim adijciens, producτis semper addendo: non secus ac uidemus terram semina paulatim educere, atque per latentia additamenta augere: potentia etiam animæ ad diuinum opus efficax est, non per se, sed solum illustratione diuina desuper influẽte, per quam & actionis diuinæ uidemur esse participes, ut ait Iamplicus. Quod docet, cur non omnes animæ ope

in eius uita c. 35.

ser. 28.

li. qui Alcibia, siue de nat. hom.

ra diuina faciant,non miraculorũ opera,uirtutes nõ profitentur,ſed tantum illæ,quæ id dono a Deo acceperunt. Quia anima interdum agit,ut cauſa inſtrumentalis, interdum ut principalis,interdum ut concauſa cũ ſpiritu Dei: uelut numine afflati antiquitus, extra Dei ueri cognitionem oracula reddentes,uelut inſtrumenta tantum,&vim ignorantes eorum,quæ dicebant,cum tamen intelligerẽt quæ proferrent Dei prophetæ. Atq. principalis cauſa rationis,anima,& ea proxima concauſa in his,quæ uoluntarie cum Dei gratia agit.Notandumq. idcirco ſcientiã nõ eſſe a natura, ſed natura nos ad eam eſſe aptos: nam ſi ex natura eſſet,omnes pariter,& omnibus ſæculis ſciuiſſent. neq. etiam ſcientia erit reminiſcentia: quia ſi talis eſſet, unum & certum ſciretur, neq. eſſent tot uariæ rei unius ſententiæ,ut notat Arnob.in quo errauit & Plato, qui ita putabat ſcientiam eſſe reminiſcentiam,& recordationem uitæ ſuperioris,neque inquit,fieri ullo modo poſſe,ut pueris tot rerum,atq. tantarum inſitas, & quaſi conſignatas notiones,quas ἐννοίας uocant,haberemus, niſi animus antequam corpus intraſſet,rerum cognitione uiguiſſet.Neque omnia plane uidere animum, cum repente in tã perturbatum domicilium,tamq. inſuetum migrauit,ſed tum demum cum ſe collegit,atq. recreauit, cognoſcere ea reminiſcendo. Id autem Plato aſſeruit,& ſcribit Cicero,qui tamen reprobat,atq. diuerſam ſciendi facultatem ex potẽtia animæ,& cultura oriri,non ex illa animarum præced. ſcientia,in qua & lapſus cum ſua metempſycoſi Pythagoras,quam merito irridet Lucianus. Dehinc ordo,incremẽta,& colligatio plurium inuentionum, obſeruatione per tempora multorum,aliam ſcientiæ formam,ueluti experientia,& uſu approbatam,artes & diſciplinas tradiderunt per inuentionem, & experientiam, non tamen communem.Quo fit ut homo doctore egeat,& præceptore, labore,& diligentia:tum quia animum ad ea inuenienda capacem non habeat,tum etiam ꝙ inordinate a ſe cognita, rite nõ poſſit ſine duce efferre,uel explicare.Et ita D.Amb. oẽm ſciẽtiã,aut ex natura, aut ex diſciplina eſſe ait:ut ex natura ſuppetit equo currere,piſci natare.Hoc.n.ĩquit,fa ciũtanteq̃ diſcãt.Ex diſciplina rurſus ſuppetit hoĩ nare,nã niſi didicerit,ſcire non põt. Qđ uelim intelligatur de mõ

ſiue ĩ Mẽnone. 1.Tuſ.q. 1 Tuſc. In gallo, uel sõno. to. 2.li. 5 de fi. ad grat.c. 8.

ſciendi

sciēdi,qui humanis uirib.&potētia naturali accedit quiq; non sine labore & minutis quibusdam accessionibus ex paruis in maiora conscendit: Non autem intelligenda puto de scientia, quæ a Dei uirtute infunditur, quam sine labore aliquo mentibus humanis concedi a Deo simul & semel nouimus. Sunt enim sine conatu dona & gratia Dei, hæcque ubi se infuderit, regere consueuit, ut non egeat ingenio humano, sed superet recipientis ingenium. Et spiritus quidem Dei est in hominibus, sed inspiratio omnipotentis dat intelligentiam, ut dixit Ehu filius Barrachel, Baxites. Nec conatus est Matthæus, non Marcus, non Ioannes scribere euangelium: sed diuino spiritu ubertatem dictorumque omnium ministrā te, sine ullo molimine cæpta compleuerunt. Non ita cæteri, qui sine Deo scribere euangelium aggressi sunt, ut & dixit D. Ambrosius. Eadem de Salomone, Adamo, reliquisque prophetis & uiris sanctis, ad quorum puritatem mentis, cum nec accedimus, tenebris peccatorum & rerum inferiorum & terrestrium impediti, egemus doctoribus, maiori beneficio diuino doctrina insignitis, doctiorum inuentionibus & scriptis, quibus ueluti remigibus nauis, mens uidelicet nostra, portum scientiæ appellat. hoc quippe interest inter scientiam infusam & acquisititiam, quod infusa, instar artis impressoriæ, simul prælopaginas sententijs & clausulis implet prælopaginas sententijs & clausulis implet & infigit; acquisititia autem imitatur scribentium ordinem, quo una, postea altera, tertia uelitera depingitur, postea syllabas iungit, dictiones & lineas minutatim perficit. habet tamen quælibet mens rationalis uim exerendi illas particulas intelligentiæ & scientiæ, quas colligit & coniungit in principio & ætate iuuenili difficulter, uel dignoscere incipit ad similitudinem abecedarij discipuli: postea autem assuetus, rationis notis, illarumque coniunctionibus, ueluti syllabarius, promptius ad uerba articulate coniungenda, & ad texendas rationes ascendit, & semina rationis tandem rite distinguit & componit: non secus ac qui recteloquitur de omnibus, per easdem literas ratiocinatur, & sic hic dextere de omni re proposita disputat cum rōne, flectitq; animi instructa & parata rationū elemē

Iob. c. 32 b. uer.

tomo. 4. in initio 1. li. 1. euāgel. Lucæ.

ta,pro negotiorum uarietate subtiliter rationis implicitis neruis,& uiribus:qui enim loquitur ex textura literaturæ alphabeti,& ex sonis quinque uocalium,tot libros uariarum conceptionum implere potest. Atque Dei in homine maximum concessum beneficium tam mirabile admirari non desino,quo certis quibusdam ueluti punctis, tantam rerum uarietatem cognoscere possemus. Quod nec impossibile dici debet,postquam placuit Deo,& illud impossibile non esse comprobet experientia, ut uiginti duabus tantum literis,imo quinque tantũ sonis a,e,i,o,u, conceptum omnium humanorum, & rerum õmniũ diuinarum,& humanarum cognitio exprimi possit, & ex adytis cordis secretiorum cogitationum haberi certa declaratio posit·Nec iudicare audeo,in quo magis Deũ admirari,& collaudare debeamus, ac cuius maiores ei habeamus gratias,an eius quod rationis participes nos fecerit; uel quod sermone hoc mirabili, & breui sonorum cõpendio,rationem explicare,eaque proximos iuuare, & suam gloriam,& omnipotentiam decantare permiserit:utriusque certe contemplatio Dei ineffabile beneficium nobis insinuat,& Deum perpetuo uenerandum ut architectum uniuersi docet incomprehensibilem, qui facit mirabilia magna solus, cui laus & honor, gloriaque per æterna secula.

De uiris illustribus, qui de omnibus disputandi artem professi sint. Cap. VII.

GEnera igitur quædam ueluti locos communes, & elementa literarum,& uocis in animis hominũ insita,cognita esse oportet ijs,qui ratiocinari uolunt,& disputare optime:egent autem præceptore,uel longo studio,vt posſint in his operari emendate, ut puer nutricis consuetudine, & tempore, & industria uoces quas inarticulate pronuntiat natura,articulate profert,& distinguit, sensu accommodat,& rebus.Atq.ut Proclus ait,per ipsam scientiam euadit intellectui similis,secundum actum, cognoscibile comprehendens,quemadmodum intellectus intelligibile.Videmur.n.sicut per somnium, omnia nosse,eademque

demque per uigiliam ignorare, utpote qui per essentiam quidem rationes habemus,& quasi cognitiones earũ hinc accipimus. Secundum uero actum quatenus in mediũ pro ducendæ sunt, non habemus. Cæterum qui antiquis fuerint pro nutricibus,atq. præceptoribus, in hac bene dicẽ di arte,quive præcepta in promptu de omni re respondendi tradiderint,multi numerãtur, ne quis ex nostra omnia putet prodijsse inuentione. Quorum alij alijs perfectius fœliciusq. rem executi sunt. Refert ex prisca & sui temporis schola aliquos Quintil. Nempe Coracem,de quo & Cicero meminit,Tysiam Syculum,Gorgiam Leontinum æmulum Socratis,Trasimachum,Calcedonium,Prodicum Chium,quos sequitur Prothagoras Abderites,a quo Euathlus dicitur didicisse artem quam edidit,quamq. protulit Hippias Ellius decem millibus denariorum. Post hos Alcidamas Elates,quem Plato Palamedum nocat,itẽ Polycrates, qui scripsit contra Socratem orationẽ. Alterius etiam seculi numerat homines,qui artem bene dicẽdi professi sunt,nempe Theodorum Bizantium,Theodorũ Gadareum,Apollonium Molonem,Arcum,Cæciliũ,Dionysium Halicarnasseum,& alios huius ordinis. Qui omnes etsi artem,quam nos profitemur,adepti non sint, multũ tamen adiumento nobis fuerint, dum præceptis artẽ dicendi illustrarunt. Nec modum sciendi docuerunt, cum tamen cognitum magnifice proferre scirent. Nec omnib. contigit quod Gorgiæ,Prodico,& Protagoræ: Gorgias nã que Leontinus Empedoclis discipulus rhetor perceelebris, & eximij Isocratis præceptor,primus in conuentu poscere,qua de re quisq. audire uellet,ausus est. Ideo & ob singularem eius eruditionem, primum statua illi ex solido auro in templo Apollinis Delphico apposita est, scribit Val. Max. & Plato,& Cicero,qui & annotat suo tempore plures eadem factitasse. Quod & repetit alibi,narratq. simili artificio præditos,Prodicum,Chium,Trasimachum, Chalcedonium,Prothagoramque Abderitam. Nõ caruit tamen inuidis Gorgias, nam & Plato ipse, & Aristoteles existimarant nescio quo genio,quæ erant illius, esse sophystica, quemadmodum, & quæ ante hunc tradiderant Tysias,Trasimachus,& Theodorus, in arte dicendi excellentes,& dicam illum nimis inuide notatum, cum puta-

li. 3. inst. orat. c. i. *li. i. de orat.* *Et i Bruto*

li. 8. c. fi. *in Gorg.* *li. 2. de fi nib. bon. i prin. et c. i. de orat.* *in 3. de orat.* *in Gorg.*

rent eũ artẽ dicendi, cęteris ꝑponere artib. quarũ illi amore detinebantur: ut aperte licet iudicare ex Platone, dum Protharcus accusat Gorgiam tacite, quod artem dicendi solam calleret, sed nosset & alias, quod de re quaque proposita facta responsio, testatur. Atque ipse Plato præstantissimum in arte dicendi, & pariter in republ. administranda eximium Gorgiam, dixit, fuisseque Prodicum, & ante omnes Protagoram, qui plus argenti ex arte sua, quam quilibet artifex ex sua arte cumulassent. Et Pausanias antiquitatis diligens obseruator testatur Gorgiam Leontinum patre Carmantide natum, primum neglectam adhuc dicendi ex arte rationem excitasse, & ab hominum obliuione uindicasse, & fuisse collegam Tisiæ in legatione ad Athenienses, sed Tysia præstantiorem. Et Cicero mirabilem illius artem exprimit in dicendo, & rerum, scientiarumque copiam ei adfuisse demonstrat, dum ait, eum paria paribus adiuncta, & similiter definita protulisse: itemque contrarijs contraria relata, quæ sua sponte, etiam si id non agas, caderent plerunque numerose, primum inuenisse in quibus uerbis, paucis nostra fere ars tota concluditur. Quare & Max. Tyrius cum apparatu tribuit Prodico elegantiam, Hippiæ uaniloquentiam, Thrasimacho uiolentiam, sed Gorgiæ soli rhetoricem. Admirandus certe posteris suis Græcis Gorgias, sed magis inter omnes Salomon, qui disputauit de lignis a cedro quæ est Libano, usque ad hysopum quæ egreditur de pariete, de quadrupedibus bestijs terrę, uolucribus, reptilibus, & aquatilibus. Superior & filijs Mol, qui & illud fecerunt, ut narrat sacra pagina, & Iosephus. Legimus etiam Indorum philosophos gymnosophystas, se iactasse omnia nosse, & de omnibus interrogatos respondere solitos, quodque plane se nossent, quod est summa totius notionis, de quibus, & ita scribit Philostratus, erat & σκεαρίων τὰ πάντα ἐπιςάμενος, Susarion omnia sciens, ut scribit Libanius Basilio Magno. Et hi uere mirabiles uiri, si modo uera sint quæ de illis traduntur. Cęterum nulla ars, similia his quę poterant operandi, tradita est nobis, saltem, quod ad meam ætatem, & nostras peruenerit manus. Vnus tamen, ut puto, Dei spiritu illustris inuentus a nobis, non ex supradictorum ordine, sed illis minime inuentione in-

ferior

Lib.10. siue in Philebo, vel de summo bono.
Li..1. qui inscribitur Hippias maior siue de pulchro.
Li. 6. uel posteriore Eliacorum.
In Oratore.
Serm. 7.
Vt scribitur 3.Re. c.4.uersi.
lib.8. antiq.c.2.
Lib.3. de uita Apollo.6. ut legitur in epistolo. Basi.Magni epist.162

ferior, qui artem quandam meditatus est, qua omnia pos sent disputari & contineri. Is fuit Raymundus Lulius, qui tamen puritati sermonis non studuit, sed qui nostræ artis fundamenta gessit, & in quem plures ediderunt commentaria, ut Lupetus, Lauineta, ut Henricus Cornel. Agrippa, quorum singuli quędam propria addiderunt. Fuerunt, & alij quã plurimi, qui artem potius nouerint eximie Lulij quam commentarijs illustrauerint. quique eius usus admirabiles se præstiterunt; & quod magis admirandum, fere impuberes hac arte freti, de omnibus rebus differuerunt, & hac arte paucissimis mensibus in uiros doctissimos euaserunt. Inter quos referunt Petrum Daguinum Mediatũ, & Iacobum Danuarium uiros, ut ait Agrippa, tota Italia celebratos, quorum prior cum anno trigesimo septimo ætatis, uix prima hausisset litterarum elementa, sex dumtaxat mensibus huic artificio incumbens, omnibus doctissimis uiris miraculo est habitus: Alter autem cum septem peregisset lustra, a literis penitus alienus, tantũ hac arte profecit, ut sicut ex eius scriptis apparet, nulli doctorum hominum sit postponendus. Addit his eximios fuisse eadem arte factos, Ferdinandum Cordubam Hispanum, Iacobum Fabrum Stapulensem, Carolum Bouilium, Petrum, & Iacobum cognomine Canterios Germanos Frisones, cum unica sorore pueros decennes, in omni disciplinæ genere differentes. Possemus his addere Picũ Mirãdulanum, & Politianum, uterque enim, nescio num per hanc artem disputare se posse de omnibus pollicebatur. Sciendum tamen est antiquos Hebræos artem similem inuentricem rationum, imo naturarum, excogitasse illa præstantiorem, quam concludunt Cabballistæ per quinquaginta portas lucis, siue intelligentiæ, quas iterum examinant per triginta duas semitas sapientiæ, ut uocant, & per tres midoth, id est, tres proprietates, ut suo loco debemus. Illa namque Hebræorum dogmata, & quæ uocant de sublimibus, nobis maxime uiam ad altiora præpararunt.

ut refert agrippa in epistо. commẽt. in. Lulũ.

Cur tantopere rerum cognitione homo delectetur.
Cap. VIII.

Reddamus nũc rationes cur homini sciendi & cognoscẽdi cupiditas, & potẽtia, a Deo ĩdita fuerit, cur & facultas

cultas de omnibus inquirendi, & ratiocinandi, eaque ei soli, & non reliquis animalibus, concessa; & quare uita hæc coguoscendi auida nunquam satietur, ut plerique iam alterum pedem in fouea tenentes, adhuc discere nō quiescant. Multiplex autem rei huius causa reddi potest, & prior erit ipsius hominis natura, de qua iam fuse diximus. Nam, ut ait Cic. natura suis omnino expleri partib. uult & desiderat, atque ideo potētia corporalis ab ægritudine liberata, uel in iuuenili pueri ętate, suis omnibus uiribus, incrementis naturalibus ac corporeis uacat. Sic animi partes, quarum est aspectus illustrior, quæ, ue quo sunt illustriores, eo dāt clarioriora indicia naturæ. Tantus autem innatus in nobis cognitionis & scientiæ amor, ut nemo dubitare possit, quin ad eam hominum natura nullo uel emolumento rapiatur. Nonne uidemus, ut pueri, nē uerberibus quidem a cōtemplandis rebus perquirendisq; deterreātur, aut pulsi requirant, & aliquid scire se gaudeāt Vt alijs narrare gestiant, ut pompa, ludis, atque eiusmo di spectaculis teneantur? ob eamque rem uel sitim uel famem perferant. Et eos qui ingenuis studijs atque artibus delectantur, nonne uidemus nec ualetudinis, uel rei familiaris habere rationem, omnia perpeti ipsa cognitione, & scientia captos, & cum maximis curis & laboribus compensare eam quam ex discēdo ceperint uoluptatem? uidemus & homines omnes passim, fœminas quoque, rusticos, puerosque nouarum rerum esse cupidos, ut habeant quo perficiant sciendi auiditatem. Nonne opifices, & infimę sortis homines, quorum in gerendis rebus nullus usus, delectētur historia. maximeque eos uidere possumus res gestas audire & legere uelle, qui a spe gerēdi sunt exules etiā senectute. Et cum sciendi perfectio naturalis sit, ad eā ueluti ad finem suum, tendit animus, neque quiescere potest donec ad Dei cognitionem, ubi omnis uera cognitio & perfectio, peruenerit. Semper enim natura finem suum inquirit, & prosequitur, ut ait Arist. Quo fit ut mens perpetuo per gradus, sed insensibilis, altiora quā prius scrutetur ut tamen se aliquid profecisse non agnoscat, donec profecerit, ueluti cognoscimus segetes & plātas creuisse, crescere autem nūquam uidemus. Accidit autē perfectio animi ex doctrina, natura, usu, & exercitatione, & ut ait Manilius

li.i. de gener. anima. c. 1.

lib. 1.

Ter

Per uarios usus artem reperientia fecit, exẽplo, monstrante uiã.

Et Terentius.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione an uitam fuit.
Quin res, ętas, usus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moueat, ut illa quæ te scire credas, ne scias,
Et qua tibi putaueris prima, in experiendo repudies.

In Adelphis actus Scena 4. uer. 1.

Augeturque uoluptas cognoscendi ipsa cognitione, si-cuti desidia nutritur ignorantia, & ignoti nulla est libido, & cui minimorum cognitione delectatus, capitur aliqua uoluptate, idem ueluti gradu expedito ad maiora conscẽdit. Et quia Dei mirabilia & magna sunt opera, atq; sapiẽtiæ plena noua semper hauriendo, ueluti undam superue niente un da, semper noua uoluptatis additione reficitur & nutritur anima: utque succedente nouo & maiori pabu lo, ignis fit maior & flamma ardentior, sic mens magis ac magis delectatur, superueniẽte cognitione, qua excellere cętetis iusta ratione se putat, & ardentior ad maiora cõuo lat, pingiorque, robustior & uiuacior scientia fit; unde & fœlices illi, qui Deum sciunt & norũt, rerum omnium cõsummatam scientiam, fœliciores qui perpetua illius contemplatione fruuntur. Sæpe ab Aristotele, & Theophrasto inqui Cicero est laudata per se rerum scientia. Vnde & he rillus scientiam summum bonum esse defendit, qui quan quam ad summum scientia dirigat quę optima, in eo tamen non recte sentit, cum scientia possit esse sine uirtute & scientia cum uirtute sit sapientia. ut hãc merito opinio nem philosophorum pluribus improbarit Lactantius Firmia. Et dictus attamen.

5. de finibus.

Fęlix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Et apud. Ouid.

Fęlices animæ, quibus hæc cognoscere primum.
In que domos superas scandere cura fuit.

lib. 3. uel de falsa sapientia. c. 8.

1. fasto. uer.

Quare Isocrates admonet, multas disciplinas, multis di uitijs præstantiores, puta, siquidem quod pecunię celeri ter transeunt, disciplinæ uero in eterna secula durauit. Sapientia namque quæ inde acquiritur, imortalis est possessio. Cecinit & Virg.

In orato. 1. siue in Paræne- ad demõ.

Implendus sibi quisque bonis est artibus, illæ.
Sunt animi fruges, hæc rerum maxima merces.
Scire quid occulto naturæ terre coercet,

In Aethna uersi. 269.

Nul-

Nullum fallere opus, &c.

Adde secundo utilitatem, & fructum, quem homo ex scientia decerpit, tum ad tutandam salutem corporis tum ad animæ robur, o quot uoluptates, qualesue commoditates hinc oriuntur ut uere dixerit Lucretius.

libr. 2. in princip.

Suaue, mari magno, turbantibus æquora uentis.
E terra magnum alterius spectare laborem.
Non quia uexari quemquam est incunda uoluptas,
Sed quibus ipse malis creas, quia cernere suaue est.
Suaue etiam belli discrimina magna tueri,
Per campos instructa tui sine parte periculi.
Sed nihil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios, passimq; uidere
Errare, atque uiam palantis quærere uitę, &c.

Vis utilitatem scientiæ facile dignoscere, & ut ita dicā palpare, considera effectus, quibus egeamus, quæ res nobis sint adiumento & accomodæ. Et in primis mundum uniuersum propter hominum utilitatem creatum, & hominem propter Deum, ut scribit Cicero. Vsum autē quomodo tibi parabis, nisi res cognoueris, nisi utilitates, naturas, tempora, causas scias, nisi quę fugienda, quæ eligenda sint, in tanta uarietate didiceris, Frustra enim uel perperā esse non possunt, quę homini destinata tantum sunt, quæ eius gratia ex nihilo facta, quæ tanta & mirabili prouidētia in suo ordine perseuerant. An singula, descende, & ex partibus consideratis uniuersa tibi consecrata uidebis. Nōne elementa nostri causa, ignis ad coquēdum, uel calefaciendum, ad urendum, ad illuminandum? aer nonne ad respirationem, & spiritus temperamentum; aqua ad potum, nauigationem, nutricationem, & productionem piscium: terra pro folio & nutrice alimentorum? Trāsi ad cōposita ab hinc, ad plantas, arbores, ex quib. fructuum alimenta, & medicata: considera animalia, etiā uenenata, nocentia, & fera, quale inde commodum accedit homini, uel ut suam ipse naturam metu illorum, ob peccatum pauidā agnoscat & ad Deum cōuertatur, uel ut aliquod pharmacū salubre, ut ex uipera, uel exēplū diligētiæ, ut ex formica, agnoscat. Cōsiderato rationē cęli, stellarum, solis & lunę cōmoda in aratione, satione, in tēporū signis, in rerum productione, matu-

2. de nat. Deo.

maturatione, collectione: Considera ipsos Angelos, qui omnes sunt, ut ait Paulus, administratorij spiritus, in ministerium missi eorum qui accipiunt salutem. Quid ultra sermonẽ protraho? considera Deũ ipsum, qui propter nos homines, & propter nostrã salutẽ descẽdit de cœlis, & filij persona carnẽ nostrã assumpsit, uerbumq. caro factũ est vt vere possimus dicere ob tantum beneficium cũ Pindaro.

Heb. I.

nemeorũ ode 6. stroph. I. uer

ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γενὸς, ἐκ
μιᾶς δὲ πνέομεν
ματρὸς ἀμφότεροι.
διείργει δὲ πᾶσα κεκριμένα
δύναμις, ὡς τὸ μὲν, οὐδὲν,
ὁ δὲ χάλκεος ἀσφαλὲς αἰεὶ ἕδος,
μένει οὐρανὸς ἀλλά τι προφέρομεν
ἔμπαν, ἢ μέγαν νόον, ἤ-
τοι φύσιν, ἀθανάτοις.
καίπερ ἐφαμερίαν
οὐκ εἰδότες, οὐδὲ μετὰ
νύκτας, ἄμμε πότμος ἄντι-
ν᾽ ἔγραψε δραμεῖν ποθὶ στάθμαν. idest.

Vnum hominum, unum Deorum genus, ex una autem spiramus
matre utrique.
sed discriminat omnia separata uis
& potentia, respectu enim generis Dei nihil nos.
ille autem immobilis semper sedes
est æreum cælum, sed & in
aliquo similes sumus, uel per
magnam mentem, uel per naturam immortalibus: quam uis ignoremus
qua die, uel nocte, ad uitæ nostræ summam,
quam definiuit diuina prouidentia
nobis currendum sit.

Ideo etiam cum utilitati, & saluti destinata fuissent a Deo homini. illum ipsum postremo Deus creauit, tanquã necessaria illi ante pręmittens, more principium, qui antequam ciuitatem ingrediamur aliquam eo iubent prius parare, quæ ad commeatum necessaria sunt, ut & docet D. Chrys.

Hom. 8. Gen. I.

Rur-

Rursum a dignitate luminis alia ratio. Cap. IX.

Est & tertio loco, quæ dignitatem homini adferat scientia, quemadmodum ignorantia ad eius ignominiam & dedecus facit: hominis dignitas, inquit D. Chrisostomus, quod animã acceperit, quod artes iuuenit, quod ad imaginem Dei factus, quod præsit omnibus in mũdo. Item artes inuenire. quod ex scientia & notitia, & ratione qua cum Deo est homini societas, ut idem Cic. ait.

Super ps. 48. Tomo 1.

1. de legibus.

Describit & Manilius.

lib. 4.

An quoque genitos nisi cælo credere fas est
Esse homines proiecta iacent animalia cuncta
In terra, uel mersa uadis, uel aere pendent.
Omnibus una quies, venter sensusq; per artus.
Et quia consilium non est, & lingua remissa,
Vnus & inspectus rerum, uiresque loquendi,
Ingeniumque capax, uarias educit in artes
Hic partus qui cuncta regit, secessit in orbem,
Et domuit terram ad fruges, animalia cæpit,
Imposuitque uiam ponto: stetit unus in arce
Erectus capite, uictorque ad sydera mittit
Sydereos oculos, propriusque aspectat olympum,
Inquirit que Iouem, &c.

Et Virgilius.

in Aethna, uersu 120.

Immensus labor est, sed fertilis idem.
Digna laborantis respondent præmia curis.
Non oculis solum pecudum miranda fuere
More nec effusis in humum graue pascere corpus.
Nosse fidem rebus, dubiasque exquirere causas.
Sacra perurgentem, capitique attollere cælum,
Scire quot & quæ sint, cur magno talia mundo
Principia, occasus metuunt, ad secula pergunt,
Et firma æterno religata est machina mundo.
Solis scire modum, & quanto minor orbita lunæ est,
Cur illi breuior icur isti peruolet orbis
Annuus ille monet; quæ certo sydera currant
Ordine, quæ ne sua cureant incondita cura, &c.

lib. 2. contra gentes.

Vincimus certe hac cognitione & intelligentia genus omne mutorum, cum reliqua nobis communia cum illis sint, ut late demonstrat Arnobius. Atque hæc propria

natura

natura hominum cognoscendi & intelligendi oritur ex una proprietate illarum trium, quæ in anima exprimunt imaginem Dei, tres enim מידות midoth, id est, proprietates & potentias, Hæbrei secretiores ponunt in homine secundum quas factus est ad imaginem אלהים elohim, id est, trinitatis: nempe, ut antea diximus, memoriam, intelligentiam, uoluntatem. Ex memoria singulorum, formatur intelligentia, quia memoria est, notitiam apud se habere. Intelligentia autem & notitia extendente se, & accipiente id quod uerum est in ratione boni & conuenientis, statim ex memoria,& intelligentia formatur appetitus,qui est uoluntas.Porro sicuti ex memoria formatur intelligentia,sic ex patre in diuinis generatur filius; & quemadmodum ex memoria & intelligentia extensis, & quasi spirantibus,bonum formatur,uolũtas:sic ex patre & filio, tanquam ex uno spirandi principio,spiratur bonum quod est Spiritus sanctus.Et ita notat Galatinus, & diuus Bern,& Beatus Ambr. per memoriam,inquit,patri Deo similes sumus,per intelligentiam filio: intelligentiæ enim tribuimus omne quod uerum cogitando inuenimus, & quod etiam memoriæ commendamus; per uoluntatem spiritui sancto,quia ex uoluntate amor dilectioque. Et per spiritum sanctum charitas diffusa est in cordibus nostris, ut scribit Paulus.Intelligentia & notitia in hominis itaque imagine insigne maximum.Quanquam non ignorẽ etiam imaginem Dei in homine ad alia posse extendi, quæ homini insunt & in quibus homo Dei quandam pro fert in seipso,prestantem dignitatem similitudinem, quã explicant Rabini in uairzra Rabba.Nempe quod sicut anima replet & regit corpus,ita Deus mundum: Et sicut anima est una in corpore,ita Deus unus in mundo.Et quemadmodum anima nec manducat nec bibit, sic nec Deus & ut anima uidet & non uidetur, ita & Deus omnia conspicit & non uidetur Quos sequuti Catholici interpretes fere omnes, & potissimum D.Ambrosius, similitudo, inquit, Dei in anima hominis creati ad imaginem Dei est etiam,quod sicut Deus est ubique semper totus,omnia uiuificans, mouens, & gubernans: sic anima in suo corpore, ubique tota uiget, uiuificat illud, mouet & gubernat.Sed & D.Athanasius, aliam Dei in homine imaginẽ com-

li. 2. in su deos c. 2. lib. medit. in pri. li. de digni. humanæ condi- ni c. 2 ad Rom. 2. 5. uers. lib de diuer. quæstio. quæst. 81.

commemorat esse, nempe quod sicut Deus rex omnium est, ita & homo eorum quæ in terra sunt rex sit cõstitutus, & ad similitudinem Dei, idest, ut quemadmodum Deus bonus, misericors, iustus, longanimis, & talis sit homo imitatione. Ita & D. Chrisostomus. Est autem differentia imaginis & similitudinis Dei. Imago namque, & in interiori homine, imago in æternitate. similitudo autem in moribus, ut ait Albinus quondam præceptor Caroli Magni. Quòd magna itaque prudentia & scientia egeant homines ad conseruandam dignitatem hanc, & ad agẽdas Deo gratias, nemo ignorat, quam & Deus cum consilij quadã specie, ut ostenderet eius dignitatem & excellẽtiam fecit, dum dixit, faciamus hominem ad imaginem &c. cum tamen reliqua creauit nudo & simplici iussu, per fiat: ut legimus in mundi Genesi, nulla uel adhibita diligentia, existimans hominis creationem proprium, & manibus suis adorandis solum dignum opus, ut doctè Græcus, & disertus author tradit Theophilus Theologus, & Iunilius episcopus Africanus, consilium ante auocatum Trinitatis in illo faciamus, inquit Deus, hominem, rursumque alia ad opus ordinata: accepit, inquit Deus, de puluere, insufflauit post, ô mysteria recondita, quæ hominis indicant dignitatem! De qua uidendus D. August. D. Chrisostomus, D. Basilius, ut certè qui ignorantiam consectantur, & splendorem tãtæ præstantiæ non exhibent, potius pecudis formã, quàm hominis ostendant. Cum scientia sit, ut ait Maxi. Tyrius, flos quidam, fructusque maturus ex animi semine: ignorantia autẽ istius seminis cessatio: imo ut ait D. Marcus. πάντων τῶν κακῶν προηγεῖται ἡ ἄγνοια, δευτέρα δὲ αὐτῆς ἐστὶν ἡ ἀπιστία. Et rursus, ἄγνεια ἀντιλέγειν πρὸς τὰ ὠφέλημα παρασκευάζει καὶ θρασυνομένη αὔξει τῆς κακίας, id est, Omnium malorum dux est ignorantia: secunda post eam infidelitas. Et ignorantia causa est, cur utilibus contradicimus, quæ si comitem habet superbiam, auget malum. Et Iesaias, væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt famæ, & multitudo eius siti exaruit: propterea dilatauit infernus animam suã, & aperuit os suum absque ullo termino, & descenderunt

populus

Tomo. 1. homilia 8 & 21. in Gene. li. quæst. 3. Genes. Genes. 1. lib. 2. cõtra Autolicum. in cõmet. in Gene. Tomo 4. in fine 6. li. ex ameron c. 1. et li. 22. de ciuitate Dei c. 1. homilia 11. examoron sermo. 28 lib. περὶ νόμου πνευματικοῦ, de lege spirituali. cap. 5.

populus eius,& fortes eius,& sublimes,&c. Quæ & ponuntur a Gratiano alibi. Et si quis acutius etiam omnia consideret, facile sine ulla rationis probatione, & sola rei demonstratione compulsus, fatebitur ingenue, summum malorum esse ignorantiam gradum in omni uitæ genere. Nam istius malo sequimur aduersa, repellimus utilia, obnoxia tentamus, fugimus meliora, otio, in dedecore, præ dore putrescimus, dum quid prosit ad promouendũ gradum ad altiora ignoramus. Et dum scientiam utilium saltem abhorremus, hominis dignitatem non solum a nobis abijcimus, sed etiam uiliores cunctis rebus etiam inanimatis reddimur, Ea namq; singula, sibi conuenientia norunt & quadam sympathia iungi his, omni studio tentant, & aduersantia naturali antipatia fugientes, ueluti scienter auersantur: neque animalia, uel plantæ alimentum aliud conueniens suæ naturæ, natura ipsa admonita depascuntur. Et Menanter, huiusmodi homines ignorantiæ mancipes, nec uiuere censebat. uerba eius sunt.

in can. si quis homine & cano. uæ qui dicitis. 11. q. i

τυφτὸν τὶ ἀνοητὸν εἶναι μοι δοχεῖ,
οὐ ζῶσιν οἱ τὶ μὴ συνιέντες σοφόν, idest,
Cecum mihi uidetur id esse quod non cognoscit,
Nec uiuunt hi, qui ut expedit, non intelligunt.

Et forsan id uoluit D.Chrys. Cum scribit hominem eũ, qui se iugo ignorantiæ submiserit, deteriorem bruto esse. Nam ut idem alibi, dedit nobis intellectum Deus, ut ignorantiam fugemus ex mentib. ut rectũ teneamus, iustumq. rerum iudicium, atq. ad alia huiusmodi dirigamur, & contra diuersarum impugnationum uarios incursus, hoc quasi scuto usi, ac lumine, maneamus innocui, atq. muniti. Atq. imminet uitium ingratitudini proximum, si concessam a Deo cognoscendi facilitatem, reiiciamus ut inutilem. Suo. n. quisq. uitio ignorat, ut ait Tertul. Estq. morbus hic, non necessitatis, sed deprauatæ ac corruptæ uolũtatis, qui uiam parat lubricam, & omni ex parte ad mala declinantem, non minus ac si quis cineribus incedat dolosis, in recessũ ignem ardentem continentib. Neq. usque adeo ignorãtia sterilis est, quin non odibilẽ fructũ, & infœlicem pariat, ut scribit Io. Salesberiensis, & Cic. ignoratione semper uitiosam esse ait rebus in omnibus, & contra scientiam, & notitiam, uirtutem, atq. secundũ Aris. omnis

Hom. Ps. 48. to. i. Ho. 21. to. 2.

to. 2 li. de virginib. uelan.

lib. 3. Polycrat. c. i.

prauus ignorat, quæ agere oportet, & a quibus est abstinẽdum, & ob huiuscemodi errorem, iniusti homines maliq; omnino fiunt. His accedat Plato, qui ignorantiam definit esse dementiam animæ quandam, quæ dum ad ueritatem nititur, intelligentia ipsa præuaricatur: & duo malorum genera constituit, unum quod communiter improbitas nominatur, animi proculdubio morbus: Aliud ignorãtiam, quæ propriè animæ est turpitudo, aduersus quam alexa pharmacum solummodo præstat doctrina, & idem malum, & stoliditatem dicit ignorantiam, interdum ridiculam, cum illa est imbecillis: interdum terribilem & odiosam, cum illa est ualida: siue sit in bonis, uel externis, siue animi, siue corporis. Et ea magis illa ignorantia grauior, quo crassior, & nocentior est: ueluti quando scientiæ, uel opinioni, uel rationi, quæ natura dominatur, animus aduersatur, ut idem Pla. tradit. Quod & Horatius expressit,

li. 10. siue in philebo, uel de sũ. bo.

li. 34. siue dial. 3 de legib.

li. 2 sat. 6

Sed quod magis ad nos
Pertinet, & nescire malum est.

Neque existimemus ignorantię delictum leuis esse põderis, cum quis scire possit, & contemnit nosse. Tale nãq. est, ut expiatione, & hostia egeat, cuius oblatione Deus optimus placandus sit. Cui iniuria per peccatum graue irrogatur, quod contemptu tanti beneficij, quo nos animi ratiocinatione, & lege pectoribus nostris inscripta donauit ab illo munere cognitionis, & a cura sciendi uani sumus. Et refert etiam D. Paulus, in secundo tabernaculo templi, semel in anno introisse solum pontificem, non sine sanguine quem offerret pro sua, & populi ignorantia. Dauid quoque Deum deprecabatur ne ignorãtias suas in memoriam reuocaret. Et Salomon in oratione sua, inter cætera quæ a Deo efflagitat, illud adiecit, Ne crescant domine ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & cadam in conspectum aduersariorũ meorum. Ita certe opprobrio dignum ignorare, & maioris notæ exprobratio uoluntarie, & cum culpa ignorare. Sic enim Propheta regius describens iniqui malitiam insignem, testatur, Verba oris eius, inquit, iniquitas, & dolus: noluit intelligere, ut bene ageret. Neque his relinqui spem ueniæ, uel eam difficulter assequi qui ueluti uoluntarie peccantes, uoluntarie ignorauerunt, constare potest ex

Leui. 4
Num. 15

Heb. 9.

Psal. 24.
Eccl. 21.

Psal. 35.

ex Pau. εἴ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω, si quis ignoret, ignoretur. Patent namque uiæ multæ discendi, & cognoscendi, quæ quidem contemptæ eximiam arguunt ignorantium culpam. Nec recte dici potest, inquit Augustinus, Si nescit homo, non peccat: sunt enim peccata ignorantium, quam uis minora, quam scientium. Et si cum eodem D. Aurel. Augustino loquamur, nulla ignorantia damnatione immunis est, ac per hoc inexcusabilis est omnis, qui ex ea pec cat, uel reatu originis, uel additamento etiam propriæ uo luntatis, siue qui nouit, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui intelligere non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio. Et si quis tam alienus a ratione sit, ut hominis naturam ad sciendum, & cognoscendum, a Deo optimo maximoque creatam nō agnoscat, audiat saltem Ethnicorum prudentum authoritatem, qui exami natis naturæ simplicis ponderibus, ignorantiam, & iustitiam iuris sui, nocere cuique ignoranti dixerunt, ut Paul. iurisconf. scribit. Quin & facti ignorantiam si illa resupina sit, nō esse ferendam, uoluerunt, quamquam scrupulosa eius inquisitio non exigatur. Scientia enim hoc modo æstimanda est, ut neque aut negligentia crassa, aut nimia securitas satis excusata sit, neque delatoria curiositas exigatur, ut scibit Vlpia. Atque in delictis, ignorantia etiam sanctionis uetantis commisfis, nuncio uindictæ locum sibi uindicat, ut scribit Papinia. Tum quod naturaliter quisque satis superque moueatur de rectitudine, & ratione ui uendi, tum quia leges omnibus cognitæ esse debent. l. leges sacratissimæ l. leges, ut generales. C. de legib. lib. i.

c. 14. circa fi. prioris ad Corin. li. de adul. coniug. epi. 105. scripta ad Six. Ro. Pont.

in l. i. & l. reg. l. 9. Mart. in l. 2. de iu. & fac. ig. li. 27. Pand. ti. 7. cum fi. iurib. ibi agl. not.

Scientiam nobis subministrare etiam conscientiam. Cap. X.

GErimus etiam continuo innatum nobiscum pædagogum, qui nos ad scientię notitiam peruigili stimulo accendit etiam inuitos, & naturaliter, is est consciētia, quæ, ut uere aureus Chrisostomus scribit, incorruptus iudex, cum aduersus hominem insurgit, clamat, accusat, & *Hom. 17.*

ostendit,& quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem:eamque ob rem misericors Deus principio,cum formaret hominem, conscientiam illi indidit, accusatricem perpetuam, quæ deciperet, deceptionem ferre posset nunquam. Et licet quis admisso peccato,perpetratoque aliquo facinore illicito, omnes homines cœlet, illa tamen accusatio non latet: Nam hanc intrinsecus habentes,ubicunque sumus circumferimus,ipsa nos circuit, obturbat,laniat,flagellat,nunquam quiescit,sed & domi, & in foro,& in templis,& in mensa,& dormientes,& surgentes adoritur,rationem delictorum exigit, obque oculos proponit, & delictorum grauitatem,& subsecuturam pœnam. Et rursus idem, loquens de exomologesi Lamech, qui occidit Caim, Misericors,inquit, Deus conscientiam eiusmodi accusatorem assistere uoluit, ut nunquam soli relinquamur, sed ille nobis indesinenter congrediatur, clamet, & pœnam exigat delictorum.hocque satis per se apparet. Scortator enim uel adulter, & qui aliud tale quippiam admisit, quod omnes præter conscios latere queat, nunquam tamen sic in solitudine uersatur, quin comitatus illo accusatore suspitionibus non abundet, umbras non extrepidet,& omnibus patere non credat tum conscijs,& ijs qui non sint. perpetua in animo eius,fuerit tempestas, reciprocantes cum agitant, & contractu fluctus, non somnus est suauis, sed terribilis, & formidine plenus: non cibus probe quantumuis conditus uoluptatem præbet, amicorum colloquia,non musica, non aurum, non uxor, non liberi, non reliqua id genus: sed quasi carnificem circungestaret se lancinantem, uel flagellantem continuo, ita post admissum facinus obambulat nullo conscio, intolerabiles luens pœnas, iudex sui factus, & accusator. Exempla duo retulisse sufficiet principum Romanorum, qui cum fastigiũ imperij orbis fere totius tenerent, nec legibus superioris constringerentur ob quas terreri possent, ea tamen conscientia accusatrice,legem Dei altissimi, & naturæ se offendisse,sed sero cognouerunt,& qui reuocantem a male agendo cõnscientiam,non fuerant secuti,eandem uindicantem acerrima iurisdictione,uelut furiis diris, & Erynnibus,iam uiui agitati horribili pauore experti sũt. Horũ

Hom. 20

unus

unus insignis crudelitate Nero postquam Aggripinā matrem interfecit, nocturno tempore, tāto metu cōturbabatur, ut delectio repente prosiliret, & interdiu eum perterrefaciebant tibicines auditi, quo in loco Aggrippinæ ossa sepulta erant. Quamobrem alio migrabat: cumque ibi idipsum accideret, perterritas alio proficiscebatur. Et paulo post, morte iam illius ianuas pulsante, exorto tanto ac ualido terremotu, ut terra concussari uisa, ut animæ hominum ab eo interfectorum insultare putarētur, tunc fugiēs omnia perhorrescebat: si catulus paululum latraret, aut caneret gallina, aut si uirgultum aut ramus arboris moueretur, grauiter conturbabatur ex causis quibus quiescere non poterat, ut scribit Xiphilinus ex Dion. Cassio. Alius Antonius Caracalla, ira conscientia criminū parratorum, & patricidij torquebatur, ut uideretur agitari a patre & fratre gladijs nudis & districtis ab his gestatis, ut scribit idem Xiphilinus. Sic & alijs impijs malorum conscientia pœna est: bonis autem & iustis cōscientia nihil sibi cōscia, gloria, ut scribit D. Ambros. Nec ullum uirtuti maius theatrum, ut dicebat Cicero. Sicuti enim theatrum quæ ibi imponuntur liquido manifestat, sic & conscientia, quæ & bona & mala ueluti in theatro exposita, aperta manifestat. Nam ut testatur D. Mar. Heremita, *φυσικὴ βίβλος ἐστὶ συνείδησις ὁ ἐμπράκτως ἀναγιγνώσκων αὐτὴν, λαμβάνει πεῖραν θείας ἀντιλήψεως*, id est, naturalis liber est conscientia, haud quicunque strenue & diligenter legerit, diuini auxilij haud dubie capiet experientiam. Addendus est huic Thalassius monachus, magistra, inquit, uera cōscientia est, quam si quis consultauerit, absque scrupuli offendiculo permanet. Habet enim in se cognatā quodammodo quisque boni & mali cognitionem, & ideo cōscientia dicta, quasi in nobis scientia. quæ si mala agere conemur, id malum esse cognoscens statim dissuadet, & irrationalem illam partem brutam & animalem quodāmodo obiurgat & reijcit. Et Horatius.

Hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Quo fit, ut qui in animo insidias alijs moliuntur, qui scelus mente agitant, quiue alienum a ratione & noxium uersant mente, turbulenti, inquieti, tristes ue sint & mi-

---

in uita neronis.
ex Dio ne in uita eius.
li 1. offic. c.12. li. 2. Tuscul. quæst.
lib. περὶ νόμου πνευματικοῦ, de lege spirituali
heccatōdate 1. de chari.
Hrat. 1. 1 epist. epist. 1.

nimè colore constantes, ex duello intestino inter rationem & prauas concupiscentias, quod intra septa animæ, & corporis, acriter geritur, dum inferior animalis pars rationem expellere conatur, uel dum uicissim scientia mali, futuram mali perniciem & uindictam imminentẽ passionibus obijcit. Considerare hic licet faciem mentis inquietæ indicẽ in Caino. Is enim iratus fratrem & inuidia excandescens in necem eius, cum eam animo uolueret, concidit uultu, ad quem ideo Deus, Cur iratus es, & cur concidit facies tua: nonne si benè egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum. Et prudens Iacob uidens immutatam faciem fuisse soceri sui Labam, optime coniecit fraudem aliquam contra se illum tractare, & cum uxoribus suis ab eo ideo recessit. Sunt, & his similia exempla, & quæ experientia assidua hominũ impiorum discuntur. Quia ut scribit Plutar. conscientia facinorosa, instar est ulceris in corpore, & utpote quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, uellentemque animam. Nam cum alias omnes tristitias tollere ratio solita sit, solum hæc eadem pœnitentiam facit sua sponte incitabilem præ pudore, quasique mordicus impetentem sese, atque excarnificantem. Digna certe Plutarco sententia. Inijcit namq. mali scrupulum, ratio hominis pædagoga, nec patitur uestigia pœnitentiæ, & doloris ex malo lõgius mandari, ut ea ueluti freno in lasciuiente natura utatur: si quidem, ut notat Cice. plura uidentur adferre authoritatẽ peccandi, nisi & uirtutis & uitiorum, sine ulla diuina ratione, graue ipsius conscientiæ pondus esse, qua sublata iacerent omnia. Admirabilis itaque ut in reliquis suis operibus Dei bonitas, prouidentia, & supersapientia, dum nobis tam fidelissimum comitem, conscientiam dico, atque inuiolabilem, incorruptum, & rerum necessariarum omniscium iudicem adiunxit, qui nusquam aduletur, nusquam malefactis consentiat, qui errantes, & dementes in rectũ iter nos reducat, cogatque ad bonum eligendum. Nõ grauabor Sapientis uerba hic transferre, quæ aurea certe sũt huiusmodi.

Gen. 4. *Hier. 5. & 6.* *Gen. 31.* *li. de tranquil. ani.* *lib. 3. de nat. deo.* *Sap. 17.*

1 Magna sunt iudicia tua domine, & inenarrabilia uerba tua, propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt.

2 Dum enim persuasum habent iniqui, posse domina-

ri nationi sanctæ, uinculis tenebrarum & longæ noctis compediti inclusi sub tectis fugitiui perpetuæ prouidẽtiæ iacuerunt.

3 Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis uelamento, dispersi sunt pauentes horrende & cum admiratione nimia perturbati.

4 Neque enim quæ continebat illos, spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendere perturbabat illos, & personę tristes illis apparent.

5 Et ignis quidem nulla uis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidę flammæ illuminare poterant illã noctem horrendam.

6 Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus, & tremore: quæ non uidebatur faciei, æstimabant deteriora esse quę uidebãtur. Et paulo post frequẽter enim præoccupant pessima, redarguentem conscientia. cum sit enim timida nequitia, testimonium dat condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata consciẽtia.

uers. 10. & seq.

Possumus etiam huiusmodi furiarum agitationem annotare, apud Euripidem in Orestis persona, ob occisam matrem. Et ijsdem adactum ad consilium necis Hermiones & Helenæ. Videnda etiam tragœdia Electræ eiusdem, ubi Orestis conscientia agitata uideatur teterrimis diris, quod Ægistum & Clytemnestram necasset, Idque similiter in reliquis tragœdij eiusdem, & Senecæ, annotare facile erit. Et admiranda illa apud Plutar. ubi malos perpetuo horrere ostendit, uel somniorum terriculamentis agitatos, diuinisque spectris & oraculis & portentis sibi sẽ per conscios scelerum, ut Apollodorus aliquando se per somnium a Scythis excoriari, in frustaque concidi, & ex libere cor loqui suum conspexit, & filias igni flagrantes. Et hypparchus Pisistrati filius, paulo ante obitum, Venerẽ ex quadam phiala faciem sibi aspergere uidit, Pausaniasque Bizantius, post stupratam uirginem liberam Cleonicem, & cum terrore correptus forsan peremisset; phantasmate illius assiduis ubique terroribus fuit perturbatus, ut Heracleam ad animarum expiationem nauigaret: fuitq; tota uita carcer, custos, & tortor. Siquidẽ conscientia exagitati. & propriã uitã execrantur. Hinc tot mortẽ sibi cõ-

In comedia Orestis.

li. de sera numin. uindic.

sciuerunt, impatientes iudicij conscientiæ. Sicuti enim ab initio ante scellus, dum illud concipiebatur, timores vnde cunque scientia boni & mali naturalis deterret: Sic commisso facinore eadem est temeritatis ultrix, & suo principio finis respondet. Nam scelesti (utar uerbis Statij.)

li. 3. Thebaid. uersicul. 4.

Inuigilan animo, scelerisque parati
Supplicium exercent curæ. Tunc plurima uersant
Pessimus in dubijs augur timor.

Addit & Aul. Persius rationem, per quam elegantem, & quæ nostram sciendi facultatem ex propria natura singulis, ut ita dicam, atomis susurrat. Is enim dum respondet illis qui uindictæ animo sibi licere pro uoluntate omnia putant.

Stat, inquit, contra ratio, & secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id quod quis uitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaq; continet hoc fas.
Vt teneat uetitos inscitia debilis actus.

Saty. 5. uers. 93.

Quod quidem etiam D. Paul. scripserat Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex qui osten dunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium ipsis reddente conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Porro in accusatione & defensione lis maxima, & consequenter perturbatio. Et qui huiusmodi mordentur iurgijs interius, sunt, ut plerunque uultuosi & fere horribiles & inquieti, & per uiscera mersus ignis ille per uenas meat, uoratque quietis intimas medullas, feruetque malo miserabile pectus insanum, & uultus, luna ipsa, ad quæq; mutabilior fit, sed magis scelere patrato. Describit id & per pulchre Ouidius, unde suo crimine loquens,

ad Ro. c. 2 uers. 14

Pœnitet, inquit, ó si quid miserorum creditur ulli
Pœnitet: & facto torqueor ipse meo.
Cumque æ sit exilium, magis est mihi culpa dolori,
Est quæ pati pœnam, quam meruisse, minus.
Vt mihi di faueant, quibus est manifestior ipse.
Pœna potest demi, culpa perrenis erit.
Mors faciet certe ne sim, cum uenerit, exul,
Ne non peccarim, mors quoque non faciet.
Non igitur mirum est, si mens mea turbida facta,

De

De nive manantis more liquescit aquæ.
Estur ut occulta uitiata putredine nauis.
Aequorei scopulos ut cauat unda salis.
Roditur ut scabra positum rubigine ferrum.
Conditus ut tinea carpitur ore liber.
Sic mea perpetuo curarum pectora morsus
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quam uita relinquens,
Quique dolet citius, quam dolor ipse cadat.

Mirum certe quod canit Ouidius, nec pœnam impositam posse ex delinquentis animo culpæ memoriam era dere, ut inde ab effectu sit manifestum ignorantiam illa hominum boni & mali obtusam, tanti esse delicti ut per petua pœnitentia animum ex cruciet eius, qui noluit dignitatem hominis in eo agnoscere, quiue Dei beneficiũ ita oscitanter neglexit, Neque alius quam ille liber conscientiæ, ut existimo, erit, qui in generali & horribili Dei iudicio, palam aperietur, qui ue nostra ex ordine scelera omnibus insinuabit, cuiusue accusatione incorruptissima ab excusationibus quas prętexímus peccatis, cõuincemur. De iudicio enim extremo sic loquitur Daniel, aspiciebã donec throni positi sunt & antiquus dierum sedit, & ue stimentum eius candidum, quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, & thronus eius flammæ ignis, & thronus eius ignis accensus, fluuius igneus egrediebatur rapidusq; a facie eius millia milliũ ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, in iudicium sedit, & libri aperti sunt. Scripsit enim in cordibus & rationis pro prietate scientiã illam Deus opt. maximus. Sicut enim cor pus nostrum sociam sibi ubique circumfert umbram, uelu ti negotiorum nostrorum contestem, nũquam enim a no bis abest, sed in luce clare nos prodit, sequens uel præcedens; Sic socia animæ cuique conscientia, quæ nusquam a nobis recedens, conscia est nostrarum etiam interiorum cogitationum. Et ita, ut ait Iuuenalis:

cap. 7. c. uersic. 9. & 10

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet authori, prima est hæc ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis prętoris uicerit urnam.

Saty. 13. in princ.

Et

Et rurſum: z

ead. Saty. uerſ. 191

-cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos? Et ſurdo uerbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem uehemens, ac multo ſæuior illis,
Quas & Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus.
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Sicut contra Theſaurus præſtabilior nullus optimo conſcientia, neque cor habere expoſitum morſibus, ueluti Promethei iecur cõtinuis renatis eſcis in cogitationũ iniquarum monte, ab aquilæ corroſionibus expoſitum, bonũ namque ſocietatis teſtimonium, pax conſcientiæ in quies hominis cum ea. Et bona, inquit Salomon, eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia, & nequiſſima paupertas in ore impij. Cor hominis, immutat ueſtigium illius ſiue in bona ſiue in mala. Et D. Paulus a conſciẽtiæ teſtimonio probationẽ ueritatis ducit, dum ait, ueritatem dico in Chriſto Ieſu, non mentior, teſtimonium perhibente mihi conſcientia mea in ſpiritu ſancto. Et D. Ioannes, chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et ex illa bona conſcientia cognitionem haberi docet Paul. dum auios a conſciẽtia ignorantes fieri dicit. Finis præcepti, inquit, eſt charitas, de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta: a quibus quidam aberrantes, conuerſi ſunt in uaniloquium, uolentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmãt. Quæ omnia communi & conueniente calculo admonent, nõ inutiliter nos ad ſciendum animos, tanquam ad propria perſequenda, excitare oportere, quando & naturaliter dignitas illa hominis ſeipſam intrinſecus, etiam in hominibus rudioribus tueatur, & doceat ſcientia cognata uel conſcientia, quæ facienda, quæ ue uitãda ſint. Mens enim agẽdarum rerum eſt domina; conſcientia uero eorũ quæ menti uidentur. Quamobrem ſi mens opera bona eligit facienda conſcientia applaudens, uirum ubique laudat. Si autẽ ad aliqua delicta mens prolabitur, non ſinit conſcientia talem hominem quemquam rectis oculis perſpicere, nec expedite uerba proferre: a ſacris quoque, & precibus, uotiſ-

Eccl. c. 1. d. uerſi. 30. & 31. epiſto. ad Rom. c. 9. a uerſi. 1 1. epiſt. c. 3. d. uer. 21. epiſt. 1. ad Tim. c. 1. b. uerſic. 5. 6. 7

notisque eundem arcet, neque manus ad Deum attollere sinit,& attollentem increpat ac reijcit,sicuti leges contra rebelles fieri iubent. Multaque alia operatur quæ scribit Philostratus.

Ratio alia,cur discere expediat,ducta ab eo quod se homo nosce debeat, & aliæ. Cap. XI.

Lib.7. de vita Apollo.c.7

Oportet & superioribus aliam addere rationem, quæ calcaria adhibeat ad discēdum, & ad animæ per omnia excolendam aciem. Nempe quod homo seipsum cognoscere,ut ab initio delineauimus, debeat. Nam, ut ait Ausonius,Chilo,cui patria est Lacedæmon, noscere seipsum dixit,ubi Chiloni istud aureum tribuūt, sicut & aliqui antiquorum, quanquam Antisthenes in successionibus, putet,hoc præceptum,nosce teipsum, Phæmonoes, & sibi usurpasse Chilonem,& alij Thaleti acceptum referāt: sed melius ex Dei admonitione nobis insinuatum dixit Plato,qui Delphico attribuit oraculo. Et Isocrates, Cicero, & Plutar.qui & expresius alicubi Deum præcepisse dixit,nosce teipsum. Quod & Iuuenalis ait.

De septē sapient.

Vt legitur apud Diog.Laer. lib.1. de vita Philosp. in Thaletis Milesii uita.

Lib.5. in Alcibiade primo, siue de natura hominis.

Oratio 11. quæ pane ohena.dicitur.

E cælo descendit γνῶθι σεαυτὸν
Figendum & memori tractandum pectore,siue
Coniugium quæras,vel sacri in parte senatus
Esse uelis(nec enim loricam poscit Achillis
Thersites,in qua se traducebat Vlysses
Ancipitem)seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas, te consule,&c.

Et certe Deo dignum præceptum hoc.Nulla enim sciētia melior est ea, qua homo cognoscit seipsum, ut uoluit D.Bernardus illud autem duplici ratione iniunctum est, una ut arrogantiam uitemus: alia ut bona nostra nouerimus,ut scribit Cicero, utrumque Persius cōplectit, dū ait:

Lib.de interio. domo c. 65. ad Q. fratrē li.3.epist. epist.6.siue omniū epist.epistola 22.

Discite que o miseri,& causas cognoscite rerum,
Quid sumus aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quid datur,aut metæ quam mollis flexus, & undæ,
Quis modus argento,quid fas optare,quid asper
Vtile nummus habet,patriæ,charisque propinquis
Quantum elargiri deceat,quem te Deus esse
Iussit,& humana qua parte locatus es in te.

Satyra 3. uer.

Cum

Cum autem homo ſit mundus quidam paruus, *μικρόκοσμος* Græcis, omnia ſimul in ſeſe collecta complectens, ſiue quæ in cælo & quæ in terra ſunt, is ut poſtremus ideo creatus, ſi fieri poſſit omnia agnoſcat, quę intra ſe ſunt, & potiora quæ extra, oportet. Nam homo omnis creatura eſt, imo & Deus, cum & nouiſſime ad perfectionem & colligationem cathenæ eximiæ & admirandæ rerum, ſtupendo, ſed nobis neceſſario & ſalutari modo Deus homo factus, in una hypoſtaſi domini noſtri Ieſu Chriſti, dum diuinitas, filius nempe Dei, ueram hominis naturam dempto peccato, anima & corpore conſtantem, ad myſterij conſummationem aſſumpſit. Cæterum in homine duo generaliter, aliarum rerum præſunt notionibus, anima, inquam, & corpus: anima incorporalium ſubſtantiam cognoſcendam ſuadet, dum per eam immortalitatem, intelligentias ſuperiores, Deum ipſum & inuiſibilia reliqua, in noſtra illa ſuperiori parte reuoluimus, inquirimuſque, & ſimilis eſſentiæ intelligentijs delectamur, dum animam noſtram ex digniori quadam uirtute affici ſentiamus. Item in corporis conſideratione, & naturaliter agnoſcere cogimur, ſolutionem, compoſitionem, incrementum, decrementum, morbos, motus, corruptionem, temperiem & diſcraſim, & per conſequens ſtatim elementata, & nobis ipſis cognitis ſtatim peruenimus ad rerum omnium contemplationem, cathena noſtræ conſtructionis examinata, dumque prima noſtra elementa inquirimus, ſeſe nobis offert ſemen, ex quo prodijt corpus plantæ hominis, hinc protinus reliqua ſemina plantarum in ſe uim producendi continere nouimus. Et dum embrionem in utero fieri, & incremento ſanguinis materni perfici audimus, ſtatim & cōijcimus, & docemur, & lapides in lapidicinis materię additione augmentum ſuſcipere, & ex corporibus elementatis mixtiones fieri huiuſmodi. Dehinc conſiderantes partum in utero matris, non per os ſed per umbilicum & eius canalem ad iecur delatum, ex matris uiſceribus ali. Docemur illud maximum myſterium Dei, omnes nos fuiſſe ante natiuitatem unius carnis cum parentibus, & ideo iuſtum in nos iudicium Dei propter peccatum primæ matris, & Adami: peccante enim matre & cibum uetitum guſtante, iam nos qui in eius utero eramus, & eius nutriti ſumus uenis, ab eo cibo

bo alieni esse non possumus. Cognoscimus quoque uim quotidie uegetantem, modum uegetandi, attractionem alimenti per partes ei rei deputatas, retentionem, expulsionem, idque communi experientia, ex qua artes natæ sunt perfectiores. hinc statim docti aliud quippiam præstantius in homine ex forma, ex sermone, ex commercio, operatione, societate, prouidentia, & cautione. Idque uel nemine, & nisi natura docente, quæ etiam & mores diuersos hominum per se insinuat cuique diligenter obseruanti, & fere tot quot sunt passiones, & quot animātium omnium sunt ritus uiuendi, ut Horat. non immerito dixerit, in creatione hominis, a prouidentia diuina, quam uocat Prometheum, factum, ut omni ex animante particula quædam accesserit.

li 1. *odar. ode.* 16. *vers.* 13.


Fertur, inquit, Prometheus addere principi
Limo coactus, particulam undique
Desectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Et Hesiodus hanc imaginem ex terra, aquaque, per Vulcanum siue ignem iussu Dei factam, forma & uoce & robore hominis donatam πανδώρην, pandoram dictam fuisse dicit, eo quod omnium cælitum, & deorum dono aliquo nobilitatam eam referat. Quocirca Rabini Cabballistæ in opere Miarcana, in arbore numerationum siue Tipheret, ponunt magnum Adamum in medio Sephiroth suis medijs numerationibus, & quasi lignum uitæ in medio ideali paradiso: quia ad superiorum & inferiorum notitiam, ex sua ipsius cognitione peruenire potest. Et si bene in operibus Dei philosophemur, hominem reperiemus, ueluti centrum rerum omnium creatarum, a quo ad circunferentias omnes pateat æqualis aditus. Animalia quippe quæ aqua teguntur in aqua sola uiuunt præcipue: uolatilia in aere ut plurimum: quadrupedia in terra, & ea omnia, & alia singularia quædam habent elementa: at homo utrisque fruitur, capite perpetuo cœlum conspicit, & mente extra cœlum extollitur, duobus pedibus terræ possesionem custodit, & duabus manibus, inter utraque elementa libratus auium more, ad quam partē placuerit, dirigit actus, & alia domat, sursum attolit uel deprimit, oculis & cęlum, & terrā & omnia contēplatur, &

Li. opera & dies.

in

in cẽtro mundi cum ratione poſitus, incola nempe terræ, ut quaque uerſus omnia in homine conſcientia noſcantur, ratione pro regula data. ſic habet eſſentiam, ut corpora alia ſimplicia ꝓducit, ut terra, & ſemina, & plantas, & animalia, intrinſecus, ut uermes, herbas uirentes, flatus, metalla, ſanguinẽ, lac, ſpiritus animales uitales: uegetatur, ut planta, ut arbor frondeſcit, cum ſint pedes illi manuſque & digiti pro ramis, ſitque homo planta inuerſa, habens radices & baſim in cęlo, nempe caput, & comam traducens hinc formam pyramidalem, ut corpora mundi elementaria omnia. Nam ſicut pyramidem curtam faciunt cœli cũ terra, ſi cœlum pro baſi, quia maioris ſpatij, & terra pro cuneo accipiantur, hac figura:



Sic & homo pyramidis forma, habet humeros & artus ſurſum in cœlo pro baſi, in terra pedes pro acumine, hoc modo:



Et ſic in reliquis docere ſimilitudinem mundi magni & hominis poſſumus. De quo & Deo iubente plura, & latius docebimus, particulari de homine libro uel tractatu. Nunc ſufficiat admonuiſſe Deum omnium creaturarum epitomen, anacephaleoſin in homine uno, & ultimo omnium opere digniori poſuiſſe, utpote qui eius cauſa mundum creatit, ipſum, ut Deum cognoſceret. Quamobrem, & ſui notitia eximia & neceſſaria eſt homini, ut ſi rerum mutatione & anxietatibus miſerijs ſeculi opprimatur, partem illam immortalem, & animæ ſuæ præſtantiam cõſiderans, ea ueluti temporis exuuias, & momentanea & fluxa, animosè contemnat, meliorem excellentioremque uitam expectet. Et contra ſi nimium ſibi, anima illa ob ſuam nobilitatem arroget, & Dei creatoris, & ſuperioris obliuiſcatur, corporeum ergaſtulum è tanto ſplendore uitæ ſeparatum, in puluerem & fœtidam corruptionem, cito gradu currentem conſideret; & ſi ſepulchrorum cadauera fugitauerit, ſaltem in rebus corporalibus mutationem & corruptionem omnia immutantẽ conſideret, & tantundem ſibi imminere coniectet, & ad extremum, rerum diſcretione, & ſuam a Deo ſibi datam agnoſcens naturam, omnia in occaſionem laudis, & glorię traducat ſummi opificis, qui facit mirabilia magna ſolus.

lus. Quãobrē & Rabinorum Iudæorū antiqui dixerunt,in lib. cui titulus ספר חובה הלבבות fepher chobat,halenabor. i.liber peccati cordium, confideranda effe,& expetenda. omnia quæ creauit Deus, dignitatemquę & fubftantiam eorum omnium,quæ in hac uniuerfitate continentur ani maduertendam,a minutiffimis quibufque creaturis,ufque ad maximas. Et Plato cum Polyticis in Pyreo tem agens, circulares quaslibet difciplinas, ut fapiens in republica ne ceffarias dicebat. Et per confequens & muficam & gymnafticam,& eius gratia undecunque præceptores doctiffimos requiri iubebat. Cui etiam fubfcribit Maximus Tyrius, Sed & Deus,uerus qui unus eft,per Iefaiam prophetã, maledicit ijs qui ea non contemplantur. Sic enim is fcribit. Væ qui confurgitis manè ad ebrietatem fectandam, & potandum ufque ad uefperum ut uino æftuetis: cythara & lyra & tympanum, & tibia in conuiuijs ueftris, & opus domini non refpicitis, nec opera manuum eius confidera tis:propterea captiuus ductus eft populus meus, quia non habuit fcientiam, & quæ fequuntur. Et ibi multa notat D. Chrifoftomus. Addere huic non erit alienum,fcientiã adhuc perfuaderi faltem his qui præfunt, uel iudiciorum clauium tenent,tum in ciuilibus uel criminum moderandis pœnis, & rebus militaribus, eo quod in his non liceat bis impunè peccare, adeffeque debeat conftantia dictorũ factorumve, quæ maximè inimica eft ignorantiæ,per quã ueluti qualibet tempeftate palantes deiecti mutare fentẽ tiam in incognitis cogimur,& dum uerum quærimus,nũc in hanc, nũc in aliam partem declinamus, Andebatarum, ut dicitur, moræ,in tenebris, & mentis palpabili caligine cæcutientes,ut dilucidè oftendit Plato,fouetur & fcientię commendatio neceffaria a libero arbitrio hominis, quo præditus,ut bona eligat, mala uitet:quod fine cognitione præcedenti boni & mali fieri nequit. Iubet & ratio in homine,quæ cum uoluntate non appetitu naturali,ut cętera bruta,fed cum fcientia uelle & nolle debet. Suadet & philofophandi omnibus inditus amor, cuius ftudium omnino ignorantia exterminatur. Nemo enim ritè de aliquo philofophatur,qui illud prius non amet,nemo autẽ amat, quod ignorat, ut docet Diotima fatidica mulier apud Platonem. Inuitant,& uirtutes ad eorum notitiam,quod hi

Serm. 21

cap. 5. c. uerf. 11. 12. & 13

li. 5. dia. 1. Alcibi. fiue de na tu. hom.

in

in uitę humanæ exercitijs egeamus, nempe iustitia, temperantia, fortitudo, & similes, quæ ignorãtiam, ut uitiorum, & errorum parentem, abhorrent. Ad extremum, & uoluptas quæ ex scientiæ delitijs oritur, quæve iam incipientem discere a negotijs corporis & seculi quodammodo suffuratur, & ferè suo applausu supra hominis mentem rapit, nos amplius ad sciendum pellicit, usque adeo, ut illi, qui philosophati ritè fuerunt, pallio solo contenti omnia hæc caduca quæ apud ignorantes plurimi fiunt, uilia & spurcissima, collatione cum scientia facta, iudicauerint, & contempserint, apud se & sibi ipsis reges, & monarchæ, & læti semper, & liberi. Quo enim præstantior est anima corpore, eo & multò magis animi contemplatio, in rerũ sciẽtia præstantior, & uoluptas suauior, quàm sit in rebus quibus utitur sensualis pars & corporalis. Et anima liberior, quæ sua agit, & cognoscit aliena magis, quàm ea quę ignorantia plena, ueluti scalidis compedibus carnis oppressa, cæcam partem, nempe corpus animale sequi cogitur. Possem & alias ferè ad fastigium uoluminis integri subnectere rationes, quibus ducar necessariò homini quemlibet ad scientiam assequendam allici & cogi: uerumtamen interpellat tempus, ut disposita lectoris mente secretiora aggrediar.

De medijs & modis discendi & sciendi, præter communem, & humanum ordinem. Cap. XII.

Reliquum nunc est, de necessitate scientiæ satis sermocinati, proprius salutantes nostram omnium sciendi artem, ut modum, & ordinem, quibus hominis natura utitur ad discendum explicemus, priusquam attis lineas primas ducamus. Sciendum itaque est animum, quandiu uita hac corporali, & temporali fruimur, aliquando sine corpore, sed raro, in corpore aliquando, & tamen sine corporis ministerio, & sæpius cum corporis instrumentis & organis cognoscere & discere. Et in summa, discit anima, uel sine sua industria, & absque ordine mediove humano, uel cum ordine, & opera & humana. Dixissem certè nun-

quam

quam animam in hac præſenti uita extra corpus,uel ſine eo quicquã poſſe cognoſcere,nime ab eo reuocaſſent,im primis,quę apud D.Paulũ de ſe loquentem,ſcripta cõperio, οἶδα ἄνθρωπον ἐν χριστῷ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, εἴτε ἐν σώματι, οὐκ οἶδα, εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος, οὐκ οἶδα, ὁ θεὸς οἶδεν, ἁρπαγέντα τὸν τοιοῦτον ἕως τρίτου οὐρανοῦ. καὶ οἶδα τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον, εἴτε ἐν σώματι εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος, οὐκ οἶδα, ὁ θεὸς οἶδεν, ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, καὶ ἤκουσεν ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, i. ſcio hominem in Chriſto,ante annos quatuordecim,ſiue in corpore neſcio,ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi uſque ad tertium cœlum. Et ſcio huiuſmodi hominem,ſiue in corpore,ſiue extra corpus,neſcio Deus ſcit,quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana uerba,quæ non licet homini loqui. Fuit in eo illud, quod uocant græci ἔκστασιν,uel ἀναγωγὴν ecſtaſim,uel anagogem,cum ſupra meditationes humanarum uirium, anima rapitur totis,ut dicam,neruis & uiribus,ad meditationem,uel contemplationem,ſiue notionem Dei,uel eorum,quæ a Deo altiora communicantur. tanta namque fit in illa meditatione roboris animæ collectio, ut corpus anima deſtitutum putetur.cum tamen uere uiuat,etſi functiones eius interquieſcere putes. Et ita Philo iudæus ait immortalitatis candidatos,ideſt,iam cœlo inſcriptos, ueluti Moſem ſummo concentu,& uoluptate cœleſtium raptum extra corpus,& quadraginta diebus,& totidem noctibus cibo caruiſſe. item alibi, animam non ſolum a corporeis ſenſibus ratiocinationibus Sophiſticis, perſuaſionibuſque, ſed etiam a ſeipſa uere mente contemplantem, exire. Et ſunt qui dicant, quod anima corpus omnino relinquat, & per ſe uagetur, ut quidam rati ſunt Hermotimi Clazomenij animam, corpus in ſomno relinquere ſolitam, & uagantem per mundum ſpatiari, ut ſcribit Tertullianus, fit enim quædam mentis alienatio a corpore,& maior quam in ſomno. Talis ecſtaſis Adami cum ab eius latere Cheua formata eſt, cũmque prophetauit, Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.quapropter relinquet homo patrem ſuum,& matrẽ, & adhærebit uxori ſuæ. Geneſ. capitu.2.d. ubi in uerſu 21.quo latini habent, immiſitque dominus Deus ſoporẽ

2.Cor.12

to.prio.li. de ſom. lib.leg.al leg.

li.de ani. to.2. Pli. & alij.

in Adam, Hebræi legunt, ita in berescith:
ויפל יהוה אלהים תרדמה על האדם ויישן sic lege, uaiapel iehoua tardemah gnal haadam uaiischam, idest, & fecit cadere dominus Deus tardemah, siue plusquam grauissimum somnum, super Adam & dormiuit: תרדמה, tardemah, namque hebræis significat שי נה חזקה scen æhazakah, idest somnum, uel soporem fortem, qui scilicet maior est, quam שי נה scenach. Sicuti, & scenach maior est, quam תנומה tenumah, idest, quam dormitatio. Cum hac tardemah, uel ecstasi, Abraham didicit seminis, & posterorum suorum peregrinationem, seruitutem, liberationem, imperium, & benedictiones. Sic enim hebræa lectio habet in berescith, parte quæ inscribitur לך לך c. טו uersu 12. ויהי השמש לבוא ותרדמה נפלה על אברם quæ sic lege uaihi hascemesch labo, uetardemah, naphla gnal Abrã idest, & factum est cum recederet sol, & tardemah, siue ectasis cecidit super Abram. In Iob etiam alia tradita doctrina per tardemah, sic enim ibi scribitur ואדי בשעפים בנפול תרדמת על אנשים כדר ונכב ותקם אזני שמץ מנהו מחזיונות לילה legas ueelai dabar uegunab, uatikam ozeni scemetz menehu, bignispim mechezionoth laiela, binphol tardemah gnal onaocim, id & ad me uerbum reuelatum est in modum furis: & recepit auris mea murmur ab ea in cogitationibus per uisiones noctis, dum caderet tardemah super homines. Et melius apud eundem Iob loquitur hac de re Elihu: כי נאחת ידבה אל ובשתים לא ישורנה בחלום חזיון לילה בנפול תרדמה על אנשים בתנומות עלי משכב אז ונלי אזן ויחתום ובמוסרם יחתום להסיר אדם מעשה וגוה מגבר יכסה אנשים ci beachat ieddaber el vbescetaim lo iescuranah: bacholom chesceon laielan beniphol tardemah gnal onascim bitnumoth gnolei miscab: az iagile oxen onascim ubemoscaram iathom: leasir Adam magnasce ve geua migebar iecasse, idest, quia semel loqtur Deus, & secundo non explanat idem in somnio, uisio nocte dũ incidit tardemah super homines in dormitationibus (siue leui, & non profundo somno, hoc enim significat תנומה) super stratum. tunc reuelabit siue aperiet aures uirorum, & instruens eos confirmat, & ueluti sigillo obfirmabit eos (illud enim significat יחתום), ut auertat hominem ab opere & superbiam uiri occultet: his addere possumus, quæ in

contem.

Gen.15.

Iob.33.

contemplatione habentur & uisionibus mentis, reuelationibus diuinis, quæ ve ex incorporalibus mente tantum comprehenduntur, in quibus quodammodo anima extra corpus rapitur, intentione scilicet mentis, & diuino quodam auxilio eleuata. Existimo namque in his, uerũ illud non esse quod philosophi aliqui dixerunt: scilicet nihil prius esse in intellectu quin antea fuerit in sensibus corporis, quod inde falsum apparet: & multa nobis dormientib. a Deo manifestantur quiescentibus sensibus, & alligatis, vt ait Aristoteles, & Cicero, ueluti uisu, auditu, odoratu, gustu, tactu, idque uel intra se ratiocinante anima, & hinc (ueluti ex chalibis cum lapide concussione elicitur ignis) quædam colligente, atque reuelationibus instillatis extrorsum, multa notat de futuris, uel præteritis, quæ quidẽ sub sensum non cadunt, cum non sunt præsentia, neque ex coniecturis, & causis obiectus consequi possint. quanquam, & interdum ex his quædam insomnia oriantur. Dicimus namque causam insomniorum aliam esse extrinsecam, aliam intrinsecam: intrinsecam aliam naturalem aliam animalem. Naturalis autem illa est, quæ ex disposita materia humorum quatuor corporis, uel aliquo eorum prædominante, nascitur. Sicuti in corpore cui inest abundantia sanguinis, & bilis flauæ, insomnia apparent ut plerunque rubei coloris, nuptiarum, uel sponsalitiorum phantasmata. Dulces cibi uidentur, rubei flatus, & huiusmodi, quæ etiam uariari possunt propter diuersum colorem, & mixtionem diuersam illius non naturalis humoris biliosi: interdum enim bilis flaua, ut scribit Galenus, tenui mista humiditate, colore pallidior, consistentia humidior, interdum ouorum uitellis similior, interdum colori porraceo, interdum colorem isatides referens: pro quorum mutatione, & diuersæ exhalationum species phantasiam obsident, & opprimunt. Scio etiam atrabili melancholia laborantes, quia fuliginis instar exhalant, & transmittũt vapores in cerebrum, agitantur in somniis rerum fuscarum, & tenebris, phantasmatibus horridis, ut sepulchris infirmiorum cadauerum, timorum tristium, potentorum lugubrium, fætidorum, & dæmoniorum falsis spectris. Et idem Galenus non tantum in pueris, sed etiam in ætate perfectis, terribiles fieri per somnos, aut imaginationes, quando

li. de som. & uig. et li. de diu. per som.

to. 3. li. de atrabile, & alibi.

do multi,& uitiosi humores grauant, & mordent uentriculum, præsertim ipsius os. Et qui pituita onerantur, uel phlegmate, concipiunt ut plurimum in somnia aquea, ut pluuiam, fontes, mare, puteos, lacus, & quæ his continentur, uel in his uersantur, ut naues, pisces, retia lauantes, & alluentes, & omnia quæ colorem pituitæ referunt, ut album, calcem, caseum, lac, lixiuium, sputum, urinam, & similia, & quæ his fiunt. Qui etiam siccæ sunt naturæ, & uacuo cerebro, leuia se agere existimant, ut uolare, aues capere, & huiusmodi: Sicuti contra infarti, & repleti humoribus crassis putant se nimio oneri imposito succumbere, uel ui uel debilitate opprimi: & si putridi humores, ut in febri putrida, omnia turbulenta, fœtida, & immunda apparent. Et ea omnia causam trahunt naturalem ex discrasi, & regurgitatione humorum, non ex sensibus orta natura sua, sed humoribus, de quibus Deo iuuante latius dicemus in medicis. Quæ medicos in morborum crisibus, & presagijs maxime considerare par est, ut scribit Plutar. & Hippocrates, & Galenus, & Themistius. Alia est insomniorum ratio animalis, quæ ex causis externis præcedentibus sensibus attractis ortum habuit. In quiete namque impressa uigilando euoluit anima in sensibus interius, in quibus, uel integra phantasmata rerum, uel aliqua pars est efformata, ibique interdum euolutione facta quorundam obliuiscitur, errore aliquando alia pro alijs inculcat: sicuti si multum ante dormitionem disputatum auditumve fuerit de aliqua re, si uisa res quædam serio, & cum affectione hæc statim inter insomnia sese exhibent, & offerunt ueluti retractanda, & ex præcedenti sensuum apprehensione pendent, si falso se exhibent ἐνύπνιον dicunt græci & uanum, & ex præcedentibus pendens insomniũ, ut scribit Macrobius, & Herophilus uoluit hæc somnia a natura confingi, cum animus rerum sibi utilium aut futurarum etiam formas effingit, ut & illa a casu, quæ confusa sunt, & imaginum occursu procreata, tunc enim ea spectamus, quæ desideramus, ut scribit Galenus, unde non immerito a theologis damnantur si turpia, & illecebra sint, utpote quia iam cogitatio turpis, & assensus animæ uetitus qui præcesserit & dederit causam phantasmati, & quadam delectatione applaudente, unde & Christus circuncidit a christiano co

li. de tuẽda bona ualet.
lib. de insom. c. 2.
li. 1. in sõ. scip. c. 3.
to. 8. li. d hist. phil.

gitationes prauas, impudicos aspectus, & similia, ex quib. improbantur ὀνειρωγμοί, uel pollutiones nocturnæ, quib. mederi scribit Nimpheæ primæ radicis potionem Dioscorides, & Galenus. Causa porro extrinseca omnino est, quæ non ducitur ex obiecto ad intellectum per sensualia, sed aliunde: ea autem rursum duplex potest esse, corporalis uel spiritualis. Corporalis, ut plerumque est corpus cœleste, ad motum namque corporum cœlestium, & humores nostri commouentur, uel nimio calore, uel frigore, uel cœli constitutione. Et hæc causa potest esse apud Arist. cur nonnulli ad columnas Herculis, uel ad Boristhenem futura præsagiunt: forsan quia ibi aer melior, & expeditiores a sollicitudinibus homines, & ingeniosiores, uel quod ob situm cœli organa subtiliora habeant, uel quadam occulta intelligentia forsan gubernantur. Si credi quidem hac in parte debeat Aristoteli, ut contra Ammianon Marcell. apud Athlanticos somnianus uideri ait. Sunt & diuersa somnia, pro temporum anni qualitatibus, cũ ut in Aphorisinis Hippocratis, & apud Galenum in eius commentariis, humores diuersi uigeant, & concitentur hinc passiones, & affectus uarij, concurruntq. in his externa cum internis, ad somnia procreanda. Nam sola externa sufficere non puto ad dormientib. mouenda simulacra cum errore Lucretij, qui ait.

cano. nõ ē peccatum 6. di. in i. par. decr. Consf.

-quæ rerum simulacra uocamus,
Quæ quasi membranæ summo de corpore rerum
Direptæ uolitant, ultro citroq. per auras.
Atque eadem nobis uigilantibus obuia, mentes
Terrificant, atque in somnis cum sæpe figuras
Contuimur miras simulacbraq. luce carentum,
Quæ nos horrifice languentes sæpe sopore
terruerunt, &c.

Sicu & paulo post errat, dum ait:

Dico igitur rerum effigies, tenuesque figuras
Mittier a rebus summo de cortice earum,
Quæ quasi membrana, uel cortex nominanda est,
Quod speciem ac formam similem gerit imago
Cuiuscunque luet de corpore fusa uagari.

Duplex certe error, unus quod decorticari putet res, quasi ex omni parte simul,& semel res corrumpantur,qđ falsum natura ostendit.Et secundus quasi simulacrum decorticatum,& corporeum, per consequens quiescentibus in somno sensibus possit ingredi mentem nullo medio. Et fuisse illam Democriti sententiam, quæ & Lucretij sicut Peripateticorum,ut motionibus quibusdam tribuerét somniorum causam scribit Themistius. Potest tamen etiam extrinseca causa dari ab aliis corporibus aliquo modo nobis dormientibus sensibus nostris insinuatis, ut si quis nimiis stragulis in lecto oppressus,æstuans, & sudore debilitatus,putet se ab alijs,uel domo, uel hominibus opprimi:& si modicus tumultus intercipiens somnum dormientis,fulgura, tonitrua persuadet, & ita de similibus. Negotiatur namque ex modico mens in sese tunc collecta: ex lapide montem,ex scrinio domum cõponens diuidens,& multiplicans.Non secus ac uigilando aliquo, ex parte nobis cognito,mens coniecturis,ratiocinationibus,& infinitis additamentis rem euoluit, & mutat priusquam quiescat. Spiritalis autem triplex constitui potest insomniorum externa causa,Deus,angelus,dæmon.Deus namque per somnium multa reuelat nobis, & ex eo multa discimus,cum is sit omniscius,& omnium humanorum actuum etiam prouidus,& sapientissimus dispensator.potest autem sine medio exterioris sensus reuelare, & imprimere.Nam & D.Dionysius Areopagita: Inter cætera, quæ annotat ad suscipiendam scientiam ex diuina,& infinita sapientia Dei (quam uocat ob incomprehensibilem claritatem, diuinam caliginem, eo quod ad illius intuitum,ut oculi acies ad solis radios, sic ingenij humani acies in illius admiratione absorbeatur) illud necessarium ducit,ut ab animis nostris omnia humana,sensualia,& intellectualia abdicentur, si ad illius caliginis agnitionem peruenire uelimus, ueluti & Moses in montem caliginis ascensurus, ut cum Deo loqueretur, se ab omni populo imo & senioribus,& sacerdotibus secreuit.Iubent & Plato &Pythagoras,ut ueritatem simplicissimam consequamur multitudinem fallentis exterioris, & distrahentis populi, fugere:& multo magis multitudinem interioris populi, quæ magis distrahit.his significantes fugiendã multitudi

Exo.24.

nem

nem primò affectuum, secundò sensuum, tertiò imaginationum, quartò opinionum inde pendentium, ut scribit Proclus. Et Plato ita ratiocinatur. Tunc animus, inquit, nõ cum ueritatem cum corpore & sensibus attingit, quia tunc facilè decipitur a corpore, sed quando cum horum nihil perturbat, nec auditus, nec uisus, nec dolor, nec uoluptas: sed quammaximè seipsum in se recipiens, deserit corpus, nec quicquam quoad fieri potest, cum illo communicans, neque attingens ipsum quod uerè est, affectat. Et ita intelligenda opinio multorum qui aliquid diuinitatis in somno esse dicebant, & ideo uisa in eo occurrere praenunciа futurorum, ut scribit Themistius. Nam tum maximè filij Dei simus potestate nobis data, cum affectiones proprias exuimus. ut scribit Thalassius monachus. Et Deus, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum. Tunc enim quiescunt passiones, quae ex philautia oriuntur, quod somnus aliqua parte nempe sensuum, imitatur. Porrò quia corpus in somno non distrahitur in obiectis per sensus, sed quiescit, nec in rebus mortalibus occupatur anima, si ea sit in Deum prona. Tunc Deus eo tempore secretorum multorum ei reuelat arcana; uidetur enim somnus esse uiuendi, & non uiuendi interliminium, ut non uerè uiuere, nec uerè mori qui dormit uideatur, ut scribit Arist. Et antiqui somnum uocarunt fratrem mortis, ut etiam Hesiodus.

lib. de anima et daemon. lib. 29. in Phaedone uel de anima.

lib. de diuinat. per som. ca. 1.

lib. de charita. hecat ont. 2.

Luc. c. 9. c. uer. 23

lib. de gener. animal. c. 1.

In Theologo uer. 1406.

ὑ δ᾽ ὕπνον μετὰ χερσὶ κασίγνητον ἀθανάτοιο, &c.
Illa uero inquit, in manibus somnum fratrem mortis, &c.

Et Homerus ait Iunonem ex Olympo descendisse, & peruenisse ad Lemnum ciuitatem,

Illia. 24. uer. 231.

ἐν ὕπνῳ ξύβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο.
Vbi obuiauit somno fratri mortis.

in trag. Hercu. furetis act. 4. in fine Chorus uers. 16.

Et Seneca vocat, somnum fratrem durae languidũ mortis, ueris miscentem falsa, futuri certum, & eundem pessimum authorem. Et cogentem longam discere mortem. Et Pausanias, veteres unica nutrice noctis pinxisse scribũt mortem & somnum, idque tanquam fratres: quod idem alibi repetit. Et Virgil. describens uestibulum inferni, in quem descendit Aeneas. Ibi, inquit, &

Eliad. li. prio. uel li. 5. ope. In Laconi lib. 3.

Terribiles uisu formae lethumque laborque,
Tum consanguineus lethi sopor, &c.

Cicero etiam imaginem mortis somnum dixit. Nec id solum rati philosophi Ethnici, sed & Christiani, ut etiam D.Chrisost.nihil aliud esse somnum definierit,quàm mortem temporariam,& unius diei interitum. Et rursum,imaginem mortis & consummationis dixit.Et Christus etiam dormitionis nomen ad mortem transtulit.Et in scripturis sacris sæpius dormitio pro morte ponitur. Et ideo locus, ubi mortui sepeliuntur, dicitur cæmiterium, quasi dormitorium:eo enim nomine Cretenses uocabant domum, ubi conuiuæ hospites dormire solent, ut scribit Athenæ, quia in utrisque quiescit sensoria facultas,ut & apud iurisconf. & dormientis præsentia pro nihilo reputetur, ut ait Vlpia. Præsentia tutoris dormientis ad authoritatis præstationem nihil prodest, & apud Paulum, Adeptio possessionis nulla censetur eius,qui dormiendo naturaliter tangit. Quo fit ut anima in somno quodāmodo ab opere sensorio, (non dico uitali,quia & dormiente corpore perpetuò uitali spiritu fouetur, teste pulsu,& micatione arteriarum) ferians, liberius rerum contemplationi uacat,& disponitur ad radios diuinitatis recipiendos,purior enim in corporis quiete est anima,leuior subtiliorque,& tunc sublimia uidet ac expedita est,ut scribit D.Chrisost.Sic Strato cogitationem aliam quandam naturam insomnis habere dixit: tunc enim illam melius sentire credit, atque ideo magis etiam cognoscere,ut scribit Galen. Nec superfluum erit his Porphyrij uerba scribere, ex libro τῶν πρὸς τὰ νοητὰ ἀφορμῶν nume.23. περὶ τοῦ ἐπέκεινα νοῦ, κατὰ μὲν νόησιν πολλὰ λέγεται, θεωρεῖται δὲ ἀνοησίᾳ κρεῖττον νοήσεως, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ καθεύδοντος, διὰ μὲν ἐγρηγόρσεως πολλὰ λέγεται, διὰ δὲ τοῦ καθεύδειν ἡ γνῶσις καὶ ἡ κατάληψις, τῷ γὰρ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον γινώσκεται, ὅτι πᾶσα γνῶσις, τοῦ γνωστοῦ ὁμοίωσις, id est, quod supra mentē est, p intelligētiam multa quidem dicuntur. considerantur autem, sine intelligentia,meliori intelligentia, sicuti in dormiente. multa namque per uigiliam dicuntur,sed eorum per somnum intelligentia, & compræhensio. Simile namque simili cognosci solet:quoniam omnis cognitio, assimilatio quædam est rei cognitæ. Hippocra.etiā, Quæ,inquit,somniata uera esse credo & sunt: etenim somnia non cognosco,quæ præsertim ordinem seruant. Et quanto purior ab illece-

1.Tuscu. Tomo 1. homilia do Dauid et Saule. Tomo 3. in c. 13. apost.homil. 26. Mat.c.9 Marci c. 5.d. Ioh. 11. 2.Reg.7 3.Reg.2. c.& 11. & 14. et 15.Et 4. Reg.24. Iob.7.d. 12.14.b. Et alijs multis in locis. Lib.4.dipnosoph.c. 5. hom. 26. in c.12.a Eluapost. tomo 8. li.de hist. philo. epist.quā scribit ad Philopæmonē de insomnio suo,deDemocriti

illecebris & fordibus & cibis,tāto ad id alacrior eſt. Sic me liùs ánima, quæ per ſe ad diuinandum prompta eſt,puriorum & ſaniorum hominum,certius præuidet,ut ſcribit Plato. Cum enim,ut ſcribit Philoſtratus, uiri optimi dormitū acceſſerint,anima pura & quieta,ſomnium capiunt, neq; proſperis ſucceſsibus elati,nec aduerſitatibus ullis oppreſſi ſine perturbatione,per ſomnia uaticinationē, quæ apud homines diuiniſsima exiſtimatur, multo facilius conſpiciunt,anima uino non ſuffocata,ſed pura mundaque omnia quæ uiderit,colligit facilius, & diſcernit. Quapropter ſomniorum interpretes, quos onoropolos appellant poetæ, de nulla unquam uiſione antea cōſultatoribus reſpondebant,quam uiſionis horam ſciſcitati eſſent.Nam ſi matutino tempore ſomnium apparuiſſet,tunc de illo aliquid coniectari ſe poſſe arbitrabantur, quia tunc uaticinari recte poſſet anima,cum eſſet uino ciboque liberata.Sin uero primo ſomno aut media etiam nocte, cum adhuc uino ſuffocata eſt,demerſaque anima, ſomnium dicerent appa ruiſſe,ſapienter quicquam dicere renuebāt. Sic ferunt Amphiaraum conſultum, oracula reddidiſſe in Attica terra, nempe per ſomnia,iuſsis ſacerdotibus qui oracula ſuſcipe rēt, integrum diem a cibo,a uino autem triduo abſtinere, ut pura expurgatave anima oſtenſorum rationes melius cognoſcere poſſet. abſtinebant & eius rei gratia Pythagorei a certis cibis & leguminibus,cumque his ſitum decubitus obſeruabant,ne reſupini uel in dextrum latus iecur cōprimerent,uel ſtatio ſenſuum fluitaret: adhibita temporis etiam uerni expectatione,ut ſcribit Tertullia. Hinc ad ſuperſtitionem nimiam traducti,putantes ijs & ſimilibus allicere ad ſe numen, quibus etiam alia uana, dicam & impia, & dæmonum arte adiuncta ſunt, ad ſomnium ut mentiuntur propheticum ſuſcipiendum,nempe ſuffitus, inunctiones temporum,annulli,cæleſtes imagines, uel melius idola,chartæ conſecratæ,& alia quæ uaniſſimus ille Agrippa perſuadet. Cum tamen Iamblicus probauerit non animam,ſed diuinitatem ipſam,cauſam diuinorum operum. Et nos etiam Chriſtiani dicimus,prophetiam donum eſſe Dei,non ex meritis noſtris,& interdum non tam ad prophetantis utilitatem,uel propter bene actam ab eo uitā da tum,quantū ad aliorū cōmodū & doctrinā,ut & docet plu-

curatione.epiſt. 2.ad Dionyſ. li. 2. de uita Apollo. c. 14.

Li. de anima to. 2.

Lib. 3. de occul. ca- coſo. quā ipſe falſo inſcribis Philoſo. c. 52.

Li. de myſter. Aegyptio cōtra Porphyrium.

Homilia 25. in Mat. ex c.7. Mat. tomo 2. c.7. Ma. 1. Corint. cap.12. Mar. 95 Nu. 24. Gen. 40. Daniel 2. Ge. c.20 ver.3. li. de diui. nat. per som.

ribus D.Chrisost. Multis namque dicet Deus, non noui uos,etsi in eius nomine prophetauerunt, si cum prophetia bonis operibus non abundauerint. Et D. Paulus nihil esse scientiam, prophetiam uel fidem sine charitate & bonis operibus docet.Et Iudas apostolus & propheta & rerum al tissimarum scius periit.Prophetauit & Balaam,a fide & pro bitate uitæ prorsus alienus,ad ædificationem & utilitatem crediturorum.Et talis Pharao, qui in somnijs tamen futurorum pręcognitionem a Deo accepit.Et iniquissimus Nabuchodonosor,cui etiam,quæ in nouissimo erant futura, Deus reuelauit. Et Abimelech rex Gerare nouit per somnium diuinum, Saram uxorem esse Abraæ. Atque etiam Aristoteles,non ex persona insomnia recipientium, somnia diuina esse colligi debere putat: quia,inquit, & bonis & malis interdum apparent.Sicut enim Deus facit oriri solem suum super iustos,& iniustos, sic & res interdum impijs declarat sæpe ad illorum emendationem, illos territans uel castigans vt dictum est diuiti,qui horrea multa impleuerat,quive opipare uiuere statuerat in posterum. Hac nocte repetetur anima a te,& quæ parasti cuius erunt? Sic facinorosis seruis Pharaonis, reuelatum est in somnijs in carcere, mortis & absolutionis a uinculis dies, interprete Iosepho. Et scribit Homerus καὶ γάρ τὸ ὄναρ ἐκ Διός ἐστι, Et somnium ex Deo,uel(ut ipse ait)ex Ioue est. Quod & refert grauis uir Plinius Secundus,dum scribit Suetonio Trãquillo,qui se perterritum dicebat fuisse antea somnio. Et nec in parte uidetur mihi lapsus a ueritate Themistius peripateticus,qui in paraphrasi de diuinatione per somnium existimauit,somnia non immitti a Deo,ductus ea ratione, quam efficaciæ exploratæ dicit; quod perabsurdum est, figurationes futurarum rerum per somnia, non optimis sapientibus.sed siue ulla lege ac fere pessimis quibusque ac abiectissimis hominibus,euenire : Quasi uero Deus, quia bonus est,& utens suis pro libito creaturis,hinc indignitatis aliquam labem suscipiat. Certe non ideo is impurus. Nam & asinam Balaami loqui fecit, & superiora exempla docent Deum uti impijs propter illorum conuersionem, uel aliorum utilitatem. Cum & dæmonibus ueluti carnificibus, uel ad probationem constantiæ bonorum, utatur. Sed non ita,ut Themistius censet, D.Gregor. Papa, qui

Gen.40. c. Illiade 1.li. 1.c. epistol. cap.1. & c.5.

Li.8.moral.c.18.

cum

cum enumerat sex species somniorum, Aliquando, inquit, somnia ex uentris plenitudine uel inanitate, aliquando illusione, aliquando uero & illusione & cogitatione simul, aliquando reuelatione, aliquando cogitatione & reuelatione simul. Duo prima experimento nouimus. De hostis illusione & ea quæ inde sunt nascentia, non sunt obseruanda, admonet Ecclesiastes, Multos errare fecerunt somnia, & illusiones uariæ. Et in Leuitic. Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. De reuelatione in somnijs Ioseph habe[illegible] r Matthæi 2. De somnijs ex cogitatione & reuelatione apud Danielem c. 2. ad Nabuchodonosor dixit Daniel, Tu rex cogitare cæpisti in stratu tuo, quid esset futurum posthæc, & qui reuelat mysteria (audiat Themistius) ostendit tibi, quæ uentura sunt. Tractat & de his D. Gregor. Nyssenus. Sed quid plura? & somnia immittuntur quam plurima & uera a diabolo, & plura oracula permisit Deus inter Ethnicos idololatras edi, & aliquando uera. Atque Phitonissa ex Samuele suscitato, Sauli mortem prædixit. Et Phitonissa tempore D. Pauli uentiloqua, & angelus Sathanæ sæpe, ut ait D. Paulus, se transfigurat in angelum lucis. Et cum sit substantia incorporalis, non dubium est quin nobis dormientibus posit commouere humores, & pasiones, & simulachra phantasia antea comprehensa, & retenta, cum illi obediat materia corporalis quoad motum localem, ex quibus formari possunt diuersa insomnia, quibusque concitabitur dormiens ad diuersas concupiscentias, ueluti ad timorem uel uindictam, cui rei illud maximum alexi pharmacum noui, Dei opem ante decubitum implorare, & se totum Dei custodiæ & precibus cœlitum, & tutelæ angelorum bonorum, commendare. Scriptum namque est, qui habitat in adiutorio altisimi, in protectione Dei cœli commorabitur. &c. Non timebis tunc a timore nocturno, a sagitta uolante in die, a negotio uel re ambulante in tenebris &c. Super aspidem & basiliscum ambulabis, cõculcabis leonem & draconem. Quę certe uerba, & totus ipse Psalmus, noctu ante somnum præcantatus, cum pia & dominica oratione, Pater noster, & salutationis uirginis Mariæ, tantam habet aduersus potestates tenebrarum anthoritatem, ut mens a peccatis libera, his pro amuleto vtens, longe Sathanę astuta noctis mo

Cap. 34.

Cap. 19.

Lib. 1. de crea. ho. c. 14.

1. Reg. c. 28. c.

2. Collos. c. 13. c.

Psal. 90.

limina

limina exterminet,& a nobis longius emandet. Cæterum quia ea quæ ad causas insomniorum extraneas, & incorporales pertinent, multa & uera & falsa concurrere possunt, & quia nos scientiam eo modo aliquorum absque sensuũ ministerio haberi posse dicimus, docere nos oportet, quæ sunt illa ex quibus discere vera possumus,& quæ sunt reijcienda, & quomodo distinguantur dæmoniaca a diuinis reuelationibus.Sed imprimis nosse necessarium, somniorum alia esse omnino falsa,alia omnino uera, alia ex his mixta. Et hæc est nostra diuisio. Omnino falsa sunt uana illa spectra, & a Dæmone subministrante illusiones quæ turbati animi,quæ desiderantiss, ut illius mycilli, qui aurum somnians,uere se aurum possidere arbitrabatur apud Lucianum in dialogo de somnio. Aliaq; huiusmodi sunt ἄσημα. Quæ omnino uera sunt, ea reuelationes secretorum, & Dei admonitiones puræ. Mixta autem quæ cum inuolutionibus quibusdam habent ueritatis imaginem,in quibus errari quidem in aliquibus potest, potissimum in determinationibus particularibus euentuum in uniuersum demõstrationem. ut D. Antonius uisionem ueram de futura proxima ecclesiastica Arriana persecutione, male mundi ruinam futuram prænuntiare putabant,ut est apud Nicephorum Cali.Temporis enim non certitudinis euentus fuit, error. alia etiam traduntur fictis rebus inuoluta, uera tamen apud optimos coniectores. Et si antiqui duo tantum somniorum genera ponant,& duas portas eorum, unam corneam qua uera immittuntur: alteram eburneam qua falsa,vt est apud Homerum,Lucianum apud commentatorem Homeri, Virgilium, Macrobium.Est autem in antiquorum lectione,a uanis somniorum obseruationibus abstinendum,de quibus Artemidorus Græce 5.libros scripsit, & Synesius episcopus: Dicimus igitur has regulas hac de re retinendas. Prima, somnia ex causa animali & præcedentibus cogitationibus, uel sensibus perceptis, esse uana :nam mens humana quod optat, dum uigilat sperans, per somnum cernit idipsum.uidendusque Cœlius Rhodiginus hac de re. Secunda, quæ per humorum dominationem suscitantur, utilia sunt prægcognitioni crasis uel discrasis humanę naturę, & potissimum obseruanda a medicis. Tertia, somnia, quę animę apparent, prouidentiam uel

Libr. 10. *c.*43.

Odissea 19.

In somn. dialog.

Odissea 2 *ann.* 174

6. *Aeneidos.*

*In somnij. Scipio. li.*2. & *c.*3.

Li. 27.*c.* 14.

cautionem

cautionem, uel præcognitionem rationi consentanea, superstitione procurata, nec Dei religioni aduersantia obseruanda sunt. nihil enim prohibet quin anima quæ nobis uigilantibus, quędam etiam nunquam nobis audita, uel nunquam intellecta, uno impetu intelligit, eadem liberior ab actionibus corporis, noua etiam dormientibus non possit intelligere, nunquam enim anima nostra quiescit, quin in seipsa non moueatur, agat, consideret, & meditetur, siue corpus quiescat, siue uigilet. Et hac in parte laudo maxime uictus honestatem & parcitatem, cum animalis homo non sentiat ea quę sunt spiritus, cum que tetrę & putridæ exhalationes, ex copiosa supra modum ciborum ingestione, cerebrum petentes illud offendere, & organa mētis obtundere possunt: in quibus probādis multa scripsit Porphyrius, alioquin impius libris quatuor de abstinentia animatorum. Laudo hic maxime ieiunium, & eo amplius, quo religiosius, & mens in Dei laudem, & gloriam dirigitur. decrescentibus enim uiribus corporis ueluti carcere animi & hoste debilitato, fortiori armatur uirtute anima. Sicut contra, quanto corpus pingue, & cutis bene curata, tanto amplius languescit, & profundiori carcere maceratur anima. Eo modo Daniel & socij, disciplinæ cælestis auidi, ieiunabant, nec tamen ea superstitione, qua Pythagorei: hi enim leguminibus nutriebantur, regio apparatu recusato. Et Daniel etiam ut intellectum rerum altissimarum a Deo impetraret, trium hebdomadarum spatio ieiunauit, abstinens quidem omnino a pane, carne, & uino, sed non ea ratione qua impij Pythagorici abstinebant a carnibus, suæ metempsychosi uel metasomatosi inhærentes, nec ea ratione qua hæretici aliqui abstinent: sed ea tantum causa, qua & nunc sancta mater ecclesia, catholica orthodoxa ubique & semper indixit ieiunia, ut maceratione carnis spiritus in Deum esset agilior, & ad contemplandum leuior. Docet id Angelus qui mysteria reuelauit Danieli, dum ille dixit, noli metuere Daniel, quia, & ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu domini Dei tui, exaudita sunt uerba tua, & ego ueni propter sermones tuos. Neque mirum etiam esse debet, si ob ieiunium

Dan. 1. uers. 12. ut le tur Da c. 10.

san-

sanctum, in quo ieiunat anima, & corpus, dum & a uitijs, & delictis una, & a cibis quis abstinet, Deus tum uigilantibus, tum dormientibus per uisiones multa reuelat, si animam erudiat facilius: facilius inquam, non ratione docentis, nam is est semper omnipotens, & æqualem habet potestatem, sed facilius ratione nostri, ratione inquam subiecti, cum nos ipsos probe disponimus ad Dei beneficium suscipiendum. Neminem enim illę uia ordinaria cogit, qui liberum electionis & petēdi & obtinendi dedit arbitrium. Nam si quis indiget sapientia, postulandi datur libertas a domino, qui dat omnibus affluenter, teste diuo Iacobo.

Iacob. 1.

Postulet autem, nihil in fide dubitans.

Postulet & pure, quia

li 1. epist. 2. Ouidia na epist. Sap. 4. uers. 3. 4 & 5.

Casta placent superis. pura cum ueste uenite.

Et manibus puris sumitte fontis aquam.

Vt scribit Tib. & ut Dido,

Non bene cælestes impia dextra colit.

Et Salomon; Peruersæ cogitatione separant a Deo, in maleuolam animam non introhibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et spiritus sāctus effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus. Ieiunium autē hoc & animam purgat, uel ad meliora iuncta & ratione mirum in modum disponit, & ut scopis mundatam domum Deo exhibet: nec mirum, iterum dico, ut qui aures habet audiat, si hoc ieiunio facile reparetur intellectus ab ignorantia, contrario ueluti antidoto peccati protoparentum, qui in ignorantiam per esum uetitæ arboris, inciderunt & quia in esca præcipiti fuit mortis sententia, ita & facile tempore ieiunij ueri, per paruam & temporalem mortis imaginem per somnū, Deus ut plerumque nos instrui curat. Et ieiunium extra somnū, cum ratione impetrat a Deo, ut nocturnis & quietis uisionib. sæpius quis illuminetur ut non tam somni causam, quantum Dei placitam in ieiunio annotes uoluntatem, uel puritatis mentis dilectionem. Quod si mens sine ieiunio talis sit, qualis per ieiunium reddi curatur, nempe pura & uirilis (quę enim uoluptatibus uacat, mulierosa est) non ieiunij medium Deus exigit, cum finis, qui ex ieiunij medio oritur, iam adsit. Ad cum modum pura illa & a Deo pro thesauri infiniti

finiti & matris custodia electa, beati Iosephi anima accepit scientiam a Deo per angelum in somnis dum dictum illi, Ioseph fili Dauit noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritusancto est, & cætera quæ sequuntur. Sic edoctus in somnijs fugere Herodem, & de reditu. Et pari modo beatæ illæ tres animæ Magorum orientalium, adoratione ueri Christi Dei & hominis facta, replete intuitu ueri Dei diuinitatis radijs, responso in somniis eruditæ ut aliud iter pro reditur eligerent. Sunt his alia exempla sacrę scripturæ similia, quæ quisque facile deliberare potest. Quarta autẽ somniorum regula hæc, somnia diuina, quę a Deo per se uel per angelos bonos immissa sunt, digna obseruatione esse, imo & omnino sequenda, Et ne in lumine quis hæreat, repetat oportet ex proxime citatis in principio capitis locis sacræ scripturæ, a Deo immitti quoq; insomnia, siue uisiones placuerit appellare. Quibus addi potest testimoniu Dei, audite sermones meos, dicit dominus, si quis fuerit inter uos propheta domini, in uisione apparebo ei, uel per somniũ loquar ad illum. Quod & docet Philo Iudæus, & Herophilus partim a Deo summitti somnia dicit, quæ necessario contingere iudicat, ut scribit Galenus, & Hippocrates, quæ, inquit, somnia diuina sunt, quidque boni, uel mali uel urbibus uel priuatis euenturum significãt, ferme nunquam errant.

Mat. 1. d. uer. 20
ca. 2. Matth.
num c. 12 uer. 6. Tomo 2 lib. 9. quod a Deo mittantur somnia.
Tomo. 8. lib. de historia
Philos. 1 lib. de insomnis.

Docet & in somnijs & per uisiones Sathan ut dictum est, etiam uera aliquando, sed plerumque falsissima, & quandoque se trãsfiguraut in angelum lucis, ut scribit D. Paulus, Et Iamblicus, & Proclus 3. uera insinuare potest quæ iam gesta sunt, ignota tamen nobis, item longinqua & existentia, item futura, quæ tamen ad causas certas naturales consequentem necessario habuerũt effectum, non quæ extra causas naturales sunt, id enim solius Dei est: eo modo & mortes principum, & aliorum interdum prænuntiant dæmones, quod in rebus naturalibus propter diuturnam uitæ experientiam exercitati, ex certis adeo in moriturorum corporibus signis, etiam hominibus in re medica peritis cognitis, id coniectare possunt: nec alia ratione tempestates prædicunt, quam & coniectores rustici, quique similia experti & astrologi interdum

de mysterr. Aegiptio. 3. li. de anima et dæmone.

etiam

etiam rerum naturas miscere periti, quadam a se dicta ipsi conficiunt & formant, quamuis noua creata datum illis non fuerit, illo solo ex non ente & nihilo ad esse producere, Deo concesso. prævalent enim acuitate ingenij, malitia exquisita ad fraudes, & promptissima ad comprehendendum facilitate. Vnde & δαίμονες quasi scij uel scientes, dicti sunt: plerumq; etiam illorũ oracula astute falsa edita, uel in utramque partem ambigua, dum supra illa prædicta consuluntur. nam præscius solus rerum accordium, uerus & solus Deus: dæmones uero quæ præmonstrare putantur, uersute indagantes peædicunt, ut scribit Athanas. Et nos forsan alibi plura dicemus, de angelis cacodæmonibus agẽtes. Porro isti cacodæmones quia spiritus, nobis dormientibus, animæ se insinuant & phantasmata concitant. non secus ac uigilantibus, iniquissimas rerum cogitationes suggerũt & ansas malorum præbẽt: cum enim perpetuum bellum inter semen mulieris, Christianos nempe, & semen serpentis, nempe dæmonum cateruas, indictum sit, infatigabili dolo semper potestas illa tenebrarum nos adoritur, uigilantes & dormientes hostis ille uigil circuit & obseruat, si quomodo nos imparatos a Deo seiungere possit, idque multis artibus, multis phantasmatibus, occasionibusve singulis abreptis, tentat, & perniciem nostram molitur, & quia in Deum nihil potest, insidiatur illius imagini, homini scilicet ueluti & pardalis fera, quæ, quia odit homines, exhibitã sibi hominis imaginem maximo furore discerpit, aclaniat, ut annotauit D. Basilius magnus. Quo fit ut oracula uel insomnia & uisiones istorum dolosorum artificum, semper nobis suspecta sint, etsi quandam boni in fronte uel ueri præ se ferre uideantur. Latet enim uirus semper illorum in cauda, & in rerum exitu, non minus ac in posterioribus partibus scorpionum. Quin & ob istorũ insignẽ fraudem & subdolum animum, etiam quæ bona somnia aliunde immittuntur, nobis suspecta sunt: nunquam enim debilis hostis aperto marte fortiorem se aggreditur, sed insidijs atque fucatis telis, & cibis sæpe melle conditis, & palato modo quodam oblito diuinitatis simulachro, gratis, uenenis, pro cuiusque professione astute instillatis. Sic enim & assolet ijs, qui cultu diuino maxime pollent

Libr. de diuers. quæst. 73

Sermone in aliquot scripturæ locos.

pollent prophetiæ nomine tanquam illis applausurus, se insinuare. Hac arte Philumenam,& priscam Helenam, pseudoprophetas hæreticorum adortus, & magicis præsti giis Simmonem Sammaritem,ut scribit Irenæus, Abdias Babilonicus,D.Clemens,Augustinus,& alij. Sic & decepit Carpocratistas, & Gnosticos, qui ut in suam sententiam,quam diuinam putabant, alios pellicerent, scholas magiæ introduxerunt, & assessoribus dæmonibus utebantur ad animos in errorem fascinationibus aduocandos,ut notat Epiphanius.Fuerunt & ab his alij studijs impijs decepti,alij opinione suæ sanctitatis nimium sibi placentes per superbiam, ab illis expugnati, alij etiam pij homines,boni prætextu, a fraudulentis illis nequissimis spiritibus decepti. Cauent enim illi omni studio,ne quod sint uideantur, neve prius cognoscantur, quam deceperint, semper alio habitu,quam sint uere,sese insinuantes. Vnde D. Bernardus, dęmonium meridianum, de quo apud Dauidem,existimat dictum genus spirituum obstinatissimum,& perditissimum,quod quia tenebrosum totum,& noctis æternæ caligine est funestatum,ad decipiendũ caute se sub luce insinuat,& in meridie ne quis sit detegatur, operatur. Quocirca D.Ioannes nos admonet, Charissimi,nolite omni spiritui credere, sed probare spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.Et sacra scriptura,quamuis somnia plura diuina celebret patriarcharum,&prophetarum,quia tamen hinc sequuntur,ut plerunque abusus, superstitio, & innumeri errores ob uanas hominum,leues,& a dæmonibus fascinatas mentes,somniorum obseruationem uetat, potissimum Christianis & pijs hominibus.Sic enim canit Deus in leuit.Non augurabimini,non obseruabitis somnia.Nõ enim omnib.data est discretio spirituũ,neq. omnes exercitatum habent in discernendis malis intellectum.Et sic Salomon considerauit,

libr.i. ad uer.hęre. c. 20. i. hist. apost.

Ser. 33. Psal.90.

Eccl.34.

1 Vana spes, & mendacium uiro insensato, & somnia extollunt imprudentes.

2 Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur uentum,sic et qui attendit ad uisa mendacia.

3 Secundum hoc uisio somniorum: ante faciẽ hominis

ſimilitudo alterius hominis.

4 Ab immundo, quid mundabitur? Et a mendace, quid uerum dicetur.

5 Diuinatio erroris, & auguria, mendacia, & inſomnia malefacientium uanitas eſt.

6 Et ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur, niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa uiſitatio, ne dederis in illis cor tuum.

7 Multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.

8 Sine mendacio conſumabitur uerbum legis, & ſapiẽtia in ore fidelis complanabitur.

9 Qui non eſt tentatus, quid ſcit? uir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum.

10 Qui nõ eſt expertus, pauca recognoſcit: qui autem in multis fatuus eſt, multiplicat malitiam, &c.

Inexpertis igitur, & parum doctis, ſomnia obſeruare ualde periculoſum eſt, multiſcijs autem utrũque permiſſum; dummodo ſuperſtitione magica, ſomnia ex tacito pacto cum dæmonibus icto, non accerſat, uel interpretetur, & ſi inter cauſas, & regulas ſuperiores, iudicium adhibeat. Si nouerit etiam dæmonum præſtigia detegere, & inter reuelationes Dei, & dæmonis diſcrimen annotare. Ita permiſſam obſeruationẽ ſcribit B. Thomas, Archidiaconus. Et hæc non tantum in his, quæ per ſomnia accidunt, ſed etiam in alijs reuelationibus obſeruanda, reuelat enim plura alijs modis, quam per ſomnia Deus, ut infuſione tacita, ſiue exteriore ſigno: uelut cum ſpiritu prophetico Adam locutus, Hoc nunc os, &c. Et Lamech, de ultione futura ſui, & Iacob de futuro omnium rerum ſucceſſu, & filiorum. Et dum Balaam filius Beor de futuris, & natiuitate Chriſti prædixit, cum Saul ex agaſone factus propheta, repente immutatus fuit. Rurſum cum ipſe Saul, & eius lictores apprehendere uellent Dauid, ſubito in Naioth in Ramatha inſiluiſſe ſenſerunt ſuper ſe ſpiritum domini, & prophetarunt. Eadem de reliquis cenſenda prophetis. Interdum, & reuelat ſpiritum ſuum omniſcium, eamq; communicat quibus illi placitum eſt, cum ſigno, & medio uiſibili. Quod quidem medium fuit aliquando angelus forma

2. quæſt. in cano. 7 ſortes. 26 quæſt. 5.

Geneſ. 2.

Gen. 49.

Nu. 24.

1. Reg. c. 10.

ma humana apparens, cum angelorum ministerio pleraque detexerit,& abdita edocuerit, ut

Tobiæ,			
Danielis in uisione de Antichristo,	præceptor,	Raphael.	Daniel 8
	uel eruditor,	Gabriel.	9.10.
Zachariæ,& beatissimæ virginis Mariæ,	nuncius.		
		Gabriel.	Luc. 1.

Sed & alibi in plerisq. scripturæ locis inuenimus angelos,sed sine nomine,multa pluribus enuntiasse,uel facienda,uel dicenda,uel intelligenda; sic angelus qui apparuit Balaamo, & asinam eius gladio cohibuit, benedictiones in populum Israel dicendas præscripsit,instruxit,& Angelus domini apparens ad fontem,Agar ancillam Abrahæ, fugientem Sarai dominam, atque futura de Ismaele aperuit,ut per angelos uisibiles edoctus Abraham de excidio Sodomorum,item Loth,& Gedeon de uictoria Madianitarum,edoctus & ab angelo Manne,ex tribu Dan ex Sara de natiuitate Sampsonis,& uictoria Philistinorũ,edoctus, & Cornelius centurio,de his quę oportebat illum facere. Scribitur etiam archangelorum Michaelem, fugientibus Argonautis a Colchide cum uellere aureo ,iisq. latitãtib. & fugatis ab Amyto circa palustria loca Constantinopolis,ubi imperabat Amytus,apparuisse,uiri specie alis ueluti aquilæ humeros insignitos habentem,& ad pugnã eos in Amytum excitasse,uictoriam prædixisse,eamq. eius cõ filio assecutos.Cuius beneficij memores, ei numini illis incerto,phanum dicarunt illo in loco, nempe in traiecto Constantinopolis,quem ob rei euentum,& salutem consequutam Sosthenum nominarunt. Feruntque Constantinum magnum a bellorum uictoria redeuntem,eo in loco recubuisse, & eundem uirum alatum ei apparuisse, qui se archangelum Michaelem,qui eum in bellis conficiendis iuuasset, diceret. Qua de re ibi duo templa Deo dicauit nomine D.Michaelis archangeli,ut narrant Nicepho.Calistus,Sozomenus.Refert & idem Nicepho.alium angelũ habitu pastoris apparuisse Asparo duci militiæ Theodosii iunioris pij Cæsaris, persequenti rebellem Ioannem unũ a commentarijs suis, & copijs Asparis præijsse, et eas per lacum qui Rauennæ,quo aufugerat Ioannes,subiectus est

Nu.c.32
Gen.16. versi.16.
Gen. 18.
Gene.19.
Iudi.c.6. vers. 11.
Iud.c.13.
actu c.10
li.7. hist. Eccles. c. 50.
li.1. hist. tripart.c. 19.
lib. 14.historia c.71

O 2 duxis-

duxisse: unde neminem unquam prodiisse, proditum est memoriæ, & eius industria Rauennam ex improuiso occupasse, & tyrannum cepisse. Apparet etiam nobis, & ut Dei mandata explicent angeli, alia quam corporali hominis forma, ut cum apparuerunt Seraphim Iesaiæ. Et interdum uoce Angelorum sola, Deus nos docet sensibili, & auribus infuso eloquio, interdum insensibili. Exempla utriusque, audiuit Agar tantum angelum de cœlo loquentem, & indicantem aquam, & pueri Ismaelis acta, & mores prænuntiantem, angelum autem non uidit. Item Abraam cum iussu Dei immolare filium uellet, audiuit angelum loquentem, & eum interpellantem de cœlo, & repromissionem, benedictionesque seminis edocentem. Sic inuisibili modo Abacuch propheta, uoce angeli edoctus de carcere, & angustia Danielis, & eo per capillum translatus ad escas deferendas. Sic locutus angelus cum Elia, ut descenderet ad Ochosiam sine timore cum quinquagenario deprecanti. Sic etiam Dominus per angelum locutus ad puerum Samuelem uoce dilucidaliter, prædicens Heli, & filiorum necem. Sine uoce autem angeli Dei annuntiant, & insinuant uoluntatem Dei sæpius, & in somnijs, & alio modo. Nam cum anima nostra spiritus sit, & angelus spiritus ad communicanda inuicem mandata, non egent organo corporali, proportione spirituali ad id sufficiente. D. Apostolus, namque Paulus, duos loquendi modos esse censuit, dum scribit, si linguis hominum loquar, & angelorum. Et per consequens uerbi duplex erit sensus, unus per uocem prolatus, & aerem uerberans statimque periens. Et alio modo intra nos positum uerbum, & nostris cognitum cordibus, quod & commune cum angelis, cum prius non sit proprie angelorū, ut scribit D. Basilius. Instruit etiam nos Deus extra ordinem naturæ alijs medijs quibus ad capacitatis naturæ humanæ captum, infirmitatisque nostræ capacitatem utitur: uisiones hæ dici possunt, ueluti ex uisione Cherubim, & gladij flammei uersatilis, Adam intellexit adytum paradisi sibi præclusum. Ita locutus est Deus per uisionem ad Abraham, & per uisionem eduxit eum foras, ut suspiceret cœlum, & numeraret stellas: instruens ex his eius multiplicandum ualde semen. Et per uisionem rubi

Iesa.6. *Gen.21.* *Gen.22.* *Dan.14* *4.Reg.1.* *1.Reg.3* *1.Cor.13* *Gen.3.* *Gen.15*

rubi ardentis, & incombusti admirabilia rerum abditarum secreta nouit Moses. per uisiones animalium,& rotarum, prædixit multa Ezechiel. Et Petrus per uisionem mundorum, & immundorum, intellexit reuelationum qua admonebatur ne salutem gentilium operari recusaret: Et D. Paulus per uisionem per noctem illi factam de Macedone,qui eum deprecabatur, ut transiret in Macedoniam, & eum iuuaret, certus factus est,quòd Deus uocasset illum, ut euangelizaret,in Macedoniam. Et Machabeus uisionem suam explicans, qua Deus illi reuelauerat orationes Oniæ, iam ante mortui, summi sacerdotis effusas, populum spe in Deum ad uictoriam cõtra Nicanorem armauit. Hicque modus certe docendi homines Deo familiares olim: sic enim per ea quæ cum corpora affinitatem habere uidentur, homines maiori ex parte corporeis intentos excitabat, commiscens inter illa quædam quæ secundum admirabilem prudentiam artificis miscentis,certam præferrent incertorum cognitionẽ. Hæque uisiones non passim omnibus,uel sine discrimine reuelatæ,sed aptis,& electis a Deo pijs bonisque hominibus qui dicti sunt prius Videntes,postea Prophetæ. Nam & Deus ait,Si fuerit inter uos Propheta domini, in uisione apparebo ei, uel per somnum loquar ad illum. Et in Psalmis,Locutus est Deus in uisione sanctis suis. Et ideo in principio,Iesaias, & Nahum, suas prophetias uocant uisiones: suntque uisiones hæ compositæ ex spiritualibus & corporalibus, ut fere omnes reuelationes D.Ioannis, & D.Hermæ, D.Pauli discipuli in tribus libris, & reuelationes sancti Methodij. Quanquam,& aliæ sint corporales solum, quibus super naturam nostram a Deo instruimur, ut sunt astrologicæ obseruationes, ubi signa potestatis Dei uiuentis insculpta sunt, quæ & Deum omnipotentem demonstrant, & sapientiam eius incomprehensibilem, etiam barbaris uel cęcutientibus persuadent, ut suo loco dicemus Deo fauente. Porrò nouissime Deus optimus maximus locutus est nobis in filio, & per Messiam uerum,Iesum Christum dominum nostrum,qui secretiora Dei reuelauit,ut scribit D. Paulus. Ardua certe, & inaccessibilia homini mysteria diuinitatis,cũ nemo nouerit filium

Exo.3 · Act.10 · Act.16. · Mach.15 · 1.Re.9. · Num.12. · Psal.88.

lium nisi pater, nec patrem nisi filius & spiritus sanctus, & cui uoluerit filius reuelare. Nam sicut, nec hominum quisquam nouit quæ sunt in homine, nisi spiritus qui est in homine, ita nec quæ sunt Dei, nisi spiritus ipse Dei. Et docet late D. Damascenus. Quamobrem & post Christi doctrinam, spiritus sanctus si pie inuocetur, omnibus scire cupidis sese manifestat, & admirabilia & imperscrutabilia philosophorum antiquorum disquisitionib. annũtiat & edocet. Et hoc usque adeo tritum est, ut probatione non indigeat. Habemus nã que tam admirandos Christi ubique terrarum breui spatio decantatos apostolos, ut qui antea piscatores uiles, & ignari & analphabeti omnino erant, coriarii & telolarij, & huiusmodi artificiorum mechanici, post receptum spiritum sanctum, uarijs linguis usque ad admirationem loqui subito uisi sint, & de obscuris ac profundissimis uere disseruerũt, & tenebras ab oculis hominum discutientes a spiritu ueritatis edocti, præter humanum ordinem omnigena doctrina abundarunt. Eaque tanta & eius efficaciæ, ut uniuerso orbis leges dederint, sublatis philosophorum & eorum qui antea falso scientes habiti erant, legibus, sententijs & erroribus. Fuit enim missus dominus noster Iesus Christus eorum & noster præceptor, ut illuminaret omnem hominem, lux ipse mundi, & lumen ad reuelationem gentium. Porro ne quis decipiatur in Dæmonum præstigijs, qui, ueluti simia homines, ita & opera Dei imitantur, admonebo obiter fraudes & artes illorum detegi posse, & imposturas eius distingui, tribus modis potissimum, uel ex principiis uel medijs uel a fine ad quem res persuasæ diriguntur: a principijs, si somnia, apparitiones, reuelationes, uisiones uetitum habeant exordium, nempe uel ex superstitione precedente magica uetita, ex curiositate inutili, a superbia, auaritia, concupiscentia, a corrupta lubrica uoluntate; a medio, si per illicita eadem parentur, per cultus idolorum uel imaginum, per suspensiones annulorum, per impiorum dæmonum inuocationes, pactiones tacitas uel expressas, & huiusmodi; a fine, si hæc ipsa, uel ad damnum, incommodum, contumeliam, contemptum dilectionis Dei, uel proximi tendant, si successus rerum malus, & contra legem Dei sit. Nam si bene actus dolosi

actuum. c. 2. a. b.

Ioa. c. 1. Luc. c. 3. E. uer. 32 cum simi. idus.

losi diaboli, ad Dei uoluntatem & proximi dilectionem, uelut aurum ad lapidem Lydium examinentur & conferantur, statim deteguntur & fuci, quibus mala ab impuris spiritibus inficiuntur & obumbrantur, & ueluti ros matutinus, sole, in auras inuisibiles euanescent. Nec huiusmodi uaticinationibus, etsi ueris, tantum est deferendum ut a bono ideo recedamus, & in Deum quippiam peccemus: quin & somniator ille cum uero somno, delendus de terra est, si ex somnio, id persuadere uelit, & a lege Dei uelit homines auertere. Nam & falso prophetæ, inquit dominus, uaticinantur in nomine meo; non misi eos & non præcepi eis, ne ue locutus sum ad eos: uisionem mendacem & diuinationem fraudulentam & seductionem cordis sui, prophetant uobis, ut scribit Hieremias, & plura egregia alibi. Quare fraudem semper inesse immundorum spirituum actionibus, tibi persuadeas; non enim mali angeli, essentia differunt a bonis, sed uoluntate mala, ut boni hominis animus a malo differt, ut scribit D. Athanasius. Et in hoc probari possunt spiritus & discerni boni a malis. Duo enim sunt genij singulorũ hominũ, unus æquitatis, alius inquitatis; æquitatis genius uel angelus bonus est, lenis, uerecundus, mansuetus, quietus, continuo tecum loquitur de iustitia, de prudentia, de castitate, de benignitate, de uenia, de charitate, de pietate: hæc omnia cum ascendunt in cor tuum, scito quod genius æquitatis tecum est; huic itaque crede & operibus eius. Genij autem iniquitatis notæ, ut is sit amarus, iracundus, stolidus. & opera illius perniciosa, quæ euertunt filios Dei. Cum ergo in cor tuum ascenderint hæc, intellige ab operibus eius hunc esse genium iniquitatis. Cum iracundia apprehenderit aut amaritudo, cupiditas rerum alienarum, superbia, multiloquium, ambitio, & quæcunque his similia uitia, intellige eum esse in te. Et tunc caue ne credas illi, recedeque ab omnibus operibus illius. Et hæc me docuit Hermas D. Pauli apostoli discipulus. Possunt etiam uere prophetica & diuina somnia & uisiones discerni a dæmoniacis & Phytonicis, quia qui agente Dei uoluntate sciunt, & præsciunt, intelligunt quæ dicunt, & hi uere uates: alij uero quod dicunt, uident ue, non intelligunt, & hos uo-

li. 2. quẽ uocat pastorem mandato, siue c. 5. & 11.

li. de anima et dæmone. *inuect. ua 2. contra Iulian.* *li. 10. hist. Eccl. cap. 73.* *libr. 5. de prępara. Euang. c. 10.*

cauit uaticinatores Plato teste Plotino, unde antiquitus de uatibus dæmoniacis dictum fuit μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς: uates optimus, qui bene coniectat, apud Gregor. Magnum, & Nicepho. Calisti. unde coniecturis deficientibus, quæ uanitatem possent dæmonum defendere. oraculis Pythicis & insomnijs quam plurimi delusi sunt, & misere perierunt, usque adeo ut Oenomaus apus Græcos tam eloquentia quam philosophia nobilis, oraculo Apollinis delphici deceptus, plurima & innumera responsa illius collegerit & refellerit, ut quædam etiam ex ipso notat Eusebius Pamphili. Quo circa rogo omnes optimos Christi asseclas, ne imposturis Sathanæ sese committant, neque in ea sint hæresi, ut plures. o miseri istius seculi iuuenes, qui se demonibus obstringũt, pactisue nephandis deuouent, ut possideat spiritum, ut uocant, Scientiæ, sibi familiarem. Quos ego censeo omnibus lachrymis elugendos, si quando Deus misereatur illorum ut resipiscant ab impietate & abysso damnationis, ter certe atque quater deplorandi, qui in primis hostem dolosum & bonarum rerum inscium & expugnatorem eligunt derelicto Deo, qui author sciẽtiarum & ueritatis est, a quo si scientia indigemus, non minus nobis, quam Salomon & alijs præstãtissimis uiris aduenier, si uelimus. Erubescant & tandẽ quæso, mancipia hæc sathanæ, qui sibi persuadẽt, in suã ditionem spiritum scientie exorcismis, & præcantationibus transtulisse, qui ue eum ut illorum iussu obseruientem, & ut uera narrantem uenerãtur. Agnoscant quæso periculum in quo nauigant, agnoscant huiusmodi spiritum nequam a sathana eorum principe obseruatorem proprius iũctum, ne cassas illius ullo modo effugiant, ne Deum, quem ipse sed non impune contempsit, cognoscant. Ecce dum putant suis uanissimis characteribus illum occludere, ille ipsorum lateri, perpetuo cathenas colligat fortius, & in sua iura trahit; dum pertentant curiose responsa de nouis adferri, & alijs enuntiari, ueram sui amittunt cognitionem, præcipites ceci ad ingentes tenebras uoluntarie perducti. Similis namque dęmon est in astutia proditoribus & latronibus itinerum, qui, ut facultates quas persequũtur & quib. inhiant, scrutentur, ut uires & arma quæ uerẽtur in differentib, illas, nouęrint, vt

itinera

itinera, quibus uiator onustus transiturus est detegant, se perhumaniter ut putatur viatoribus coniungunt, & obsequijs, imo & seruitijs incautos sibi fidere persuadent nihil tamen magis in animo habentes, quàm cum tempus illis commodum aduenerit, illos iugulare, ut prædam ex illis colligant. Si exempla adhuc melliti sathanici doli desideres, considera quibus delinimentis & uoluptatibus demulceat adulteros & fornicatores, quibus auaros meditationibus pascat, & in summa quibus persuasionibus a longè petitis decipiat, & adigat uolentes ad malorum luem, ut non nisi peccato commisso & postea irridente deceptore, quis actum facilè animaduertat. Nam præsentia, quæ offert, speciem quidem boni habere uidentur, sed finis animæ exitiosus, atque ipse nunquam mercator stolidus, sed lucrãdi arte per iter facilè tibi exiguum quid delectabile, & quamplurima promittit, ut prætiosam tuam suo ministerio deputet animam, quod dat merces & salarium tuæ est damnationis. Caueant itaque, quia initio contractus sunt uoluntarij, sed postea necessarij. Nihil certè est, quod reci pis, ut teipsum perdas, cum nullam homo dare possit commutationem pro anima sua, inquit Deus. Desinant ab infantium improuida permutatione, qui malo uel piro præsente cedunt aureis & pretiosis margaritis. Vigilemus quęso ne dominos seruos nostros reddamus, ne fiamus socij furum ac latronum, & ut ait Poeta:

Mat. 16. & Mar. 8.

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones:
Vt te ipsum serues non expergisceris?

Omittant hæc abominãda, & meminerint Deum, Deũ esse, id est, omniscium & omnipotentem, omnia ab eo pẽdere, & per consequens, si putent dæmonas quicquam scire & docere posse, putent & Deum illa eadem & omnia alia quæ non sciunt ipsi, scire posse docere, idque facilius. Dixit enim & facta sunt, mandauit & creata sunt. Petant ab illo & accipient; consulant regem, repellant tortorẽ & carnificã; meminerint, ꝙ nec bonus ille habitus Socratis cacodęmon, quicquã de salute docuerit dñm suum, nullã esse participationẽ lucis ad tenebras, Christi ad Belial, Christianorũ cum Sathana: uetitũ esse uestimentum textum lino & lana, iugũ bouis & asini, neminẽ duob. dominis seruire posse, quin alterũ oderit; periculosã esse cum

inimi-

inimicis giubilantibus, debilis animi familiaritatẽ & cõſortium. Et ad extremum agnoſcant, agnoſant ſalutem, exemplum que ex ſimilibus capiant ex illa dęmonis familiari uocatione, non ideo ueram aliqui uel decãtatam & permanentem doctrinæ famam unquam contigiſſe. Sunt enim dęmonum tantum uanæ, inſidioſæ animæ ſcientiæ & pollicitationes, & naſcitur ridiculus ſcientibus mus, qui corrodit animam incantatoris quiquead omnem uentus eam palleſcere facit, qui in bonis ignorantisſimam & in uita hac corporali, iam tortoribus æternis mancipat. Scio quod uera loquor, & Deus teſtis, & ipſi, qui iſta magica pertentant & experiuntur.

De Gradibus quibus perficitur uia ordinaria. Cap. XIII.

IAm expedito ſermone de ſcientia & cognitione, cui nihil nos uel exiguum conferimus, quæ ſola largitione uel Dei uel naturæ nobis contingente: cumq; ſatis, ut exiſtimo, apparuerit, nullam artem neque ſtudiorum opem humanorum ibi requiri, eo quod que Dei ſolius & naturæ ab eo præordinata ſunt, noſtra ope non indigeant: Quia etiam hæc Dei beneficia, non niſi ſumma cum occaſione & necesſitate & diſpenſatiue, ut ita loquar, conceduntur, ad ordinariam uiam cognoſcendi animum conuertimus, quę ſtudio & labore & induſtria, Dei adiutorio, ſine quo nec alia poſſumus, paratur, & parta augetur & cõſernatur. Porro cum ſciẽtia omnis ex cognitione oriatur, ut ſcribit Speuſippus, Platonis diſcipulus. Cognitio autẽ e medijs & inſtrumentis corporeis fiat, nõ ſimul, nec omnino unico actu, nec præpoſtere, operæ prætium eſt ordinẽ quo notiones habentur & perficiũtur, explicare. Dicimus itaque in ſcientia & cognitione, primum tria requiri, præcipuè, quod intelligitur, intellectum, & intelligentem. quod dicunt Caballiſtæ eſſe ſummam decem Sephiroth, id eſt, omnium numerationum, ubi, ut ait Rabi Abraã ĩ ietzirath, ſiue de creatione, eſt ספר ספר ספור ſophet ſepher ſophur. i. numerans. numerus, & numeratum. Nã ſi hæc tria ſimul conſentiant, nec amplius in uno eorum

li. de diffinitio. Plat.

quam in alio inueniatur, nullus error, ſed certa in eſt ſcientia: ſin minus tandiu eſt ratiocinandum, ut ait cōmentator arboris Sephiroth, חש כל והמשכיל ומשכל אחד עד: gad haſcecel uehameſcil uehamuſcal echad, id eſt, donec intellectus, intelligens, & intellectũ uniantur, hoc eſt eadem ſentiant. Nam, ut ait Porphyrius, πᾶσα γνῶσις τῦ γνωσῦ ὁμοίωσις ἐς' id eſt, omnis cognitio eſt aſſimilatio eius quod cognoſcitur. Idem erit in cognitione, quādo cognoſcens, cognoſcibile, & cognitio uniuntur. Tres enim res ſunt, duæ extremæ, altera mediũ quod extrema unit. intelligens uel cognoſcens eſt unum extremũ, & primũ, nempe anima, ueluti ſi dicamus aptitudinem & facultatem intelligendi, ſicut in Sephiroth. is qui numerat. Aliud extremum eſt intelligibile uel cognoſcibile, id eſt, res quæ intelligi & cognoſci debet, ac ſi dixeris in Sephiroth numeratum, uel quod numerari, uel cuius ſcire numerum expedit. Medium autem extremorum eſt intellectus uel cognitio, quæ tandiu negotiatur, donec animam cognoſcentem uel intelligentem impleat uera apprehenſione. Et ſequitur aliud ex tribus his, reſolutum, mens, & notitia, ſecũdũ productionē. Anima nãque, ut ſcribit Proclus per ipſam quidem ſcientiam euadit intellectuiſimilis ſecundum actum ipſum cognoſcibile comprehendens: abſtrahit enim formas rei comprehēſæ, uſque adeo ut intellectus formam & ueluti eandem rē in animam transferat, non ſecus ac per uiſum rē corporalem comprehendimus, quod eius rei figura in oculis, ueluti in ſpeculo, perfecte appareat. perfectius autem in ſpeculo animæ res ſunt, eo quod & anima, quia incorporalis ſubſtãtię, formas, ut oculus corporalis, & ſpeculum corporale, corporales figuras ſeparat & abſtrahit. Secundo ſciendum eſt, cognitionem hominis uia ordinaria aduenientem, a uiſibilibus & comprehenſibilibus Dei operibus incipere, & uſque ad inuiſibilia, & incomprehenſibilia, & per ſe tantum apparentia ſcãdere. Verum neutrũ horũ hominis eſt, ſed in medio homo ſuas operationes exhibet, &, ut eſt liber homo in ſentiendo, ſic partes eius, & ad dubia & in certa terminanda, applicatur, Et communicat quidem homo cum animalibus brutis, de hine propriam naturam habet inſignitã ratione, qua ab his differt. Tertio in loco cum Deo etiam parti-

lib: περὶ τῶν πρὸ τὰ νοητὰ ἀφορμῶν sec. 23

i. de anima et dæmone.

participat & communicat mente quæ a Deo illuminatur. Quapropter & primum quę corporea sunt ordine naturę, ut animal: deinceps ut homo, de hinc ut participans cum Deo cognoscit. Sunt itaque tres hæ hierarchię in microcosmo hoc intellectuali, quæ a suprema illuminantur mente, ueluti in cælesti intellectuali mundo tres sunt hierarchiæ spirituum, quorum nouissimi a superioribus illuminantur & docentur, & omnes a suprema mente, nempe a Deo. Tres istas microcosmi hierarchias uocāt Cabalistæ stationes & mutationum gradus, tres autem numero constituunt, primamque uocant desinentem in Sekel, siue in aliqua intelligentia. Secundam desinentē in Sandalphon, ut opinor, id est, in mediam, quæ utrāque prospicit extremitatem, & utramque coniungit. Tertiam desinentem in mittarron, scilicet nuncium Dei, sic enim angelum uocabant nuncium Dei, quem Mosis dixerunt fuisse pręceptorem Caballistæ, ut etiam scribit Franciscus Venetus.

Se[...] [...]m sacræ scripture sectione. 3. num. 272.

Rursum in singulis tres sunt ordines graduum, quorum omnium collectione fiunt nouem gradus, unde mens perficitur. & lumen ipsum ab inferiori parte, ad se trahit rerū cognitionem. Quorum omnium accipe breuem tabulam cum proprietate singulorum graduum.

Tabula purificationis notionum & gradus ad notionem.

Hæc non sillo ogizant: sed simpliciter apprehendūtur

1 Res quæ est uel esse censetur ubi diaphanum, siue ὑποκείμενον siue obiectum philosophis.

3 Medium, quo substantia rei colligitur, siue diaphanum apparens, id quod se insinuat sensibus.

3 Sensus exterior, ut auditus, uisus &c. Et hic statio prima in qua ex simplici rerum existentia, transitus fit ad cognitionem animatem. incipitq; animalis cuiusq; uis dicta scechel שכל

4 Sensus interior, ad quē sensoria sensitiua transferunt, αἴσθησις Grecis.

5 Phantasia φαντασία, ibi fit firmatio imaginum, sensu comprehensarum. Est etiam hinc primus gradus agni-

agnitionum intellectualium, quæ tantum conside-ratione definiuntur, siue propria imagine, corporali ve uisione.

6 Existimatio, qua imagines tales esse, uel aliquid esse, persuademus, uocant iudicium inferius animale, uel brutum: cum secundum apparentiam, simpliciter ex rerum collatione iudicamus.

Hac in statione secunda cessat animal brutum, nec ul-tra progreditur, & incipit id quod hominis est.

7 Cogitatio, διάνοια, iudicium superius, qua percurrun-tur, & examinantur comprehensiones, & ex his for-matæ opiniones. Hoc gradu fit præparatio & transi-tus, ad rationem: ex multo namque discursu rerum, & dum nunc una, postea alia res euoluitur, quod con ueniat, inuenitur. Ex hac opinio.

Sillogizant hec, & discursum admittunt, & argumentationes.

8 Ratio quæ confirmatione rationabili, omnia determi nat: & inde sequitur per consultationem nouus gra-dus.

Dicebat & Plotinus lib. de fœlicitate cap. 2. quod iudica re de natura & ratione boni non sensus est, sed ra-tionis.

Hæc ratio plura ad unum stabiliendum cõgrue adfert, & quæ obstare uidentur, separat & reijcit.

9 Gradus, nempe intellectus, consummatus & menti vni tus, quietus & immobilis ex lumine mentis per singu la hominem concomitantis, ad suum finem perdu-ctus. Hic tertia statio, qua definit homo uarius, & in-cipit illa pars hominis nobilior, mens, quæ Deo assi-milatur, intellectus aliqua in parte similitudine, & quam tantum Deus alloquitur, cum illi mirabilia & arcana sua citra naturæ ordinem manifestat.

νοῦς, vel mens & intellectus amplius non syllogizant, sed discursus resolutiones tantũ recipit.

Loquitur & de his gradibus Clemens Alexandrinus. Diuini & cœlestis nutrimenti monumentum, inquit, in ur na aurea. Exod. 17. consecrari iubebatur. Gomor, erat deci ma trium mensura: in nobis enim ipsis, tres mensuræ tria significant iudicia, sensus quidem sensituũ: eorum autem quæ dicuntur, nominum & uerborum ratio; eorum autem quæ percipiuntur, intelligentia, mens. Et paulo post, hæc est, ut existimo, quę ex Deo est uera & iusta mensura, q̃ me

Li. 2. stromaton.

titur ea quæ ueniunt in dimensionem, ea quæ hominem continet, decas, quam in summa tres prædictæ significarũt mensuræ. Fuerit autem corpus & anima & quinq; sensus, & uocis edendæ potestas, usque seminaria, & cogitandi seu spiritalis facultas, aut quocunque alio nomine uis uocare. Oportet autem, ut uno uerbo dicam, alia omnia transcendentes, in mente sistere. Sicut certe in mundo quoque, cũ nouem partes transilierimus, primam quidem quæ est per quatuor elementa, quæ in uno loco ponuntur propter mutationem, deinde septem errantes, & nonam inerrantem, uenire oportet ad perfectum numerum, qui est super deos, nempe decimam partem, & ut semel dicam, ad Dei cognitionem, post creaturam desiderando effectorem. Propterea offerebantur Deo decimę æphi, & hostiarum: & paschę dies festus incipiebat a decima, quæ est cuiusuis perturbationis & cuiusuis sensilis transitus. Fide ergo consistit is qui est potestate cognoscendi præditus. hæc Clemens Alexandrinus.

De sensuali cognitione & unde error ex ijs quæ per sensus cognoscimus. Cap. XIIII.

VT autem superiora melius intelligãtur, placet latius interpretari. Primum itaque gradum cognitionis, rem, quam obiectum dicunt, quod ea obijciatur ut cognoscãtur, desideramus. Nam antequam quale quid sit cognoscamus, necessarium est ut prius res sit uel esse putetur, si de dubijs cognoscere aliquid uelimus, ut Deo fauente docebimus in quęstionum uel disquisitionũ principijs. Quãmuis enim ipsum est, non similiter omnibus insit, nihilominus tamen ipsum est omnibus aliquo modo inuenitur, ut ait Aristot. & ipsum scibile, necessario sit oportet, ut idẽ Aristot. scribit, & Plato etiam ea nos scire posse negat, quę essentiam non habent. Primus enim gradus totius naturę, esse est, & ueluti quædam ianua substantiarum omnium. Sequitur hunc gradum secũdus, esse scilicet aliquomodo, & hinc differentia essentiarum fit, per diaphanum. nam res per se nusquam in substantia, qua sunt, uidentur: sed mediante quodam lumine, uel colore, uel accidẽte, distinguuntur

Li. 7. metaph. c 4. li. 6. Ethi. c. 3. li. 13 in Theæteto uel de sciẽtia

guuntur

guuntur a sensibus interpositione facta alicuius, inter sensus & sensibile, ut scribit Plato, quamuis intellectu & abstractione aliter possit contingere, non magis quam elementa in sua pura substantia uideri non possunt, nec per consequens ex his corpora composita quę ex eorum quibus uinciuntur natura, participare nemo ambigit. Vnde & arcanũ illud substantiæ hominis, quo mouetur, uiuit, sentit, ratiocinatur, neque sensibus corporeis exponitur, cum neque aliarum minus rerum inferiorum substantiæ sensibus exponantur, quæ tamen esse nemo ambigit. unde non mirũ si dixerim in capite præcedenti, ab incomprehensibilibus, hoc est ab essentijs inuisibilibus & minime sensibus expositis, cognitionis ordinem per uiam sensuum nos ordiri. Philosophentur enim quãtum uelint athei, & physici, nusquam certe alij earum substantiarum primariam & natiuã cognitionem quam Deo creatori tribuendam inuenient, nobis tantum ab effectibus usu & exteriori, ut ita loquar, cortice insinuatam. Et ideo dicimus etiam ibi non syllogisare neque ratiocinari mentem. effectus enim & usus rerũ apparentes, nos, uelimus nolimusve, cogunt, ita ut sensibus se exhibent de his iudicare. Nam si reliqua indagare extra illa pergamus, intelligimus statim nostros conatus a diuina ineffabili scientia, & imperscrutabili sapientia eludi, ut & in minimis artificijs demergi cognoscamus, ut ex linea appellem, super excellentiam. Sicuti & in exilioribus animalibus, suam admirabilem & sapientiam & artem incomprehensibilem etiam in his quę uideri possunt, ostendit in tam paruis, tam nullis uim suam & inexplicabilem perfectionem exhibens. Qua enim parte quæso tot sensus, ut cum Plinio loquar, collocauit in culice? Et sunt alia dictu minora, sed ubi uisum in eo prætendit? ubi gustum applicauit? ubi odoratum inseruit? ubi uero truculentam illam & portione maximam uocem ingenerauit, &c. Quos teredini ad perforanda robora cum sono teste, dentes affixit? Mirabilia certe sunt Dei opera & impenetrabilia. Nec humani etiam ingenij infirmitas ad puram rerum essentiam cognoscendam deduci potest: quia consequenter, si eam perfecte cognosceret, Dei artificis ingenium suo animo complecteretur. Cæterum fieri nequit, ut quod minus est, nempe ut homo, qui finitus, comprehendat infinite maius

Li. 31. sine Dialo. 6. de rep. uel de iusto.

Libr. 11. c. 2.

& infinite infinitum:finiti enim ad infinitum nulla est pro portio. Neque id etiam angelis datum est nosse. Ideo uela tas describuntur habere facies Spiritus illi diuini. Thronũ Dei perpetua ueneratione adorantes, tanquam radiorum diuinitate deglutiti, & absorpti, & minime comprehensionis illorum capaces, apud Ezechielem. Scimus autem, qua tenus Deus statuit, scire nos oportere. Et illud adhuc scire nobis contingit actu, cum ad sciendum adiungimus, non solum corporis, sed etiam mentis operam. Nam in sensibus quidem exterioribus, nulla est scientia, sed sciendi tantum sensibilium principium est & ianua: sensus enim hi propemodum corporales, per se supra naturalem cõstitutionem effectus producere nequeunt. Ideo Plato sensum non esse scientiam dixit. Scientiæ autem diximus cognitionis corporeorum principium, quia sensus sunt ueluti speculatores & interpretes rerum, in capite ueluti in arce constituti a Deo, ad usus necessarios, ut scribit Cicero & alibi rursum, ipsum, inquit, hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus tanquam satellites attribuit ac nuncios, & rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quædam scientiæ, figuramque corporis habilem, & aptam humano ingenio dedit. Et iterum scribit tertiã philosophiæ partem, quæ erat in ratione, & disserendo posita, sic tracta tam ab Academicis & Peripateticis pariter, ut quanquam a sensibus, non esset tamen iudicium ueritatis in sensibus: mentem enim uolebant esse rerum iudicem, & solam ido neam cui crederetur, quia sola cerneret id quod semper esset simplex & unius modi, & tale quale esset: quam & ipsi idem appellabant. Sensus autem omnes hebetes & tardos esse arbitrabantur. Sed his addenda est Stoicorum de cognitionibus per sensus sententia. Hi namque, vt scribit Plutar. constituunt notiones naturales & prænotiones. Notiones naturaliter fieri per uiam sensuum. Cũ enim, inquisit, nascitur homo, habet principalem animæ partem instar membranæ scriptoriæ, in qua singulas notiones annotat, & tanquam literis mandat. Duo autem annotandi modi, quorum est unus per sensus. Illi enim quæ apprehendunt transferunt, & dicuntur notiones naturales, sine ullo artis adminiculo, sed natura factæ, ex quarum notionum eiusdẽ

cap. 1.

Lib. 3. in Theæteto

de natur. deor. li. 2

Libr. 1. de legibus.

Lib. 1. Academ. q.

Lib. 4. de plac. phil. c. 11.

generis

generis multiplicatione, sequitur usus & experimentum. Alius aūt modus annotandi, disciplina, curaq; adhibitis; cuius notiones, prænotiones dicuntur. Philo etiam Iudæus ex sensibus ianitoribus notionum, mentem instrui scribit, dum ait, hos menti nunciare de colorum, figurarum, uocum, saporum, uaporumue proprietatibus, & in uniuersum de corporibus eorumue qualitatibus: Et eosdē esse animę apparitores, ad quam quicqui uident au diuntue, deferunt, & si quid extrinsecus immineat noxiū, præuident, præcauentque ne quod improuisum & immedicabile malum dominæ obrepat. Et D. Chrisostom. dum interpretatur illud, cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & claude ostium. Cubiculum, inquit, est cor uel intellectus interior, id est spiritualis, sicut scriptum est, quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini. ostium autem est sensus carnalis exterior, per quem omnia bona uel mala ad animam intrant. Vocat & quinque fratres animæ, uere quidem fratres, quia & in uno sensu interiori participant, & ab eo ue luti ab uno patre pendent. Dictus is a Platone ideo sensus communis, & a Galeno, & Aristot. Vnum esse in anima indiuiduum, quod actu per sensoria & sensus diuidatur, dixit, & probauit, Et ita, quæ ab interiori sensu collecta sunt, constituunt initiū phantasiarum: estque ille sensus ueluti radix phantasię, memoriæ, doloris & uo luptatis, ut scribit Galenus. Et necessarium certe fuit unū numero sensum communem omnibus externis ad fuisse. Nam oportet ut quod inter sensilia distinguit, uelut inter dulcia alba, lenia, ea unica potestate complecti simul & semel, aliter differentiam eorum quæ nō nouit adferre posset. Nec pariter plurib. sensibus participantem rem describere posset, nisi utraque nosset; ueluti si dicas Dionysium album, morbidum ad nauigasse, ibi enim plures sensus ad iudicandum concurrūt extremi, quos unus interior simul colligit. Videmus & eū sensum communē cōtraria simul nosse, quod non accidit ubi unicus & singularis est sensus: sic in libros oculos conijcietes, simul albū papyri, & nigrū literarū cōcipimus. Est itaq; sensus ille communis, ueluti punctus & cētrum sensuum exteriorum, ad quem cir

Tomo. 5. li. de somnijs. *Tomo. 2. opere ut uocāt imperfecto hom. 13. in Matt. c. 6.* *Psal. 4. a* *In eod. Tomo. homil. in c. 16. Luc. de diuite & lazaro. in lib. 13. in Teeteto, uel de sciētia. Tomo 1. li. 7. de Hippocra & plato. decre. li. de sensu & sensil.*

cumferentiæ rectas ducunt lineas, estque ut iudex & princeps inter consiliarios, solus sententiam, alijs referētibus, ferens, ut docet late Themistius, & Alexan. Aphrodiseus. Et sic rite dicuntur fieri per sensus notio & ignoratio, ut apud Hippocratem. Vim autem hanc puto ex anima prodire, & aliunde, qua ex corporeis instrumentis sensorijs, qua autem in parte corporis sit & quomodo exeratur, causam nobis profiteor occultam, neque hominibus apertam, non ideo tamen minus cetam & ueram. Nam sicuti idem Galenus scribit, ea, in quibus nobis causa probabilis deficit: credere opus erit, alioquin & uidere, & audire, sentire omnino, & reminisci, & somnia per quietem cernere prorsus negemus, quippe cum in singulis obstrusa causa sit, unde existat. Vis autem scire facilius, exteriora sine interiori nihil per se posse? Propone ante oculos hominem meditantem & uigilantem, uidebis eum neque ijs, quæ dicuntur obandire non tactu deprehendere, eo quod animus a sensorijs retractus sit, neque is uim illis subministret. Ideo & nos gradum exterioris & interioris sensus nectimus, ijs. n. medijs fit apprehensio. Sed & illud annotādum est, cognitionem quæ ex sensibus pendet, vsum quendam ante desiderare, si discrimen ex ea uelimus percipere. sensus namq; rem eo modo quo subijcitur, refert: sed an sit res eadē vel similis ei quæ alias uisa, illud certe nō est solius sensus, nec absque frequenti usu & obseruatione & consuetudine, & uisorum memoria. Siquidem ut Galenus ait, res nulla quæ sensibus nostris percipi potest, exquisite & subito, nisi sæpius uisa, cognoscitur. Argumento sunt gemini, admodum sibi similes, qui ab insuetis nequeant dignosci, ab iis autē quibuscum habuerint consuetudinem, confestim agnoscātur. Et alibi, Earum, inquit, rerum memoria, quæ sensibus nostris patent, assiduam requirit consuetudinem. Quam & Stoicorum etiam diximus fuisse sententiam, dum usu memoriam sensibus expositorum haberi dicebant: tunc autē sensus in actu, repræsentatione rei, rem ipsam uel eandem, alterius nempe memoriæ adiutorio, colligit. Sensus namque ab intellectu discernuntur. Quod intelligere, sit recte uel male iudicare, Sentire autem esse uel non esse tale, indicare, ut colligitur ex Arist. Sensitiuum itaq; semper cum corpo-

lib. 3. de ani. c. 7. & 8.
li. de ani.
li. de uictus ratione
Tomo. 1. li. 2. de semine.
Tom. 1. lib. 3. de anato. ad minist.
eod. tom. li. 1. de Acatom.

corpore,at intellectus ab eodem separabilis,& inferiora in telligit & superiora. quare & mutatur apprehensionum in utroque. Nam quod in sensu dolor uel uoluptas est,in intellectu bonum uel malum est. Quibus addere licet plures alias differentias inter utrumque,de quibus tradit Aristot. late,qui & ibi plures antiquorum reprehendit merito,qui sensus & intellectum eadem putarunt,cum tamen longissime inter illa intersit.

Quibus cognitis,nunc de sensuum notionibus statuenda est regula:sensui euidentia,demonstratione non indigere,quia ea per se talia sunt, & iudices sola sensoria sunt sine alia demonstratione, ut album tale est, quia hoc album,& ita nigrum illud.Et ideo ex sensibus hauriunt initia præcepta artium, etsi sensus præcepta artibus non dēt: inter hæc enim magna differentia est, ut deprehensio sensuum alia in artifice, quam in artium imperito,ut annotat Galenus in Isagogicis. Veræ igitur erunt sensuum notiones,nec illæ decipiuntur, ut etiam scribit Aristot. & ideo idem author Aristoteles, scientias particulares,in singulis ponit sensibus natura; Et contra deficiente natura unius sensus,& deficere illius scientiam necessario. Adfero exemplum in cæcis:hi enim scientiā distinguendi colores amiserunt,uulgo enim parœmia illa teritur, cęcum minime iudicare de coloribus. Sic pueri recens nati,ante euolutos quadraginta dies,nec tracti rident, nec uellicati plorant. Nam uires sensuum in muco, humoreve glutinoso hebetantur,ut scribit Hippocr. Sic dormientes nec quicquam sensibus apprehendunt extrinsecus,nam functione priuantur. Neque tamen inscius sum,diuersas fuisse hac in parte sententias,& uariatum a priscis philosophis in quæstione, num sensus fallaces sint. Nam falli, & decipi posse sensus exteraos,uidelicet, uisum,auditum,odoratum,gustum,tactum,dixerunt Heraclitus, Diocles,Empedocles, & sensū abiiciebant Xenophanes Colophonius, Parmenides Eleata,Zeno Milesius, ex antiquioribus:ex nouis Stilpo,&Megaricus: uerum tantum rationi tribuentes, nimium in rationem declinantes. Sicuti & illi turpiter lapsi,qui solis sensibus, nihil rationi, & animo tribuunt,inter utrunque namque consistit ueritas: constat namque homo utroque,& anima,& corpore: anima, ut uehiculo, & ut ministris

li. de opt. senect. ad thrasib.

lib. resol. poster. i. c. 14.

li. de sept. par.

ſtris ſenſibus utatur neceſſe eſt, quamdiu uitam hanc agit corpoream. Et hæc plene diſputat Euſebius Pamphili Cæſarienſis. Senſuum etiam ueritatem, repudiaſſe uidetur, & Plato, qui fallax eorum eſſe aperte dicit iudicium Et ideo iuſte ueram philoſophiam ſuadere animæ, ne illis inhæreat, ſed, ut in ſe collectam, in ſeipſam ſeſe reuocet, neque credat illis, nec ulli præterquam ſibi, quatenus uidelicet ipſa per ſeipſam intelligat quodlibet eorum, quæ ſunt exiſtens per ſeipſum. Addit & idem Plato alibi, mutabiles ſenſus, & ideo fallaces, & alio modo guſtare, uel ſentire ſanum, alio ægrotum. Adiiciunt alii facile uiſum decipi, ueluti dũ uidet in aqua remos, uel inflexos, uel infractos, dum iudicat de longinquo turrim, quæ quadrata eſt, rotundam, quod æqualiſſimam porticum, anguſtiorem in ultima parte referat. Et quod cœlum a terra ingenti ſpatio diſtantem, & mari, & terræ coniungi iudicet. Videmus & ſtellas, ſolem, & lunam uiſus noſtri iudicio ſphærularum inſtar, cum tamen magnitudinem terræ ſuperent. Fallimur & in alijs multis uiſu. Nec ſolum in uiſu, ſed & in auditu maximi innaſcuntur errores. Nam audientes plauſtri uel alterius rei cadentis leue murmur, exiſtimamus tonitrua per aerem conuolui, & reiici, ut ſæpe aliud alterius uice dictum putamus, & aquarum in præcipitiis rapidos ſonitus, uel timpana, uel aliud quidpiam falſo auditu coniicimus. Quãtum etiam contactu fallamur, quis non ſcire ſe putet? Siquidem eædem planicies, pauimenta, lapides, tacta pedibus aſperiora, manibus leniora creduntur. Et ſi quis paludem, uel alias ſtagnantes, ſiue fluentes aquas ingrediatur, ingreſſu alterius temperaturæ, quam dum ibi conſederit, uel egredietur, cenſebit. Vt & in balneis, aquę ingreſſu calidæ, poſtea tepidæ iudicantur: quibus & ſimilibus adducti, ſemper fallaces dixere ſenſus. Stoici autem non ita abſolute, nec ſemper mendacij ſenſus arguunt. Epicurei ex diametro prioribus aduerſantur. Et cum ſenſuales omnino ſint, nunquam ex ſenſibus iudicium falſum ſequi arbitrantur, ſed ex animi opinione. Sic.n. eorum ſectator Lucretius.

li. 14. de præpar. euang.

in Tim. li. 2. & li. 29. in Phæd.

Ne leuiter credas labefactari nudique ſenſus

Et rurſum,

Postquam pleraque fallere sensus, videntur

Concluditque hoc modo,

Cætera de genere hoc mirando, multa uidemus,
Quæ uiolare fidem quasi sensibus omnia quærunt;
Nec quicquam, quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi quos addimus ipsi,
Pro uisis ut sint, quæ non sunt sensib. uisa.

Addit rationes, quod sensus non decipiantur: primam ducens ab eo, quod homini id tanquam non egregiũ cõducat, animus autem id abscõdat. Deinde aliam inculcat, ut si nihil his sciatur, nec determinantem ita scire posse num id nesciatur, atque eius uerba hæc,

Nam nihil egregius, quam res secernere apertas
A dubijs, animus quas ab se protinus abdit.
Denique, nihil sciri si quis putat, id quoque nescit,
An sciri possit, quo se nihil scire fatetur.
Hunc igitur contra, mittam, contendere causam
Qui capite ipse suo instituit uestigia retro.
Et tamen hoc quoque hoc quoque ui concedam scire: an idipsum
Quæram, cum in rebus ueri nihil uiderit ante,
Vnde scias quid sit scire, & nescire uicissim,
Notitiam ueri, quæ res, falsive crearit
Et dubium certo, quæ res differre probarit.

Ideo, & resoluit statim, & alias rationes addit idẽ;

Inuenies primis ab sensibus esse creatam
Notitiam ueri, neque sensus posse refelli.
Nam maiore fide debet reperier illud,
Sponte sua ueris quod possit uincere falsa.
Quid maiore fide porro, quam sensus haberi
Debebit? an ab sensu falso ratio orta ualebit?
Dicere eos contra, quæ tota a sensibus orta est?
Qui nisi sint ueri, ratio quoque falsa fit omnis.
An poterunt oculos aures reprendere? an aureis
Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris?
An confutabunt nareis? oculive reuincent?
Non (ut opinor) ita est: Nemo seorsum cuique potestas
Diuisa est. sua cuique vis est. Et quæ sequuntur.

In quibus in summa probat, non esse fallaces sensus hoc argumento. Aut a ratione, inquit, aut a seipsis, si falsi

sint, falsitatis reprehendantur necesse est: potiò a ratione reprehendi nequeunt: nam cum rationis diuersitas ab his oriatur, si hi sint falsi, ergo & ratio omnis falsa erit a seipsis minus: nam singuli sensus diuersa, & separata ministeria habent, & seorsum tactus tactum, auris auditum apprehendit, & sic reliqui. Vnde sibi non communicantes in officijs, nec se mutuo reprehendere possunt. Et paulo ante, animi & opinionis, non sensuum, causam esse dicebat erroris, & ex sensibus non in ipsis sensibus, dum scribit, cũ de deceptione uisus loquitur.

Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum;
Nam quocunque loco fit lux, atque umbram, tueri
Illorum est; eadem uero sint lumina nec ne.
Vmbraq. quæ fuit huc, nam transeat illuc,
An potius fiat paulo quod diximus ante,
Hoc animi demum ratio discernere debet:
Nec possunt oculi naturam noscere rerum.
Proinde animi uitium hoc oculis affingere noli.

Optime certe Lucretius, uerum non satis sufficienter: Quia & causæ erroris aliunde, quàm ex animo, & sensib. contingere possunt. Nam interdum ut & secundum Lucretium, & Epicureos, animus & opinionis causa erroris-ve est, qui contingat circa sensus, non dico in sensibus, quia in his nullus error, sed circa sensus, uel circa ea, quæ a sensibus percepta sunt. Quod accidit quando anima ex perceptis antea, aliter quàm oportet negotiatur: ueluti si quæ pulchra aspectu sunt, quæ uere pulchra sunt in sua natura, & propria pulchritudine, alteri maiori ve pulchritudini uisæ, uel consideratæ præferat, tunc enim animi cẽsura labitur, non sensus perceptio, nam in censura nihil agit sensus. Et hæc electio, non rerum ipsarum naturæ, errorem faciunt. Sic etiam si in concentibus quis præferat timpani sonitum, harmoniæ & concentui multarum bene conuenientium uocum, & cytharæ, non decipitur quidem auditus, utrunq. namq. refert, sed animi iudicium, quod unũ alteri male præferat. Sic si dulciora quę nõ sũt, & leuiora, & magis fragrãtia a sensib. percepta, improbe diiudicet. Desinit namq. sensus tunc: quocirca nec illi error

ror ille imputandus. Et ita uere dixit Plato, animum crede re non debere sensibus, in inquisitione quiditatis rerum scilicet, cum intelligere vult quid per seipsum quippiam est: excedit namque abstractum, omnem sensuum iurisdictionem: cum ij corporalibus apparentibus incumbant, nõ in inuisibilibus, in quibus si quis sensibus credat, decipitur ipse, non autem per sensus, sed tribuendo sensibus, quod il lorum non est, & a quibus alieni illi sunt.

In Philebo.

Atque in his aliunde causa erroris, quam ex ipsis sensibus annotanda, ex qua circa sensus quis fallitur: illa autem est, dum extra uim sensus, anima sensuum iudicio utitur in apprehendendo, & tunc nec est sensus, sed aliud, causa falsitatis. Quæ ut apertius doceamus, expedit exempla iam proposita errorum sensuum refellere. idque commodius non fiet, quam si ijsdem exemplis utamur: & si ostẽderimus per ea non mendacium ex parte sensus, nec ex re quæ pro obiecto est, sed ex medio inter utrumque posito, oriri, dum allucinatur circa abusum sensus, animus. In aqua namque in fractiõnis & inflexionis remorum causa est, aqua, medium inter remum & uisum. utrunque autem per se extremorũ perfectum & infractum, & remus extra aquam & uisus. Et teneritas siue mollities & lenitas substantiæ, aquæ insidet, ex lumine speculum, prout icta & mota est, ita & imaginẽ uibrans, euertit lineam recti. Pariter, ut turris habitus nos eludat, interualli medium & conditio compellit in aperto: æqualitas enim circumfusi aeris, pari luce vestiens angulos, obliterat lineas, uel melius, quia eo usque uisus non dirigitur, ideo quia deficit sensus eo usque non pertingẽs: nec ei error attribuendus, sed animo qui uult per sensum dicare, de eo loco ad quem non potest peruenire sensus, [illegible]r idem esse, ac si cæco quis adscribat quod bene non legat, uel uidenti, quod quæ operiuntur, non conspiciat nec diuinet. Sic & cecinit Lucretius:

li. 4. ver. 309.

Quadratasque procul turres cum cernimus urbis,
Propterea fit uti videantur sæpe rotundæ,
Angulus obtusus quia longe cernitur omnis,
Siue etiam potius non cernitur, ac perit eius
Plaga, nec ad nostras acies illabitur ictus,
Aera per multum quia dum simulachra feruntur,
Cogit hebescere cum crebris offensibus aer.

Hinc, ubi suffugit sensum, ubi angulus omnis
Fit quasi ad totum saxorum structa tuguntur,
Non tamen ut coram quæ sunt, uereque rotunda,
Sed quasi adumbratum paulum simulata uidentur.

li. 4. Theoremate 9. Extat & regula optima apud Vitellionem. Quod remotio rei uisæ ab ipso uisu, non est comprehẽsibilis a solo sensu uisus, sed auxilio uirtutis animæ cognoscitiuæ & distinctiuę. Item aliud theorema unumquodque uisorum longitudinem habere spatij, ultra quod non uidetur. Quibus annotatis facilis oritur ratio, quod cœlum mari unitur, ubi uisus absumitur. Sic & uniformitas porticus acuitur in fine, dum acies in occluso stipata illic tenuatur quo & extenditur. *lib. 4.* Plures & de his extraneæ causæ tradi possũt, sed eas colligere facile ex Vitellionis perspectiua. Et quod ad reliqua pertinet, causa deceptionis circa auditum in sonitu, nõ auditus etiã est, nec gustus in gustu, sed in gustante & audiente, quod male iudicet: hoc autem non sensuum est. uere nãque sonos defert auditus, & gustus gustum, sed male de his iudicatur: non tamen culpa sensuum. De reliquis sensibus idem dicendum esse existimo, ut etiam optime Plato in *in Theæteto.* patientem & gustantem, & sentientem, causam erroris reiicit. & si in eo non sit, sed extrinsecis medijs, neque culpandi etiam sensus, sed causæ uidentur: ut & Tertullia. exami- *Tomo 2. li. de ani.* nat 3. ubi agit de sensibus.

De phantasia, cogitatione, ratione, mente. Cap. XV.

SEd de sensibus hactenus, cum tractatum satis superque sit, postulat præscriptus ordo, de phantasia & reliquis usque ad mentis periodum dicamus. Sensibus igitur apprehẽsa, per sensum communem, ad imaginationem vel phantasiam perueniunt. Nec mirum, cum imaginãdi uis, quę phãtasia nominatur, eadem sit ad numerum cum potentia sentiẽdi, quamuis essentia rationeve differat. Est enim postre- *li. de insom. c. 7.* ma, per illa & ab illis, ut notat Themistius. Isque alibi imaginationem esse definit, motum animæ, quem sensus in a- *lib. 3. de ani. c. 7.* ctu positos creat. Phantasiam autem dici ex argumento lucis, sine qua cerni & uideri non potest. quod omnino prodijt

dijt ex schola & traditione Aristo. Et explicat optime Simplicius in commentarijs de anima. Hæc autem fit ex sensibus, ut si album respiciatur, illud album in imaginationem transit. Quæ enim accepta & comprehensa sensibus sunt, eorum spectris & simulachris imaginatio excitatur. Ita fit, ut quemadmodum sensile cooperatur ad sensum, ita actio sensus imaginationi respondeat. Dat exemplum Themistius, ut si fingamus annulum esse, qui in cera ad imam usque partem signum imprimat, rursum ambitu aeris signatam ita ceram comprehendit, posthac & ceram & annulũ remoueri, & solam impressionem & sigillationem in aere relinqui. hæc ad imaginationem transferes ut sensile pro annulo sit uicem cerę sensus obtineat, imaginatio aeri succedat. Et distinguit Alex. Aphrod. imagionem a memoria, quod imaginatio sit actus quo imaginationes fiunt, ut intellectus, quo intelligentia: memoria autem reseruatio earum figurarum & aliarum. imaginatio phantasia dicta a sensuum præcipuo, a uisu inquam, quod fit mediante lumine, ut etiam tradit Cicero. Chrysippus autem uocat phantasiam, affectionem in animo factam, quæ sui quoque efficiens, ut apprehensionis alibi per uisum affectio, album subest. Sic si per tactum uel odoratum, huiusmodi affectio fiat, dictamque phantasiam a lumine, quia seipsam demonstrat, ut lumen ea collustrat differre hanc a phantasio, phãtastico, & phantasmate etiam insinuat, quod phantastõ sit, quicquid animam ciere uel mouere possit: phantasticõ sit inanis attractus sine ullo obiecto uel phantasto factus, ut accedit in umbratili pugna se exercentibus. Phantasma autem sit, ad quod rapimur phantastico & inani attractu, qualia fiunt in mẽte captis, & a furijs agitatis, uel furiosis. Tradit & Plutar. Atque φαντασία, est imaginatio uel uisio eius sei quæ est, phantasma rei quæ non est, ut notat Suidas, similiter D. Aurel. August. Aliter inquit, cogito patrem meũ quẽ sępe uidi, aliter auũ quẽ nunquã uidi, horũ primũ phãtasia est, alterũ phãtasma. Et Hesichius φαντασία, iquit, τό μὴ ὂν ἀληθὲς, ἀλλὰ σχήματι, ẽ phãtasia, eius quidẽ ĩ ueritate non est, sed in figura. φάσμα autem, uel φάντασμα dicitur, τέρας, ostentum, monstrum, signum. Et expressius Philo iudæus, φαντασία τύπωσίς ἐστιν ἐν ψυχῇ, οἷον γὰρ ... ἃ γὰρ εἰσήγαγεν ἑκάστη τῶν αἰσθήσεων ὥσ-

in li. 3. de ani. c. 3. in partic. tex. Arist. 161. & 162.

3. de ani. c. 14.

li. de ani.

4. Acad. quæst.

lib. 4. de placi. philos. c. 14.

lib. 6. de musica c. 11.

li. de mundo.

περ δακτύλιος τις ἢ σφραγὶς, ἐναπεμάξατο τὴν οἰκείαν χαρακτῆρα. ὅ τὸ ἐκμαγεῖον φυλάττει παρ' ἑαυτῇ, μέχρις ἂν ἡ ἀντίπαλος τῇ μνήμῃ τύπον λεαίνασα λήθη ἀμυδρὸν ἐργάσηται ἢ παντελῶς ἀφανίσῃ, id'est Phantasia est effiguratio in anima, quasi uisi statio quædam existens. Quæ enim introduxit quisque sensuum, ueluti annulus aliquis, uel sigillum impressit eius similem characterem, custodit que imaginem in se, donec obliuio contraria memoriæ, formam delens, uix conspicuam reddit, uel omnino tollit. Addendus D. Ioannes Damascenus, apud quem sic scribitur, φανταστικὸν ἐστὶ δύναμις τῆς ἀλόγου ψυχῆς, διὰ τῶν αἰσθητηρίων ἐνεργοῦσα. ἥτις λέγεται αἴσθησις. φανταστὸν δὲ καὶ αἰσθητὸν τὸ τῇ φαντασίᾳ καὶ τῇ αἰσθήσει ὑποπίπτον. ὡς ὅρασις μὲν αὐτὴ ἡ ὀπτικὴ δύναμις, ὁρατὸν δὲ τὸ ὑποπίπτον τῇ ὁράσει, λίθος τυχὸν ἤ τι τῶν τοιούτων. φαντασία δὲ ἐστὶ πάθος τῆς ἀλόγου ψυχῆς, ὑπὸ φανταστοῦ τινος γινόμενον.

libr. 2. de ortho. fi. c. 17. περὶ τοῦ φανταστικοῦ de phantastico.

φάντασμα δὲ πάθος διάκενον ἐν τοῖς ἀλόγοις τῆς ψυχῆς, ἀπ' οὐδενὸς φανταστοῦ γενόμενον, idest,

Phantasticum siue uis imaginatrix, est uirtus animæ rationis expertis, quæ sensuum adminiculo operatur, quæ & sensus dicitur.

Phantaston, seu imaginabile uel sensitum, est quod phantasiæ, uel sensui obiicitur: ut uisus quidem, ipsa uicina uirtus est, uisibile uero uisioni obiectum, ut forte lapis uel aliud simile.

Phantasia, est affectio irrationalis partis animæ, quę ab aliquo phantasto, uel imaginabili ducitur.

Phantasma autem, affectio est uana in partibus irrationalis animæ, a nullo uisibili, imaginabili, uel phantasto tracta.

Quæ omnia communia esse nobis cum brutis, intelligas uelim, ex eo, quia animæ irrationalis partis hæc dixerit Damascenus. Habent namque, & animalia bruta sensus exteriores, & uim sentiendi, & per consequens imaginationem inde natam. Quibus enim Deus opt. maximusque uitam dedit, & naturalem inclinationem ad utilia sibi, & contrariorum odium: necessario & illis facultatem existimo eundem tribuisse imaginationis, qua & quæ cõtraria, & utilia sunt annotarent, saltem imaginatione, &

phan-

phantasia. Qua in parte lubentissimè discedo a sententia philosophorum antiquorum quorundam, qui dixerunt quibusdam animantibus esse uim imaginationis, alijs nequaquam, quæ inquiunt quamuis sensibus instructa sint, imaginandi & afformandi uisa, ingenio carent: ut uermes muscæ, & complura huius generis, quæ quanquam a sensibus mouentur, non tamen retinent notiones aut species eas, quas sentiendo concipiunt, sed quicquid agunt, temerè agunt, & casu feruntur, nullis regentibus uisis, quippe, quæ in his mansitare aut scrutari non possint. Et sic sentit Themistius, quem alij sequuntur: ego tamen minimè, nec quod ibi exprimit, dū ait, Prouide sensus illorum per quā similis ictui perceleri est, quem quis summo tenus, & in transcursu impegit, unde nec cutis adlutescat, nec uibices attollantur, in quibus exemplaria & imagines rerum sensitarum firmius & stabilius hæsitant. Nunquam enim concedam uermes & muscas & similia quamuis minuta, nihil imaginari, uel etiam temerè ferri. Nam ultra Dei prouidētiam, qua omnia certum habent uiuendi & agendi modum, etiam nos experientia docet, uermes nec muscas temerè ferri, uel casu: nam nec amaris, nec aquis se immergunt si præsenserint, & ad dulce semel gustatum uel sanguinem, uel aliud quod prægustauerint placetis concurrunt. Quin & crabrones cognoscunt & persequuntur, qui aluearia effoderint, & regem suum apes norunt, & insidiātes examinibus bestiolas, quæ sine imaginatione fieri nequeunt. forsan de uermibus illud quis recipiendum putaret, eò quòd nulli generi uerminum oculi uidentes insint, sicuti nec ostreis, talpis, & secundum Nigidium, nec locustis, nec cicadis, nec lumbricis, ut scribit Plinius, Meminit & Aristo. de aliquibus, unde & hæc inconsulto feruntur, quia nec ubi dirigant iter, non prospiciant. Cæterum cum imaginatio & phantasia non ex solo uisu oriatur, sed & ex alijs sensibus, qui apprehensa intrò referunt, ubi forma, & lumen quoddam & figura efficitur, idcirco, non ideo quòd illa animalia non uideant, dicendum est imaginatione carere: sic enim & concludere possemus, cæcos imaginatione & simulachris phantasiæ carere, quod falsum est, cum nec simulachra ex lumine externo in imaginatione fiant uisibilia, sed ex proprietate quadam indi-

lib. 3. de anima c. 14.

lib. 1. natur. histo. c. 37.

lib. 1. de histo. animal. c. 9.

naliter species formatur. Sic & pecora præsepia recognoscunt, & bos possessorem suum, & aues ad nidos suos redeunt. Sed nec seipsa intelligunt quæ sint, nec illa quæ oculis cernunt. Corporalis uisio sine spiritali esse non potest, potest tamen sine corporali spiritalis esse. Et ideo Mercurius Trismegistus in Pimādro, Phantasia, inquit, solum circa ea quæ genita sunt, uersatur, in qua præter generationem nihil existit: at unicum id ingenitū, Deus scilicet, incomprehensibile phantasiæ. Vnde & absentiam in tenebris recordamur, & in tenebris quę uidimus imaginaliter cernimus. Intellectualis autē, sinē utroque potest esse. Nam per eam uidentur iustitia, charitas, ipse Deus, ipsa mens hominis, quæ nullum corpus habent, neque ullam similitudinem corporis. Veruntamē quod pertinet ad nostrum notionum ordinem, tractatione presenti contenti, loquimur tantum de illis imaginationibus, quæ sensibus apprehænduntur, & gradum, phantasiam inquam, alium a sensibus constituimus. Separantur namque sensus ab imaginatione, quamuis una ui fiant. Quod si quis differentias inter hæc colligere uelit, breuiter accipiat ex Themistio, & Alex. Aphrodiseo. In summa enim ostendo sensum non esse imaginationem: primo quia in somnis imaginamur, in somnis autem non sentimus neque potentia, neque actu. Secundo cæci imaginantur & confingunt colores, qui tamen neque actu neque potentia sensu uisus uident. Tertio allucinamur circa imaginationem, circa sensus modo quo supra docuimus, nequaquā, error nāque circa obtuitū uel tactum, ab imaginatione est. Deinceps & quarto sentire in nostra potestate non est, absente obiecto sensus: contra imaginari, sine rei præsentia corporalis possumus. Communicat autem cum sensu, quia uel ex ex, eo uel ratione eius, effugit siue uere siue falso: eo quod occasione sensuum uere uel male simulachra effingit, nō tamen eadem. Illud namque in sapientia admiranda Dei obseruandum est, ut semper per media pede tentim, ad altiora gradus construxerit, & superiora cū inferiorib. quodam participare medio uoluerit, ut fieret facilior transitus. Nam quemadmodum cū imaginatione participat sensus, ita imaginatio, medium inter sensum & cogitationē cū illa participat, ut utraq; & uera & falsa esse possit. Cæterum

serm. 5.

3. de anima. c. 11.

li. de anima.

rum dissentit ab imaginatione opinio: quod opinionem consequatur assensus & fides, neque ullo pacto fieri possit, ut qui opinatur, non credat ita plane esse ut opinatur: hinc statim annectitur persuasio, rursum persuasioni ratio. Et sic opinio est quædam cum ratione assensio. Differt & imaginatio seiuncto gradu ab intellectu, quod imaginatio fallatur, intellectus nunquam. Imaginatio autem fallax tunc, cum id quod apparet ei non consentit nec cohæret: cum imaginatio re apparente magis hæbes uel obtusior est: in utroque namque extremorum & nimio & insufficienti erratur, in medio cum sit uerum. Diximus autem imaginationi opinionem accedere, ut assensum, qua ratione forsam quis putaret septimum illum gradum opinionis, cum imaginatione eundem esse, cum tamē diuersus sit ab eo, quia persuasio quidē per discursum fit imaginationis simulachro, Cæterum ex illo medio aliud fit, opinio uidelicet. Nam interdum pedissequa est assensio simulachro & imaginationi, interdum nequaquam, quam per alia quæpiam accidentia fallax esse deprehenditur: uelut cum astra non moueri imaginamur: Et quando in optime adumbratis picturis, uel in speculis, eminentias & depressiones inspicimus: non enim his per imaginationes fidem abrogamus: uehementes tamen ad id persuadendū sunt: nam & his decipiuntur facile animalia, quæ intellectu & discursu carent: & ad eum modum homines qui brutis pares, sine discursu rationum, leuiter credunt. Sic scribunt, aues delusas accurrisse ad uuas pictas ab Zeuxide, tanquam ad ueras. item & Zeuxim ipsum delusum a Parrhasio. Etenim Parrhasius in contentionem artis uocatus, detulit linteum pictum, ita ueritate repræsentata, ut Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret tādem reuocato linteo picturam ostendit, ut scribit Plinius. Qui & alibi narrat Polignotum Thasium, tabulam pinxisse, quæ erat in porticu Pompeij, in qua dubitabatur, ascendētem ne cum clypeo depinxisset, an descendentem. Scribit & Gabrias Græcus, deceptum canem ex imagine carnis, quam ore gestabat, lepidissimis his uersiculis:

lib. 35. hist. nat. c. 10. c. 9 eius libri

φέρων ποταμοῦ πλησίον κύων κρέας,
κύψας ἑαυτὸν ἄλλον εἰς ὕδωρ βλέπει
χανὼν δὲ λοιπὸν τοῦ κάτω λαβεῖν κρέας

ἀπ-

ἀπεστερεῖτο. καὶ τῶν ὧπερ ἐκράτει

Canis cum iuxta flumen carnes differret,
Inclinans seipsum alium in aqua uidit.
Ore aperto in hians, ut acciperet carnes quæ uidebantur illi.
Infra esse, priuatus est & his quas habebat.

Non hæc igitur quæ uidentur imaginationibus nos decipiunt uehementibus: sed quando per alia uisa obscurantur, & non esse uera nobis persuademus, discursu percurrente singula, & alia suadente & demonstrante atque ex opinione uel existimatione concepta, sequitur cogitatio. omnibus autem ueluti ὑποβάθρα siue fundamentum est imaginatio, a qua transit omne animal ad existimationem siue ueram siue falsam, & altius solus homo ad cogitationem: homo enim unus inter animalia omnia uim obtinet cogitandi, ut scribit Aristot. nihil enim aliud est cogitatio, quàm motus animorum, qui in uero disquirendo maxime uersatur, ut scribit Cicero. Et quando ut ait Philo Iudæus, mēs est excitata in seipsa, aut receptis a rebus, externis formis aliquibus eximijs, tunc concipit & parturit cogitationes, quas uolens parere, non potest, donec per linguam cæteraque instrumenta sua, uxor eas excipiens, obstetricis, more producat in lucem. Quare Plato, cogitationem, & orationem idem esse censuit, nisi quod cogitatio dicitur illa sine strepitu uocis interior collocutio, qua sese animus noster colloquitur. Id facile quisque coniiciet, si similem putet uocem lumini, quo, quæ in abditis cordis & mentis, uelut in tenebris sunt, delitescentia deteguntur. Opinionem autem Plato tunc dicit, quando & per affirmationem & negationem, illa collocutio in anima fit silentio. Cæterum illud obseruandum, in opinatione non esse contraria. Nam inquit idem Plato, nunquid alium quempiam siue prudentem siue insanum ausurum existimas tecum loquendo, ex industria sibi persuadere bouem esse necessario equū, uel duo unum esse, minime & si secum loqui opinari est: nemo dū utraque dicit, opinatur, attingitque animo, proferret unquam, opinareturq; alterum esse alterū. Sed certe, minus contrarii inhæret persuasio, cum ex sensibus cogitationes euolutæ, opinionem generant: uia enim ea semper per sē sus, nostro ordine, ad mētem itur ab anima hominis, quæ huius

lib. 1. de histo anim. c. 1.
1. offi. li.
Tomo prior 1. li. quod deterius potiori in i dotur. li. 15 soph. uel decente.
li. 13. in tetero u: de sciētus

huius capax. Persuasio enim & cogitatio, ut scribit Hippocrates, memoria quędam, commemoratione est, quę ex rebus, sensu comprehensis constat, componiturue; Nam sẽsus imagine quadam clara & aperta ducitur, qui prefectus præpatiẽsue cogitationi mentiue quæ subsunt nũtiat, quę suscipit sæpeque quale, quantum, quibusque eueniat, considerat: sæpeque secum cogitans, mussitat & commemorat Quã quidem cogitationem, persuasionẽ ue comprobarẽ: si tamen ex dubitatione principium faciat, delationemuẽ ex patentibus eadem uia deducat. Nã si cogitatio persuasione, ex rebus aperte factis principiũ sumat faciatue, deprehenditur & inuenitur in sensus, mentisue ui inesse, quę ab alijs singula suscipit. Quamobrem putandum est, naturam, multis uarijsque rebus moueri, & cogente ui suscipi, misceriue: mens autem, sensusue, quemadmodum ante dicebam, ab ea hauriens, postea ad lucem & ueritatem deducit. Hactenus Hippocrates. Arbitror & ego, cogitatiões hominum quæ in bonis ac eximijs rebus fiunt, item quæ pro fine sibi ueritatem proponunt, similes esse ebullitionibus & iactationibus uini recentis, quibus fæx omnis, & quod alienum est, ut etiam in maris fluctibus putridũ omne, foras proijciuntur, & pura & immixta ab alienis redduntur interna, ut quanto continuæ magis cogitationes, tanto existimare debeamus animas fore ab errorib. defæcatiores & maiora scientes. Exemplo nobis sunt pueri & discentes: pueri namque non ita sagaces ac uiri, nõdum enim fæculentam illam uini recentis colluuiem, & inconsultum sanguinis motum depurarunt. Sic discentes, minutis cogitationib. semper cogitationes maiores motusque acriores addentes perfectiores euadunt. Et mens sensusue dæfecati & puri, integri ue animi actus sententiam esse docent: nam si exerceantur, crescunt: sin minus marcessit, debilitatur, minuiturq; animus, ut scribit Hip. & marcescere & deficere mentem inexercitatam, ex similibus probari potest, nempe ex aqua, quæ si non mouetur, contrahit situm inutilisque est & fœtida usibus humanis: contra, quæ mouetur, salubris & utilis. & ignis flabello uel follibus in flammam lucidam excitatur: contra, si torpeat, fauillas contrahit, seseq; in illis penitus occullit. Cum autem cogitatio nihil aliud sit, quam mentis agitatio

In fragm. quodam. de mente sensuve.

tatio

tatio, ea necessario supra imaginationem, & existimationem homini excolenda, ei qui uere humanę uitæ graduũ uelit supra bruta assequi notionum, nec in his quietẽ agere debet, ut ostendit etiam Lactantius Firmianus. Nam quanto diutius quis cogitauerit, eo perfectius cognoscet. cum enim cuiussuis sit hominis errare, nullius tamen nisi insipientis perseuerare in errore: quia posteriores cogitationes solent sapientiores esse, ut in ueteri axiomate fuisse scribit Cic. quod & Græci usurpant, dum dicunt δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Et certe, cogitationib. crebris res examinatur melius. Et Leuit. 11. munda animalia reputantur, quibusq. liceat edere, quę ruminant, & quę habẽt ungulã fissam: per ruminationẽ, frequentẽ cogitationis examinationem intelligendo: & per ungulam fissam, cogitationum examinatarum separationem, & electionem a confusione, mala a bonis separantes, incerta & falsa a certis, & ueris. Cæterum nec ibi ultimum gradum figit homo sapiens, quia non omnes cogitationes quæ in nobis sunt, bonæ sunt, nec in potestate nostra cor nostrum, sed in Dei potestate qui dirigit illud: nos autem illum sequi debemus, gratia oblatum ducem optimũ, aliquando quippe & fere semper, cogitationes nostræ repente natę, mentem, animumque confundunt, alioque trahunt, quam tu proposueris, ad secularia reuocant, mundana inferunt, uoluptates ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque tempore quo mentem eleuare paramus, inserti inanibus cogitationibus, ad terrena plerunque deiicimur, ut scribit D. Augustinus, & D. Ambrosius. Porro a tribus cogitationes accipimus, ut scribit Thalassius Monachus, nempe, a memoria, sensibus, & habitudine. hinc malum, uel bonum cogitationis, hinc illæ animi præstigiæ, hinc multa malitia hominum est in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore, ut dixit Deus, uel salem, ut idem dixit alibi, sensus & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua. Quocirca sapiens, qui bonus est, hauriet sibi gratiam a domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impie aget: & sunt cogitationes sine intellectu. Sunt autem illæ in triplici specie malæ, quasque uitare expedit, scilicet cogitationes leues, otiosas, inutiles omni rei alię, & uiolentæ, & magis

li.6.de uero cult. c. 16.

libr. 2. de bo. perseuer. c. 8

Gen 6.

Gen. 8.

Prou. 12

Sap. 2

adhærentes, quæ ad necessitates naturæ pertinent: quasi ex eodem assumptæ limo quo & nos facti sumus, quæ si paulo curiosius insederint, difficulter euelluntur, huiusmodi cogitatio nimia de cibo, potu, uestimento, & huiusmodi, quæ certe oriri dum incipiunt, clamandum nobis cum Iacobo ad Rubem: Rubem primogenitus meus non crescas: ascendisti enim cubile patris tui. Nam & hæ primogeniti nomine dicuntur, eo quod in initio uitę nostrę in nobis pullulāt, cum cæt ra uitia ex processu temporis, ex malitia mundi huius, uariisq. occasionibus contrahantur. Aliæ dehinc cogitationes sunt immundæ, & fœtidæ, quas nec admittere quidem ulla ratione debemus, sed a longe præsentito fœtore tota uirtute repellere, ut annotauit D. Bernardus. Et quia mala uitanda sunt, sic & cogitationes malæ tanquam malorum radices, antequam altè radicent, in nobis circuncidendæ, quod & innuit prophe ta Dauid, Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram, hoc est, qui peruersas, & lubricas cogitationes allidet ad Christum, qui petra est, ut & interpretatur D. Ambrosius, diciturque uere, eas esse allidendas ad Christum, quia ut scribit Eusebius Pamphili. per disciplinam Christi, non solum a facinore turpi, uerum etiam a cogitationibus abstinere inhonestis, uentrem, & quæ sub uentre sunt domare, docemur. Cogitationibus itaque primo est prouidendum, ut bonæ sint, malæ statim antequam pepererint, extrudantur. Quare & Deus dominus noster Iesus Christus, suis præceptis, eam maxime partem curare iussit, & non tantum male facere, sed & male cogitare prohibuit Nam qui malum non cogitat, consequenter imo, & multo magis, a mali illatione abstinet. Huc pertinent pręcepta illa, Non concupisces, Non desiderabis uxorem proximi tui, &, Non odio habebis inimicum, &, Ex corde exeunt cogitationes malæ, & reliqua similia. Et ita D. Basilius Magnus uestales sacras admonet: Oportet, inquit, ante omnia uirginem cogitationes suas puras inuiolatasque seruare: anima quippe perdurante incorrupta, corpus quoque impollutum immaculatumque seruatur. porro si pessimis cogitationibus contaminetur anima, quantumlibet corpus incorruptum remanere uideatur, non tamen munda eius censetur integritas, cum sordibus cogitationum in-

Gen. 49.
Psal. 136
libr. 2. de pęn. c. 21
libr. i. de præpa. euang. c. 3
Ser. de uera uirgi.

inquinata uidetur. Erat etiam in Thebaide in finibus Hermipolis degens Abbas Apollo nomine, sanctus eremita, qui quotidie docebat monachos suos, ornari uirtutib. & machinationes diaboli in cogitationibus in principio protinus propulsare, dicens, contrito capite serpētis, mortuum fore totum corpus. Et iussit, inquit dominus, ut obseruetis caput serpentis, id autem est, ne in principio admittamus malas, & turpes cogitationes prout refert Palladius Euagrii discipulus. Porro ut præcaueamus facilius cogitationes malas, causæ illarum effectrices euitandæ sunt: Sicuti in bonis asciscendis, bonæ sectandæ sunt: bonorum autem cogitationum causæ sunt uirtutes: uirtutum autem præcepta, ut autem in effectum prodeāt, est propositum. Malarum contra cogitationum sunt uitia, uitiosarum inobedientia, inobedientiæ, & ex sensibus deceptio, ut deceptiones mentis negligentia circa sui securitatem parit, sicuti notat Thalassius Monachus: non enim per se concitantur cogitationes, sed ex re alia occasionem sumentes, uel malæ, uel bonæ creantur. Et ut scribit D. Chrisostomus. Quemadmodum mulieres ex congressione pariunt, & si sint sana quidem corpora talia etiam sunt quæ nascuntur, ut quæ parentum naturā imitantur: ita etiam in cogitationibus, ut si cum bonis uerseris, tales sint quoque tui fœtus: sin autem cum malis, & non attendas, magnum quoque illinc damnum accipias. Remanet igitur cogitationes alio adminiculo egere, neque oportere hominem, qui uere uir est, illis fidere, sed ad alium gradum prouocare, aliumque iudicem inter illas constituere. Hunc autem nos constituimus rationem discernentem bona a malis octauo ordine, & colligantur eo modo cogitationes rationi immediate, sicut cogitationes sensibus. Nam, inquit Epicurus, ut scribit Diogenes Laertius, & cogitationes e sensibus manant secundum incidentiam, proportionem, similitudinem, & compositionem, cooperante etiam aliquid ratione ipsa. Et ita docebat idem Epicurus, omnem rationem, quamuis nimium generaliter loquatur, a sensibus dictam esse, & si contineat amplius ratio, nempe discretionem bonarum & malarum cogitationum, ut Plato optime dixerit, nos debere nos ipsos committere rationi tanquam medico,

in hist. Lausi. uel sanctorū patrum histo. 52.

hecatōtade 3. de charitate

Psal. 7.

in eius uita, li. 10. de uitis. philos.

ille enim morbos,& discrasias corporis solet, uel auertere,prævidere,uel tollere: hæc autem animi.Sic maximus Tytius, loquens de alteratione multiformi huius uitæ. At huic,inquit, præsidet ratio, quæ præsentem rem semper exornet,haud secus quam medici ars, corpori natura minime stabili,quinimo sursum,ac deorsum euacuationibus,ac repletionibus uersato,studium præbet indigentiæ, ac satietatis regendæ.Rationis eximia uis est. Et,ut cum Cicerone loquar, homines cum multis alijs, tum hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant natura menti datam, & acrem, & uigentem, celerrimeque multa simul agitantem,& ut ita dicam,sagacem,quæ & causas rerum,& consecutiones uideat, & similitudines transferat,& disiuncta coniungat,& cum præsentibus futura copulet,omnemque comprehendat uitæ statum. Et uerbum λογὸς,quo rationem significant græci, apud eosdem tria significat,primum cogitationis εἴδωλum, quod voce exprimitur,dehinc ipsam uocem, uel complexionẽ orationis, quæ est ueluti cogitationum speculũ a principio ad calcem,usque faciendi,uel non faciendi comprehensum,non secus,quam uerbum ex syllabis,& literis cõpositum,certum quid significare demonstratur, cum tamen nihil significent literæ,uel syllabæ separatæ,ut Plato docet.Postremo logos,dicitur quod quandam notam adfert,qua id,de quo agitur,ab aliis omnibus differat, & eius adferatur recta opinio,ut scribit Plato, atque ea ratio cum maior sit,ideo se,& per inferiores gradus diffundere potest.ut ex inferioribus deligat mens per rationem,ueluti per manus,quæ deligi conuenit,idque cum certa scientia,nec temere nec casu,nec natura,sed arte rationis,operaus.Et hoc homini speciale,unum ratione uti,additque naturæ eius, ut omnes scientias adipisci possit. Nam cętera animantia singula,a natura innata secum artificia deferunt: ut norũt natura apes plasmare,fingereue alueolos thesauros uero quosdam,& labyrinthos formicæ fabricari:nere autem, & texere araneę: sed homo sicut corpore nudo,ita & animam artibus actu destitutam, dum nascitur,habet. Proinde pro corporis nuditate,manus, pro animæ inertia, imperitiaque rationem accepit. Et sicut manus, quamquam nullum sit eorum, quæ particularia

in Theæteto.

libr.3.in Theæteto siue de scientia.

sunt

ſunt organa, quia tamen omnia recte manus poteſt reci pere, eſt organum ante omnia organa: ita & ratio nulla quidem ex artibus eſt particularibus. omnes autem in ſeip ſam recipere nata eſt, ob id ars ante artes fuit, ut philoſo-phatur Galenus. Et Plutarchus ait, τὸ δὲ ἄνευ λογισμοῦ μοιώ μενον πανἀτεχνόν τε καὶ διάστραμμένον, id eſt, omne atſ-que ratione factum, inartificioſum eſt, & peruerſum. Maxi muſque Tyrius. Sed age, inquit, opus habeas aliquo, qui te manu quodammodo in uniuerſam hanc notitiam de-ducat, ipſam ſequere rationem. hancq; , idem Tyrius ali-bi rationem, artem dicit, & ſimile obſequium animę ab il la ferri, ac parturientibus ab obſtetricibus: ut enim hæc eruditas adhibent manus, ſuſcipiunt fœtum, dolores mul-cent, maturum partum in lucem educunt, puerperę diſcu tiunt periculum: ſimiliter ratio pregnantem animum do loribuſve plenum, obſtetricatur. In quibus plurimi, uel obſtetricis imperitia, uel dolorum uehementia, uel etiam ignauia ſeminis, abortum emittunt, pauci admodum rari que animi abſolute pariunt. Ex quibus ſi ſuſcipitur proles, ea nimirum legitima integraque eſt, & patrem apertiſſi-me teſtatur. Proinde animi conceptio dicitur mens, do-lores ſenſus, partus reminiſcentia, animoſque omnes in-tellige natura concipere, ſenſu ſuſtinere dolores, parere ratione. Cumque ad hanc uſque diſcurſus peruenit, iam incipit anima apud ſeipſam ſpatiari. hęc enim illi propria eſt ex Dei dono conceſſa: unde ſummis uiribus eniti debe mus, ut nos totos ipſius cenſurę ſubdamus, & libere eam in nos imperare permittamus. Statim enim illa nos ad al tiora ſubducet, uehiculo a mente diuina illuſtrato; & ue luti quodam curru igneo Eliæ, in cœleſtia, & ſuperiora nos transferet. Sic & Seneca, ſi uis, inquit, tibi omnia ſubiicere, ſubiice te rationi, multos reges, ſi ratio te rexe-rit, ab illa diſces, quid & quemadmodum aggredi debeas. Sicque affatus Socrates Critonem, Ego non modo nunc ſed ſemper talis eſſe percupio, qui nulli quidem meorum magis parē dum eſſe, quam rationi exiſtimem, quæ conſul tanti mihi optima uideatur, ut annotauit Theodoritus, Et Plato, ego, inquit, nunc tantum hoc magnus ſum dumtaxat, quod meipſum præſto rationi meæ obe-dientem. Obſeruauit, & illud ſummo ingenio Impe-

to. 1. lib. 1. de uſu partium. c. 3. & 4

ſer. 1.

ſer. 18.

li. 3. epi. & ep. 37

li. 1. de cũ ratione græca af fectio.

ratot Anton. Pius, ut omnium quæ gessit in senatu, & per edicta rationem reddiderit, ut author est Iulius Capitolinus. Atque Deus omnium conditor, nihil non ratione prouidit, disposuit, & ordinauit, nihil non ratione tractari intelligi que uoluit, ut scribit Tertullianus, & ueræ filię rationis scientiæ sunt & uirtutes, ut scribit Philo iudæus. Et ideo si scientiæ non possint rationem, & matrem demonstrare, statim mihi sunt suspectæ, tanto amplius consuetudines uulgares, & sine ratione. Pars namque est illa irrationalis muliebris in anima, uirilis autem ratio. Nam, ut admonet Philo iudæus, uidetur satis manifeste docere scriptura, quod consuetudines magis mulieribus quam uiris curæ sint, & per uerba Rachelis mirantis sola sensibilia. Sic enim patrem suum alloquitur: Ne moleste feras domine, non possum tibi assurgere, quia iuxta consuetudinem mulierum mihi est. Ergo mulierum est sequi uulgares consuetudines. Certum est enim consuetudinem pertinere ad infirmiores effæminatioresve animas: quandoquidem uirilis, robustæ, ueræque masculæ rationis officium est, naturam ducem sequi. Nemo est etiam qui ignoret iurisconsultos Romanorum, & aliarum gentium nomothetas, alias leges neque iubere, neq; recipere, quam à tioni coniunctas, uel quæ fulciri ea possint. Et ita Paulus, rationem naturalem uocat, legem quandam, & secundũ eam, & legitimam liberis in bonis parentum etiam damnatorum lege ciuili concedendam: quodque ratio naturalis inter omnes gentes constituit, ius gentium dicitur; quasi quo iure omnes gentes utantur apud Iustinianum, & Caium, ut ratio illa separat ius gentium a iure naturali, quod naturale ius sine ratione obseruetur, & ideo commune sit brutis, quæ rationis expertia sunt; hoc autem gentium, proprium humanæ sit naturæ, quæ ratione utitur Vlpiano teste, ut ratio legem commendet. Et D. Hieronymus. Nec putemus in uerbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Qua in parte nullus est, qui nostram artem magnam non admiretur, uel potius Deum eius principem, cum ea tot rationes, ut uix quis earum multitudinem, non minus quam solis radios ferat, doceamur vt etiam per se uerba his adhuc cla-

In eius uita. *to.2.libr. de pen.* *lib. de gigãtib. 10 no.* *to.1.li. de æmulentia.* *inl. cum ratio. l.8. de bo. dãna. li.48. ti.20. §. quodue ro, de iu. nat. gẽ. et ciu. lib.1. inst. in c. ui. ti.2. in l.1. §. fi. de iust. & iu.*

clariori face illuminentur. Et ideo Hebræi præcipue Rabini, uocant rationem טעם tagnam, id est, gusturo, saporem, uelut rerum condimentum. Et forsan apud Latinos ratio dicta, quasi aliquid ratum, & firmum exhibẽs: Vt non immerito Cicero dicat, rationem esse causam quæ demonstrat uerum esse id quod intendimus breui subiectione. Porro cum hic præstantissima incipiat gloria hominis, nẽ pe in optima ratione præbenda, cauendum, ne sub specie rationis, quædam a ratione aliena serpant, dum minor interdum rationis effectus meliori, & maiori præponitur, uel ut clarius loquar, minor ratio maiori anteponitur, in eo namque peccatur, & plerumque immedicabiliter. Nam vt scribit Euripides, & Theodoritus, ὁ δ' ἄδικος λόγος νοσῶν ἐν αὑτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν, id est, iniqua ratio existentibus morbis in ipsa, pharmacis eget bonis. Ratio etenim, ut scribit Marsil. Ficinus cum inter intellectum & opinionem media sit, quoties ad inferiora se deijcit, opinionis refertur erroribus, & diuina cogitare desistit. Cum uero ad mentem sui ducem cõuertitur, diuinorum cognitionem haurit, quam proprio nomine in mente sapientiam, in ratione reminiscentiam Plato nominat. Et Cicero, cum adoleuit, perfectam sapientiam dici ait: & hac nihil in Deo, nihil in homine melius, eamque cum Deo hominem, si recta sit, societatem habere. Accedit D. Cyrillus archiepiscopus, & patriarcha Alexand. Humana mens, inquit, si quieta fuerit & secum habitans, atque phantasijs friuolis, & abominabilibus abscedere solita, acute & per spicue perspiciet, citraque errorem rerum cognitionem percipiet, quod si perturbationibus crassior facta fuerit, nunquam diuinam pulchritudinem cõtuebitur, & in his quæ magis terrena sunt residebit, similis passerculis complutis madefactione a subuolãdo prohibitis. omnesque fere Platonici dicunt, animum nostrum, quasi quoddã tetrachordum, intellectu, ratione, phantasia, ac sensibus constare. intellectum diuinum, in quo nihil est nisi simplex ac purum ac uniforme, imaginationem & sensus, mortales partes esse, proinde mutationibus, uarietatibusque refertas. Mediam rationem, propriam humanæ naturæ, quam habere arbitrium anceps dicunt inclinandi & ad mortalia, & ad diuina. Vnde si ratio, ueluti in lyra neruus, qui dici-

1. ad Heren.

in Phœnicis. lib. 1. de curat. Græ. affectio.

in epito. Theæteti.

Tomo. 2. 1. dialog. de sancti. trinitate.

tur mese, cum diuina parte se temperauerit, admirabiles motũ concentus, simplices uidelicet, graues, decoros creabit: sin se consociauerit cum mortalibus, uarios, molles, indecoros pariet. hac in sede nos Christiane ponimus arbitrium liberum, nam & ut scribit Arist. in ratione ponũt duas partes, τὸ ἐπιστημονικὸν καὶ τὸ λογιστικὸν, uim sciendi & uim ratiocinandi, καὶ τὸ βουλεύεσθαι, καὶ λογίζεσθαι ταυτόν, i. & idem consultare & ratiocinari: esse demum in cõsultatione electioni locum, quodque si electio sit studiosa, appetitum rectum esse, & rationem ueram. Et illam rationem id dictare, appetitum autem persequi, & hinc mentem & ueritatem sequi actiuam: quod post consultationem fit. nam ante actionem, sicut in utramque partẽ, consultatio arguebat negotium declinare posse in utramque partem uergere demonstratur. οὐθεὶς δὲ βουλεύεται περὶ τῶν μὴ ἐνδεχομένων ἄλλως ἔχειν, nemo, enim, inquit, consulit de rebus quæ aliter se habere nequeunt: sic, & Nemesius, ostendit reipsa non posse actiones aliquas, alijs, quam hominis uoluntati adscribi, sicuti turpes uel iniquas actiones, quæ nec necessitati tribuntur, eo quod quæ illius necessitatis sunt, semper eodem modo se habẽt: nec fato, quia eius actiones sunt necessariæ, non contingentes: minus Deo, quia nihil turpe, & iniuste agit, nec naturæ, quia eius opera sunt animalia: stirpes: neque fortunæ, quia eius raræ sunt, præter expectationem hominum actiones: neque causui, quia casus est euentus inanimatorum aut bestiarum, ut per consequens principiũ suorum operum homo addit ἔτι εἰ μηδεμιᾶς ἐστὶν ἀρχὴ πράξεως ἄνθρωπος, περιττῶς ἔχει τὸ βουλεύεσθαι deinde si nullius actionis homo principium est, frustra possidet uim consultandi. Sed & Episcetus dicebat, nostra esse, & in nobis, opinionem, conatum, appetitum, declinationem, & nostra opera, eaque, ut omnia quæ in nobis sunt esse natura libera, ut scribit Arius & Cebes hominem in biuio positum describit, uirtus & uitij; in eiusque potestate quam uelit uiam ingredi: Hæcque eadem sentit Pythagoras per literam bicornem: hoc & suadet uoluntatis liber motus. ex motu autem animæ & uoluntatis, actiones vtriusq;, & corporis & animæ: unde & necessatio concludamus oportet & ipsas actiones liberas. Fassus & Lucretius.

li. 6. Ethico. c. 1 & 2.

lib. περὶ φύσεος ἀνθρώπου de natu. homi. c. 39.

in Enchiridio Epicteti c. 1. in pinace uel tabula.

Vnde est hæc inquam fatis auulsa uoluptas.
Per quam progredimur, quo ducit quæque uoluntas:
Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens.
Nam dubio procul his rebus sua cuique uoluntas
Principium dat. Et hinc motus per membra rigantur.

lib. 2. de rer. natu. uer. 257.

Et paulo post.

Vt uideas initium motus a corde creari:
Ex animique uoluntate id procedere primum.
Inde dari porro, per totum corpus, & artus.
Nec simile est, ut cum impulsi concedimus ictu.
Viribus alterius magnis, magnoque coactu,
Nam tum materiam totius corporis omnem.
Perspiciunt nobis inuitis ire, rapique
Donec eam refrenauit per membra uoluntas,
Iamne uides igitur, quanquam, uis extima multos.
Pellat, & multos cogat procedere sæpe,
Præcipitesq; rapit, tamen esse in pectore nostro
Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit.
Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et congesta refrenatur, retroque recidit.

Omitto quæ Plato, Plutar. Arist. Proclus, Iamblichus, & alij de hac libertate uoluntatis dixerunt. Prætereo & iuris prudentiæ Cæsareæ, & Pōtificiæ authoritatem, qua cōstat & negocia ex uoluntate tantum libera, non coacta, metu ue impellente facta, rata tantum esse. Item & delicta tantum uoluntaria puniri, & alia, quæ, cum de uoluntate agemus, Deo iuuante explicabimus. Sufficiat in præsentiarum rationem homini a Deo datam, ut in utramq; partem bonā & malam itinere proposito, & proposita uita & morte, quod bonū est, eligat. Sic enim & Sibylla scribit αὐτὸς ὁδ᾽ ὁ προέθηκε δύω, ζωῆς θανάτουτε. καὶ γνώμην προέθηκε ἀγαθὴν ζωὴν προελέσθαι, αὐτὸς δ᾽ εἰς θάνατον, καὶ πῦρ αἰώνιον ἔῤῥιψεν, εἰκὼν ἐς᾽ ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα, id est, ipse, scilicet Deus, duas uias proposuit, uitæ & mortis: & proposuit ex scientia eligere uitam bonā, sed ipse in mortem & ignem æternum se cōiecit. Imago mea est homo, rectā rationē habens. Homo quippe rationalis,

lib 8. oraculo. apud Castalio. uersi. 235.

inquit Irenęus, & per hoc similis Deo, liber in arbitrio factus & suæ potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quin dem frumētum, aliquando autem palea fiat. Quia propter & iuste condemnabitur, quoniam rationabilis factus, amisit ueram rationem, & irrationabiliter uiuens aduersatus est iustitię Dei, tradens se omni terreno spiritui, & omnibus seruiens uoluptatibus, quemadmodum propheta ait, Homo cum in honore esset, cōparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et rursum non natura alios bonos alios malos creatos esse dicit, sed omnes cū libero arbitrio eligendi boni, & non tantum in actibus, sed etiam in fide. Sed & beatus Cyprianus uita affectus carnis proprie animæ sunt quæ sentit, & mouet, & uiuit, cui imputatur peccatum; quia ipsi datum est arbitrium & iudicium & scientia, & potentia, per quæ possit improbare, malum; & eligere bonum, Et rursum idem, Credendi & non credendi potestas, libertasque in arbitrio posita est. Ecce, dedi ante faciam tuam, uitam & mortem, ait dominus, bonum & malum; elige uitam & uiues. Et Epiphanius contra Pharisæos, qui fatum ponebant, disputans, ait, Omnibus manifestū est, clarumque, ac minime ambiguū, quod liberum arbitriū exhibuit nobis Deus, per seipsum, locutus, si uolueritis & nolueritis. Quare circa hominem est bona operari, aut malas res appetere, Adde Tertullianum, qui & nos & Adamum ipsum propria; & libera uoluntate peccare ostendit, Deique bonæ uoluntati & præceptis obsistere, nec diabolum uoluntatem delinquendi sed materiam subministrare. Docet, & latissime alibi liberum & sui arbitrij, & suæ potestatis. Inuenio inquit, hominem a Deo institutum, nulli imaginem & similitudinem Dei in eo animaduertens quum eiusmodi status formam. Accedit huic D. Bernardi celebre dictum, Arbitrij libertas, inquit, hæc est, diuinum quiddam prefulgens in anima tanquam gemma in auro ex hac namque inest illi inter bonum, & malum, necnon inter uitam, & mortem, sed & nihilominus inter lucem, & tenebras, & agnitio iudicij, & optio eligendi, & si quæ sint alia quæ similiter circa habitum animi sese e regione respicere uideantur. Nihilominus inter ipsa censor animus dijudicat ac discernit, Is arbiter, is animæ oculus. Sicut

c. 7 2. eius libri.

in prologo sermo. 2. tomi.

cut

cut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat uersari in his pro arbitrio uoluntatis: inde homo ad promerendum potens. omne enim quod feceris bonū malumue, quod quidem non facere liberum sit, merito ad meritum reputatur. Consentiunt his antiqui sacri patres omnes, quorum ego alibi plusquam centum testimonia collegi, nẽpe Augustini, Ambrosij, Rabani, Hilarij, Hieronymi Basilij Magni, utriusque Cyrilli & Hierosolymitani & Alexandrini, Chrisostomi, Albini, & aliorum, qui multis rationibus adstruunt nobis inditum, ut possimus libere uel ad malum declinare, uel bonum nobis gratia diuina sine nostra opera oblatum, persequi: nunquam enim Deus, eo quod nulli inuidus suam gratiam uolentibus operari bene, subtrahit, sed infinitis occasionibus nobis arripiendam exhibet. Nam & quod possimus per liberam potestatem malas nobis subijcere cogitationes, uoluntatesque, id Deo acceptum ferendum est; sicuti & quod simus, & quod potius homines quam bruta simus, quod que rationis capaces facti. Deus enim ab initio, ut scribitur in Ecclesiast. constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua, si uolueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposui tibi ignem, & aquam: ad quod uolueris porrige manum. Ante hominem uita, & mors, bonum, & malum. quod placuerit ei, dabitur illi: Quæ uerba non tantum ad Adamum diriguntur, (in cuius persona quidã impie & hostiliter erga hominis naturam contendunt sublatam libertatem arbitrij ad bonum) sed & ad reliquos homines; siquidem ibi loquitur generaliter author, & de præsentibus hominibus, cũ ait indefinite, ante hominem mors &c. Indefinita autem propositio tantum effert, quantum uniuersalis: uniuersalem autem omnes cõtinere nemo ambigit. Deinde adiicit textus, apposuit tibi ignem & aquam, ad quod uolueris porrige manum Scribit tibi non Adamo, & te habere potestatem etiam bona accipiẽdi; indicat etiam post lapsum Adami, quod multis cõfirmare posset, uel uerbo Dei, qui ad Cain post lapsum Adami, ait, nonne si bene egeris recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus illius, & tu dominaberis illius

Eccl. c. 15. c. uer. 14 & sequ.

Gene. c. 4 uerb. 7.

lius? Quid eſt? ſub te erit appetitus illius, quàm quod peccandi, uel non peccandi libertas in nobis ſit, & nobis ſubditos eſſe peccandi appetitus? Referta ſunt ſacra biblia teſtimonijs aliis, quibus Deus ſemper inculcat, Si timueritis dominum, & uoluntatem eius uolueritis facere, bona terræ comedetis, ſi nolueritis &c. Et rurſum, Quoties uolui cõgregare uos, & noluiſtis, Et rurſum, ego adſto, inquit dominus, ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit &c. in ſimilibus, in quibus Deus nullos ad bona cogit poteſtate ordinaria, ſed uoluntates hominum liberas exigit, & allicit, ut uoluntati ſuæ liberè cooperantes, aliquid ad noſtri addamus, unde noſtra obedientia, & gratitudo illuceſcat & colligatur, mercesq; adijciatur. Nam, ut inquit D. Paulus. Si euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Si enim uolens hoc ago, mercedem habeo. Sed & extra poteſtatem inditam, alius modus traditus bene agendi per gratiam nobis in baptiſmo inditam. Et quamquam multa ſint, quæ obnubilent in arbitrio libero, electionẽ, non ideo tamen minus eſt arbitrium. Et ſi non perſe ualidum, ut prius in Adamo: meliuſque dixiſſent, qui illud negant, facilius deceptioni obnoxium, potius quàm ſublatum. Nam ratione peccati, & a lapſu prioris parentis, uerum certè eſt quibuſdam qualitatibus eum fuiſſe obtenebratum, & ea ratione non tale, quale prius, & ideo infirmum, cum non acumine præualeat iudicandi: uerum eadem eſt ſubſtantia eius quod nunc eſt poſt peccatum, ac prius: ſed in executione electionis, infirma, & debilis uis etiam poſt baptiſmum: non ſecus ac in homine, qui etſi a morbo ſoluatur, & ſanus ſit & curatus, nihilominus tamen membra, quamuis functionem eandem, ac ante morbum habeant, non tamen eam uſque adeò habent ut prius ualidam. Notanda namque ſunt quatuor tempora in libero arbitrio, in quibus exequendi, & operandi uoluntas gradus accipit. primum fuit tempus ante peccatum, in quo ad bonum, hominem nihil impediebat, ad malum uerò nihil impellebat; non enim habuit in illo ſtatu homo infirmitatem ad mali declinationem: habuit autem adiutorium ad bonum agendum, nempe legem & prohibitionem Dei, & intellectum non obſcuratum, ut tunc ſine errore

Deut. 30
31.
1. Reg. 12.
Ieſaiæ. 1. cum ſimi.
Luc. 15.
Apoc. 3.
1. Cor. 9. c. uer. 16.

tore ratio dijudicare, & uoluntas sine difficultate bonum appetere potuerit. Aliud tempus post lapsum & ante repa ratio nem gratiæ deperditæ, cuius statu hominis arbitriũ prem ebatur,& uincebatur a concupiscentia, & infirmitatem habebat in malum, sed non adiutorium ad bonum, scilicet gratiam ægreq; liberum arbitrium, bonũ exequebatur. Tertium tempus, post reparationem gratiæ, oblatione facta domini nostri Iesu Christi, & applicatione eius mortis per sanctum lauacrum regenerationis; in quo quidem statu arbitrium premitur,& oppugnatur a concupiscentia,sed non expugnatur uel uincitur, nisi uoluntate: habens quidem illam infirmitatem in malum, sed habens adiutorium,auxiliumve eximium in bonum, nempe gratiam Dei. Sic habens libertatem, ut possit peccare suadente infirmitate,quæ a peccati radice nobis relicta est,& non possit peccare saltem ad mortem propter auxilium gratiæ iuuans. Adhuc tamen homo libertatem, ut non possit omnino peccare,non recepit; eo quòd infirmitas q̃ a peccato a parente primo nobis inusta est, non planè sublata est, etsi omnis morbus per sanctum baptisma a nobis fugatus sit, cum nec etiam plenè fruamur & integrè restitutione,qua Christus nos sufficienter natalibus restituit, & ingenuitati, quam habebat protopater Adam: oportet enim corpus hoc mortale induere immortalitatem,& corruptibile incorruptionem. Quod fieri nequaquam potest ordine iustitiæ Dei,nisi prius soluerimus debitum & satisfecerimus sententiæ Dei,qua dictum, Morte morieris. Et rursum,statutum est hominibus semel mori, postea namque quia dispositi erimus ad suscipiendam plenam gratiã nobis a Christi paßione & gratia quæsitam,& tunc ab infirmitate peccãdi liberabimur,qua & restituti erimus meliori paradiso,quam quo fuerit Adam priuatus, & a terra hac peregrinationis, Dei beneficio restituemur statui innocentię & naturę impeccabili;& hinc gratia consumma ta & bono assecuto,desinet illa infirmitas peccãdi. Et per consequens omne peccatum, uoluntate firmata ad bonum libere agendum, & erit tunc æternum & sine fine. Quartum tempus status libertatis arbitrij ad bonum tantum, gratja, liberalitate, & beneficio Dei quem uelit & dignetur nobis elargiri Deus. Interim tamen quandiu in

Gen. 2.

in hac mortali uita peregrinamur, eniti debemus omni studio, ne liberi arbitrij electio, siue ratio intercipiatur in nobis, & ne aurum pretiosum tenebris affectionum crapulæ, inuidiæ, odij, commodi proprij, & philautiæ caligine obscuretur; caueatur præceps iudicium. Et ut omnia semel admoneam sufficienter, ad Deum tanquam ad polare sydus, arcticum immobile, dirigantur; omnia in illius uoluntate, honore, & gloria ueluti aurum in lapide Lydio probentur. nam quæ illi consentiunt, & placent, quæ illius authoritate fulciuntur, quæve ad illum vt finem, ueluti ad summum bonum prospiciunt, certè omnino sequenda sunt tanquam ab errore omni aliena; contraria fugienda, omittenda, & cauenda. Accedit huic rationi postremus gradus, nempe mens uel intellectus, ex defæcatione, uel purificatione cogitationum & rationis nascens, incerta hæc nobis interdum, quia rationem contingit aberrare ab optima suppositione, & similes per mores duci, cum tamen certa mens sit, utraque autem naturæ finis, ut scribit Aristoteles, hæc mens, sicut corporearum rerum notitias per sensus colligit corporis: sic incorporearum rerum per semetipsam, ut scribit D. Augu. hanc Deus nobiscum nasci non uoluit, sed adipiscendam proposuit. Nam quemadmodum Mercurius Trimeg. scribit, ratiocinationem quidē uel rationem singulis hominibus Deus impartiuit, mentem uerò nequaquam. Non quòd inuiderit, quibus nec utique inuidet (liuor quippe ab eo non prouenit) sed quoniam uoluit eam in medio, tanquam certamen præmiumque animarum proponere. Et Demosthenes, mentem, quę humanarum rerum moderatrix est, rectè sola philosoph. a erudiri & exerceri dicit, quia ab ea suscipit exercitia officij sui, quod uersatur in dicendo, & deliberando. Et quemadmodum gradus inferiores intellectus, & mens illustrat, sic etiam & rationem: & quò magis ratio illius habet lumen, eo certior; dictumque est illam gigni in animæ solo intellectu, ab Aristotele, quia ut ait Epicharmus νῦς ὁράει καὶ νῦς ἀκει, τὰ δ' ἀλλὰ κωφὰ καὶ τυφλὰ, id est, mens uidet, mens audit, reliqua sunt surda cæcaq;, ut scribit Theodoritus. Et quamuis sensus quasdam facultates peculiares habere uideantur, mens tamen prodest, ornat, & deniq; uincit, præstat, imperat, ex sentēc. Plutar.

lib. 7. polyt. c. 15.
lib. 8. de Trinita. c. 3.
in Pimādro ser. 4
in oratio. amato. si quidē ea Demosthenis est.
lib. 1 magno. mora c. 1.
lib. 1. de cur. Græca. affectio.

Plutar.& Plato,mentē,& ſapientiā puriſſima eſſe nomina dixit,& mentem uel eſſe ueritatem,uel ſimilimam ueritati.Atque Anaxagoras,teſte eodem Platone, uoluit τὸ δί καιον, id eſt,iuſtum eſſe , illam mentem dominam ſuapte natura,nec alicui mixtam,quæ omnia exornat, & per omnia penetrat, quod & ſcribit Ariſtoteles. Vocat & mentē Philo Iudæus caput animæ,quod Ariſtot.explicat, dum ſinem putat poſt ſcientiam,neque eam perfici quin ſcientia præcedat.Quo fit,inquit,quia iuuenes ſcientiam non habent,ſeruis illis mens contingat,& in ſenectute mens perficiatur.Eſt namque animi princeps , & quod eſt præſtantiſsimum & perfectius,ut Cicero annotauit, & ideo ipſo eodem Cicerone teſte philoſophi Peripatetici , & Academici,mentem uolebant, eſſe rerum iudicem, & ſolam cenſebāt idoneam cui crederetur, quia ſola cerneret id quod ſemper eſſet ſimplex,& unius modi,& tale quale eſſet,hāc que illi ideam appellabant,iam ante ita a Platone appellatam.Hāc & intellectum proprie dixerunt philoſophi, aut uim quæ poteſtatem formas ſuſcipiendi a materia habet, ut ſcribit Alexander Aphrod.Itaque in hac definit hominis facultas, eſtque mens ſummitas ſcalæ quæ iunxa terræ eſt,ubi corporalium apprehenſiones,& gradus ex quib. cognitio ad cœlum uſque conſcendit, uel ad portam cœli quæ eſt mens;namq per eam cœleſtia inquirimus. Cuius ſcalæ cognitionis typus fuit ſcala a Iacobo uiſa,per cuius gradus angeli Dei ſunt aſcendentes & decendentes,id eſt,nūtij operum Dei,& notiones.Capiti eius ſcalæ , uere Deus innixus,ad quem cum notio peruenerit,homo ſupra ſe diuino quodam furore rapitur.Eſt autem furor ille diuinus, illuſtratio animæ,per quam Deus animam a ſuperis delapſam ad infera,ab inferis ad ſupera retrahit, idque ordine graduum. Nam lapſus animæ ab ipſo rerum omniū principio,per quatuor ſummatim gradus efficitur,per mentē, rationem,opinionem,& naturam,quos concludunt, ſuperius ipſum unum,inferius corpus. Per hæc deſcendit anima, per hęc & aſcendit. Mens & multitudo quidem , ſed ſtabilis & æterna,ratio,multitudo mobilis ſed finita , opinio,multitudo mobilis infinita,ſed ſubſtantia punctiſque unita,natura ſimiliter, niſi quod per corporis puncta diffunditur.Corpus a item infinita multitudo ſubiecta motui,

li. de forin. uel de nirin. Alex.
li. 10. in philebo uel de ſūmo bono.
li. 23. in Crayio , uel de recta nomi. ratione.
1.de anima c.2.
li.de ſomnijs to 2. pr.lec. mi. ſect. 30. q. 4.
5.de fini.
li 1.aca. queſt.
li.de a.a. c.de phantaſia
Gen. 29.

tui,& substantia punctisque,momētisque diuisa. Et ita ab illo uno,Deo nempe, descendit anima usque ad infinita nobis numero:& rursum lumine diuino,ab infinitis & minimis ad unum rursum ascendit,mentis ductu,ut explicat Marsil. Ficinus. Dixerunt & aliqui diuinitate mentis commoti,ex superabundantia maiestatis fœcunditate, mentē diuinam de se creasse hanc mentem, quæ νοῦς uocatur:qua partem inspicit similitudinem seruare authoris, animam uero de se creare posteriora respicientem,hinc rationem, & eam mētem ex sua natura præbere & sensuum & apprehensionis seminarium. Et sic mentem unam in omnibus partibus animæ,non secus ac idem unusque uultus, in pluribus speculis ordine dispositis,in quibus cū omnia se continuis successionibus generant per ordinem, diuersis locis conspicitur. Atque si quis obseruet diligentius, cognoscet a summo Deo usque ad ultimam rerum fæcem,unam se mutuis uinclis religantem & nunquam interruptā connexionem esse. Hæcque est illa cathena Homerica aurea de qua & scribit Macrobius.Ea ratione forsan Cicero,Dei naturam communicat & menti,ex qua omnia in corpore & anima illustrentur. Et mentem subdit, in capite uelut omnibus imperantem,sensibusque,ut ministris, utentem, esse po[illegible]tam.In hoc Aristoteli subscribens,dum ait,Restat igitur,ut mens sola extrinsecus accedat,eaque sola diuina sit:nihil enim cum ea communicat actio corporalis. Sic functiones mentis & intellectus, puræ sunt & sine corpore:& quemadmodum se habent sensibilia ad sensus, ita intelligibilia ad intellectum, ut ipse Aristot. annotauit alibi,idque cum propriam functionem exercēt. Nam alias illuminatione ueritatis ad omnes extenditur gradus,& per illam docti solent semper altiora petere:mali uero inferorum specus intimos,meditātes autem inter extremos,medij susque deque per scalam feruntur, ut scribit Philo Iudæus. In hac nusquam fundus:hæc, ut Deus mundi, parui mundi domina. Deus in utroque mundo. mens agitat molem & toto se corpore miscet. Et mens diuina omnia regit,continet in omni parte,& nulli miscetur,ut aliquo cōtineatur,sic mens in suo paruo mundo, ubique & nullibi mixta & comprehensa. Quorum & aliam præstantissimā proportionem Porphyrius libello insinuat,dum ait,ὁ θεὸς πάν-

In argumento ad 10. Platonis uel de furore poetico.

Iliad. θ. li.1. in somniū Scip. c.14 li.1. tuscul. q. libr. 2. de nat. anima. c.3.

3. de anima. c.4.

li. de somnijs.

πανταχοῦ ὅτι οὐδαμοῦ, καὶ ὁ νοῦς πανταχοῦ ὅτι οὐδαμοῦ, καὶ ἡ ψυχὴ πανταχοῦ ὅτι οὐδαμοῦ ἀλλ᾽ ὁ θεὸς μὲν πανταχοῦ καὶ οὐδαμοῦ τῶν μετ᾽ αὐτὸν πάντων αὐτοῦ δὲ ἐστι μόνον ὡς ἐστι καὶ ἐθέλει νοῦς δὲ ἐν θεῷ μὲν πανταχοῦ τε καὶ οὐδαμοῦ τῶν μετ᾽ αὐτὸν καὶ ψυχὴ ἐν νῷ τε καὶ θεῷ πανταχοῦ καὶ οὐδαμοῦ ἐν σώματι; σῶμα δὲ καὶ ἐν ψυχῇ καὶ ἐν νῷ καὶ ἐν θεῷ καὶ ὡς πάντα τὰ ὄντα καὶ μὴ ὄντα ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ ἐν θεῷ, καὶ οὐκ αὐτὸς τὰ ὄντα καὶ οὐκ ὄντα, καὶ ἐν αὐτοῖς εἰ μὲν γὰρ μόνον ἦ πανταχοῦ, αὐτὸς ἂν ἦν τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν: ἐπεὶ δὲ καὶ οὐδαμοῦ τὰ πάντα γίνεται δι᾽ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ ὅτι πανταχοῦ ἐκεῖνος ἕτερα δὲ αὐτοῦ, ὅτι αὐτὸς οὐδαμοῦ. οὕτω καὶ νοῦς πανταχοῦ ὢν καὶ οὐδαμοῦ, αἴτιος ψυχῶν καὶ τῶν μετ᾽ αὐτὰς καὶ οὐκ αὐτὸς ψυχὴ, οὔτε μετὰ ψυχὴν οὐδὲ ἐν τούτοις, ὅτι οὐκ ἦν μόνον πανταχοῦ τῶν μετ᾽ αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ οὐδαμοῦ, καὶ ἡ ψυχὴ οὐ σῶμα οὔτε ἐν σώματι ἀλλὰ αἰτία σώματος, ὅτι πανταχοῦ οὖσα τοῦ σώματος, ἐστι οὐδαμοῦ. καὶ ἐστι γε ἡ πρόοδος τοῦ παντὸς εἰς τὸ μήτε πανταχοῦ ἅμα, μήτε μηδαμοῦ εἶναι δυνάμενον, ἀλλά ἀνὰ μέρος ἑκατέρων μετέχον. idest, Deus ubiqu est, quia nulli bi esse intelligitur, mens ubique, quia nullibi esse intelligitur: & anima ubique, quia & nullibi esse intelligitur. Sed Deus quidem ubique & nullibi, eorum omnium, quæ sunt post ipsum; nam ipsius solum est, ut sit ut uoluerit. Mens quidẽ in Deo ubique est, & nullibi, in his, quæ sunt post ipsum. Et anima in mente, & Deo ubique, & nullibi in corpore. Corpus autem, & in anima, & in Deo in mente: omnia namque cum entia tum non entia ex Deo sunt, & in Deo & tamen ipse non est existentia, uel non existentia, nec in ipsis. Siquidem quia ipse est ubique, erit utique omnia, & in omnibus: postquam autem & nullibi est, omnia erunt per ipsum, & in ipso, quia ubique ipse. diuersa autem ab ipso, quia ipse in nullo. Sic & mens ubique existit & nullibi, causa est animarum, & animas sequentium, & tamen non ipsa anima, neque post animam, neque in ipsis. Eo quod non solum sit ubique eorum, quæ post ipsam scilicet, mentem, sed & nullibi. Et anima nec corpus, nec in corpore, sed causa corporis, quoniam ubique in corpore existens alicubi non est. Et denique processus uniuersi in illud desinit, quod neque ubique simul, neque nullibi esse ualet, sed pro parte diuersorum participat. Hactenus Porphyrius,

eius, cui ex noſtra familia alia quam plurima ſubnectere poſſem:uerum iſta de mente dicta ſufficient pro explicatione gradus ultimi.Nam forſan de intellectu,& de mente dicemus alibi,quæ deſiderantur a curioſis, nempe qua in parte corporis mens,uel pars animæ præcipua ſit,item phantaſia & cogitatio, quæ nunc tractatio longe abeſſe ab inſtituto noſtro uidetur,nempe ubi de cognitionis gradu ſummo agimus Illud tamen in ſumma non alienū erit annotare,quædam ex medijs inferioribus, nempe ſenſibus,mentem noſſe:quædam etiam per ſe ſine ijs, ut intellectualia. Vnde breuiter colligo,ſenſum maxime ab intellectu abeſſe,& erraſſe eos qui eadem exiſtimarunt,niſi quod accidentaliter homini ob meliorem corporis diſpoſitionem ſupra animalia adueniſſe dicebant. De quibus D.Tho.qui illud improbat quinq; rationibus.

in 4.diſt. 44.q.i. art.i.q.i. li.2.cōtra gent.c.66

Primo,quia animalia certas actiones ex ſenſib.habeāt, nullas tamen ex intellectu,ideo ſimilia ſemper faciūt, ut ſemper eodem modo hirundo nidum.

Secundo, ſenſus cognitio eſt indiuiduorum potentia ſenſitiua recipiente formas indiuiduales: intellectus autē uniuerſalium.

Tertio, ſenſus cognitio tantum extendit ſe ad corporalia, ſine quibus nihil cognoſcit; intellectus incorporalia cognoſcit;ſicut ſapientiam,ueritatem, relationes rerum.

Quarto, nullus cognoſcit ſeipſum nec ſuam operationem,uiſus non uidet ſeipſum,nec uidet ſe uidere,ſed hoc ſuperioris potentiæ eſt,ut probatur li.2.de ani,Intellectus autem cognoſcit ſeipſum,& ſe intelligere.

Quinto,ſenſus corrumpitur ab excellentia ſenſibili, intellectus autem non corrumpitur ab intelligili,quinimo qui intelligit maiora, poteſt poſtmodum minora intelligere.Hactenus D.Tho.igitur a Deo infuſa ultra hāc mentem non progreditur natura humana. Verum in hac ultima intelligentia,parricipat cum angelis creaturis intellectualibus,& cum ipſo Deo.Vnde & mens uocata eſt puritas,& כתר catar,ideſt,corona numerationum,uel ſephitot,ſic enim Abraham in lib. ſephitoth putat, per illas ni fallor numerationes. Et ſephiroth nouem, perueniri ad decimam ſephiroth, ideſt rerum authorem, dum ſcribit בחון בהם וחקור מהם ספירות בלו מה ולא ט: ו ולא א · הן עשר נבצה

דקר על בורין ומשב יוצר מכונו : בהכמה ו הכם כבצה והעפר : ideft, decem funt numerationes præter quid, (ideft fine re ipfa) decem, & non nouem, decem & non undecim. Intellige in fapientia,& fæpe in intellectu: inueftiga in eis, & proba in eis, & ftatue rem fuper puritates fuas, & repone creatori locum fuum. Et Rabi Ifaac ben fchola, in commentarijs Theilim, fiue Pfalmorum, interiorem hanc inquit proprietatem intelligentię, plures dixerunt, & qui enumerarunt proprietates, pofuerunt tanquam principem fapientium, & principiũ numeri omnis: hæc fapientia eft Deus, alij nominauerunt eã coronam, quòd fingulæ proprietates coronentur ab illa, & illa a fingulis; alij nominauerunt eam ain אין, quod nullus fit qui eam imaginatione apprehendere poffit; eft namque folo intellectu attingibilis. Et huc alludit quod dictum eft מאיןיבוא mea in Iabo &c. unde ueniet auxilium meum a pomino. meain fiquidẽ, fignificare uidetur quiddam incorporeum, abftractum, fecretum, & intelligibile: & fi fueris fortunatus in dictis meis, fecreta mõtium altiffimorum fcies, quoniam hęc proprietas eft ueluti lux, qua coronantur omnes aliæ proprietates in uia lucis. Sic ftatuerunt certè, fed abftrufè fapientes Iudæorum mekubalim fiue Caballiftæ, dicti Iudæis חכמיהאמת fapientes ueritatis. Et ut abftrufiora illorum communicem, ij tres numerationes fupremas, in noftro fchemate tres gradus ultimi, iuncto numine Dei, qui omnia fouet adnixus, ut diximus eft fummitati fcalæ, dixerunt tres luces, de quib. fic fcribit הם: אור קדמין אור צח אור כצרצה רבי האי גאון שלישת גספירכות ועים־כל־זד הכל אלוהאחד אין שם רבי אורות חלילה ודם כראש, id eft, tres luces funt; lux orientalis, lux clara, lux clarificata uel purificata. Et cum omnibus his & omniũ Deus unus. nec eft ibi multiplicitas; abfit enim hoc. Et hæ funt in capite Sephiroth. Scio ego quoque quofdam Rabinorum potiffimum neotericorum, myfterium etiam trium fephiroth poftremorum, retuliffe ad fãctisfimam unius diuinitatis trinitatem, & ad fubftantiæ diuinitatem, idque per quam optime ut cum illis, & ego fentiam. Cæterum, & nobis idipfum conuenire non eft ambigendum aliquo modo, qui ad imaginem, & fimilitudinem Dei a Deo facti fumus, & in anima gerimus ipfius pro-

Pfal. 111

prototypi trinitatis ſimilitudinem.Nam ſicuti in Gen. c. i. ſuper uerba אלהים בראשית ברא bereſcit bara elohim, per אלהים elohim intelligunt tres proprietates quas uocant מדות midoth,nempe patrem,filium, & ſpiritum ſanctum:Sic in anima per imaginē אלהים intelligunt memoriam,intelligentiam,& uoluntatem,ut & authores etiam noſtri.Sed & legimus in vaikra rabba,ſuper c.4.Leu.& in midras tehilim ita:רבנן אמרי מה הנפש ממלאה את אגוף כן הקדוש ברוך־הוא סובל את העולם : מה נפש יחידה בגוף כן הקדוש ברוך הוא יחיד הקדוש ברוך הוא יחיה כעולם:ומה הנפש אוכלה ואינה שותה כן הקדוש ברוך הוא אוכל ואינו שותה:ומה הנפש טהורה בגוף כן הקבה שהוא למעלה מעולם מה הנפש רואה ואינה נראית כן הקבה רואה ואינו נראה : אמר דוד תבא הנפש שיש בה כל המידות הללו ותהלל להקבה שיש בו המידות הללו כל: .i.magiſtri dixerunt. Quēadmodū anima replet corpus,ita Deus ſanctus benedictus ipſe,replet, & ſuſtinet mundū.Sicut aīa unica in corpore, ſic ſanctus benedictus ille,unicus in mundo.Et ſicut anima nō comedit,nec bibit,ſic nec Deus benedictus ipſe non manducat nec bibit.Et ſicut anima ponitur pura in corpore,ſic Deus qui eſt ipſe æternitas,& ſicut anima uidet, & ipſa nō uī,uidetur: & Deus,& non uidetur.Dixit ergo Dauid, accedat aīa mea in qua ſunt omnes proprietates,& laudabo Deū ſanctum,benedictus ille, & uos quæ eſtis in anima proprietates,laudate eum.Hactenus Rabini ibi. Sed & alibi, illas tres proprietates Dei,& animæ latius explicant.Verumtamen oculis hominum ſubiici poſſe, uel plane cognoſci, quæ & quales ſunt,negarunt. Sic.n.ſcribit Rabi Moſce Bban iodeh ופרשא הגי קוטיליאה כפרוש פרשת כיתישת .i.in interpretatione capit is citiſſa,ſiue plagarum, & capitis gekitiliah,ſiue uallis occiſionis עין לא ראתה ועים והאין הג שם הכדל וקיצוץ חלילה ספידות העליונות .i.has tres numerationes ſupremas oculus non uidit,nō tamen ideo in his eſt diſſenſio,uel defectus,id.n.dicere abominamur.Nolo etiam hac in parte ſuſpendere ingenia optima lectorum, quin ex eorundem Rabinorum,& Caballiſtarum fontib. illis non communicem nomina, quæ illis tribus ſuperiorib.ſephiroth ſiue numerationibus,impoſuerunt.illa autē habentur in libro הזהר hazzoar,de illuminatione,uel ſplēdore,quem ſcripſit Simon Beniohai.

אשית

א אין סוף חראשונה בלי התחלה וה אשית אב הנק ראת:

ב חכ מה והשניה הנקראת אצל המק בלים הכמה
שבה נברא העולם : שנ משלי ג יהוה בחכם יסה
ארץ ונקראת ראשית שנ בראשית א בראשית ברא
אלהים על כן תרגן יונתן כחכמת ברא יהוה נקראת
אצל הנו צרים דבה יהוה והכל אחה שהרי כתוב בדבר
יהוה שמים נעשו:

ג בינה

והשלישית חנקראת אצל המקבלים נקראת אצל
הנוצרום רוח קדוש בי היא יהב סנד עא ליה עי בינה
בכתוב ויהי בנה עלוהם הרוח ויתנבאו:

הספירה חיא *scribit, & hęc Ludouicus Carretus iudæus in* ספר מראית אלהים *in li. uisionem diuinarum.*

Cuius tabulæ hæc explicatio.

1. ensoph, sine fini to, & ter mino. — Sephira prima. sine aliqua insimulatione doloris, uel infirmitatis: & principio pater dicitur.

2. hocma, siue sapientia. — Secunda dicta apud Caballistas hocma sapiētia, quia in ea creatus est mundus, ut scriptum est in Prou. c. 3. Dominus in sapientia fundauit terram. Dicitur & principium, quia scriptū est Gen. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Ideo id uertit Ionatas, in sapiētia creauit dominus. uocatur apud christianos uerbū Dei, quod idem est, quoniam scribitur, Verbo domini cœli facti sunt.

Triū Sephiroth superiorū Sephiræ.

3. Binah. id in telligentia. — Tertia, quæ a Caballistis uocatur Binah. i. in telligētia uocatur a christianis Spiritus sanctus. Quoniam ipse dat scientiam cognoscentib. intelligentiam, ut scriptum est: Et factum est, simul acquieuit super eos spiritus, & prophetarunt.

His alia addere secretiora possemus, de Euieph, de iethon, de Phta & amon, quæ Iamblicus ponit ex scola Ægyptiorum & Chaldæorum. Sed locus nos admonet, ut finem huic libro imponamus, si primum de his quæ nũ exigunt ratiocinationem in docendo, uel cognitionẽ, regulas quatuor annotemus ex Rabino haben Tybbon in libro qui inscribitur רוח חן Rouach.achen, siue spiritus gratiæ, & ex alijs.

in l. ea] quidem l. de accusation .li. 9.C. ti. 2. in cano. manifesta & cano. de manif. causa. 2. q.1. in decreto. in l.1.§ fi. de dot. prgle. lib. 33. ti. 4. in l.1.§. fi. de act. empt. & uend. lib. 19. ti. 1. in l si uero pro nv condẽnato. ll. 5. §. qui pro rei qualitate qui satisd. cognun. li. 8 tit. 8.

Quarum prima, sensibus subiecta & supposita, alia demonstratione quam sensuum comprehensione nõ egẽt. Nã quod nix sit alba, gelu frigidum, ignis calidus, & similia, sensibus tantum sufficienter cognoscuntur. Quod autem circa eorum naturam disputatur: alterius est controuersiæ: ut quare album, quare nigrum, frigidum, & illud calidun, hæc enim intellectu, non sensib. comprehendũtur.

Secunda regula, manifesta, superfluè probatione onerantur, nisi alterius rei causa probentur. Exempli causa sit non occidere, non furtum facere, non rapere, iam manifestè sine alia probatione inter homines iusta censentur, contraria iniusta. Et imperator Gordianus etiam solemnitatem probationis quæ fit in accusatione, in notorijs remittit, nec exigi statuit, & solum controuerti, num notorium sit. Nec in manifestis testes requiruntur. Manifestum enim dicitur, quod per se appatet, & potest facile probari: sed tamen id fieret superflue. Nã quicquid rei adiicitur satis demonstratæ, frustra est. ut notat Vlpia. Et non uidetur esse celatus qui scit, nec certiorati debuit qui non ignorauit, ut idem Vlpi. tradit. Quin & illud uerum est, iniuria eum affici, cui negatur id quod euidẽtissimum est. Sic & datur actio iniuriarum in eo qui fideiussorem negat locupletem eum, qui euidentissime talis, est, & approbatur huiusmodi, ut scribit Caius iurisc. Si tamen illorum rationes proferantur, alterius fit causa, nempe ratione pœnæ, rationeq; circunstantiarum. quæ inueniuntur & concurrunt in commissis aduersus hęc decreta, uel alterius rei gratia, huius generis possunt esse quę naturalis iuris sunt.

Tertia a maioribus tradita & recepta a nepotibus, non egent probatione: quia ea innituntur cognitioni maiorũ, apud quos summa & diligenti inquisitione iam deter

mina-

minata fuerunt.Et credendum potius quam disputandũ singulis:ne dum quisq; fisus proprio ingenio,dumue ueritatem debilibus rationibus suffulcire tentat, in negationem ueritatis turpiter prolabatur.Et ac in parte, intelligẽtia ex facultate in actum non egreditur.Sic credebant Synanogæ Iudæi,& Ecclesiæ Christiani credunt.De fide nãque ita simpliciter credendum est:imbecillia namque sũt hominum ingenia,ad reddendam rationem operum & præceptorum Dei. nec potest quis prius intelligere quam crediderit:nisi enim credideritis,in quit Iesaias,non intelligetis,& Dauid:Credidi propter quod locutus sum.& Dauid alibi expressius אודה־ה בכל:לב בסוף ישרים ועדה Confitebor domino in toto corde meo, in secreto rectorum & congregatione. Et D. Cyprianus scribit, sublimes materias, sublimum ingeniorum exigere tractatores, cum nec facile de artibus iudicẽt,qui artes ignorant : ideo inquit tam in diuin is quam in philosophorum doctrinis, nec tutum est nec honestum ineruditos sensuum ad literas illas pertinentium,pro silire ad discussionem eorum quæ nesciunt,& de his sibi usurpare magisteriũ quæ ignorant.Potest itaque facile homo in arbitrarum causarum inspectionibus & secretis naturæ errare & decipi; quia non per omnia a fine usque ad finem intellectus humanus attingit.Scribit.& D. Dionysius Areopagita, Nullus mihi imperfectus in contemplatione neniat. Etenim non solares fulgores infirmis pupillis intueri non periculosum, nec his quæ supra nos sunt audere innocuum. Siquidẽ uera est iuxta legem hierarchia, Oziam quidem punitum, quia sacra tractauit subuertens:Chore uero, quia supra se sacris:Nadab & Abiud,quia profane proprijs abusi sunt. Sed apertius & rationem afferens idem præstantissimus uir scribit, Nulla ratione audiendum est,inquit, aliquid de occulta deitate, quæ est superior quam essentia, dicere uel cogitare, præter ea quæ nobis sacra eloquia diuinitus aperuerunt. Et sicut nec sensibus intelligibilia comprehendi spectari ue possunt,neq;factis figuratisue simplicia & insigurata,neque per corporum figuras formales,informitas ipsæ incorporeorum refugiens tactum, figuraq; carens:eadẽ ratione ipsa superessentialis infinitas omnes essentias antecellit.Ipsa quoque unitas, intellectus superior,

c.1. Psal. 211. in prolego. sermo posteriorũ.

lib. de ecclesiast. hierar. ca pi. 2.

li. de diuin. nomi nib. c. 1.

rior,omnes intellectus antecedit;ipsum deniq; unum co gitatione præstantius,nullis cogitationibus potest excogi tari;atque bonum excelsius omni uerbo, uerbis est inefra bile.Deinceps,si omnes inquit cognitiones tumentium sunt,tum etiam in entia desinunt, consequens est ut qui omni essentia superior est, sit ab omni cognitione semo tus.Diuus etiam Athanasius ait,non dari cõsequi res ma- gnas atque difficiles, nisi fide. Et Galenus scribit etsi non Christianus, tamen testimonio antiquitatis memorabi- li, prohibitum in lege Mosi & Christiana de ea disputare, his uerbis, quam in Christi & mosis scholam impingat, leges audiat nulla constitutas demonstratione, idq; mi- nime doceat. Et rursum alibi illius uerba. Citius igitur Moysi asseclæ & Christi decedant de sua disciplina,quam qui sectis sunt addicti & consecrati,medici & philosophi. Meminit &Rabbi Moyses ben Meimon in epistola de a- strologia ad Iudæos Massiliæ, de tribus superioribus regu lis, cuius uerba Hebræa Latine sic accipe,In primis igitur mi domini,scitote hæc tria tantum homini est credenda, neque quicquam præterea. Primum id quod certam ha- bet & euidentem probationẽ humana sua ratione & sciẽ- tia sua inuestigatam:uelut ratio numerandi,goemetria,& reuolutiones. Alterum id quod homo deprehendit uno quoque sensuum,ueluti quia uisu hoc rubrum, illud ni- grum:gustu hoc dulce,illud amarum;tactu hoc calidum, illud frigidum, & sic de reliquis sensibus. Tertium & po- stremum id quod acceptum a Prophætis piæ memoriæ,& a iustis.Porro quod ad ultimum attinet apud Hæbreos li ber dictus ספר כוזרי liber cozræ,ubi de creatione traditur in eo במאמר החמישי.i.sermone 5.in principio, id inquit, quod a maioribus traditur acceptumque est,non bonum est,nisi cum bono & sincero corde coniunctum,& requiri tur cognitio & traditio. facit pro ultimo Martianus Cæ- sareo. Sed de fidei simplicitate & intellectu alibi plura dicemus Deo fauente, & docebimus omnia aliqua præ- cedente fide ueluti quodam principio immobili, sine a- lia inquisitione firmari. Interim de rebus iam perceptis & ad intellectum usque uenientibus, nullam fieri intel- ligenti demonstrationem sui causa uel probationem te- neamus : nam uerum id non esset, nec intellectum, sed opi-

libr. de incarnatione uerbi. tomo 4. li. 1. de differem. pulsuum.

libr. 3. de differẽtia pulsuum.

l. nemo i. 4. C. de sum. trini. li. 1. C. titu. 4.

opinione plenum. Alterius tamen ignorantis causa, quē ad agnitionem ueritatis ducimus, per rationes ueluti per itinera certa, ad ipsum uerum & intelligentiam trahimus.

Quarta regula, Subiecta priora quibus uerum uel falsum conuenit, non autem malum uel bonum, non egent ratiocinationis probatione. Huiusmodi sunt demonstrationes uniuersales & mathematicæ: sicuti illud quod duo contraria in uno eodemq; subiecto esse non possunt, uerum esse per se patet contrarium falsum. Et uerum, totum maius esse sua parte; omnibus enim natura tribuit dignoscendi & distinguendi facultatem. Sub hac etiam regula continentur subiecta rationi & intelligentiæ, ut propositiones scientiarum & artium demonstratiuarum principia, indubitata & concessa sunt: Principia nāque cuiuscūque artis inquātū sunt illius artis Et eorum principiorum uel propositionum ex duobus uel tribus indubitatis principijs accomoda collectio, habet intelligentiam possessiuam, hoc est iam præcedentem aliunde notionem, antequam ad artem illam cuius sint principia, accedat. Principia namque artis, ut ait Galenus, aut in sensus notis, aut in his quæ ex alijs percipiuntur, aut in his quæ præostensa fuere, aut in manifestis intellectui consistunt. At ordo de quo iam ante dictum, uiam sternit facile ad memoriam eorum quæ dicta factaue sunt: Cum enim repetere singula per ordinem cœperis, ubi aliquid deest, statim sensus inquirit, & cum inuenerit, seruat, aut si inuestigare non poterit, statim a magistro requirit, ut ait D. Clemēs. Et mens, ut ait Cicero, alia uisa sic arripit, ut non statim utatur, aliqua sic recondit, ex quibus memoria oritur, & rursum paulo post, Nos meminisse nisi cōprehensa non posse, ait. unde & Plato nos reminisci non dicere, ac si scientias notas ante unionem corporis & animæ haberemus, quod & refert & refellit Cicero, & Alex. Aphrodis. quorum rationes prætermitto, ueruntamen est, eam memoria præteritorum esse tantum, non præsentiū, in quib. sentire, scire uel intelligere est, nec futurorum, de quib. dicitur opinio uel spes tantum, ut ait Aristo. Quo fit ut memoria circa Deum, uel ens, uel intellectum ponenda non sit.

in Isago. gicis li. de optima secta ad Thrasib.

li. 5. recognitionū.

li. 4. academ. quæstio.

eo libro.

lib. 3. tuscul. quæst.

Problem. 121.

libello de memor.

fit. Nihil enim ei eorum accidit. neq: tempus circa ens est sed æuum, neque prius uel posterius, sed est semper uti se habet permanens in eodem, nullam admittens mutationem, uel Plotino autore. Memoria itaque ueluti sphæra ambiens reliquos gradus cognoscendi, constituenda est: ne perperam quæ quis didicerit, effluant, & ut ea, ueluti anchora, figantur, ne fluctibus obliuionis elidantur. Est enim memoriæ ea natura & uis, ut innuit Phrontus, dum ait, Μνημοσύνη ἡ τοῦ συναιρεῖν γεγονότα αἰτία, memoria est qua colligere possumus ea quæ facta sunt. Nec aliud illa est quam collectio: & ut Plato ait, sensuum & intellectus salus & conseruatio: utque Cicero, thesauris omnium studiorum, Quod & subscribit Tertullianus. Atque Plutarco Disciplinæ quasi quandam cellam penariam dixit, unde traditum Mnemosynem, id est, memoriam esse matrem Musarum. Quanquam nouerim Plotinum dixisse, memoriam non esse formarum impressarum custodiam, sed facultatem animæ quandam ita seipsam excitantem, ut & quod non habet habeat, quando fit egressio potentiæ in actum. quod & ego quoque uerum puto, sed & illam potentiam animæ prius non concepisse recordata, non possum mihi persuadere. Non enim potuit excitari quod nunquam fuit, non secus quam memoria esse non potest, nisi eorum. quæ præuisa & præcognita fuerunt. Et ideo recte post mentem ponitur. Sicut in intellectu nulla est contrariorum uel dubiorum agitatio, sic memoria ostendit prorsus quod in anima nō est agitatio, sed quies stabilisque permansio. Quod docet Plato a nomine μνήμη, id est, memoria, tracto argumento ut ea sit quasi μονὴ quies statione. Et ut apertius me explicem, memoria similis est cellario uel loco capaci, in quem inuehuntur uel merces uel aliæ res quæ libet, conseruationis uel depositi gratia: & sicut non omnia horrea, non omnia loca ubi res deponuntur, eiusdē sunt firmitatis, nō æque cōtra latronum iniurias, & uim externam uallata, non circūsepta: Sic neq; omnes hominum memoriæ, æqualis sunt roboris, sed aliæ aliis sunt firmiores & meliores, & perfluere aliquæ facile quę receperāt patiūtur, aliæ tenaciter retinēt. aliæ ue externis expugnantur uel inuantur. Id circo nō eorum memoria est animalibus, quæ in memoria hominū esse

li. 3. ænead. 1. lib. qui θεωρία περὶ τῶν θεῶν, de natura suorū deorū ca. περὶ τῶν παραδεδεμένων μύθων, de ante traditis fabulis. in philæ. 1. de oratore. libr. de anima. de anima li. de liber educa. ænead. 3. li 6. dū agit de impossibilitate incorporeorum. c. 1. In Craty lo.

esse possunt, cum locus ille memoriæ animalium, non sit eius qualitatis, capacitatis, & substantiæ in illis, cuius est memoria hominis in homine. Quippe tria potissima in eo sunt, memoria, consilium, uoluntas. In memoria, hominis pecudisque confinium: nam & nidos ciconiæ & hirundines post annum reuisunt, & equi stabula repetunt, & canes dominos recognoscunt. Sed quoniam animæ sensitiuæ belluarum, etsi imagines locorum naturaliter retinēt, ipsius tamen substantiæ suæ scientiam non habent, & in recordatione corporalium rerum quas per corporis sensus hauserunt, necessario remanent, & ratiocinandi non habentes oculum, non dicam supra se aliquid, sed se ipsas uidere non possunt, ut tractat Claudia Mamertus. addit Aristoteles postquam ex sensibus cognitionem fieri dixit, potissimum ex uisu qui nos cognoscere quicquā facit, multasque differentias manifestat, subiūgit, natura itaque animalia sensum habentia fiunt, a sensu uero quibusdam eorum non innascitur memoria, quibusdam uero innascitur: Et ob hoc alia prudentia, alia disciplinarum capaciora sunt, quam illa quæ memorare nō possunt. Discunt autem quæcunque una cum memoria, quæcunque scilicet audiunt. Cætera phantasijs & memorijs uiuunt, experientia uero parum participant: humanum autem genus arte etiam ac ratiocinationibus. Fit autem experientia ex memoria hominibus, quæ potius reminiscentia est, quando scilicet ex initio præcedēte, id rursus colligit cuius primum uel scientiem uel sensum hauserit, vel id quod fuerit, repetit, cuius habitum dici reminiscentiā testatur Aristoteles, syllogisat reminiscens homo. Animalia autem ut idem ait Aristoteles, qua animæ parte sentire solent, eadem & recordantur. Et memoria se habet in homine, sicut intellectus simpliciter apprehendens: reminiscentia autē sicut intellectus discurrens Et propterea sicut in homine non sunt duæ potentiæ distinctæ, intellectus & ratio, (qđ pertinet ut ego intelligo ad substantiam animæ, in alijs namque ratione ordinis distinximus) sic nec memoria & reminiscentia, ut tradit Chrisostomus, Iauellus Canapitius, & Plato, Quoties, inquit, quæ cū corpore passa est aliquādo anima, eadē sine corpore in seipso resumēs animaduertit, tunc meminisse eam asserimus: Quando autem me-

lib. 1. de sta. anim. c. 21.

1. in metaphysic. initio.

li. de memoria & reminisc.

eod lib. de memoria.

Tractatu 2. de reminiscen. c. 1.

moriæ

moriæ paſſa iacturam, deinde uel ſenſu uel diſciplina mouente eam iterum reuocat in ſe ipſa, reminiſci putatur: atque hęc iam memoriam reminiſcentiamq́ue vocamus. Sic Galenus uel alius eius nomine, Memoria, iuquit, eſt retentio conſeruatioq́ue in anima earum rerum, quas antea obſeruauimus: uel memoria, eſt præteriti comprehenſio, cuius præſens fuit ex ſenſu perceptum. Recordatio eſt, cum præter cætera, ſpatio multo temporis interueniente, rurſum cogitatio oritur adeo, ut quæ prius animum mouere, ad memoriam reuocentur. Docetq́ue deinceps, ſitus, & ueluti loci ſedes memoriæ, eius conſiderationem poſtremam eſſe, quòd ea organum ſuum habere dicatur, ab Auerroe, Auicenna, Alberto Magno, & D. Thoma, in poſteriore patte cerebri. Quod & itr oportuit fieri: nō enim potuit conſtitui in parte anteriori, ubi ſenſus eſt communis, quia nimium mollis ea pars eſt, ut reciperet probè ita conſtituta. Memoria quia quippe cum ſit conſeruatrix, requirit durum & ſiccum. Quamobrem ſicuti læſa anteriore parte cerebri, uel eius complexione, læditur ſenſus & imaginatio, & remanet cogitatio & rememoratio. Et cum medium fuerit læſum, læditur & cogitatio; ſic poſteriore læſa, læditur memoria, ut inde colligere liceat memoriam ibi organum habere. ut tractat Galenus, libro uno, & latius alibi, ubi & cognatum officium cum corde mirificè explicat habere memoriam. Ideo & nos naturæ ordinem ſequuti, ad calcem graduum reijciemus, eamq́ue ſummopere in diſcipulis iſtius artis deſideramus. Iuuamus autem permaximè diſpoſitis quibuſdam ueluti alphabetis, & tabulis rerum omnium, de quibus poſtea latius. Oportet tamen & illos cooperatores eſſe, & hanc memoriæ uim adhuc ſibi aliunde conſeruare, intrinſecus, & extrinſecus: cū cerebrum & loci illius ubi reſidet pars, quam plurimis mutationibus obnoxia ſit, & ſubſtantia cerebri nō omnibus æque temperata, neq; paris conditionis, nō mentis idem acumen, non eadem promptitudo. Vt pone, inquit Plato, exempli cauſa, ceream vnam in animis noſtris effigiem, in hoc maiorem, minorem in illo, iu hoc puriores ceræ, ſordidioris duriorisue in alio, in quibuſdam mollioris, in aliquibus temperatæ: in hac ſi quicquid eorum, quæ aut uidemus, aut audimus, aut ipſi excogitamus meminiſſe

in finitionibus medicis.

de ſympto ma. differen. c. 3. de locis affectis c. 4.

In Theæto uel de ſcientia.

minisse cupimus, insinuantes ipsa sensibus intelligentiisve ueluti annulis signantes exprimimus, quodque signatum fuerit meminimus nos, & scimus quoad figura permanet; & cum aboletur uel inscribi nequit, obliuiscimur, atque nescimus. In primis itaque ut bene organum, ut cera ad sigilli impressionem bene disponatur, operęprecium est; estque necessaria moderata siccitas, ut bene conseruentur impressa & recondita. Quamobrem quæ moderatam siccitatem impediunt, officium etiam memorię, siue ad nimiā trahant siccitatem, siue ad superfluentem humiditatem. Nec memoria his, inquit Aristoteles, qui multo agitantur motu ex morbo aliquo, aut ex longa ætate, ut si motus & signum in aqua fiat, quæ pręcipiti cursu deferatur. Item in frigenti ętate nulla, uel debilis, perinde ac in annoso ædificio, & ob duriciem ob recipiendam affectionem ineptam, nulla imago effingi potest. Et ob eam rem qui adolescunt, quique ad summam senectutem peruenerunt, memoria acri non sunt; alteri propter auctionem, alteri propter diminutionem. Qui etiā animi celeritate, & qui tardo ingenio sunt, fluxam æque obtinent memoriam, illi enim magis hument quàm res ferat, hi magis sicci sunt. unde alteris imagines in anima nō asseruantur, alteris nō adhærent. Similia ferè explanat Plato, dū ait, quod mollis nimiū cera, celeres quidē ad percipiendū efficit, sed eosdē obliuiosos. Dura cōtra, diu memores, sed ineptos tardosque ad percipiendū. Et qui densa, obscuram, lapideamq;, luteam, uel fæculentam habent, obscura quoq; simulachra cōtinent obscurā quoq;, qui duram; profunditas .n. abest obscuram. præthereà qui molliorem. nam ex confusione facilè euanescent. Vnde tales homines, ut etiam propter angustiam animæ homines, ad opinionem falsam fiunt proni. Nam cum quid uident, aut audiunt, aut cogitant, quia singula singulis mox reddere nequeunt, tardi sunt, præuaricanturque, aliud pro alio sæpe cogitando concipientes; & ij falsi mentiētes, ignari uocantur. Hæc Plato. Paucitas itaq; dormitionis officit memoriæ, qm̄ non purgatur caput supabundāti humiditate. Officiūt & cibi uapores emittētes, legumina, caules, uinū forte, nisi moderatè sumatur. Nā & ebrij ob fumos multū caput humectantes, immemores. Item nimia superueniens frigiditas, quæ nimium densat

In Theæteto.

sat & indurat prohibetque impressionem. Sunt & his simi lia quæ uenari ex medicorum libris poterit, & eorum scri ptis qui de memoria proprios ediderunt libellos. Ex parte demum ipsius memoriæ, exigimus impressionem fieri, ut in cera sigillum optime imprimi, in marmore profonde insculpi oportet. Nam si bene insculpta sint simulachra, ea facile non commutantur, nec in electione, distinctio-ne & cognitione impressorum decipitur animus. Quam-obrem potissima pars præstantis memoriæ, simulachra rerum memoratarum, uel notas certas intra se imprimere. Quod maxime consequimur frequenti rerum apprehensa rum meditatione, alioquin uel perit uel obscuratur, fitque contumax cum motui non consuescat: non secus ac aquæ stagnantes, situm contrahunt: metalla, rubiginem & sco-riam: ignis, cineres: incultus ager, inutiles herbas: lapis mu-scum. Et ita Plutar. memoriam exercendam & consuescen dam esse edocet in utramque partem, siue natura simus memores, siue contra obliuiosi. Naturæ siquidem abundā tiam ita corroborabimus: defectum uero supplebimus. Se-quendumque hac in re consilium Hesiodi, dum ait:

lib. de liberis educan.

Paruula si tentes superadiecisse pusillis,
Idque frequens peragas, magnus cumulatur aceruus.

Et quod alius:

Sumpta parum prodest quæ mox emittitur esca,
Bos quibus est pastus ruminat hæc eadem.

Et Seneca, memoriam nihil amittere, præter ea quæ sæ pe non respicit, tradit. Huius iuuandæ causa sunt inuentæ literæ & scripturæ, ut dicunt Iurisconsulti. Multarum etiā imaginum umbratiles dispositiones, de quibus, etsi obscu-re, tractat Cicero, arcana cuius & aliorum quæ ad nos per-uenerunt, reuelare adhuc tempus non est. Sed hic figatur anchora primæ nauigationis & gratias Deo immortali in uisibili votaque precum exoluamus, qui nos sua immensa bonitate, etsi tantis acceptis beneficijs ingratos, incolu-mes atque inter scopulos saluos ad finem perduxit. Ipsi, ita que qui in trinitate perfecta uiuit in æterna seculorum in finita secula, omnis honor & gloria. Amen.

li. de beneficijs.
l. contrahitur de pigno.
In Rhetoricis.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM,

IN QVO PRIOR NVMERVS CAPVT, alter paginam, ultimus librum, a litera Syntaxes denota. In commentarijs autem, prior numerus caput, reliqui paginam, b uero ipsa Commentaria significat,

B

diſtin-

sensib us

FINIS.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
Alter Tomus.

In quo, omnium ſcientiarum, & artium tradita eſt epitome, vnde facilius iſtius artis ſtudioſus, de omnibus propoſitis, poſſit rationes, & ornamenta rariſſima proferre.

Authore, P. Greg. Tholoſano, I. V. Doctore, & in ſenatu eiuſdem ciuitatis ampliſsimo, albo cauſidicorum inſcripto, nunc vero, iuris ciuilis in academia Cadurcorum publico profeſſore.

Nunc recens, de mandato SS. Officij Inquiſitionis reuiſæ, & expurgatæ, ut plenius indicat præfatio ad Lectorem.

VIRTVTI SIC



CEDIT INVIDIA.

VENETIIS,
Ex Officina Damiani Zenarij, 1586.

OMNIPOTENTI

VNIVERSI CREATORI,

Ac Domino, regum & Monarcarum omnium Imperatori, soli Deo, honor & gloria.

QVemadmodum a mari, adorande Deus, flumina omnia occultis mentibus orta, rursum in mare citius, aut ocyus properant: non tamen ea puritate, qua per tubulos a fonticulis prodeunt, sed una secum in superficie terræ per alucos præcipitata, sordes & multa alia fæculenta important ad matrem, unde orta erant: ipsa autem non ideo minus illa amplectitur, & æstibus, & fluxibus crebris sordes in ripas deijcit, agnoscit & sua: sic omnia quæcunque nobis insunt bona, a tua admirabili, ineffabili, & adoranda sapientia, Deus in nos per inuisibiles canales, gratia, & liberalitate tua defluunt. Cæterum cum in hanc sentinam nostram terrenam perueniunt, fieri non potest ut multis ignorantiæ nostræ tenebris non polluantur, & fæces turbulentas non subeant: redire tamen ad te dona tua qualiacunque sint, & tibi consecrari debent: alioquin enim tuæ gloriæ furtum & sacrilegium impium fiet. Quamobrem, summe Deus, quæ de manu tua accepi, lubens tibi dedico consecroque non quidem eius puritatis, & præstantiæ, qua a te concessa sunt, sed multis humanæ notæ inuoluta tenebris:

malui namque etiam talia exhibere potius, quam magis steriti terræ, & obliuioni committere. Alij doctoribus doctora exhibebunt, ego interim lac porrigam incipientibus & indoctis: illud obnixe rogans, ut si quæ iam concepta, & gestientia exire apud nos, nosti, utilitati reip. conuenire, patiaris, & iubeas tua plusquam mæcenatica ope, in lucem prodire, conatusq. nostros, & dirigere, & perficere digneris.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER OCTAVVS.

In quo agitur de Mundo, de Cœlo, de Astrologia.

Quid sit mundus, num animal. Et de prouidentia Dei in eo. Cap. I.

IN classe substantiarum libr. 2. Syntaxeῶn proposuimus cõsiderandum esse cælum post Angelos. Quamobrem ut oratio segetem metat uberrimam ex hac quoque cellula, percurram obiter, quædam in hoc octauo libro de mundo & cælo, deque eius insignioribus arcanis. Mundus itaque, qui alio nomine latinis cælum, ut ait Plinius libr. 2. cap. 1. est ornatus & complectio uniuersi apud eundem libr. 2. capit 8. & apud Cic. in somnio Scipio. & Græcis κόσμος, ornatus. Vel nihil aliud mundus, quam omnium naturæ conceptio summa, cœlumque sideribus conformatum, Vitruuius libr. 9. Architect. capit. 4. Adstipulatur Aristotele. libr. de mundo. Cleomed. in 1. circularis inspectionis. Plinius item libro. 2. capit. 1. ex sententia Pythagore apud Plutar. libr. de plac. philos. c. 1. Quem alij secuti, ut Plato in Timeo & Alcinous de doctri. Plato. cap. 13. Hunc quidam animal dixerunt, ut Plato in Timæo, & Mercurius Trimegistus in Pimandro, & D. Augusti. lib. de immort. & lib. 6. de Musica, cap. 14. & Stoici apud Cic. 1. de natu. Deor. Democritus autem & Epicurus, & asseclæ, qui atomos ponunt principia, mundũ dixerunt inane & sine ani

ma, sine prouidentia Dei, & temere agere teste Plutarch. libro. 2. de plac. philos. capit. 21. Et Auerroes commento 51. libro, 12. Metaphy. Laertius etiam in 1. & 5. & Plinius ipse in 2, capit. 7. utraque tamen opinio a uero aliena. nam nec animal mundus est, ut late docet & refellit Cicero 1. & 2. de natu. Deo. D. August. libro 1. retracta. nec temere & sine Dei prouidentia agit, uel factus est, ut docet D. Thomas super 1. sententia. distinct. 39. Et prouidentiam negantes refellit D. Ambros. libro. 1. off. capit. 13. fatetur que eandem Vergilius ecloga 8. Horat. libro. 1. Car. ode 2. & libro. 3. ode 4. fuerunt & Romæ dicata templa Dei prouidentiæ. Refellit & insaniam Arrianorum, qui cum Aphrodiseo dixerunt, prouidentiam Dei ad ad minima mundi non extendi, Cyrullus Alexand. capit. 5. Thesau. aduer. hæret. capit. 2. & libro. 2. contra Iulia. aposta. fidesquæ ea est catholica, ut omnibus Deus, qui omnia creauit, & prouideat, disponat, gubernet, & per media & immediate, & minima ut maiora, ut ex D. Matthæo constat cap. 6. & 10. Lucæ 12. psal. 103. & 146.

De mundi unitate, & distinctione aliorum quorundam.
Cap. 2.

VNus mundus materialis & uisibilis, ut docet Plato in Timęo, & Marsil. Fici. in Theol. Plato. Aristotele. 1. de cælo capit. 8. & 9. Pompo. Mela in princip. histo. orbis. Quia mundus est uniuersorum complexio, Plutar. libr. 1. de placi. Philos. capitulo. 5. & libro. 2. capitulo. 2. Alij tamen mundi, sed non materiales, constituuntur a Cabalistis, de quibus Reuchlinus libro. 1. de arte Cabalist. nempe præter hunc materialem dicitur alias formalis, alius informis, alius paruus mundus. Primus est sensibilis hic, & inferior, constans ex cælis, cælestibus, elementis, & elementatis. Secundus superior, quem dicunt Hebræi mentalem & inhabitatum ab angelis & ideis, & locum animarum, seculum beatorum. Tertius illis dicitur ensoph, infinitus, cuius forma incomprehensibilis, summa essentia & potentia, Deus ipse. Quartus, dicitur paruus mundus, μικρόκοσμος. i. homo, rerum omnium creatarum epitome, qui tamen in mundo hoc uiuit nunc sensibili. Testatur & Macrob. libr. 1. in som.

Sci-

Scipio. capitu. 12. mundum magnum hominem, & hominem breuem mundum physicos dixisse. Consentit Philo Iudæus libro. 2. de plantatio. Noe. Plato in Timęo, & Alcinous de doct. Plat. capit. 10. exemplarem in mente summi opificis, & hunc materialem ad eius exemplar creatum constituit. Vnde Epicureorum explosa sententia, qui rati sunt infinitos esse mundos, authore Diog. Laer. libro. 10. in eius uita & alijs.

De materia mundi. *Cap.* 3.

QVidam materiam præiacentem, ex qua mundus conflatus sit, putarunt, eamque ingenitam & increatam ut Thales, aquam: Hesiodus, Oceanum: Anaximentes Mylesi. aerem. Plutar. de plac. philos. libr. 1. capit. 3. Hippasus Metapontinus, & Heraclitus Ephesius, ignem; Empedocles cum omnibus illis elementis, terram; Anaxagoras Claxomenius, infinita principia & ὁμοιομερίαν. Quorum sententias reijcit Aristot. libro. 1. Metaph. cap. 3. Lucretius in 1. Lucretius & Epicurus, atomos: sed maiori eum errore. Alii non creatam, sed genitam a Deo primam ὕλην dicunt: quod improbat Eusebius libr. 7. præpa. euang. capit. 8. Atque aduersus eos qui primam præiacentem ponunt materiam, disputat Georg. Nicenus lib. de historia sex dier. Lactan. Firmia. libro. 2. de fals. relig. capit. 9. Atque uerior est sententia, primam rerum omnium materiam, ex nihilo fuisse creatam, ut docet Moses, per ea uerba, In principio creauit Deus cælum & terram, genes. 1. c. & in ecclesiast. c. 18. Ad stipulatur & Mercur. Trimeg. in Pimandro.

De forma mundi. *Cap.* 4.

MVndum alij sphæricum, alij turbinatum, alij forma oui, ut ait Plutar. libro. 2. de plac. philo. capit. 2. uerius tamen, ut nec rectilineus, non triangularis, angulari sue, alteriusue figuræ sit, quam rotundæ, ut ait Plin. libro. 2. c. 2. Aristot. 2. de celo c. 4. Alcinous lib. de doctr. Plato. c. 10. inde & orbis dicitur, & circulares sunt eius motus.


De authore, & factore mundi. *Cap. 5.*

QVidam a nullo factum, sed æternum mundum arbitrati sunt: quos refellit D. Ambrosius toto fere lib. 1. 2. & 3. examneron. quia creatio eius nobis Christianis certa, ex c. 1. genes. Ioan. cap. 1. & Sibylla 1. oracul. Credunt & Agareni, in Alcorano, azoara 1. & 59. & 67. Seneca libr. 8. episto. 66. Et mūdum ortum docet Cosdroas sermo. 5. apud Rabinum Mosem, episto. ad Iudæos Massilienses. Refellit & Iacobus Milichius, in commentar. ad cap. 1. libro secundo, Plinij, quinque, quæ obijciebantur, argumenta. Adstruit & D. August. lib. quæstio. ueter. & no. testa. quæstio. 28. & lib. de prædest. & grat. capitu. 5. Lapsi itaque Basilidiani, qui negant mundum hunc a Deo, sed a trecentesimo sexagesimoquinto cęlo, tot enim esse somniarunt, arbitrantur factum, ut D. August. tradit de hæres. hære. 4. lapsi Epicurei, qui sponte & fortuito factum dicunt. Item ij, qui genitum a Deo, & Deum putant, nisi intelligant de creatione, non propagatione, ut Plato in Timæo, Cicer. 2. de uniuers. falluntur & qui angelorum dicunt opificium, de quibus D. Cyrill. Hierosoly. cathec. 11. Falsus & Zeno, & asseclæ eius, qui duo principia cum Deo, mundi posuerunt, de quib. Diog. Laert. in 7. & eius uita. Chrysippus 1. physi. Et idcirco, quia a Deo hic mundus creatus, homo qui rationis cognitionisque capax est, se natum ut hoc opus admiretur, authorem cognoscat, colat, & ueneretur, recordetur oportet, propter gloriam Dei omnia, & in usum hominis, ipse autem ut Deum adoret & ei inseruiat factus.


De Sphæra, & mundi sectione per polos, & circulos maiores, & minores. *Cap. 6.*

MVndi compositio & figura, a forma dicitur Sphæra, eaque solida. Quam, ut periti explicent, fingunt per medium unica linea ueluti ueru & axe, transfigi, atque in extremitatibus duabns eius axis, constituunt puncta & exitus, polos inquam, cardines & uertices immobile, unus, uersus septētriones ab ursa seu stellis illius, quę ibi & ea in cęli parte, ar-

cticus, & aquilonaris & borealis dictus. Cui alius oppositus ex diametro, dictus antarcticus: & quia uersus meridiem, meridionalis, ideo polus & uertex, ut consentiunt omnes fere sphære interpretes, Proclus in 1. & Cleomed. in 1. & alij. Horum polorum ratione, qui degunt in aliqua regione ex qua polus arcticus & antarcticus uideri possit, ij rectam dicuntur habere sphæram.



At qui tantum alterum uident illorum ij obliquam habent, uel magis uel minus, prout recedunt ab altero illorum, & accedunt ad alterum.



Sic ut alter uideatur, alter occultetur, ut ait Aristoteles secundo, de cœlo, capitulo secundo. Tractat autem plura de declinatione poli Machomet filius Gebri dictus Albategnius capitulo octauo nono, & decimo, libro de scientia stellarum, & omnes classici de sphæra agentes. At diuisio prior, & generalior ad uniuersa, quæ hac mole mundi continentur, fit per circulos, qui in superficie orbis ueluti lineæ circulares, & cingula, diuidunt mundum localiter, uel locorum distinctiones repræsentant. Horum duo genera, maiores, & minores. Maiores circuli

circuli illi, qui ſua delineatione totum orbem diuidunt in duas æquales partes: minores, qui diuidunt inæqualiter, & conſtituunt ex uno latere partem maiorem, ex alio minorem. Circuli decem: maiores ſex, horizontalis meridianus, æquinoctialis, zodiacus, coluri duo: horizontalis ſeu finitor, terminus cœli Macrob. libro primo, Saturnalium, capitulo decimoquinto, gyruſque hemiſphærij, circuluſque hemiſphærij Alphragano: Meridianus circulus, medij cœli, medij diei, Aſtrologis cuſpidis regalis circulus, cardo regius, principium decimi domicilij, medium cœli: Æquinoctialis, ἰσημερινός Græcis, circulus alti ſolſtitii Lucano, libro nono, Zodiacus, circulus obliquus, inflexus, ſignifer, zoophoros, id eſt, deferens animalia: colurus æquinoctiorum: colurus ſulſtitiorum. Minores quatuor; arcticus: tropicus cancri, aliter circulus ſolſtitij æſtiualis, tropicus ſeptentrionalis, tropicus capricorni, circulus ſolſtitij hyemalis, tropicus meridionalis: Antarcticus.

De horizontali circulo. *Cap. 7.*

HOrizon dicitur ille circulus, qui uiſam partem mundi exhibet, id eſt, id quod ſupra nos & ad latera. Circulus uel medietas orbis, medietas rotunditatis, ut hic, & partem mundi, quæ non uidetur, a uiſa æqualiter diuidit: non uidetur quippe alia media pars infra horizontem. Eſtque horizon hemiſphærium ſuperius & uiſum uel diuiſum. horizontis utilitates & officia hæc: primo diuidit cœlum in duo hemiſpheria. ſecundo oſtendit quæ ſtellæ ſint perpetuæ apparitionis, uel occultationis, quæ deinde oriantur & occidant, unde deſcriptiones temporum poetarum. tertio determinat quantitatem cuiuſlibet diei & noctis artificialis, oſtenditque cauſam inæqualitatis. quarto conducit ad inueniendum loci latitudinem, locorumque diſtantiam. quinto docet puncta ortus & occaſus ſtellarum, & quantum eorum ortus diſtet a uero & æquinoctiali ortu. Et quia interdum, duos polos æqualiter ad latus habere quis poteſt, ut ſi ſub æquatore, is tunc horizonta dicitur




habe-

habere rectum, qui autem unum tantum uel arcticum uel antarcticum uidet, is & horizonta habebit obliquum prout habitauerit uel uersus septentrionem uel austum longius ab æquatore.

De Aequinoctiali circulo. *Cap. 8.*

AEquinoctialis uel æquator circulus, est linea quæ cingens orbem per medium diuidit consideratione, duasque partes æquales constituit, unam uersus septentriones, aliam uersus meridiem, ut si tibi proponas malum apprime rotundum habens petiolum seu caudam, qua nectebatur arbori



ex altera parte, & ex altera autem opposita ex diametro floris notam pro polorum signo, & inter has notas diuidas æqualiter, erit illud quod medio cœlo æquatoris nota huiusmodi, uocaturque illa diuisio latitudinis mundi. Cum ad eum circulum Sol peruenerit, fiunt dies noctibus æquales: peruenit eo autem, dum is ingreditur principium arietis & libræ. In principio arietis est Sol 11. nobis Martij. In initio libræ fere 12. Septemb. secundum alios 14. Veruntamen notandum est, secundum illam latitudinem, ab æquatore usque ad punctum utriusque poli & extremum cuiusque diuisionem factum in septem partes olim, nunc 9. quas climata dicunt. Est quippe clima, spatium terræ inter duos parallelos conclusum, quibus annectuntur paralleli. Parallelli, sunt lineæ intersecantes mundum ab æquatore uersus polos mundi. Latitudinem mundi disterminant paralleli, mensurant meridiani: longitudinem uero distinguunt meridiani, men-

mensurant paralleli. Cum autem omnes meridiani in polo conueniant, omnes inuicem sunt sibi æquales, sunt enim maiores circuli. Æquinoctialis secundum Arielem Bicardum in 2. quæstionum sphæræ de Sacrobosco, est regula primi motus, qui fit spatio 24. horarum; estq; mensura temporis. Ostendit ubi intersecatur a zodiaci circulo obliquo, ubi æquinoctia, in principio arietis & libræ Docet descensiones & ascensiones signorum zodiaci, unde longitudo diei & noctis artificialis. Diuidit in duas partes æquales cælum, septentrionales & meridionales. Indicat declinationem stellarum & partium ab Ecliptica. Maximi usus in geopraghia, & in inscribendis globo ciuitatibus & regionibus, obseruata cum eo longitudine & latitudine.

De meridionali circulo. *Cap. 9.*

MEridionalis circulus ille est, qui ab uno polo ad alium usque polum, rectam lineam extendit, & postea eodẽ ordine ad suum polum peruenit;ut si lineam supra caput tuũ fingas, uenientem a septentrione & extensam usque in meridiem, & infra sub terram a meridie iterum redeuntem ad septentrionem, unde eius prius initium, ut coniungat ibi circulum. In eam lineam cum Sol ab oriente processerit supra horizontem, fit meridies, infra autem horizontem in ea linea ueniens, facit supra nos mediam noctem. Tot sunt meridiani, quot habitantibus regiones diuersas ab ortu in occasum possunt zenith capitis, id est, puncta uerticalia, supra caput discerni. Distingunt autem numeros meridianorum, gradus æquatoris, bini singulis; Et idcirco, quia gradus æquatori 3 90. erunt meridiani 180. quorum primus, transit per zenith fortunatarum insularum, in occasu, a quo retroceden do in ortum per binos gradus, fiunt numerationes secundi 3.4 5. & sequentium meridianorum Meridianus, facit tempus meridiei & mediæ noctis, ut dictum; habet zenith uel punctum uerticale, ex quo de hinc colliguntur interualla parallelorum. & stellarum hic maxima stellarum & solis altitudo, meridiana scilicet.

De zodiaco. *Cap.* 10.

ZOdiacus, circulus maior qui in duas partes oblique secat ęquinoctialem, ex una parte declinans uersus septentrionalem populum dimidia sui parte, usque ad 23. gradus & fere 30. minuta, ubi fit tropicus cancri. Ex alia uersus australem, per totidem 23. gradus & 30. min. ubi tropicus Capricorni. Hic solus circulus habet cum longitudine latitudinem, cæteris tantum habentibus delineationem secundum longitudinem. diuiditur in 12. partes æquales, in qualibet unum signum stellis compactum, aliqua animalis forma insignitum, unde duodecim surgunt signa: vnum quodque autem signum habet 30. partes quas uocant gradus, quilibet gradus 60. minuta, minutum 60. secunda, secundum, 60. tertia, tertium 60. quarta, &c. Quia paulatim singulis diebus per eas partes Sol se extollit & graditur ascendendo & descendendo, approximando uel elongando a locorum regionibus, donec annum perficiens ad proprium pene locorum redierit, a quo cœperat gradiri, excursis 360. partibus & gradibus, unde fiunt anni communes 365. cum quadrante, & bissextilis 366. Alia diuisio zodiaci secundum latitudinem est, ex communi antiquorum Astrologorum sententia in 12. gradus. Secundum autem P. Apianum in 1. parte cosmographiæ, & alios in 16. hos diuidit linea una, in duas æquales partes, utrinquæ relinquens gradus. 8. hęc autem linea uocatur ecliptica, alias orbita solaris, uia iterq; solis: nam per eam lineam incedit. & ideo solaris circulus, nunquã enim a medio zodiaci declinare dicitur Sol ad dextram uel ad sinistram. Cum reliqui planetæ nõ semper moueantur sub ecliptica, sed interdum ab ea deflectant uersus septentrionem, uel uersus meridiem: ad maximam latitudinem sex graduum, præter Martem & Venerem, qui (raro tamen) extra hos terminos euagantur, & Venus interdum. 8. gradibus ab ecliptica elongatur. Itaq; cum declinant in septẽtrionalem uel meridionalem partem stellæ uel planetæ ab ecliptica, latitudinem dicuntur habere septentrionalẽ uel meridionalem. Ecliptica, sub hac fiunt eclipses solis & lunæ, est & uia & mensura proprij motus planetarũ: ostendit uera loca omniũ stellarũ: ostendit in quo signo sit stella, quęlibet, teste

Bi-

Ricardo in quæstio. ad sphæram libro. 1. in circulo zodiaci. Porro stella dicitur esse in signo tripliciter: primum dum est sub ecliptica, & eo modo sol solus est in signo aliquo uel arietis, uel libræ &c. 2. esse in signo dicitur, subzodiaco esse significat hic signum, pyramidem quadrilateram. Et ita conuenit planetis declinantibus ab ecliptica, sub aliquo signo, in quo dicuntur esse: item & 3. esse in signo, est referri ad aliquod signum zodiaci. Totum enim cælum secundum 12. signa, diuiditur a pollo uno in alium, 12. circulis facientibus angulum in polo: & quæ sunt sub angulis illius stellæ, sub signo cuius est angulus, esse dicuntur, siue errantes siue fixæ sint.

De duobus coluris. Cap. 11.

COluri, sunt duo circuli in sphæra: unus quidem transit per principia arietis & libræ: alter uero per principia cancri & capricorni, qui sese intersecant ad angulos rectos sphærales circa polos mundi quos in sphæra materialis, facilius intelliges ἀπὸ τοῦ κολούρου, quod mutilum & imperfectum significat, quia habeant in sphæra obliqua partes aliquas, quæ nunquam supra horizontem eleuantur, pro uaria eleuatione poli, maiores aut minores sub horizonte manentes. Horum colurorum, alter dicitur solstitiorum, alter æquinoctiorum. Solstitiorum est circulus uel linea transiens per principium cancri & capricorni, transeundo notans duo puncta uel principia, cancri scilicet & capricor. ad quæ dum solus peruenerit, non recedit longius ab æquinoctiali: & ideo ab illis punctis, rursum æquinoctialem uersus regreditur. Fit autem bis in anno hæc conuersio: in æstate, quando dies est longissima circa diem 13. Iunij, in festo diui Viti. Iterum & hyeme, quando dies est breuissima, quod accidit fere circa diem 13. Decembris, in festo Diuæ Luciæ. Hinc, Vitus & Lucia, tibi dant solstitia bina. Dies autem breuissima contingit, quando sol oritur circa partes remotiores septentrionis. Maxima, quando ab æquinoctiali uersus meridionales, magis sol elongatus est. Colurus æquinoctiorum, est magnitudo circuli transeuntis per prima puncta arietis & libræ, & quæ puncta æquinoctialia dicuntur: quia cum ad

ea sol peruenerit, dies æquantur noctibus, bis scilicet in anno, in uere & autumno, unde uernum æquinoctium. quod fit fere 12. Martij in festo D. Gregorii, alterum uero autumnale, quod fit fere 13. Septembris, triduo ante festum sancti Lamberti, unde uersus Lambert Gregori dies est æquata diei. Quamobrem coluri ostendunt quatuor principalia puncta zodiaci, in quibus solis & temporum præcipuè immutationes, totumque cælum in quatuor partes diuidunt. Atque colurus solstitiorum diuidit zodiacum, in ascendentem scilicet & descendentem, & metitur maximam solis ab æquinoctiali declinationem, quæ secundum Ptolomæum 1. Almage. cap. 13. graduum. 33. minutarum 15. secundarum 20. secundum Alcmeonem grad. 23. minuta 33. secundum posteriores grad. 23. min. 30. secundum Purbach. grad. 23. minut. 28. Colurus porro æquinoctiorum, zodiacum pariter diuidit in duas partes, septentrionalem & meridionalem.

De minoribus circulis Cancri & Capricorni. Cap. XII.

Circulus cancri, est in eo puncto, quod notat colurus transeundo, ut diximus, constitutus & ductus uersus septentrionem in 23. grad. & 30. min. ab ęquinoctiali distans; in qua parte cancri primus incipit gradus, ad quem cum sol peruenerit, non ultra uersus septentrionem progreditur, sed conuertit se in partem ęquatoris, a 13. gradu, ad quem peruenit gradatim per mensurationem circuli meridiani per 22. 21. 20. &c. usque ad primum æquatoris gradum reuertendo. Et quia ibi, in cancro, scilicet, sol incipit regredi: ideo circulus ille dicitur tropicus cancri. In eo puncto regressus, solstitium æstiuale, & longior dies, eo quòd hic circulus, in omni tractu septentrionali ita se habet, ut maior portio sit supra horizontem, minor infra. Circulus Tropicus capricorni, uersum meridiem ab æquatore distat etiam 23. grad. & 30. minu. per quos elongatur ab eo & declinat, nec ultra progreditur solis orbita in eam partem. Sed ubi attigerit primum gradum capricorni in zodiaco, (qui est in meridiano longè ab æquatore 23. grad. & 30. minu.) iterum conuertit iter ad æqua-

æquatorem,regrediendo per gradualem subtractionem a 23. gradibus & 30. minut. per 22. 21. 20. & sic deinceps, usque dum ad æquatorem peruenerit, quando sol peruenit ad hunc circulum,fit solstitium hyemale,& breuior dies: eo quod eius circuli portio minor nobis, qui elongati sumus ab æquinoctiali uersus septentrionem, supra horizontem, & maior infra est.Quamobrem,tropici ostendunt conuersiones solis, seu solstitia,dies,longiorem,& breuiorem:solis limites,intra quos & quatenus peruagetur;& separant zonam torridam a tempe ratis,quæ sunt extra topicos,& 13. gradum, & 30. minuta ab æquatore uersus utrumque polum,existente in medio torrida & perusta.

De circulo minore arctico,& zonis.
Cap. 13.

CIrculus arcticus est ille, qui distat a polo septentrionali numeratione facta uersus æquinoctialem circulum 23. gradibus, & triginta minutis. Antarcticus qui totidem distat a polo meridionali.Sunt extrema illi duo, & minores circuli. ibi sunt poli axis zodiaci. Tanta enim a polis mundi, nempe 33. graduum,& 30.minut. polorum zodiaci declinatio, quanta est maxima solis declinatio, quam diximus esse 23.grad.& 30.minut. Polares circuli, ostendunt polos zodiaci,& quantum a polis mundi distent:distingunt zonas frigidas,a temperatis: una cum tropicis totum primum mobile in quinque partes,seu regiones, quas zonas uocant,diuidunt. Zona a cingendo dicta.Zona autem cingulum siue plaga, est spatium cœli, aut terræ inter duos minores circulos, aut inter circulum minorem, & polum mundi contentum. Itaque zonæ,& terrestres,& cœlestes: his, latitudo, & longitudo. Longitudo initium sumit ab occidente, & extenditur per meridianum in orientem,donec per circulum mediæ noctis, in occidentem redeat. Latitudinem zonarum motus solis in zodiaco,& poli zodiaci describunt.

De

De alia mundi diuisione secundum substantiam, per partes contentas & continentes. *Cap.* 14.

Alia diuisio mundi est secundum substantiam, in aetherea & elementorum corpora. Ætherea regio decem globos continet mutuò se ambientes, intra quos aliæ elementorum quatuor sphæræ in modum tunicarum cæpe inuolutæ, inter quas media est solida terræ, ut punctus & centrum: omnium horum ordinem & nomina oculis prius subijcio.

Extra mundi comprehensionem est illud, ubi sedes Dei & beatorum, quod dicunt quidam Empyreum cœlum supremum. postea

Ex his ætherea regio,		
	10 Cœlum mouens alios.	1
	9 Cœlum crystallinum.	2
	8 Cœlum firmamentum dictum, ubi stellę fixæ.	3
	7 Cœlum sphæræ Saturni.	4
	6 Cœlum sphæræ Iouis.	5
	5 Cœlum sphæræ Martis.	6
	4 Cœlum sphæræ solis.	7
	3 Cœlum sphærę Veneris.	8
	2 Cœlum sphęræ Mercurij.	9
	1 Cælum sphęræ Lunæ.	10
	Cœlum proximius nobis.	
Elementaris mundi in istis pars,	4 Ignis.	11
	3 Aër.	12
	2 Aqua.	13
	1 Terra.	14

De Dei sede. *Cap.* 15.

Dei sedes, non in mundo hoc creato est uerè: quia antequã esset mundus creatus, ille erat, etsi is repleat sua maiestate, uirtute, prouidẽtia, præsentia totum mundum. In principio creauit Deus cęlum & terram, Genes. 1. opera manuum tuarum sunt cœli, psal. 101. d. ad Hebr. 1. Dominus Deus creãs cœlos, psalm. 42. a. hic cœlos palmo ponderauit, & mensus est pugillo aquas, Esaię. c. 40. Rursum, uerbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum, ps. 32. b. Et super cœlos Deus, & cœli, & cęli cœlorũ eum capere non possunt, 2.

paral.2. Item excelsior cœlo Deus, Iob.11.b.& 22.& ascendit super cęlum cœli, psal.67.g. At quia cœli subijciuntur Deo, sedes illius cœlum,& terra scabellum pedum eius, Esai.c.66. Et Matth. 5. nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est, & a summo cœlo egressio eius, psal. 18. Sic legitur, dominus parauit in cœlo egressio eius, psal.18. Sic legitur, dominus parauit in cœlo sedem suam, psal. 102.d. Et Esaię 66. cœlum sedes mea. hunc cœlum Dei & beatorum locū, Empyreum dicunt sacræ Theologię professores, ἐμπύριος οὐρανὸς, quasi ignitum, quod puritate cæteros cœlos antecellat, ut ignis alia elementa. Hic certè illum primum motorem & unum sempiternum omnino immobilem, omnino incorporeum, uirtutis in diuisibilem, sine ulla magnitudine ponunt, ut tradit Aristoteles lib. 8. physicor.

De Cœlo primo extimo mobili. Cap. 17.

PRimum mobile, cœlum dicitur extremū sine stellis, quod supra polos mundi, qui fixi & immobiles dicuntur, uertitur continuè,& in spatio 24.horarum, in punctum unde incæpit rotari, reuertitur. Rotatur autem ab ortu per meridiem in occasum, rediens ad orientem rursus. hoc motu, omnes aguntur & uoluūtur sphęrę, quę intra illum concluduntur, ut nauis fluens, rapit omnes & omnia quæ in ea, etsi ea in illa propriū habeant motum: hicque motus aliarum sphærarum proprij motus ab occasu per meridiem in ortum currentes, reluctantur. Pet.Apia.in geograp.1.cap. 2. vide Fabrum Stapul. lib.1. theoriæ Astron.cap.7.8.9.& 10.& alios, hoc tibi sic persuade exemplo, ut si nauis pro mobili primo posita, fingatur uersus occidentem ferri, nautas autem, eosdem pro alijs orbibus accipiendo, quis dixerit in eadem naui uersus orientem progredi? hæc enim fieri possunt sine impedimento diuersi motus. De motu primi cæli uidendus Arist.8.lib.physic..

De secundo Cælo crystallino. Cap. 17.

CÆlum crystallinum, dicitur seu aqueum gelatum, quod in illo nulla appareat stella, sed in modum crystalli, quod ex aqua gelu uehementiore concreta fit, authore Plinio lib. 37. cap. 2. pellucidum & concretum appareat. huius

duo

duo motus; accidentalis, seu diurnus,& proprius, Accidentalis is,quo rapitur a primo mobili singulis diebus ab ortu in occasum,ut diximus, per meridiem & septentrionem,cuius motus poli & azis, conueniunt poli & axi mundi. Alius motus, & proprius, quo hoc cælum in occasum remeans: cuius motus poli & axis, sunt ijdem cum signiferi polis & axe, in has reuolutione integrè conficienda, ut ad punctum redeat occidentis vnde cœpit, Aries,Ricardus in quæstio. in sphæram dicit, exigi 49000. i.quadringentos noningentos mille annos Alij quinquagenis annorum millibus peragi. Purbachius in Theoria octauæ sphæræ tradit hunc motum, in quibuslibet ducentis annis, per unum gradum & 28. minuta ferè.progredi.Motus proprius huius mobilis,in abacis astronomicis, numerorumque ratiocinationibus,medius apogiorum, & interuallum motus inerrantium stellarum dicitur. Et secundum Purbachium in Theoria 8. sphæræ, motus augium & stellarum fixarum.

De firmamento 3. a supremo cælo & 8. a terra globo. *Cap.* 18.

HOc cęlum dicitur stellatum,aliter firmamentum,in quo stellarum robur & stabilimentum στερέωμα, seu fundamentum. Moses uocat רקיע Kakiäg. id est,extensum, Gen. 1. sicuti & alibi psal.103. extendit Deus cælum,sicut pellem,vocauitque dominus expansum, cælos & fecit dominus expansum,seu vt vulgaris habet editio,firmamentum,ac eos distinxit,& fecit medium,inter aquas quæ suprà,id est in crystallino cælo,& infra,id est,super terram sunt:posuitq; dominus,in expanso vel firmamento cælorum, luminaria illa duo magna, solem & lunam & stellas,Genes. 1. quo loci Moses non videtur posuisse cęlos solis & lunæ,diuersos a firmamento. Nisi referamus posuisse Deum stellas in firmamẽto cęli tantũ. Hoc cælum tres motus habet,unum accidentalem & raptum,cum primo mobili conuenientem, ab ortu per meridiem & occasum & septentrionem in ortum delatum:habet & alium secũdum accidentalem, quo a superiori sphæra proxima,nempe a cęlo Crystallino præcedenti aduersatur. Tertius autẽ illi proprius,dictus motus accessus & recessus stellarum fixarum, vel motus titubationis, in capite arietis & libræ: qui tantum di-

citur in septem millibus annorum percurri & perfici. Thebithius tantum duos huic motus tribuit, vnum a nona sphæra, alium proprium.

De stellis firmamenti. *Cap.* 19.

IN cælo firmamenti, sunt stellæ inerrantes,& galaxias circulus stella, ut ait Marcia. Capella in astrologia, ab stando latinis, ἀστήρ. Grecis, Hebreis כוכב cocab. Sydus & ἄστρον collectio stellarum certarum est, signum dictũ quoque, ut ait Macrob. in 1. in som. Scipio. cap. 14. Eustathius in iliadem Homeri, & uers. 75. fixa stella cælo omnis, quamuis aliquando videantur decidere, ut ait Vergil. in geor.

Sæpe etiam stellas, vento impellente, uidebis,
Præcipites cœlo labi.

Quod accidit, quòd nimio alimento tracti humoris, igneã uim abundantia reddunt, cum decidere creduntur: ut apud nos quoque luminibus accensis, liquore olei notamus accidere, ut ait Plin. lib. 2. c. 8. fuit autem sententia Stoicorum, humore pasci stellas, quia sint naturæ flammeæ, quibus tamen contradicunt peripatetici, ut notat Cic. 2. de nat. Deo. Stultissimum autem Seneca lib. 1. quæstio. natura arbitratur, existimare stellas decidere aut transilire, aut aliquid ex illis auferri aut abradi. Nam, inquit, si hoc fuisset, iam defuissent. Ego Tholosæ cum essem tamen, anno domini 1561. secundum antiquum morem numerando, uel ut nunc initur numerus anno 1562. die 3. Ianuarij sub horam 8. & 9. nocturnam, uidi stellas concurrentes duas, aduersus septem, citissimo impetu, & dehinc ex septem ueluti asseres ante oculos quamplurimos subito decidere: Cuius prodigij Reipublicæ malo, in Gallia deinceps significata nouimus, & euentus. Quod si ea stellæ non sint, utique impressiones aere, sed an ante concursum ita potuerint forma stellarum fixarum, inter alias consistere, non satis persuasum habeo. Signa autem, ex stellis composita sydera dicuntur, non causę euentuum. Indicant namque stellarum conspirationes, pleraque, quorum tamen illæ causæ non sunt: ut si de bellis agatur, quorum executio ad improbas libidinesque mentes reijcienda potius, quàm in astra, ut ait Damasc. lib. 2. c. 7. De stellis simpliciter primum, postea de signis.

De numero stellarum & diuisione. Cap. 20.

PLato in Timæo, & Alcinous de doctrina eius, numerum stellarum & animarum, parem esse somniant, & eis singulas ueluti uehiculis esse impositas. Mercur. Trimeg. in Piman dro, secundum numerum deorum, quas in illis habitare dicebat, esse computandas uoluit. Cic. 2. de natu. Deor. interrantium multitudinem esse dixit, atque illarum nomina ex figuris, quas illarum compositio demonstrat, decerpta esse. Albategnius lib. de scientia stellarum differentia 51. Alphraganus lib. de rudimentis Astronomi. differentia 19. Ptolom. in Almagesto tradunt, omnium stellarum numerũ esse, præter errã tes 1022. hasque diuidũt in 360. septentrionales, & 316. meridionales, & 346. quæ in signis zodiaci sunt. Ratione quarũ, aliæ a signis inquam illis, dignoscuntur facilius. at cabala in drasch, citata in Iesaia c.49. dicit in cælo inueniri. stellarum 29000. myriades, & 140. idest, 290000140. Rabi Kimhi, tradit a sapientib. mille nonaginta octo tantum stellas numeratas, alias uero quas homines uidere nõ potuerant a Deo ipso numerari, ut refert Munster. in radice כוכב cocab. At ego nõ tam sapientib. quam bene uidentib. in his potius deferrẽ: & quia certe alij aliis acutius uident, non dubito, quin maior uel minor apud diuersos non sit numerus. Vere namque Deus solus numerat multitudinẽ stellarũ, & earũ nomina uocat, psal. 146 dixitq; Deus Abrahamo Gene. c. 15. numera, stellas si potes, & Hierem. c. 33. d. sicut numerari nõ possunt stellæ cœli &c. Ob seruarunt autem antiqui, insigniores & pręcipuas, vt illis uidebatur, uel maiores & lucidiores, atque eas per sex gradus lucis & magnitudinis, distinguunt in abacis seu tabulis astronomicis: ibiq; signantur primę & maioris magnitudinis, 5. secũdæ, 45: tertiæ, 208: quartæ, 474: quintæ, 217. sextæ 49. quarum 9. obscuræ, nebulæ autem 5. & rubeæ. quas proprijs nominib. exornat Albategnius lib. de scientia stellar. c. 51. & Alphraga nus in proxime citata 19. differ. de quib. & dicitur lõgitudo cum in arcu Zodiaci distant ab arietis initio: sicut & latitudo, cum sydus uel ad partem meridionalem uel ad septẽtrionalẽ declinat: ideo quoq; dicta latitudo stellæ, septentrionalis uel meridionalis, Oront. libr. 2. de sphæra c. 3. & alijs. Sic stella ab stella differt in claritate, ut ait D. Paul. prima ad Corint. c. 15.

& hinc puto deceptos, qui nouas stellas nasci putant, ut Hyparchus ratus apud Plinium lib. 2. c. 26. & 24. quando repentè apparuerunt illis.

De materia & forma stellarum. *Cap.* 21.

MAteria ex quibus corpora stellarum constant, secūdum magos, Chaldeosque est ignis, ut refert Diog. Laert. in princ. 1. & Cic. 2. de nat. Deo. dixit stellas figura rotundas, natura flammeas. item Plin. lib. 2. c. 4. Pluresq; aliæ opiniones de materia & forma traditæ a philosophis, quemadmodum licet facilè nugari in rebus valdè incognitis. At qui uoluerit eas addiscere, consultat Plutar. lib. 2. de Plac. philos. c. 13. 14. 15. Quidā, opinione magni viri, existimarūt quoq; sydera ex duro cō creta, & ignem alienum pascentia, vt scribit Sene. lib. 7. Natura. quæst. Cæterùm physici arbitrantur stellarum ipsarū corpora, ex concretionis orbium suorū parte, qui nec elementa quidem ipsi sunt, nec elementale quicquam continet, non calidum, non humidum, non siccum, non frigidum, alia quadam illorum existēte natura & essentia, ut scribit Iouia. Pontanus lib. 2. de reb. cælest. c. 8. Dicunt tamen sacræ paginæ interpretes, stellam quæ apparuit Magis Matth. c. 2. In Domini nostri Iesu Christi natiuitate, materiæ non fuisse aliarum, nec earūdem virium, sed uirtute diuina cōpactam, & angeli ductu etiā contra aliarum naturam apparentem in aere gradientē, non in firmamento fixā, cum motu principum Magorum ambulantem & quiescentem, à parte septentrionali quæ Persidis, in meridiem ubi Hierusalem, contra aliarum iter, directam, ut notat Theophylactus in c. 2. Matth. Basilius Magnus sermo. de humana Christi generatione, Niceph. Calisthus lib. 1. c. 1. 3. Formam Aristot. lib. 2. de cæl. c. 9. & 11. stellarum, ait rotundā: quia hæc figura per se non mouetur, ut neque stellæ. Hoc explicat Macrob. in 1. in som. Scip. cap. 14.

De stellis pro dijs habitis erronea opinio gentilium. *Cap.* 22.

PVlchritudo, ordo, effectusve stellarum tantum fuit admirationi gentilibus, & aliquibus Hebræis, ut cum nihil uel parum extra illas contemplari possent excellentius cū ignorarent a Deo uim illis inditam, & naturam, & formam, & ordinem,

ordinem,eumque & posse pro arbitrio illis uires immutare,& augere:eo fœdissime impietatis lapsi sunt,ut animatas,&deos putarent,& tanquam numina colerent. Solem adorabant Platonici,ut Plato 7.de legib,ad hunc Intianus,& Iamblichus orationem composuerunt. Orienti soli,Pythagorici lyra hymnos cantabant.Plato imaginem summi Dei,eum ratus. Anaximander Mylesius,Praxidæ filius,stellas & astra deos putauit. Cic.in 1.de nat.deo.Sic Almæon Crotoniates,solem & lunā: Epicharmus quoque,omnes stellas,& uentos,& elementa,teste Menandro apud Stobæum in Pluti laude. Adorarunt hebræi,obliti Dei ueri,more gentilium militiam illam cęli,stellas inquam,damnati Deut.17.4.Reg.17.Hierem.19.Amos 5. Esa.40.Chaldæi pariter,signa zodiaci,solem, lunam,aliaque astra dixerunt Deos,ut ait Diod.Sicu.lib.3. Biblioth. hist.8.solem ab Aegyptiis,ut Deum cultum,philo iudæus ait libr.i. de monarchia.Faustus quoq; Manichæus, ut Dei splendorem colendum censet,contra quem D.Aug. & in hanc impietatē deuoluti,qui stellis fata tribuunt.

De signis,& eorum generali distinctione. Cap. 23.

EX stellis ad aliquem eundem, uel prope similem effectū conspirantibus,uel certam figuram conspicuam,uel credita m reddentibus,fiunt signa quædam: quorum alia principalia,nempe zodiaci:alia ex alia parte cœli,ex illis tamen, uel per illa,facilius distincta,& cognita. Ordo mirabilis in cœlo, ut in omnibus operibus Dei,stellis ueluti literis,naturales uenturos effectus describit,& præsignant,ob mirabilem rerū connexionem,ut scribit Plot.lib.3.Enneadis 2.c.7.& toto lib.inquirit,nunquid stellæ aliquid agant,ubi reprobat Astrologorum in electionibus,& prædictionibus circa uitia,mores,& pericula ex astris emendicatas,& contortas prædictiones.Zodiaci signa duodecim,quorum characteres usitatos in Astrologia & astronomia,naturas, & proprietates,ordinēque,uide apud Schonerum,& alios.At cur hæc quæ illis dantur signis,nomina fuerint imposita,docet Galeo.Martius li.de doctr.promisc. c.35.emendare nititur Postellus in apotelemate cœli. Horū rursus quædam uersus septentrionem ab æquatore recedunt, dextera: alia uersus meridiem ab Aequatore dicta meridionalia,eaque sinistra. In signis zodiaci septentrionalibus anima-

lia in illis conficta,uidentur habere stellas,quæ caput illorum fingunt uersus septentrionem,pedes autem uersus meridiem, dempto cancro,qui hinc inde pedes habet deductos, etsi om nes sint uersus septentrionem ab Æquatore.Septentrionalia sex sunt,Aries,Taurus,Gemini,Cancer,Leo, Virgo: meridionalia alia sex,Scorpius,Sagittarius,Capricornus, Aquarius,Pisces. Quot stellas quodlibet signum in Zodiaco uel extra habeat,& cuius sint latitudinis,longitudinis,& magnitudinis,& qua in parte cœli, docet Schonnerus in tabulis de compositione globi cælestis,ad quem lector remitto. Hic autem pauca horum subnectemus,

De ariete. *Cap.* 14.

PRimum Zodiaci signum componitur stellis 13. quarum 5. sunt extra signum,in eius ventre 3. lucide dictæ Albuthon a Pau. Veneto lib.de composi.mūdi c.2. melius לא בטן Al betem,uenter scilicet arietis.In cornibus 2.lucidæ dictæ, Sartai id ministræ arietis Hebræis, שרתי Scarthai.Nam & dicuntur complanetæ,messarthim , vt scribit Sanctes Pagninus in expositione uocum targum , haruc & midrascim. Arietis corpus continetur in signo Tauri,usque ad 15. gradus latitudinis citra eclipticam lineam,uersus septentriones.

Arietis autem triangulus uersus septentrionem , continet & aliarum stellarum signa:Deltotū primum forma △. In quo 4.stellæ,quarum una separata tropicum pertingit Cancri: Pedes Andromedæ,4.stellarum, quæ ultra tropicum Cancri uersus septentrionem.Integrum signum habet stellas 23. continet & Cassiopeiam constantem 13.stellis,sed obscuris una excepta,quæ in eius pectore dicta Arabibus סדר Sider. i. contabulatio.nam illa fingitur sedens: inest & Medusæ caput cum Perseo,usque ad Cepheum,qui prope polum eclipticæ, habēs 11.stellas intra signum,extra 3. Estque Perseus in uia lactea , caput Medusæ extra.Ambo tamen intra circulum Cancri & polum septentrionalem.At pars Arietis uersus meridiem habet hæc signa,partem capitis ceti qui habet 22. stel.& iuxta finem fluminis stella maioris magnitudinis,dicta Arabib.ideo אחרא נהר acharanahar.i.post flumen,habet & Eridani fluuij maiorem partem,inter tropicum Capricorni& polum antarcticum habentem 34. stellas. Arietis Phryxij fabulam Higinius

nius explicat in Aſtronomico,& aliorum ſignorum,ut ſemel monuiſſe ſufficiat.Sol ingreditur Arietem fere 11. Martij : fit tempus uernum.

Characterem eius,naturam,morbos & alia uide apud Schō nerum,& in calce iſtius libri. De ſtellis quæ in ſignis zodiaci, & in cœlo ſunt,uidendus Aratus in phænomenis & eius inter pres Hiparchus,& in Aſteriſmis. Phlehma auget, iō utile ſub hoc ſigno uenas incidere,ueſci dulcibus,abſtinere acutis, ſæpe lauari.

De Tauro. *Cap.* 25.

TAuri dorſum extenditur ad 15.gradum uſque Arietis,ut diximus ſecundum Ptolomæum : quamobrem & quæ in triangulo ſeptentrionali arieti contulimus, huic quoque cōmunicamus.Facit autem & per ſe cum capite triangulum aliū arieti uicinum,in quo uerſus ſeptentrionem habet dextrum crus Perſei,& pedem 6.ſtellarum & ſtellam genus ſiniſtri : dehinc Erichthonium ſeu Agitatorem, qui habet 14. ſtellas;ibi Capra Olenia,quæ eſt ſtella in Agitatoris ſiniſtro humero, & aliæ duæ dictæ Hædi:eſtq. hoc aſtrum inter circulum Cancri & polum ſeptentrionalem in uia lactea. Taurus cōficitur 33. ſtellis,quarum una magna in oculo: 11.extra, quæ ſunt in Geminis,ſeptem in dorſo,quarum ſex tantum conſpicuæ inter arietis partem ultimam & poſteriorem partem corporis Tauri.dicuntur hæ Pleiades & Vergilæ,ἀπὸ τοῦ πλεῖν, a nauigando,quod illis exorientibus,nauigia tempeſtiua ſunt : apparet autem in uere. Sic Virgilius 1.Georg.

Nauita dum ſtellis numeros & nomina fecit,
Pleiedes,Hyades,claramque Lycaonis Arcton.

Et de illis notabilia quædam Heſiodus 2.operum.Deq.harum fabulis Higinius in 2.Aſtron.Ouid.Faſt.4. Euripides, & alij.In capite Tauri ſtellæ 5.dictæ hyades ὑπὸ τοῦ ὕειν,a pluēdo:dum enim oriuntur,tempeſtates concitant & pluuias:neq; enim ἀπὸ τοῦ ὑῶν,a ſuibus ſuculæ dicendæ,ut putauit Tiro,te ſte Gellio lib.13.c.9.Et de iſtis uidendus Columella lib.11.de re ruſti.c.2.has aliqui tribuunt Geminis. Hoc ſignum ſol ingreditur exiens ab ariete 11. april. Characterem eius & reliqua uidebis apud Schonner. in Tabulis. Sanguinem hoc ſignum auget,ideo cibo molli uti utile,oleribus, agninis carnibus,ouis,blando uino,piſcib.fluatilib.lauari,equitare,geſtari.

De

De Geminis. *Cap.* 26.

GEmini compositi 19. stellis, habentq; extra signum alias septem. in triangulo uersus meridiem, habent Hyades, cum manibus Orionis ad pedes primi Geminorum: cũ ea quę proprius dicta in triangulo septẽtrionali, habet nunc Aurigã. cum stella polari, siue cauda Vrsæ, & parte Vrsę maioris in circulo Actico, Versus meridiem, habet in triangulo Orionẽ qui habet 38. stellas: & Leporem qui habet 12. Secundũ alios Procyonem quoq; seu Caniculam, quæ habet 2. stellas, unã magnam dictam Algomeissam uel Procyona, & Canẽ maiorem seu Syrium, habentem in signo 18. stellas, & in ore magnam, extra 11 Attribuit Cancro Lucanus in 10.

Quia mixta Leonis

Sydera sunt Cancro, rapidos qua Syrius ignes Exerit. Et de hoc quædam Hesiodus in 2. Oper. In signo hoc perseuerat sol. usque ad Iunij diem 12. Sanguinem auget cum atrabile: prodest uesci butyro, lacte, plenis carnibus, medicinis uti, lauari frigida, lenire uentrẽ, somno indulgere. De nautra eius uide Schonerum in tabulis Isagogicis.

De Cancro. *Cap.* 27.

CAncer perficitur 9. stellis intra se, extra 4. quas habet sub Leone. Huic in triangulis tribuunt aliqui quæ Geminis postremo loco diximus tribui, In hoc signo Aratus ponit φατνὴν nubeculam seu præsepe. Hoc signũ ingreditur 13. Iunij, desinit uer, incipit æstas: manet in eo usq; ad 14. Iulij. Abstinendum pituisosis, utendũ lauacris, ambulationibus, pedes frigida peluendi. De reliquis ut Schonnerus in Isagoge.

De Leone. *Cap.* 28.

LEo perficitur in se 28. stellis: habet autem 8. extra. In Virgine quæ in corde eius ponitur magna dicta Regulus basiliscus, stella regia. hic etiã posuit Aratus duas, quas uocat ὄνους, annos iuxta pręsepe Cancri. Triangulus, eius australis, cõtinet

tinet caput Cancri,anteriorem Partem Leonis,cor Leonis, & pergit ad polum Septentrionalem per 4.clariores ſtellas Plauſtri ſeu Vrſæ maioris,perq; Serpentis caudam , & duas claras Vrſę minoris. Poſtell. in Apotelеſ. Porro Vrſa maior, quam uocant Plauſtrum,Arabes dubben,habet 27. ſtellas in ſe,extra 8.At minor Vrſa dicta & Arctos & Cynoſura perficitur 8.ſtellis,quarum quę in cauda eſt extrema dicitur polaris a noſtris, ab Iſmahelitis ruccabah nauigatoria.nautis,Italis la tramontana.quæ diſtat ab ecliptica 66.gradib. a polo.2.In triangulo Geminorum,in 10. nunc gradu longitudinis eius ſigni.Triãgulus leonis meridionalis,habet anteriorem partem Serpentis Hydrę,cum Argonauis maiori parte.Porro ſerpens Hydra conſtat 27.ſtellis,duabus extra figuram poſitis.Argonauis 45 cuius magna,quæ in remo extremo, dicitur Arato Canopus. Die 14.Iulij,ſol relinquẽs Cancrum,Leonem ingreditur. Auget flauam bilem,ideo abſtine plenis carnibus. dulcibus condimentis.De reliquis ut apud Schonnerum.

Virgo. *Cap.* 29.

Virginis figura cæleſtis, deſcribitur 26.ſtellis, adſuntq; ie extra ſex,una harum magna,quę dicitur Sunbuleth,ſeu ſpica uirginis.Hebr.שבלת ſcibol,Chal. שבלא ſcibula. Arato autẽ προτρυγητὴρ,& Proclo in ſphæra,προτρυγητῆς ante vindemiator,ad dextram Virginis alam,conſiſtens. Huius ſigni aquilonaris pars,habet intra ſignum poſteriorem partẽ Leonis & primam Virginis.Huius ſeptentrionalis triangulus cũ ſolitaria ſtella,cõtinet tres alias quę ſunt in cauda Vrſæ maioris,cum manu Bootis qui habet 22.ſtellas in ſigno,unã extra meridiem uerſus.hoc ſignum Virginis,iungitur cum pedibus poſterioribus Leonis,tangiturq; Crater Hydræ innixus, pergitq; triãgulus per Craterẽ & Hydræ medium uſq; ad Argonauim.Crater porro & Hydra ſunt intra ęquinoctialem circulum & tropicũ Capricorni.Hidra conſtat 27.ſtellis in figura,habet autem extra 2.Crater ſiue uas figuratur 7.ſtell. Argo nauis eſt intra tropicum Capricorni & polum antarcticũ,habetq;45.ſtellas, ut diximus.hoc ſignum pituitoſum & frigidũ quod 13.Aug.ſol ingreditur;mouet flauam & atram bilem, unde quartanæ graues,& horrores:bonum tũc abſtinere oleribus, uti ſiccioribus cibis,ſępe uomere.Vide & tabul. Schon.

Libra.

Libra. *Cap.* 30.

LIbra habet in signi configuratione 8. stellas, extra 9. Pars aquilonaris, habet Virginis corpus, & nihil plane ex libra. Triangulus autem eius partes Bootem cum aliquot stellis Serpentis. Ad meridiem est Spica Virginis. Coruus qui est intra æquinoctialem & tropicum Capricorni, constans 7. stellis, & triangulus eiusdem partis transit per Hydræ caudam Cẽtauri posteriora, & uiam lacteã a nobis remotissimam. Hydra per uarias partes extenditur meridionales, constans 27. stellis. Centaurus intra circulum Capricorni & polum antarcticum habẽs 37. stellas, quarum una in uno pede, alia in altero. Die 4. Septemb. Sol a Virg. in Libram transit, definit æstas, incipit autumnus. Prodest uti acutis cibis, auiculis, & conditis potionibus Naturæ &c. ut Schonner.

Scorpius *Cap.* 31.

HAbet 22. stell. in signo, extra 3. in eius boreali parte, chela eius una cum Libra, triangulus septentrio. eius, cõtinet partem Serpentis, Serpentarijq; seu Ophiuchi, cum Corona septentrionali & Herculis parte, ad caput usque serpentis alterius. Hercules dicitur & engonasis uel geniculatus Arato. 30. habens stellas. Corona septentr. 8. Ambo intra Cãcri circulum & pollum antarcticum. Serpentarius Ophiuchus uel Anguitenens, perficitur 24. stellis, habetq; 5. extra, Serpẽs alius 18. hic serpentarius a Zodiaco usque ad Cancri tropicũ extenditur. Meridianus Scorpij triangulus, habet Centaurũ cum sua fera parte anteriore uiam lacteam pertingente: ille habet 37. stell. hæc autem fera 19. die 14. Octob. Sol transit a Libra in Scorpionem, desiccantur tunc corpora; celebrum humescit & grandiuscula ossa, conueniet igitur uti assis carnib. uino suaui. Cætera ut Schonner.

Sagittarius. *Cap.* 32.

HAbet 31. stellas, hodie pars signi aquilonaris, pedes Ophiuchi una cũ stella arcuaria. Triãgulus septẽtriona. ip-

sum

sũ, Ophiucum continens una cũ capite uiæ lacteæ,& Herculis maiori parte, per medium Serpentis ad polum Borealẽ venit. Meridiana pars occupatur ab Scorpione, uia lactea, & a Sagitta, cum Ara constante 7. stellis, in media uia trianguli meridionalis posita. 12 aliquibus 18. Nouemb. transit Sol ab Scorpione in sagittarium. Sub hoc augetur atra bilis, decrescit sanguis, utile uesci ouis,& melle, pomis, salsis cibis, uomere, uenari, nón lauari, ne incidamus in immedicabiles capitis dolores a fluxibus, unde & oculorum dolores,& ophthalmiæ. Cætera ut Schonner.

Capricornus. *Cap.* 33.

HVius signum 28. stellis constat, ab aquilone habet intra signum caput Sagittarij,& cornua Capricorni. Transit per medium uiæ lacteæ: hinc per uiam lecteam pergit ad polũ triangulus, continens Aquilam, quæ fit 9. stellis intra, extra 6. Sagittam, quæ 5. stellarum: Vulturem, qui & Lyra, habentem 10. stellas intra tropicum Cancri,& polum. Meridianam partẽ signi istius occupat Sagittarij corpus: inde triangulus per reliquum sagittarii,& per Coronam pergit ad polum Antarcticũ. Corona meridionalis habet stell. 13. intra circulum Capricorni,& æquinoctialem. Sol hoc signum ingreditur 12. alijs 17. Decembr. Incipitque hyems. Atram bilem, & pituitam auget: conducit tum large uinum potare, conditis melle uti, uesci perdicibus, columbis, fauis mellis. Cætera, ut apud Schonner.

Aquarius. *Cap.* 34.

COnficitur hoc signum 42. stellis,& externis 3. quarũ una in ore Piscis, quæ ideo dicitur Arabice phom elhault, os piscis uersus arcticum, cum tergore Capricorni,& brachio Aquarij eiusq. humero & capite, signum perficitur. Triangulus septentrionalis eius, pergit ad polum per duos equos, Delphina, Viam lacteam bifurcantem,& signum. Equus prior habet 4. stellas, alter siue Pegasus 20. uterq. inter æquatorẽ,& tropicũ Cancri. Cygnus, in se 17. stellas extra 2. hic in uia lactea, intra tropicum Cãcri,& polum septent. In parte meridiei signi, habentur cauda Capricorni, pedesq. Aquarii. Triangulus meridio-

ridionalis eius habet Delphinum meridianum, habentē in ſe 11. ſtellas, extra autem 6. Hoc ſignum ingreditur ſol 11. Ianuarij, alijs 18. Augetur tunc pituita, ideo non diu ieiunandum, uino utendum eximio, marrubio cocto, lauandum, uomendū ſæpe. Cætera, ut apud Sconner.

Piſces. *Cap.* 35.

HAbet ſtellas 34. extra ſe 4. Aqua cum manu aquarij, & primus piſcium, occupant ſignum. Triangulus arcticus, complectitur Pegaſi corpus, Viam lacteam, Cygni caudam, attingitq. Cephei manum: Eſt, & in caudis piſcium quoddam uinculum, quod Aratus uocat δέσμον ὑπούραιον. uinculum, uel nodum ſubcaudalem. Ad partem meridiei ſignū habet aquarij fluuium, caudamque Ceti. Triāgulus autem, ad polum meridionalem fere uacuus pergit, cum cauda Ceti, & aquæ curſu. Hoc ſol ingreditur 8. Februarij, alijs 15. Feb. Augetur tunc pituita cum humoribus, abſtinendum a carnibus bubulis, alijſque humectis cibis, oleribus, præterquam ab apio. Cætera, ut apud Schonnerum.

De ortu, & occaſu, & motu ſtellarum fixarum. *Cap.* 36.

ORtus, & occaſus ſtellæ uerus, & apparens, a Bicardo ita explicatur: uerus duplex, matutinus, & ueſpertinus. Matutinus ortus, quando una cum ſole, ſeu cum gradu eclipticæ, quem ſol tenet, ſtella aſcendit. Verus matutinus occaſus, quādo oriente ſole, ſtella e regione occidit cum gradu qui gradui ſolis oppoſitus eſt, dictus a neotericis coſmicus. Veſpertinus uerus ortus, quando ſtella in ortu ſolis emergit, e diuerſa regione occidente ſole. Occaſus autem uerus ueſpertinus, quando una cum gradu ſolis, ſydus deſcendit, dictus a recentioribus ortus, & occaſus achronicus. Porro apparens iterum duplex, matutinus, & ueſpertinus. Ortus apparens matutinus, quando ſtella radijs antea tecta, ante ortum ſolis iterum apparere incipit: hic ortus nunc dicitur, heliacus. Contra occaſus apparens matutinus eſt, quando ſydus iamiam occaſurum, ſeu ſub horizontem deſcenſurum conſpicitur, ſole jam e regione orituro. Ortus apparens ueſpertinus eſt, quando ſydus in crepuſculo ueſpertino, primum ſupra horizon-

rizontem eleuari conspicitur. Sic contra occasus uespertinus, quando stella quæ ante conspici poterat, post solis occasum amplius apparere desinit. Hic nunc occasus Heliacus dicitur. At quando oriantur, & cum quo gradu signi zodiaci stellæ fixæ, dignoscere docebunt tabulæ per mathematicos compositæ, inter quas illę, quas supputauit Schonnerus ad annũ 1540. in Isagogæ Astrologiæ iudiciariæ cap. 21. & de fabrica astrolabij ꝓposit. 12 Stophlerinus & Cyprianus Leouicius in Ephemeridibus, Vitruuius lib. 9 cap. 6. Ptolom. in significatio. inerrantium stellar. & alij suorum temporum adhibito calculo. Scire autem expedit, secundum Albategnium, lib. de sciẽ. stellar. cap. 51. stellas fixas dici seu inerrabiles & immobiles, secũdum longitudinem cæli; ueruntamen moueri motu deprehẽso inter duos polos circuli signorum. Tradunt Schonner. & Postel stellas has anno Domini 1532. differre a situ signorum & loco longitudinis ubi erant tempore Ptolemæi, qui scripsit anno Domini 132. per 21. grad. elapso spatio 1400. annorũ. Quare notant singulis 66 annis & 8. mensibus, retardari cursum stellarum fixarum uno gradu, uel uno gradu moueri ab occidente in orientem. Appianus autem in Cosmographia cap. 10. ait per singulos annos, 8. minutis moueri, Alphraganus differen. 9. per singulos 100. an. per unum gradum. Albategnius c. 51. tantum 66. annos uni gradui tribuit.

De circulo lacteo. Cap. 37.

IN firmamento cœli, ut ait Cic. in som. Sci. & Macrob. in eũ lib. 1. cap. 4 & 9. est circulus apparens dictus Galaxias, lactẽs, candidior reliquis cœli partibus, per medium cœli: incipiens ab oriente ad septentrionem usque, per Cãcrum & Capricornum procedens, reuersus ad punctum primum. plura de hoc Higinius in 4 lib. Astronom. Quidam dixerunt hunc esse uestigium solis, dum lapsus Phaeton, prout fabulantur Pythagorici, & Ouid. lib. 2. Metamor. cum tamen id falsissimum appareat uel ex eo, quod ibi non sint signa zodiaci, per quæ graditur sol. Alij reflexionem dixerunt luminis in aere, sicuti in speculo, quod & falsum conuincitur ex eo, quod non sit circulus mutabilis, ut alias esset ad positionem luminis. Anaxagoras & Democritus arbitrati proprium esse lumen aliquorũ astrorum congregatorum, quod sole adueniente tegitur, receden-

cedente eo autem sub hemisphærium, apparet. Sed & improbat hos quoque Aristoteles, ratus uirtute astrorum quę sunt in lacteo circulo, exhalationes multas eleuari, ut accidit in generatione cometæ. Quod non probarim cum magis sereno quam nubilo appareat cœlo, supraq. regionem aeris fiat eiusdem tenbris & coloris, qui tamẽ alioquin mutaretur pro materia diuersa exhalationum: potiusque subscriberem Anaxagoræ & Democrito, prætermissis pariter nugis & fabulis quæ de lacte a Mercurio uel Hercule exsucto a Iunone, uomitu sparso feruntur, apud Hyginium lib. 2. Astronomicon. Subnotabo autem hunc circulum a uulgo, uiam diui Iacobi dici, uel uiam qua itur ad S. Iacobum. Et Ouid. quoque 1. Metamor. viam qua eatur ad superos, dixit his verbis:

Est uia sublimis cælo manifesta sereno.
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso,
Hac iter est superis ad magni tecta tonantis,
Regalemque domum &c.

De stellis errantibus in genere, quæ planetæ ideo dicuntur.
Cap. 38.

SEptem ii sunt, quorum characteres. & nomina huiusmodi & ordo ex Plin. lib. 2. c. 6. ex Ptolomæi Almagesto, & Cicero. in som. Scip. & alijs.

♄ *Saturnus, Phænon. Arist. de mundo, Plut. lib. 2. de plac. philos. c. 15. Cicero 2. de legibus.*
♃ *Iupiter, Phaeton.*
♂ *Mars, Pyrois.*
☉ *Sol.*
♀ *Venus, phosphorus & lucifer mane, vesperi vesper.*
☿ *Mercurius, Stilbon.*
☾ *Luna.*

Sequutus autem hũc ordinem sum uetustiorum, quanquã non me lateat Platonem in Timæo, secundum solem supra Lunam posuisse, quod & Alcinous lib. de doctri. Plat. c. 14. Dehinc tertium luciferum a terra. Sic sentit & Arist. lib. de mundo. de qua re qui plura desiderat, videat primam propositionẽ lib. 1. Almagest. Ptolomæi, Macrobium lib. 1. Saturnal. c. 19. de horum

horum natura Plinius lib.2. Natura.histor.c.8. Ptolom.1.libr. operis quadripartiti c.4. Cic.2.de nat. Deor. Horum excepto sole, sunt tres particulares circuli fictitij, quatuor Lunæ,& tot orbes, eccentricus, deferens. epicyclus de quibus nihil ferme dicturi, sicuti pauca tantum de naturis & complexionibus singulorum,& quæ membra, infirmitates, quas hominum conditiones, dona, magisteria, colores, lapides, metalla, sapores, regiones contineant singuli. Nam satis superque & breuiter, tabulis hæc colligit Schonnerus in parte secūda Isagoges Astrolo.cano.2.& Augerius Ferrerius nostras Tholosanus, medicus, proprio libello. Non adijciam hic pariter, fortitudines essentiales, domus, exaltationes, triplicitate, fines, seu terminos Aegyptiacos, facies, peregrinationes: detrimenta, casus planetarum. Sunt enim pertrita in singulis libris astronomicis & Ephemeridum tabulis, in quibus,& alijs proprijs tabulis, per singulos dies notantur aspectus, coniunctiones, oppositiones ueri motus & medii latitudines, ascensus, descensus septentrionales & meridionales, directiones, regressus, deliquia, præcipue apud Cyprianum Leouicium in Ephemeridibus Qui uoluerit etiam planetarum orbes & motus late scrutari, habet qui eum satient Georgium Purbachium in Theorica planetarum antiqua & noua,& eius enarratorem Erasmum Osuualdum,& Philippum Imsserum in easdem theoricas. Et de motibus corporum cælestium, proprium constituit librum Ioan. Baptista Amicus Consentinus, & Munsterus organum uranicum. Extant & fusissimę tabulæ emendatæ luminarium atque motuum planetarum Blanchini, Prugneri, & Purchij Basileæ per Heruagium excussæ 1553. Qui uero progressiones eorum diurnas, conuersiones, motus & naturas circa natiuitates, & alia quæ astronomi obseruant curiosius cognoscere uelit, legat Lucam Gauricum episcopum Ciuitatensem in tractatu iudicandi reuolutiones natiuitatum, & lib 8 Taisneri operis mathematici, sed & antiquum opus Alboazenis Hali, filij Aben Ragelis de iudicijs, Albumazarē de magnis cōiūctionib.

De Saturno. *Cap. 39.*

STella hęc, colore igneo est, similis ei quæ in extremo humero Orionis, secundum Higinium lib.4. Astronomicon. At secundum Paul. Venetum, libro de compositio. mundi

c. 10. colore terreo, plumbeo & pallido uidetur. hæc ualde frigida Ptolomæo, cap. 4. quadripertiti operis. ideo cogit & condensat, & desiccat propter longam a calore solis elongationem: ideo uitæ inimica, excessu frigidi uitalem animalibus depascens humorem, ut ait Iouia. Ponta. lib. 2. de reb. cœlest. c. 8. Et quia frigida & sicca illi attribuuntur atra bilis, flegma seu pituita, deiectio alui, hernia & similia a Iouia ponta li. 4. de reb. cælest. c. 5. & 6. Schonner. lib. 2. isago. cano. 3. Planeta est maliuolus. quia eius impressio nocet, magis tamẽ retrogradando, quam procedendo directione nocet. Temperatur autem dum intrat Iouis circulum Dicitur & planeta masculinus, diurnus, infortuna maior, melãcholicus. Orientalis, addit humidũ & frigidũ: occidẽtalis, siccum; dominus Capricor. ubi habet principale domicilium, secundariũ in Aquario, regnat in Libra, perdit regnũ in Ariete, ad scribitur natura dies sabbati. 1. hora oriente sole, ex quibus collige sequẽtes planetas. Hic planeta cursum suum perficit, & peragrat orbẽ signorum secundum Pliu. lib. 2. c. 8. spatio 30. annorum secũdum Venetum de composit. mundi, c. 4. 29. annis 5. mẽsib. 15. dieb. secund. Vitruuium lib. 9. c. 4. 29. annoi. 5. mensibus. 10. dieb. & secundũ exactum calculũ 10747. dieb horis 16. & 24. minut. Apparet orbi singulis annis, nõ minus quã 30. diebus. nec amplius quam 40. Hygini. In aeris constitutione, si solus dispositionis sit dominus, influit frigus maximum & glaciem inspissationem nebularum & nubium, unde obscurum, niues uentorum flatus. hinc bestiæ hominibus obnoxiæ nascũtur, hyemalis aer, unde & sequitur naues ob maris iactationes & fluctuum periclitaturas, aquarum inundationes, consequenter ibi iacturas, inde raras piscium capitutas, fructuũ detrimenta, & minutorum reptilium ob crebas pluuias ortum, ut locustarum, uermium, & similium, aliaque plura, quæ quis potest inde ratiocinari a causis, de quibus & Ptolom. 2. tract. quadripertiti operis c. 8. & Iulius Firmicus li. 2. Matheseon. reliqua autem ex Schonneri. tabulis postea percipies.

De Iouis stella. *Cap.* II.

HÆc corpore magna, similis Lyræ, color pulchel, clarus, lucidus & argenteus. Hygin. iu 4. & Venet. Cõplexionis temperatæ, quia mouetur inter Saturni frigiditatem, & Martis

Martis feruorem. Ptolom. 1. par. Almag. c. 4. humectat, sed magis calefacit: quamobrem uentos mouet ortui rerum com modos: Planeta humidus & calidus, aereus consequenter & sanguineus: nam illa calida & humida. Et quia temperatus, ideo & quę pacis & concordiæ, ubi quies, ei assignantur, & fortuna ut Ethnici dicebant, maior. Orientalis, addit calidita tem & humiditatem tempori: occidentalis, humiditatem. Comus principalis eius in Sagittario, secundaria in piscib. regnū & uires habet maiores in Cācro deponit in capricorno. Cursum per signa Zodiaci perficit secundum Plininm & Vitruuium annis 12. secundū Venetum annis 11. mens. 10. dieb. fere 18. sec. exactum autem calculum an. 11. dieb. 315 hor. 17 minu. 14. Secundū signorū ferie graditur singulis diebus minu. & 59. secundum Fab. Stapul. li. 1. theorici astronomici cæ lest. corp. 14. Hic planeta apparet non minus quam per dies 30. nec per plures, quam 40. hic. si solus constitutę cęlestis figurę sit dominus, quia temperatur augent, sublimat homines quia sanguinis temperati, & motus temperatos, ostendit futuros naturaliter, & ideo quietos, securos, & reges præmiaque largienda. Et quia temperies inest, & salubritas aeris utilia animalia, & fructus fore: ex corruptione aeris nata, interi tura demonstras: nauigationes commodas, temperatas inundationes. Reliqua ut in Schonneri tabulis.

De *Martis stella.* *Cap.* 41.

Eius stella, non magni corporis, figura flammæ colore rubeo aeris instar, ueluti intermixto sanguine. Dictus calidus siccusque, igneus, uirtutis adustiuę Planeta masculin⁹, nocturnus, cholericus. Et quia depascit humiditatē radicalem, quam uocant medici uitæ, ideo eum dixerunt Etnici, infortunę minoris esse Orientalis, addit caliditatem: occidentalis sic citatem. Domum principalem habet in Scorpione, secūdariā in Ariete, regnum habet in Capricorno, debilitatur in Cācro. Cursum exequitur per signa secundum Venetum, anno 1. mē sibus. 10. dieb. fere. 22. secundum Plin. & Vitruuium dieb. 683 secundum exactiorem calculū diebus 686. hor. 22. momēt. 25 Si autem singulorum dierum uelis nosse gradationem, hęc di uide. Faber tribuit singulis dieb. ad signiferi seriem 31. minut. Si solus in figuræ cælestis constitutione dominatur, denotat

ob ſiccitatem, detrimenta: & quia commouetur, & ebullit nimio ardore ſanguinis, non abs re ſignificat bella inter eos potiſſimum qui eius naturam habent, hoc eſt, qui ſunt calidi & ſicci: conſequenterque quę bella comitantur, ut prædationes, ſeruitutes, neces, uiarum interceptiones, ægritudines ex febribus, & regum qui delicatio, res ſunt mortes feſtinas, & iuuenibus &c. minatur. Et quia pari modo eo concitatur & incenditur aer, fitis calidior, & uentus generatur calidus: hinc, per periſtaſim reſolutio corporum, ſequuntur fulgura, pluuiarum raritas. & ex uentis & fulguribus, concitatio maris & fluminum hincq; conſequenter ſubmerſione, nauium pericula & tempeſtates hinc & ex calore, exſiccationes aquarum, fructuum paucitas, uel vredine, uel ſiccitate & ariditate, uel ex locuſtarum vaſtatione. Reliqua conijce, uel vide apud Ptolom. 2. quadriper. c. 8. & apud Schonner. in Iſagoge.

De ſole. Cap. 42.

TRiplicem ſolem quidam poſuerunt diuinum, angelicũ, & cæleſtem: in primo lumen eſt intellectu ſuperius: in 2. intellectuale ſupra uiſum: in tertio uiſibile lumen, de quo hic. Secundus appellatur a Platonicis primi filius, tertius imago utriuſque, eius color aureus, ſubſtantiæ accommodæ uitę. Planeta calidus & ſiccus, maſculinus, diurnus, cholericus cum tēperamento. Dicebant Ethnici fortunam eſſe in ſextili aſpectu & triangulari: infortunam autem, in oppoſitione, coniunctione, & quadrato lunæ. Hic ſemper per lineam eclipticam graditur zodiaci, non declinat neque regreditur: peculiariq; ſuo motu, circa proprium centrum eccentrici, ſecundum ſucceſſionem ſignorum peragit per 59. minut gradus unius, & fere 8. ſecunda, 17. tertia, 13. quarta, 12. quinta, & 31. ſexta Sic per annum, ſcilicet per 365. dies & quadrantem diei, totum percurrit zodiacum. Conuolutio autem 59. minutor & aliarũ particularum diem facit naturalem ſeu ciuilem 24 horarũ, in quo & nox ex altera terræ & oppoſita parte, quam ſol non reſpicit: eſt enim nox Plinio lib. 2. c. 10. & phyſicis, σκίος τῆς γῆς umbra terræ, quæ in conum tu n emittatur, non poteſt ad ſtellas pertingere. quare & nocte ſtellarum radij uidentur, utpote ad quos non perueniat umbra terræ, eſtque cœlum ἀνύκτιον ſine nocte. Et dies artificialis eſt latio ſolis ſuper horizõtem,

tem,aer illuſtratus a ſole. ſolis autem motus uenis ſic a Beda lib.de nat.rerum c.38.notatur.ſol percurrit.

	Sig.	*gra.*	*mi.*	2.	3.	4.	5.	6	7.
In hora	0.	0.	2.	27.	50.	49.	3.	10.	4
die.	0.	0.	59.	8.	19.	37.	19.	13.	56
anno	11.	29.	45	39.	22.	1.	59.	45.	40
anno & horis 6.	12.	0.	0.	26.	26.	26.	19.	34.	4

Conſtituit ſol quatuor anni partes, quas Hebræi uocant תקופות tekuphot,id eſt reuolutiones,ut notat Rab.Aben Ezra,in c.12.Exodi.Addit namque Sol in ſigno Arietis, Tauri, & Geminorum,caliditatem & humiditatem,unde uer.in cancro,Leone,Virgine,caliditatem, & ſiccitatem,unde æſtas :in Libra,Scorpio,& Sagittario,ſiccitatem & frigiditatem, unde autumnus. In Capricorno,Aquario, Piſcibus, frigiditatem & humiditatem,unde hyems. Hinc fiunt temporis numerationes per annos,menſes,hebdomadas,dies, quadrantes, horas.

De anno & ſiclo Solari, & indictione. Cap. 43.

ANnus in ſua per ueſtigia labitur, & annullo forſan,quando ſol a puncto in eundem locum unde oritur redijt. Annus ſolaris dicetur,peragratis 12.ſignis, quib. ſingulis 30. gradus ſunt. Serpentis ideo figura caudam circulari modo cō plectentis,ab Oro in Hieroglyphicis Aegyptiacis depictus. Sic annus planetæ cuiuſque diuerſus, prout citius uel tardius redit ad punctum unde incipit uiam, & annus magnus mundi,quando uniuerſa quæ curſum inſtituerūt,redierint ad proprium locum ſimul in quo erant quando creata ſunt. Cōſtat ut dictum,conuolutio anni ſolaris communis,365.diebus naturalibus ſex horis,ſi biſſextillis uno amplius addito ſingulos poſt quatuor annos,in die diui Matthiæ, menſe Martij. Dies naturalis 24.hora.& quorundam minuto.ſemper æqualis,cō tinens diem & noctem,differt a die artificiali, qui incipit ab ortu ſolis & occaſu terminatus, unde diuerſa per conſequens horarum ſupputatio pro modo acceſſionis, uel receſſus ſolis. Diuiduntur iſti dies naturales 365. & ſex horæ anni in 12.mē ſes:qui ſi æqualiter diuidantur, unuſquiſque habebit 30. dies 10.horas 29.minuta, 36. ſecunda. Cæterum menſium nomina, initia, numerus dierum & anni principia diuerſæ ſunt

nomenclaturæ & formulæ. Romulus decem tantum in anno posuit menses. Ouid. in 1. Fasto. ibi, *Tempora digereret cum conditor urbis, &c.* Numa postea annum in 12. partes diuisit. Florus lib. 1. in Numa. Arcadum annus trimestris, Pli. lib. 7. c. 48. Ægyptij lunæ senio terminabant annum, uel ut Beda tomo de tempore, lib. de nat. rer. c. 3. 4. mensium, quod & placet Plinio lib. 7. c. 48. At Xenophon agens de æquiuocis temporum, tradit Ægyptios quandoque menstruo, sæpe bimestri, non raro trimestri anno vsos, item quadrimestri & solari. Iberos quadrimestri ut plurimum, rarissime solari. Chaldæos in antiquitate disciplinarum suarum menstruo, in cæteris solari. Hebræorũ annus 12. habebat coniunctiones lunares cũ sole. Acarnanũ 6. mens. Beda ubi supra. Lauinorum 13. mensium, Beda. uide alia quædam apud Alex. ab Alex. libr. 3. genial. c. 24. Incipiebant annum Hebræi prisci a congressu Solis & Lunæ uicino æquinoctio uernali. Qui successerunt, & priorem morem in fastis & historijs reseruarũt, at in contractibus & Iubilæo sabbatico, incipiebant annum a coniunctione solis & lunæ, quæ proximior anteiret uel sequeretur autumni æquinoctiũ. Rab. Eleazar, Beuther. 1. fast. in principio. Inter Christianos, aliqui anni initium a natiuitate Domini, alij a conceptionis Domini die. Beutherus lib. 2. fastor. in aprili. uulgaris & mos Gallorum erat, in epistolis & publicis instrumentis, annum nouum incipere a festo paschæ Beuther. lib. 2. fast. in martio. Hebręorum rabini a creatione mundi incipiendum uolunt, sed parũ sibi in eo consentiunt: Rabinus quippe Eliezer, in Sanedrin c. 1. reschaschana, uult creatum mundum in mense Tisri, id est Septembri, quo fructus erant maturi. Alij ex extrauagante Sanedrin putant 25. Elul. id est, Aprilis, ut scribitur in libro inscripto, sepher le matzat moledot, in tract. eiomeniarum, quẽ uertit e regione hebraica Munsterus. Annus communis & bissextilis, post lustrum uno die exuberans, sicut Hebręis sumitur bifariam: unus dictus, פשוטה שנה scana pescuta, annus simplex, planus, communis Alius שנה מגוררת scana meguberet, annus habens transitum, qui transcendit uel superat communem uno mense: primus duodecim mensibus constat, hic tredecim, ut legitur in libro Hebręorum seder gnolam. Varietas omnis quę in uia solis & anni oritur, in bissextili calculo, ex litera dominicali, & concurrentibus, redit ad propria post 28. annos, unde dictum, Ciclus solaris, hoc spatium cuius numerus

rus in natiuitate Domini, erat 9.annorum, quos si addideris tempori excurso a natiuitate Domini, & subductionem postea per 28.feceris, qui supererunt sine hoc numero, tot dabunt annos sicli. Fit & ex annis 15. Indictio, cuius numerus tempore natiuitatis Domini 3.currebat, quos si annis addideris elapsis a natiuitate,& illos per subtractionem 15. euacuaueris,tot quot supererunt postea,erunt indictionis currentis.

De mensibus, hebdomadibus, diebus, & horis & de sole alia. Cap. 44.

MEnses solares usuales, lunaresve sunt.solaris quãdiu sol in uno signo moratur.Lunaris est, prope post recessum lunæ a sole,ad solis locum reuersio usualis, prout in calendarijs nostris disponitur. Et hoc modo diuersi sunt menses nationum,de quibus in Alphonsinis tabulis in fine 1.& apud Albategnium & Theodorum Gazam, proprio libro. Alex.ab Alexan genial.lib.3.c.25.Beutherũ & Eberũ.Et de hebræorum mensibus Eucherius lib.de nomi.hebraico.interpreta.c.6. Voluit aliquando superbiens Commodus Cæsar menses suis cognominibus appellare,antiquis relictis,ut ait Herodianus lib.1. Menses usuales ut plerumque habent hebdomadas 4.& tres distinctiones latinas, calendas,nonas,idus, aliæ autẽ græcis distinctiones.Hebdomas septem dies habet.Dies naturalis 24.hora.sed quomodo illę numerentur,& unde incipiat prima,mores uarij sunt.Apud Aegyptios & Atheniẽses ab occasu in occasum numerantur. Persæ Babylonij ab ortu ad ortum usque,Vmbri,Hetrusci a sexta,hoc est,a 12.diei ad aliam sextam:Romani,a media nocte usque ad aliam mediam,uulgus,ab oriente luce diem dicit,usque ad tenebras tantum, in gene.c.1.a uespera in uesperam.Dies diuiditur in 4.quadrantes:quadrans sex horas habet. hora 4.puncta cœli continet, 15.gradus,sic 24.horæ aquatoris habent 360 gradus Punctum decem momenta habet,unum minutum horæ,habet 15. minu.gradus unius: Momentum, uncias 12. uncia 47.atomos: Atomus,diuidi non potest.Ac de horis & diuisione diei secũdum gentium uarios ritus,fuse nos tractauimus lib.4. prælu.diorum optimi Iurisc.& magistratus c.1. & 2. hos excusos libros habes Tholosæ,anno 1572.Ad horas cognoscendas,plura genera horologiorum humana inuenit industria,& necessitas

ſitas,clepſydras,conchas, hemiciclias,& alia hydraulica.Scio tetiaque ad umbram ex ſole & luna captam, ſunt plura quoque, ut orizontalia,quadrantes, muralia plana,uerticalia,trũcalia,æquinoctialia manualia, annularia,de quorum cõpoſitione & uſu extant libri Orontij Finei de ſolaribus horologijs,& horologiohraphia Munſteri.de horologio autem mobili Cardanus lib 9. de rerum uar.c. 47.

Solis uiuifica eſt natura,accedẽteque illo ad hemiſphæriũ noſtrum proprius, & punctus uerticale,omnia oriũtur, germinant,pubeſcunt:recedente tabeſcunt. Ariſt.2.de generat. Calor ſolis arefacit, ratione proprietatis,Macrob 7.ſaturnal. c.16.hic naturæ temperamentũ,cæli, temporum, & ſiderũ rector,mens,animuſque mundi. lumen ſideribus fœnerãs ut ait Plin.lib. 2.c.6. De eius ui idem lib.2.c.100.eadem ferme Philo Iudæus li.de mundi opificio.Hic addes tabulam ſolis, quæ eſt apud Schonnerum.

De Venere. *Cap.* 45.

HÆc ſtella non amplius quam 44. gradibus ſecundum Venetum elongatur a Sole,& poſtea ad eum redit,ſecũdum Higinũ in 4. non plus quam duob. ſignis ſubter circulũ ſolis locata nec plus quã toto menſe poteſt uideri indeficiẽs apparere noctu maxime ſolet,& tunc Veſper: dum autẽ ſolis ortum præcedit, Phoſphorus.Exiſtimatur frigida & humida, fęminina,nocturna,minor, fortuna a Ptolomeo in 1.quadri. tract. c. 4. temperata matutino exortu, Iulio Firmico libr. 2. Mateſeon: rorem infundens mortalibus genitalem,& anima lib. & plantis.Calefacit modicum, ut Iupiter, quia contra Solem:humectat ut Luna:ideo lucidior attrahẽt a terra uapores exhalatos.Sic Ptolomeus tract.2. quadrip.op.ca.8. eadem ei quæ Ioui tribuit coniugia,uentos temperatos & humidos,ſerenitatem,& pluuias aliquando plures, fluminum per conſequens impletionẽ,abundantiam fructuum,& alia quæ horoſcopi obſeruant, quæ tradit Iouia.Ponta.li.4. de rebus cæl.c. 9. Si orientalis ſit, addit caliditatem & humiditatem: ſi occidẽtalis, humiditatem. Domus eius principalis in Libra: Secundaria,in Cancro: regnum habet in piſcibus, perdit in Virgine.Abſoluit curſum & redit in punctum orbe peragrato,ſecũndum Venetum anno uno. ſecundum Plin. lib.2.c.8.trice

nis

nis & duodequinquagenis diebus. secundum Vitruuiũ li 9. c.4. diebus 485. Secundum signorũ consequentiam singulis diebus, quantum & Sol medio suo motu, regulariter incedit.

De Mercurio. Cap. 46.

EIus stella, acuto lumine tota, aspectu magna, secundũ Hyginium. quæ non elongetur a Sole longius signo uno: secundũ Venetum, 20. gradib. quod & tradit Plin. li. 2 c. 8. Hic planeta dicitur siccus, uersatilis ad proximiorem naturã, melancholicus cum adustione. Orientalis, addit calliditatem & siccitatem, occidentalis, siccitatem. Habet domum principalem in Virgine, secundariã in Geminis. In Virgine regnũ habet, in Geminis amittit. Complet cursum in orbe signorũ secundum Vitruuium, anno uno, cum sole eosdem cursus efficiens, ut ait Hyginius in 4. & modo noctis prima, modo ante Solis exortus incipit apparere, nonnunquam perpetuo, signis quatuor est cum Sole; rediens autem, cum Sole non amplius est, quamper tertiam partem signi. Huius motus medius, secũdum consequentiam signorum seu in longum, quantum solis medij motus linea regulariter incedit 59. minut. 8. secundis. 19. tertijs, 37. quartis, 19. quintis, 13. sextis, 56. septimis. Hic si solus fuerit dispositionis cælestis uel temporis dominus, facile naturis aliarum stellarum commiscetur. Et quia siccus & uersatilis, afficit sanguinem & mentes hominũ; unde sequitur, ut dixerint eum significare uiarum interceptionem latrocinia, deprædationes: & in mari, difficultates itineris, cũ alijs infortunijs, addere morbos & siccas ægritudines, &c. Commouere in aere fulgura, tonitrua, coruscationes cæli uentos, propter festinam in aere retrogradationem. Ex siccitate apertiones terræ, inde, uentis. ibi inclusis, terræ motus, cõiicere licet. neque etiam consequentia difficilis, detrimẽta animalium, & lapsu ædificiorum. In eius ortu, aquarum est augmentatio, in occasu diminutio.

De Luna. Cap. 47.

HÆc stella inferior est, & ideo post Solem maior, ut nobis uicinior, uidetur, cũ tamẽ omniũ stellarũ dicatur minima, ut ait Plin. lib. 2. c. 14. Solis fulgore ut reliqua sydera, luna regitur, ut & notat Plato in Cratylo, ueiũ & Lunæ nullus

ferme

fermè proprius fulgor poteſt aſſignari: atque placuit Lunæ certum corpus eſſe opacum ſua natura,quod per uices,pro interiecta intercapedine illuminatur a Sole, hauritque lucem, ut ſpongia aquam, ut ait Iacobus Milichius in c.9. lib.2.Plinij. D.Auguſt.in expoſi.pſalm.10.Beda lib.de natur.rer. cap. 25. Alter Sol ideo Ariſt.lib.4.de generat.animal.c.10.Illuminatur autem tantum illa ſuperficies,quæ Soli aduerſa illius radium ex aduerſo recipit;unde fit, ut in coniunctione, Luna non cernatur;non enim tanta eſt uis radij, ut totũ corpus lunare tranſire poſſit. Incidit autem in ſuperficiẽ, quæ tota eſt auerſa nobis:quemadmodum in oppoſitione, incidit in alteram ſuperficiem,quæ nobis obuerſæ eſt. Quãdo Luna creſcit, Solem motu ſequitur: cum uero decreſcit,eundem præcedit, & ſemper Luna eſt auerſis a Sole cornibus, ſi creſcat ortum ſpectantibus,ſi decreſcat occaſum. Plin.lib.2. cap.14.Recipit autẽ figurationes diuerſas pro modo luminis Solis, ut deſcribit D.Damaſcen.lib.2. de orthod.fid.cap.7.prior Solis & Lunæ coniunctio,cum ea in parte eſt in qua Sol.ſecunda dicitur natiuitas, quando a Sole deſtitit partes 15. 3. exoriens quãdo apparet.4.menoides,falcata,corniculataq;,bis, ſcilicet,creſcẽdo & decreſcendo,cum partes ſexaginta diſtat.5.duo dicotomi, id eſt, duæ dimidiatæ Lunæ, cum diſtat per partes 90. 6. Amphicyrti quando bis Luna globoſa, quando diſtat partes uiginti ſupra centum. 7 dum perfecta eſt, diſtans a Sole partes.180. Notandum autẽ in obſeruatione lucis Lunæ,primo,Quando creſcit,ſe uſque ad mediam noctem oſtendit tantum.ſecundo,Quando decreſcit,tantum mane lucet,a media tantum nocte. tertio, Si plena,per totam noctem lucet,diciturq; eſſe tunc in oppoſitione ſolis.quarto,Quando noua fit, caret ſplendore, & dicitur eſſe in coniunctione ſolis, tuncq; ut plerũq;, per tres noctes ab hominibus non conſpicitur:nẽpe prima nocte defectus,ſecunda quæ eſt coniunctionis, nec tertia quę eſt prima innouationis, ſicuti etiam in plenilunio ferè eiuſdem uidetur ſtatus: in ultima ſecundi ſui quadrati in propria pleni ſplendoris, & in prima tertij quadrati.

Lunæ planeta,per ſe frigidus & humidus exiſtimatur. Lumen eius humectat corpora,aquam parit,ubi lumen Solis deſiccat, deuoratq;. Hinc arbores Luna plena uel creſcente exciſſæ,humore abundant, ineptæque fabricæ, ut molles,ex humore cariei & uermibus obnoxiæ. Sicut animalibus creſcunt

tunc

tunc mollia & medullæ & humores, aliaſque accidunt, quæ refert Plinius libro ſecundo, capit. 41. Inflatur mare potiſſimum ſi ea ſit inſignis aereis, quæ inflant, uel aqueis quæ aquam augent. contra, in his quę ſunt ea decreſcente exciſſæ. Nam & humida uel concidunt, uel ſiccantur, ideo quæ ſicca deſiderantur ſerenda deficiente, uel colligenda, contra creſcente, quæ humida. Macrob. lib. 7. Saturnal. capit. 16. Sydus hoc fœmineum, nocturnum, maleficum in ſextili & triangulari aſpectu: in coniunctione, oppoſitione, & quadrato Solis aſpectu, phlegmaticum, & tradunt Lunam recedentem a coniunctione Solis, uſque in quadratum primum, addere calliditatem & humiditatem, a quadrato primo uſque in oppoſitionem, addere caliditatem & ſiccitatem, ab oppoſitione vſque ad quadratum ſecundum, addere frigiditatem & ſiccitatem, a quadrato ſecundo, uſque ad coniunctionem, frigiditatem & humiditatem. Motus Lunę per conſequentiam ſignorum, ſic concipitur a Beda lib. de nat. rer. cap. 38. ut progrediatur.

	Sig.	gra.	mi.	2.	3.	4.	5.	6	7.
ſingul. horis.	0.	0.	32.	56.	27.	33.	7.	57.	41.
quolibet die.	0.	13.	10.	35.	1.	15.	11.	4.	35.
in 27. diebus & horis. 8.	12.	0.	9.	17.	14.	15.	2.	45.	13.

Et hanc circumuolutionem integram Epicycli eius 12. ſignorum & graduum 9. &c. diuidunt Aſtrologi in 28. partes æquales, quas uocant manſiones, alij in 28. dies & aliquot horas, incipientes & deſinentes ab apparitione Lunæ, & quia luna ad punctum ſuum unde ex coniunctione ſolis digreditur, interdum inuenit motum Solem a loco & progreſſum, ubi accenſa prius & illuminata fuit per unum ſigni ſpatium, eumque oporteat illam conſequi, ea conterit ſpatium in conſecutione antequam cum eo congrediatur, duorum dierum, 44. minuto. trium ſecundorum. Quamobrem illis partibus adduntur duo dies & particulæ, & ſæpius a neomenia una, ad aliam congreſſum ſunt 30. dies. Huius facilioris cognitionis cauſa, aureus inuentus a Iulio Cæſare fertur numerus, ſpacij

ſpacij 19. annorum, quo expleto, omnes Lunę peragrationes uarię, ad primum redeunt punctum, de quo uidendus Ioan. de Sacrobosco. lib. de anni ratione. Sed & hic annotatus in omnibus calendarijs & ephemeridibus quorūcunque. Adijciam, quod tradunt anno Domini 1574 Lunam fuiſſe in prima ſui manſione in 20. gradu, & 18. min. arietis, quę eſt temperata, quæ durauit per 12. grad. & 51. min. ut inde poſſis colligere per additionem ſemper 12. grad. & 51. min. alias eius manſiones, ut dicunt De Lunę natura, Plin. lib. 2. cap. 6. & 99. & 101. Galeot. Martius lib. de doctr. promiſ. c. 30.

De capite & cauda Draconis, & de ecclipſibus, ſeu deliquijs. Cap. 48.

ECcentricus & ecliptica Solis, interſecatur a concentrico circulo ęquante Lunæ, uerſus orientem & uerſus occidentem, puncta autem illa & inteſectiones uocantur nodi, caput, illa interſectio eſt, quando a meridie per eclipticam mouetur in ſeptentrionem Luna, cauda, interſectio qua a ſeptentrione mouetur in meridiem. Sunt autem iſta puncta ſibi oppoſita, hinc eclipſes. Eclipſis Lunæ, eſt interpoſitio corporis terræ, inter Solem & Lunam per diametrum in prædictis punctis Draconis, Sole in cauda uel capite, & Luna in capite uel cauda exiſtente: obſcuratur enim tunc Luna, propter umbram terræ, quæ ex diametro impedit ne radij Solis ad eā perueniant. Eſt autem deliquium hoc Lunæ, uel generale uel ſpeciale: generale, quando tota Luna obſcuratur, quando Sol in altera parte Draconis, ueluti in capite pręciſè, Luna in altero in cauda, ſcilicet pręciſè. Particulare, cum pars Lunę obſcuratur, cum illi planetę non ſunt præciſè in dictis punctis oppoſiti, ſed propè: Luna namque cum a ſole lumen habeat, ex diametro oppoſita ob terram lumine deſtituitur. Et quamuis fiat ſingulis menſibus Solis & Lunæ oppoſitio, non tamen fit eclipſis: eo quòd ex diametro non ſibi opponantur, & umbra pyramydalis terrę non impediat lumen Solis. Eclipſis Solis, eſt defectus luminis Solis quo ad nos, ex interpoſitione corporis Lunæ inter oculos noſtros & Solem: & fit ſub alterutro nodorum Draconis, Sole uel Luna exiſtentibus in altero punctorum uel propè. De defectu Solis & Lunæ, tractat Plin. lib. 2. cap. 10. & cap. 13. ubi id ſingulare, Solis defectum ſcilicet natura-

turalem, non nisi nouissima primave fieri Luna, quod uocant coitum. Composuit opus insigne de significatione, & consideratione eclipsium, Cyprianus Leouicius inscriptum de eclipsibus, & Copernicus. Causas deliquij Solis etiam refert Dion Cassius lib. 60. hist. Rom. Hęcque de naturali deliquio Solis dicta censeantur. Nam eclipsis illa, quæ in passione domini nostri Iesu Christi facta fuit, præter naturam fuit, ut authorem naturę testareтur; fueruntque ibi obseruata tria præter naturam eclipsium miracula. primum, quod eclipsis fuit in plenilunio paschę, cum tamen non nisi in coniunctione naturaliter fiat. 2. quod orientalis Solis pars fuit prior obscurata, & prior restituta lumini cum contrarium in naturali cōtingat, 3. quod Luna contra proprium motum ab oriente in occidentem progressa, cum soleat ab occidente in orientem incedere, ut ait Lucian. Antioch. martyr. Atque qui uidit de his testatur D. Dion. Areopag. epist. 7. ad Polycarpum, & 11. ad Apollophanem. Ignorabant porrò antiquitus & Romani aliæque nationes eclipsium causas, ideo Luna in deliquio laborantem existimabant veneficijs, & ob id crepitu dissono ęris, & luminibus accensis, ei se auxilium ferre arbitrabantur. Cuius & erroris fuit Pindarus & Stesichorus, ut ait Plin. lib. 2. cap. 12. Plutarch. in uita Æmilij, Ouid. 4. Metamorph. meminit.

Aut sub candore rubenti.
Cum frustra resonant æra, auxiliaria Lunæ.

Et Iuuenal de garrula loquens muliere.

Verborum tanta cadit uis,
Tot pariter pelues, ut tintinnabula dicas
Pulsari: iam nemo tubas, atque æra fatiget,
Vna laboranti poterit succurrere Lunæ.

Tradit & Liuius lib. 26.

Trognostica tempestatum ex stellis. *Cap.* 49.

EX stellis qui prognostica nosse desiderauerit, consultat Plin. lib. 18. cap. 35. Tradit etiam Plin. lib. 18. c. 25. digestionem siderum per dies & noctes anni quidve operis facere oporteat pro temporum conueniētia. Notauit & Ptolom. inerrantium stellarum significationes, quas Nicolaus Leonicus latinos fecit, & adiecit Ouid. fast.

De

De Cometis. Cap. 50.

EXpectabat forsan lector me hic dicturum quoque de cometis, sed non existimaui aeris impressiones, stellarũ tractationi miscendas, ideo de illis suo loco alibi dicemus Deo iuuante, scilicet in elementis. Interim autem sufficiet Plinij pertractatio lib. 2. c. 25. & Senec. lib. 7. de nat. quæst.

Qui primi stellas uel perfectius obseruarunt. Cap. 51.

IVpiter Belus a Plin. lib. 6 cap. 26. dicitur inuentor sideralis scientiæ, tamen lib. 5. cap. 12. artem siderum Phœnicib. tribuit, & cap. 12. lib. 2. refert quæ quis inuenerit in obseruatione cælesti. Diod. Siculus li. 3. cap. 8. bibliothec. hist. tribuit eximiam eius peritiam apud Babylonios Chaldæis sacerdotibus sicut & Philo Iudæ. lib. de migratione Abrahami. Iosephus 1. antiquit. tribuit inuentionem liberis Seth nepotibus Adami: & Berosus lib. 1. de temporib. ante diluuium. Noachũ & alios ante eum dixit insignes astrologos. Philo Iudę. lib. biblica. antiquit. scribit, tempore quo Tharã filia Nachor genuit Loth incolas terræ, cæpisse astra inspicere & ex his diuinare. Lucianus lib. de astrologia notat hanc Astrolog. Æthiopes primos mortalib. tradidisse, & Aegyptijs communicasse imperfectã. Dehinc autem Libyes hãc aggressos, calluisse & Babylonios. Aegyptij semper in medendi libris, stellarum scientiam prognosticis coniunxerunt. Ptol. lib. quadrip. ope. 1. c. 3. traditque Herodot in 2. eos excogitasse cuius Deorum esset mẽsis diesque, & quo quis die genitus qualia sortiretur quam mortem obiret qualis foret.

De Astrologia & Astronomia. Cap. 52.

COgnitio ex astrorum obseruatione, & ratiocinatione nata, astrologia dicitur, atque ideo subiectum eius scientię corpora sunt cœlestia: huius duæ partes, Theorica & practica. Theorica, quæ & speculatiua, versat in contẽplatione q̃ obseruat naturas, motus, orbes, circulos, & reliqua astrorũ accidentia, quã tractat abunde Ptolom. in Almag. Practica ea est, quę considerat eadem, sed non absolute, sed quatenus res inferiores respiciunt, hoc est, quatenus explicãt uires suas uel influũt

in

in res inferiores: quæ traditur a Ptolo.in opere quadrip. Alij ut Atphraga. corpus cæleste considerant trib.modis. 1. penes substantiam, sicuti consideratur in sphæræ tractatione. 2. penes motus,& ita consideratur in theoricis planetarũ. 3. vt vim suam exercent penes res inferiores, qua ratione considerantur in iudicijs astrorũ. Corpora elemẽtata patiuntur & agunt & uias interdum spirituum animalium, per elemẽtorum motus obsident: aliquando instrumẽta & organa partis rationalis impediunt, uel uiolant; alioquin enim non agunt in uiuendi rationem corpora cælestia, quæ ipsa ratione & anima, sunt minora,& ob hominis salutẽ & usum, nõ in perniciem creata neque vt dominantia. Falsò enim Mars furorem, Saturnus stuporẽ ad ducere creduntur. Nam si demas nimiũ bilis excesũ, uel atræ bilis copiam, neque Martis aspectus furibũdũ, aut Saturni stupidum uel pauidũ faciet,& sic de similib. Astronomi iudicia colligunt ex astris uanissime & temerarie interdũ: aliquando cõmode circa aeris dispositionẽ & tẽpestates, fertilitates & sterilitates anni, ex effectib. pendẽtib. ex causis, quæ fuit prima obseruandorũ sydeium ratio. Sed ea naturæ humanæ præsumptio & temeritas, ut saluberrimis orta initijs, fere omnia uerterit in nimium. Nec opus est me camerinam mouere,& Pici & aliorũ priorũ hominũ in curiosam Astronomiam & eius indicia, referre cẽsuras, improbationẽq; diuinationũ de cogitatione quærẽtis, de natiuitatib. & alijs nugacissimis temerarijsq; disquisitionib. de quib. integrũ & satis magnũ coegit opus Haly, Ptol. Põta. Firmicus,& alij eiusdẽ uanitatis asseclæ, ut Iaphar astrologus dict⁹ albumazar, q. octo edidit tract. de magnis coniũctionib. Monebo unice, in iudiciis astrorũ cõsiderari primũ orbis partes. in quib. inuenitur, unde natæ 12. regiones, quas uocant domos Astron, ubi planetarum & stellarum locum notant & obseruant, directionem, retrogradationẽ, stationem, aspectu, coniunctiones,& oppositiones, prohibitionem ab aspectu; num planeta sit unitus Soli, uel in cazimi sit: nũ compustus, num oppressus, num apparens uel latens: num in suo hayz uel similitudine. i. num diurnu, die appareat, uel sub terram die sit,& nocturnus noctu appareat, num masculinus, in mascul. signo; fœmininus, in fœminino; num obsessus: num peregrinus, num feralis, num eius ab alio absumatur. uel donetur, uel debilitetur: num in dignitate sua, uel regno, domicilio, & quot conspirẽt ad eandẽ

na-

naturam astra in themate cæli. De quib. in proprio 2. lib. Isago late Schonner. Cyprianus.

De usu ephemeridum. In ephemeridibus, & Mizaldus, & Orontius in explicatione quoque ephemeridum, Prolom. in Almag. Franc. Saizofius, Iouia Ponta. duob. lib. de rebus cæl. Cleomedes in 2. & alij. scio tamen pertinaces quãplurimos, & uanissimos huius artis professores. pestes & perniciem ingeniorũ & animarum, qui diuinatricem illam excolunt, laudãt & defendunt Astronomiam, semper discentes & nunquam ad rei ueritatem peruenientes, in fata illa gentilitia explosa a fide Christiana, misere relapsos, uerum hic non datur locus latius spatiãdi, sed uela contraho, precatus Deũ, ut magistratuũ aliquando uelit animos excitare, qui istis uel silẽtiũ uel pęnã imperent, antequã in idololatriam fœdius Christianũ nomẽ collabatur. Deus bone non enim propter stellas hominẽ, sed propter hominem stellas & reliqua ad eius utilitatem, nec ad mali causam, creasti: sed in signa & tempora, Genes. 1. & in li. tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis psal. 138. neque stellarum uis causam necessario hominib scilicet animæ adijcit, sed pericula ex tẽperamento corporis signat, nisi præcaueantur nõ secus, ac lex ipsa demonstrat, peccatũ, & pœnã peccati statuit, nisi peccatũ precaueamus idcirco signa astra dicta. Quamobrem & fames, & pestes, & aeris motus corrupi, bella si quæ ex siccitate cerebri, & sanguinis calore ingruant, caueri possunt triplici remedio 1. præcibus ad Deum fusis, ut pestis cessauit tẽpore Greg. 9. Romæ suplicationibus aliaque aliis temporibus pericula terræmotuum, incendiorũ, bellorum. &c. Deinceps 2. optimo rationis & prouidendiæ hominib. concessæ usu. 3. rerum naturalium præmunitione, ut in peste, optimis antidotis, aeris emendatione, optima curatio summa nõ pericula ex cęli configuratione, nõ uitia, scelera, & impietates, sed ex nostra malitia & socordia, & cõtẽptu Dei nascũtur. Itaqs non necessitate stellas docuit Alcino. de doct. Plat c. 11. & eximie Ptol. li. 1 ope. quod. c. 3. tract. 1. & Apollo dęmonũ oraculum, fassus quoq; uitari posse effectus hos etiã magicos, ut autor Porphy. & Euseb. lib. 6. de præpar. euang c. 3 perstringit & damnat acerrime istos genethliacos & diuinatores per astra Deus, per Iesaiam c. 47. Sic ab Ecclesia catholica Priscillanistas hæreticos, quod fatum acciperẽt ab influente necessitate astri, sub quo nati essent & similes illis,

Stella	Signum	Gr.	Min.
Cornu ♈ præced.	♈	17	58
Caput Algol.	♉	20	58
Media pleiadum	♉	23	48
Hyadum prima	♉	29	58
Oculus ♉ Aldebaram	♊	3	58
Pes ſi.orionis Rigel	♊	10	28
Humerus ſi.Orionis	♊	11	38
Hircus agitator	♊	16	58
Orionis Cinguli prima	♊	16	38
Humerus de.Orionis	♊	23	18
Canis maior	♋	8	58
Caput ♊ præcedens	♋	14	38
Caput ♊ ſequens	♋	17	58
Canis minor	♋	20	28
Præſepe	♌	1	38
Dorſum Vrſæ ante.	♌	11	58
Lucida hydræ Alph.	♌	21	18
Cor ♌ Regulus	♌	23	48
Dorſum leonis ♍	♍	5	28
Cauda leonis	♍	15	48
Præuindemiatrix	♎	3	28
Spica ♍	♎	17	58
Arcturus Bootes	♎	18	18
Lucida coronæ Alpheta	♏	5	58
Altera lanx libræ	♏	9	18
Fons Scorpionis	♏	27	38
Palma	♏	26	18
Cor ſcorpionis	♐	3	54
Lyra, Vultur cadens.	♑	8	38
Aquila uolans	♑	25	[illegible]
Prior cauda Capricorni	♒	16	[illegible]
Poſtrema fuſionis ♒	♒	28	[illegible]

7 20	S	3	♈	9 5	♉	1 35	♈	25 4	♂ & ♄
13 0	S	2	♒	29 53	♊	14 34	♉	13 16	♄ pa. ♂
4 40	S	5	♉	13 53	♉	27 8	♉	12 35	☽ & ♃
5 45	M	3	♊	9 25	♉	25 55	♊	1 11	♂
5 10	M	1	♊	12 9	♊	0 6	♊	4 55	♂
31 30	M	1	♋	15 44	♉	18 16	♊	14 33	♃
17 30	M	2	♋	3 3	♉	28 25	♊	13 49	♂ et ☿
22 30	S	1	sem	per orta.	non	occidit.	♊	13 20	♂ et ☿
24 10	M	2	♋	12 53	♉	27 50	♊	18 48	♃ et ♄
17 0	M	1	♋	11 20	♊	8 13	♊	24 5	♂ et ☿
39 10	M	1	♌	10 4	♊	0 58	♋	6 38	♃ pa. ♂
9 40	S	2	♋	3 22	♌	3 14	♋	15 47	☿
6 15	S	2	♋	11 36	♋	29 21	♋	18 50	♂
16 10	M	1	♌	2 27	♊	29 56	♋	18 13	♀ pa. ♂
0 40	S	Ne.	♌	1 6	♌	3 0	♌	1 48	☽ et ♂
49 0	S	2	sem	per orta.	non	occidit.	♍	9 54	♂
20 30	M	2	♍	1 27	♋	16 17	♌	14 45	♄ et ♀
0 10	S	1	♌	23 44	♌	24 6	♌	23 52	♂ et ♃
13 40	S	2	♌	28 41	♎	12 52	♍	11 13	♄ et ♀
11 50	S	1	♍	10 38	♎	16 58	♍	20 56	♄ et ♀
5 10	S	3	♍	27 20	♏	9 52	♎	10 7	♄ et ☿
0	M	1	♎	18 34	♎	13 35	♎	17 7	♀ pa. ♂
11 30	S	1	♎	4 15	♐	19 7	♏	1 25	♂ et ♃
14 36	S	2	♎	12 13	♑	15 19	♏	21 28	♀ et ☿
0 40	S	2	♏	8 56	♏	16 46	♏	9 31	♄ pa. ♂
1 20	S	3	♏	26 43	♐	0 4	♏	27 54	♂ pa. ♄
7 0	S	3	♏	15 49	♐	21 19	♐	3 11	♄ pa. ♀
1 0	M	2	♐	7 20	♏	26 21	♐	3 11	♂ pa. ♃
52 0	S	1	♏	1 47	♓	6 5	♑	4 47	♀ et ☿
9 10	S	2	♐	19 58	♒	14 28	♑	20 19	♂ et ♃
10	M	3	♒	20 53	♒	14 52	♒	16 0	♄ et ♃
	M	1	♉	8 19	♈	13 34	♓	8 8	♀ & ♉

lis,ut notat D. Aug.5.de ciuita.cap.primo.Gregor.in homil. de die epipha.Improbarunt hanc diuinatricem Astrologiam Bardassanes Syrus, Euseb.lib.6.præp.euange.cap.6.7.8.& 9. Orige.super Genes.D.Basil.examer.hom.6.August.de doctr. christ.Interdicitur inanis stellarum diuinatio, & in electionibus obseruatio.consilio Mart.papæ,canon.non liceat.26. quæstio.5.in decre.Grat.Hiere.capit.10.& 27. Improbat D. Pau.ad Gal.4.obseruatis dies,& tempora,&c. Meminit Suid. in uerbo,βλακεγγέμιον fuisse tributum stultorum, quod Alexandriæ pendebant Astrologi,eo quod ab stultis consuleren tur. Probatur autem illa ab omnibus,quæ terminos naturæ non transgreditur,& a phi.iudæ.lib.de mundi opif.Quamuis nec ista quoq. plane certa,ob sydērum non plene cognitum locum,uel motum,uel ob celerem rotationem orbis, unde, & citius effectus,quam prædixerint Astrologi, uel tardius accidunt,illud prochemasim,istud epichemasim dicentes.

Sequuntur nunc tabulæ, de quibus in hoc libro superius mentio habita est, ad quas reiecimus lectorem, excerptæ ex isagogica astrologia,& ex instructione ephemeridum Ioannis Schonneri.

Planetarum, atque stellarum fixarum loca figuræ cœli magistraliter inserere. ex canone xx. instructionis Ephemeridum.
Cap. 53.

PEr præcedentem erige figuram duodecim domiciliorum cœli, aut per aliquem alium modum. deinde diligenter considera,an locus planetæ ex ephemeride sumptus sit de signis & gradib. intermedijs duarum proximarum cuspidū domorū;uel ne:nam si fuerit de illis, locum eius in hanc eandē domum tuæ figuræ impone. Sic eodem modo uide etiam in alijs domibus,planetam in hanc domum intrudendo,quæ.s. domus gradum planetæ comprehendit. Si autem planeta habuerit latitudinem,fueritq. prope cuspidem alicuius domus, continget eundem interdum cadere in domum sequentem, & interdum in præcedentem,iuxta magnitudinem latitudinis,ac partem eius. Sed quia res ista laboriosa incipientibus uidebitur,missam in præsentiarum eam faciamus: qui uero curiosius,& exactius hęc rimirari uoluerit,tabulas directionū

doctiſſimi M.Ioannis de Monte regio conſuler, problemate 21.Hic etiam ſumme notandum uenit,quod apud Aſtrono-mos dies æquales uſurpentur tantum pro motuum inquiſitione confictę neceſſario,& ideo omnis motus diebus æqualibus quærirur,& nō inæqualibus. Eam etiam ob rem omnes coniunctiones,oppoſitiones,& quadraturę,ex tabulis calculatæ,ſunt æqualium dierum,ſicut & eorum motus. Sed ut etiam inæqualibus fierent diebus,addita eſt eis æquatio dierū. Nam eriam iuxta tempus hoc inæqualium dierum ſumirur aſcendens. Eſt.n.tempus horarum inæqualium dierum,ſiue naturalium,ſiue differentium,ſiue realium, quod ubique apud omnes in rerum natura eſt,& numerarur. Hoc tempus aptum minime pro motuum inquiſitione. Quare ſi motum lunæ cupis pro dato tempore adde, uel ſubduc æquationem dierum a tempore dato iuxta notam ſuam. A. uel S. ut fiat æqualium dierum tempus pro motum collectione aptum. Quare tabella lunæ infra poſita cōtinet minuta tēporis, quæ conueniunt æquationi dierum, pro quibus ſubtrahendum eſt a loco lunæ Ephemeridum, uel eidem addendum quantum de motu lunæ eiſdem minutis competit, ut locus lunæ ad dies inæquales fiat, & abſque errore poteris pro ſingulis binis minutis temporis accipere tot minuta in motu lunæ. Itaque ſi locum lunæ themati coniunctionis, oppoſitionis, aut quadraturæ imponere cupis, quære primo locum ſolis illius diei in tabula lunæ ſequenti, ſignum in fronte,gradum autem,aut uiciniorem in latere ſiniſtro,& in angulo communi offendes minuta æquationis, quorū dimidium lunari motui addendum, uel demendum eſt ad quoduis tempus ſupplicato, propter æquationem dierum. Eſt etiam aliud aduertendum in lunari motu propter diuerſitatem meridianorum contingens. Nam ephemerides ad unum certum meridianū ſupputatæ ſunt.Quare alia inſignia loca,quę ſub alio, atq. alio meridiano ſita ſunt,qui his laboribus æque uti deſiderauerint,motui lunæ, ut ſupra uerificato, minuta in tabella inſignium ciuitatum,ſub charactere,e regione ciuitatis, reperta, adimat,uel abiiciat,prout literę A.M. uel iiſdem minutis fuerint adiectę Planetæ autem cæteri ob tarditatem motus eorū hac farciendi formula non egent.

Tabula

Aeris mutationem prænoscere, ex Canone xxij. eiusdem instructionis.

Cap. 56.

AD prænoscendum aeris mutationem, Ptolomæus artis illius monarcha ad minutum coniunctionis luminariũ figuram cœlestem erigere iubet, & iuxta naturam dominatoris, aeris etiam qualitas, & dispositio prænoscetur. potissimum autem si dominator ipse hora interlunij cardinem obtinuerit. Neoterici deinde non modo ad coniunctionis minutũ, sed & circa quadraturę cuiusque, atque oppositionis minutias id fieri præcipiunt. Ad hęc luna (elementarię regioni uicinissima atque contigua) haud parum cooperatur: fit enim non raro, ut pro qualitate signi, & mansionis, quæ peragrat, proque natura aspectuum, quos cum Sole, & planetis habet, aura ipsa disponatur. Adde aspectus planetarum inter se, & ad solẽ, qui ad sensus aeris alterationem inducunt, quemadmodũ ex subsequenti tabula cernere dabitur. Apertionibus etiam portarũ nonnulli scriptores magnam in ea re uim tribuerunt. Quantum uero authoritatis ortus, occasusque, ac cœli mediationes stellarum fixarum hoc loco teneant, ex Aristotele, Columella, Plinio, & cęteris plerisque uiris undecunque doctissimis, clarum est. Preterea regressiones, stationes, habitudinesque planetarum ad auges, oppositaque augium in eccentricis suis, & cętera, secundum Alkindi, & quorundam aliorum recentiorum traditionem obseruare, & animaduertere conueniet. Vt autem ea, quę iam scripta sunt lucida faciliaq. fiant, sciendum est, dominatorem figurę ad minutum coniunctionis oppositionis, aut quadraturę luminarium constitutę, siue erectę, eum esse, qui in loco lunę, & ascendente, maiores fortitudines sibi uendicauerit. Apertio portarum (ut Alkabirius inquit) dicitur, quando inferior iungitur superiori, & cum hoc domus eorum fuerint oppositę. De apertione autem magnarum ualuarum Ioannes Hispalensis in hęc uerba scribit: Quãdo luna separatur a coniunctione alicuius planetę, uel ab eius aspectu, & coniungitur alteri planetę, & sunt illorum planetarum domus oppositę, hoc est apertio magnarum ualuarum, in qua contingit uenire uentos, & pluuias, ut est ex natura illorum planetarum. Et hę portarum, magnarumque ualuarum

apertiones, per subscriptam tabellam plane omnes exponuntur. Porro stellarum fixarum insigniorum nomina, uera, loca magnitudines, naturæque ex tabella propria præmissa patebunt. Inde etiam ortus & occasus, cœliq. mediationes earundem ad poli altitudinem 49. graduum cum dimidio sese offerunt. Qui autem ad aliam poli altitudinem eadem desiderauerit, consule problema 57. tabularum primi mobilis, uel 13. tabularum directionum doctissimi Ioannis de Monte regio.

Tabula aspectum inter se, & ad lunam, pro aeris mutatione. Cap. LVII.

♂ ∞ ♊

	☽	☿	♀	⊙	♂	♃	Tēpore.
♄	turb. hu. nub. re. calor. neb. pru. nub. nix.	uent. plu. uento, imber, uent. nub. uent. niu.	Plu. frig. imbrem, plu. frig. niuē.	Pluu. fri. grand. to. plu. frig. neb. uel nix.	Pl[illegible]p. ton gran. plu. turb. Re. frigo. tur.	Turb. hu grand. to. & temp uent plu. torb. uel neb.	Veris Aestatis Autumni Hyemis.
♃	aeris temperiem.	uentos magnos	Temperii	uentos, toni. ful. uentos. Re. frigo	turb. uēt. ton temp. turb. uēt. Re frig.	Veris Aestatis Autumni Hyemis.	
♂	minuit fri. & hu. in signo cal. to. & ful. in aestate.	uent. ali quando nubif. in aestate tonitrua.	Pluuiam Imbrem Pluuiam Re. frig. & nix.	uent. sicc. tonit. ful. uent. sicc. Re. frig.	Veris Aestatis Autumni Hyemis.		
⊙	alterat aerē pro natura tēp. ∞ ī ♒ hu. ī hye. casū niuis	uentus ali quando cū hu. prę sertim in uento so. In signo aqu. plu.	Pluuiam Ton imb. Pluuiam Humidi	Veris Aestatis Autumni Hyemis.			
♀	hu. uel nub. Re. calor. Neb. tur. tur. uel nix.	uentos humidos, uel saltem nebul.	Veris Aestatis Autumni Hyemis.				
☿	Aliquando uentos nubif. Corpore ait aspectu d ♒ . plu.	Veris Aestatis Autumni Hyemis.					

Apertiones portarum.

♂ ☍ { ☽ ☉ ♃ ♂ } & { ♄ ♄ ☿ ♀ }

Apertiones ualuarum magnarum.

Luna ♂ ☍ □ { ☉ ♃ ♂ } *recedens si feratur ad* { ♄ ☿ ♀ } *uel contra.*

Nam planeta, cui ☽ *primo iungitur, dicitur aperire portam super illum, cui secundo iungitur, & hæc dicitur apertio ualuarum magnarum. Et in illis fit magna, & notabilis aeris mutatio in uento, aeris humidi, & aeris turbatione. Nam*

apertio { ♀ ♂ ☿ ☉ } *super* { ♂ ♀ ♃ ♄ } *denotat* { *Aeris humi. plu. ful. & tonit. in æstate. In hyeme niues.* / *Ventos merid.* / *Cursum, & flatum uentorum maxime septem.* / *Teneb. aeris, nubium grossi. & inde plu. & hu. In aquatico signo frigus, utroque, uel altero existente.* }

☿ *Si*

☿ *Si accipit planetas, quorum unum aperit super alium, facit aeris inquietudinem, & instabilitatem, et uentorum flatum.*



Tabulæ duodecim signorum Zodiaci, quibus in promptu potes eorum naturas, & proprietates manifestare, ex Can. i. Isagogicæ Astrologiæ Schonneri. C. 58.

HAec eadem sequens area copiosissime exponit. Si introitum facis cum signo ad læuã posito, quia ibidem oculariter ea sese offerunt, &c.

	Naturæ.	Mẽbra, & infirmitates.	Regiones.	Electiones.
♈ 1 Zodiaci signum charac. eius. ♈	Domus secũ. ♂ ign. cal. sic. chol. mas. diur. sep. trip. orien. mob. obliquum, amarũ, domest. bes. quadr. uocale, paucorũ filio. luxur. infir. uitios. memb. incisorum, iracũdũ imperãs, tortuos. principium gros sum & forte, finis macrũ & debile.	Caput, faciẽ, oculos, aures illorum ẽt infirmitates. Pustulas, lepram maculas rubeas, prurigines impetigines, surditatẽ, balbutiẽ, caluitiem, paucã barbã, dolorẽ dẽtiũ, epilepsiã, feb. ex sang.	Angliam Franciam Germaniã Bastarniã Syriã cauã Britanniã.	Minutio sanguinis ualet phlegmaticis
2 Zodiaci signum charac. eius. ♉	Domus secũ. ♀ terr. frig. sicc. melanc. fœmi. noct. sep. trip. mer. fixũ obli. acrũ, dome. bes. quadr. uocale pau. fil. lux. ægrũ, uit. mẽb. incis. ruptũ, imper. tortu. princ. gros. & for. finis macrum, & debile. Honest. religios. & probas mulieres.	Collum, ceruicẽ, guttur, scrofulas, bo tium, & illorum infirmitates. Cholerã nigram, sed temperatam.	Parthiam Mediam Persidem Ciclades Cyprum Asiam minorem in maritimis.	

Naturę.	Mēbra, & infirmitates.	Regiones.	Electiones.
Do. secund. ☿ Aereum.cal.hu. sangu.maſ.diur. ſepti.tripli.occi. cõe, uel bicorp. obliq. alatum, humanum, uel ratio nale, uocale, ſterile, pulcrũ imperans, dulce princi.macrum, debile, finis groſ ſum, & forte.	Humeros brachia, manus, ſpatulas, ægritudines, illorum membrorum ex ſanguine.	Armeniã Hircaniã Marginanã Cyrenem Marmaricam Aegyptum inferiorẽ.	A uentoſis, & apertiõe uenarũ caue.
Domus ♋ aque. frig. hu. plegm. fœ.noct. ſept. trip. Sep. morbi.rectũ, reptile, mutũ, partum, ægrum, mult. fil. uitioſ. tortuoſ. imper. falſum.	Pulm.to.pec. hepar, coſtas, ſplenem. mãmillas, illarũ partium infirmitates. Puſtulas, lepram, vt ſupra, in ♈. per totum. impedimenta oculorũ, tuſ ſim, ptiſim, pleureſim, dominatur phleg. falſo,	Numidiã Africã minorem. Bithyniam Phrygiam Colchidẽ.	Minutio ſanguinis ualet cõ lericis.

3 Zodiaci ſignum charac. eius. ♊

4 Zodiaci ſignum charac. eius. ♋

	Naturæ.	Mēbra, & infirmitates.	Regiones.	Electiones.
5 Zodiaci signum charac. eius. ♌	Domus ☉ Igne. cal.sic. Choleri. mas. diur.sep.tripli.orient.ruptū, fixum, rectum, magnū, quadrupe.uocale, steri lux.forte,uitios memb.incisorū iracund. imber besti.sylu. callidum, principiū poss. & forte,finis macrū, debile.Honest. religios. & probas mulieres.	Cor, stomacū dorsum, latera, pectus, diafragma, costas, infir.iliarum partium angust.& trist. febres ex sanguine, pustulas, apost.icteritiam, febres pestil.	Italiā oēm Alpes Siciliam Pheniciam Chaldæā Orcheniā	vomitū euites.
6 Zodiaci signum charac. eius. ♍	Do princip. ☿ Terræ, frig.sicc. Melanch. fœm. noct. Sept.tripl merid. commune. rectum.alat. hum.uocale, sterile, pulchrū, impe.acrum, mag. ruptum, æqualis ac bonæ proportionis.	Ventrem, intestina, diafragma, & illorū ægritudines. Omnes infirmitates, quarum radices ex Melancholia procedūt.	Mesopot Babyloniā Assyriam, partē græciæ Hellas dictam Achaiam Cretam	

Naturę.	Mēbra, & infirmitates.	Regiones.	Electiones.
Do. princip. ♀ Aereum. cal. hu sangu maſ diui merid. tripl. occ morb. rectũ, dul hum. uocale, pa uc. fil. pulc. obe teneb. ęqualis & bonę proportionis, med. ſecūda ♎. & prima ♏ uia combuſta ab antiquis uocatur.	Lumbos, umbilicũ, renes femora, nates ueſicam, inferiora uentris, & ęgrit. illarũ partium, diſſẽteriam, ſpinæ dorſi dolores teneb. uiſus, retentionẽ v rinæ, egeſtionis, fluxũ ſanguinis per inferiora.	Bactrianã Caſperiam Sericam ſecundum aliquos terram Roman. & Æthiopiã.	Minutio valet Melāch.
Dom. princ. ♂ aquę. frig. hu. plegm. fœ. noct. merid. trip. Sep. fixum, tect. reptile, mutum, ægrũ mult. fil. uitioſ. tortuoſ. turpe, medio. pulc. forte, iracun. falsũ, obe. diuerſæ proportionis corporis, princ. macrũ debile, finis gro. fort.	Pudēda, teſticulos, ueſicã, anum, & eorũ infirmitates, dominatur phleg. ſalſo, puſtu. lep. ut ĩ ♈. & c. Canc. fiſtulas, emorrhoides calculum, ab 21. in 24. gradum, oculorum impedimenta.	Maurit. Metagoniticam Getuliam, Syriam Comagenam Cappadociam ſecundum aliquos Arabiam, & Coroſaim.	Sume pharma cum in potionibus.

7 Zodiaci ſignum, charac. eius. ♎

8 Zodiaci ſignum charac. eius. ♏

	Naturæ.	Mẽbra, & in firmitates.	Regiones.	Electio nes.
9 Zodiaci signum charac. eius. ♂	Do.prin. ♃ Ig cal.sic. Choleri. maſ. diur.ſep.tri pli.orien. cõmu ne, rectum, ma gnũ, hum.prio re par. pulc.alte ra beſt. quadru pe.domeſt.uoca le,pauc.fil. debi le,amarũ, inge nioſum,callidũ, obediens.	Coxas, nates, & ſuccedẽtia, femora, & il larum infirmi tates. Febres ex ſanguine, & puſtulas, ca ſum ab alto, a 15.in 18.gra. oculorum im pedimenta.	Hetruriã Hiſpaniã Celticam, Galliã Nar bonenſem Arabiam fœlicem. Liguriam, & Ciliciã.	Minut. valet phleg.
10 Zodiaci signum charac. eius. ♑	Do.princip. ♄ Terræ, frig.ſicc. Melanch. fœm. noct.merid. tri pl.merid.nob. o bliq. actum do meſ.beſt. ſylueſ. quadru. uocale, pauco, fi. luxur. ægrum,uitioſ.te ne. ruptum,obe di.paruũ, tortu. mediocris pul chritudinis.	Genua, & illi us partis ægr. puſtu.lepram ut in ♈ &c. Scabiẽ, amiſ ſionẽ loquelę ſord. caliginẽ oculorum, fe bres, flexũ sã guinis per in feriora a 22.ĩ 25.gra. oculo rum impedĩ menta.	Indiam Adrianam Gedroſiã Ilyrum Macedo niam Thraciam	

Naturæ.	Mēbra, & infirmitates.	Regiones.	Electiones.
Dom. sec. ♄ ae. e cal.hu.sāg. m.sc.diur.meri. tripl.occi.fixum obliq. rōna.uocale. paucorum filiorū, pulchrū obe.dulce, forte honeſ. religi. & probas mulierē.	Tibias, & harum infirmitates, ictericiā nigram, uenarū inciſiones A. 20. in 25. gradum, oculorū dolores.	Seuromat. Oxianam Sogdianā Arabiam deſertam, & per. Azaniam Mediam Æthiopiā.	Minut. ualet melancholicis
Dom. secun. ♃ aq. frigi. humi. phleg.fœ. noct. merid.trip. Sep. commune, obliquum, ſalſ. alat. vitioſ. turpe, tortuoſ. mutū, multorum filiorum lux. morboſ. reptile, paruū, ruptum, inciſorū membrorū, medioc. pulc. obe. diuerſę corporis proportionis.	Pedes, talos, cauillas, & partium harum ægritudines, dominatur phleg. ſalſo, puſtu. lepram ut in ♈. & c. paralyſim podagram, ſcabiem.	Phalenam garamātes Naſamonicam Lydiam Ciliciam pamphiliā	Minutio ualet cholericis.

11 Zodiaci ſignum charac. eius, ♒

12 Zodiaci ſignum charac. eius, ♓

Signa longarum aſcenſionum, ſunt ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐, Breuium ♑, ♒, ♓, ♈, ♉, ♊.

Septem planetarum qualitates, atque conditiones agnoſcere, ex canon. 11. eiuſdem iſagogicæ aſtronomiæ. cap. 19.

HVius utilitatis elucidationem, ſubſcripta tab. perpulchre explicat. Si a Luna per characterem planetæ, & ſub capite tui propoſiti introſpexeris.

	Natu. & cõplexio	Mẽbra, & infirmitates.	Colores	Lapi. preciosi.	Metalla.	Sapores.	Regiones.
Saturnus ♄	Frigi. sic. terreus, masc. diurn. infor. maior maleficiẽtissimus Melancholicus.	Aurem. dex. spl uesicam ossa & harũ infirmit. quart. omnes morbos fri.& siccos, leprã mor pheam elephantiam, c. crum, atram bilem, reumata, tabẽ, ethicã, iliacã tenasmõ, &c ritiã nigrã, tremorem, cholerã nigram, paralysim, uentris solutionem	Nigrũ Liuidum, plumbeũ, puluerulẽtũ.	Bruces, Nigros lapides. Obscuros.	plumbum.	Stipticũ, acetosum,	Chinã primũ Dextrũ oriẽtis Baioariam, Saxoniã Stiriam, Romaniolam, Rauẽnã Constãtiam, Ingolstadium

Natu. & cõplexio	Mẽbra, & infirmitates.	Colores.	Lapi. preciosi.	Metalla.	Sapores.	Regiones.
Calid. humi aereus masc. Diurnus fortuna maior, Sãguineus.	Pulmonẽ, cost. cartillaginẽ, hepar pulsum semẽ, arterias, aurẽ sinist. & infir. harũ Peripneumoniã, apoplexiã pleu, sangui. morb. uent. anginã. cõuulsionẽ cardiacã, stuporem.	Fuscũ purpureum, Flauũ Cineritiũ, Viridem.	Smaragdum, Saphirũ, Ametistum.	Stannum.	Dulcem bonũ odorem	Clima secũdũ, Septentrionẽ, Babyloniam, Persidẽ, Hungariam, Hisp. Coloniã Agripp.

Iupiter ♃

Mars ♂

Natu. & cõplexio	Mẽbra, & infirmitates.	Colores	Lapi. pretiosi.	Metalla.	Sapores.	Regiones
Calid. siccus, igneus masc. noct. infor. minor cholericus	Aurẽ si fel. renes véas, & earũ ęgr. febr. acut. tertia. assi. feb. pes. dissẽteriam, apos. calida, hicter. eth. ulc. rub. bilẽ, causo. diabrosin Tesinocasmũ maniã spẽs sanguinei excreatus, erisipelas, mentagrã, pustul. carbũc. tubercu. podagrę, minaces & atr. ĩ cute ual. casũ ab alto, ãtracẽ morph. rub. vulnera, periculũ ex quadr. tormẽ. p uim illata, ut mors crud. per ferrũ uel ignẽ, empimã, hemicran.	Rubeum,	Iaspidem, Hemanitem.	ferrũ	Amarum, felleum, acutum.	clima tertium, Septẽtrionem, sauromatas, getulos, lõgobardos, gothos, gracouiam, Pataium Ferrariam.

Natu. & cõplexio	Mẽbra, & infirmitates.	Colores.	Lapi. precioſi.	Metalla.	Sapores.	Regiones.
Calid. ſiccus, maſc. Diurnus fortuna per ⚹ & △ infort. per ♂ □ ☍ Cholericus cum tẽperamẽto.	Viſum, neruos; cor, dextrum latus, oculũ dex. infir. illarũ partiũ. ophthalmiã ſpaſmũ, cordiacam, ſyncopin, cholerã rub. oris ęgri. reumata,, fluxum oculor. catar. comeſtionem carnium in ore, frigid. ſtomachi & hepatis, fiſtulas, puſt, matricis & partiũ inferiorum.	Aureum, croceum, ſubruſum, ſcarletũ, ſecũdũ aliquos albũ.	Hyacynthum	Aurũ	Acutum, acrũ pũgitiuũ, odorem bonũ non exceſſiuũ.	Clima quartũ, Orientẽ

Sol. ☉

	Natu. & cō- plexio	Mēbra, & infir- mitates.	Co- lores	Lapi. pre- cioſi.	Me- talla.	Sapo res.	Regio- nes.
Venus. ♀	Frigi. humi fœmi. Noct. fortu- na mi nor, phleg. uerſus tempe ramen tum.	Matri- cem. re- nes, ſge nital. mãmil. guttur, lumbos, nates, pingue di, ſper- ma, he par, go morrhe am, pria piſm. di abetem paſſio. matri. dyar. liē te. mor bos ſto. & hepa. genital. a cauſa frig. & hu. fiſtu. molles egeſtio nes ſāg. frig. ſto.	Albū ſecun dum ali- quos uiri- dem.	Vnio nem Mar- gari- tas, Sa- phi- rum, Car- būcu lum, oēs pul- chros lapi- des, ad or natū ſpe- ctan- tes.	Cu- prum ſpecu la om nis gene ris.	Vn- ctuo- ſum, & pin guē, dulcē aro- mati cum.	Clima quintū, Auſtriā, Arabiā, Campa niam, Viennā, Auguſt. Vindel. Poloniā maiorē, Senas, Heluc- tios, Thure- gum.

Natu. & cō-plexio	Mēbra, & infirmitates,	Colores.	Lapi. preciosi.	Metalla.	apores.	Regiones.
Siccus aersati lis ad naturā cui cō-plectitur in differens Melancholicus cū adustione.	Memoriā fantasi. linguam, man. & dig. partem in fel. os, crura, cereb. ner. maniā lethargpassio, ling. oēs spec. Melanchol. præter eā, quæ a morrhoi. dicitur, o pil. fell. rauced. uomi. feb. quotid. ptisim, epile. tuss. abū. sputæ, oēs infir. ex ignota sicci prouenienteš.	Celestinū & uarium griseum	Alectorium oēs lapides imaginibus magicis sculpti, & qui magicis artibus seruiunt.	Mercuriū	Variumb& mixtum.	Clima sextum. Ægyptum, Græciā, Angliā, Flādriā, Silesiā, Parisiū, Vratislauiam, Erffordiam, Viennā Austriç.

Mercurius. ☿.

	Natu. & cõplexio	Mẽbra, & infirmitates.	Colores.	Lapi. pretiosi.	Metalla.	Sapores.	Regiones.
Luna. ☽	Frigi humi. fœmi. noct. aquea, benefi ca per * & △ malefi ca per ♂ □ ☍ ∞ pleg mati ca.	Cerebrũ ocu.si.vi ri,dex. mul. sto ma. uẽ. lat⁹ sin. intes. ve sicã, mẽ brũ, ge ner. in mul. he par, gus pec & il iarũ pa tiũ ægr qatar.pa ral.epile psi. cosi sicã, mẽ strua, di arreã,liẽ ter. hy dropẽ, a pos. fleg ma.obli qtas vul tus,ægr. ex neru. opil.pro cedẽtes.	Albũ niri dã ci neri tium, ceru leum croce um.	Cri stallũ	Argẽ tum, ultra.	Salsũ Med. ocris odo ris in ter bonũ & ma lum.	Clima septimũ Flãdriã, Holan diam, Zelan diam, Daniã, Nurim bergam

Caput draconis ☊ { Maleficiũ / Beneficiũ } cũ { malis / bonis } — Cauda drac. ☋ { Malefica / Bona } cũ { bonis / malis }.

Aegritudines planetarum in duodecim signis Zodiaci, secundum membra hominis determinare, ex Canon. III. eiusdem Astrologiæ Isagogicæ. *Cap. LX.*

FAc introitum signum zodiaci a parte sinistra, & cum charactere planetæ in capite tabulæ, & in angulo communi offertur ægritudo, &c.

	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
♈	*Pectus*	*Ventrem*	*Caput*	*Femora*	*Pedes*	*crura*	*caput Genua*
♉	*Ventrem*	*Dorsum*	*Collum*	*Genua*	*Caput*	*Pedes*	*collum crura*
♊	*Ventrem*	*Verenda & succe.*	*Pectus & succe.*	*Crura, talos, cauil.*	*collum*	*caput*	*Brach. humer. fem*
♋	*Vulua, & succe.*	*Femora*	*Pectus*	*Pedes*	*Brachia humeros*	*Oculos Guttur*	*caput pec. 19. stom*
♌	*Verenda, & succe*	*Genua Femora*	*Ventrem*	*Caput*	*Cor*	*Guttur humeros*	*collũ, cor, stomacum*
♍	*Pedes*	*Genua & succe.*	*Ventrem*	*Collum*	*Ventrem stomac.*	*Cor*	*humeros diafrag.*
♎	*Genua, et succe.*	*Caput Oculos*	*Verenda, & succe.*	*humeros*	*caput*	*Ventrem*	*cor, Ilia, nates*
♏	*Cauillas & succe.*	*Pedes*	*Cap. bra. Femora*	*Cor*	*Verenda & succe*	*Dorsum*	*Ventrem Verenda*
♐	*Pedes*	*Caput Crura*	*Manus Pedes*	*Ventrem*	*Brachia Femora*	*Cor Verenda*	*Dorsum Femora*
♑	*Caput Pedes*	*Oculos Genua*	*humeros crura.*	*Dorsum*	*cor Femora*	*Verenda & succe.*	*Femora Genua*
♒	*Caput Collum*	*hum. pectus, ped.*	*Cor Cauillas*	*Verenda, & succe.*	*Genua, et succe.*	*cor Femora*	*Verenda Tibias*
♓	*Collũ, humer. brac.*	*Caput Cor*	*Ventrem Cauillas*	*Femora & succe.*	*collum Dorsum*	*Verenda crura*	*Femora Pedes.*

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER IX.

Vbi agitur de Homine.

Homo quid *Cap.* I.

QVia homo ad uniuersi orbis habituminstitutus est,ut ait Aristot. 1.de histo.animal.c.15. post quam de magno hoc mundo cœlesti diximus, de paruo, de homine uidelicet, dicendum. Magnum quippe quid est homo, respectu artificis Dei. paruum autem quippiam ratione pulueris unde tumptus est,ut ait D. Basil.Magnus lib.examer. homi.11. homo epitoma omnium rerum, ideo paruus mundus,particulā undique dissectam habens,ut ait Horat. 1.carm.od.6.Imago &omnium superiorum donū teste Hesiodo in 1.oper.& dier. sub nomine Pandoræ, inest illi a Deo insufflata anima immortalis, quam cum Angelis participat & intelligit, ut sentit cum reliquis animalibus, uegetatur, & crescit ut plantæ, uiuere illud commune cum illis habet, & esse cum reliquis ut ait Atistoteles 1. de moribus ad Nicom. capitulo. 7. Dicitur & mens hominis cum syderibus esse communis, prout explicat Macrobio. libro.1. in som. Scip. cap.14. Quamobrem & recte Protagoras dicebat, hominem rerum omnium esse mensuram, etsi aliter possit sententia intelligi apud Plat.in Craty. & Theæteto,homo ab humo dr̃,hoc est, a terra:nō ab homine hum⁹, ut falso sibi persuasit Varro in 4. de ling.lat.Nā,vt ait Cic.2.de natur.Deo.De⁹ homineshumo excitatos,celsos,& erectos constituit,&c.& 1.Tuscula. humari

ti humo,tegi dixit. Retinet consensus ferè omnium gentiũ, ut a patre,a quo quis ortum habuerit, familiæ saltē nomē ferat:coactus autem ex limo terræ homo,ut ait Horat.od.6.li. 1.Car Et Hesiod.per Prometheum, scilicet prouidentiā diuinam,per Deum ipsum,ut ait Moses Gen.cap.1. Quamobrem & nomen matris & originis retinuit, apud Hebræos quoq; dictus אדם Adam, quia terram ex qua sumptus, אדמה adama,uocant,& Græci ἄνδρας ἐπιχθονίους, homines terrenos, ut homerus Ilia. α. & alibi. Quamuis & alijs nominibus dicatur illis homo,ut αὐήρ,ἄνθρωπος,βροτός,φώς, &c. homo autem est animal ratione preditum, constans anima & corpore conueniente sibi. Hebræi docuerunt primi,duplici natura hominem fuisse constitutum,cuius altera pars,cum incorporea & immortalis sit,uerus homo exigit, ad imaginem & similitudinem Dei non fortuna & casu, sed a Deo ipso creatus,ut ab eo diuina sua maiestas laudaretur. Quod autem circumiacet sibi terrenum corpus, & opus etiam ipsius Dei est, de terra sumptum,& in terram rediens ut scribit Euseb.Pamphi.lib.7.de præpar.euangel.c.7. quod docetur in capitu. 1. Gen. Porro ad similitudinē Dei & imaginem creatus a Deo homo,prout explicat D.Ambro.tom.4.in si.hexamer.& lib. de dignita homi.cap.2.& in psal.psal.118.sermo.10.D. Bernard.in princ.meditatio.D.Basil. hexamer.homil.10. D. Athan.in refutatio.contra hypocri. Meletij & Pauli Samosatensis,& quest.8.lib.de diuers.quæstio.Cyrill.Alexand.lib.4. Thesauti contra hæret.c.1.& lib.13.c.3.Eusebius lib.7.de præpar.Euang.ca.4.Quint.Septi.Tertullia.lib.2.contra Marcionem,Rabini in uaitzra raba in leuit.c.4.Galat. in Iudæos li. 2.c.8.Philo Iudæus libr. quod deterius potiori insidiari soleat,& lib.de mundi opifi.Thophy.Theolo.lib.2. contra Atnatolium,D.Faustus lib.2.de gratia & libe.arbit.cap.7.Leuinius Lemnius lib,1.de occult.naturæ mirac.ca. 2.& 14. Diuinitatis participem quoque hominem,& ideo in tractatione animaliũ præponendum ait & Arist.li.2.de part. animal.ca. 10.ut factũ esse hominē rationis solũ participem animal solũ rationale,propriè Arist.1.Ethi.c.7.& problema. sectio.29. q.11.Macrob.in 1.in som.Scipio.Scipio.c.14.Claudius Ælianus in prologo histo.animal.docuerunt. At constare anima & corpore simul,& ex duobus fieri hominē,probat Plutar.li. de uirtu.mor.Philiscus cum consolatur Cicer.exulantē apud

Dionem lib. 38. histo. Roma. Macrob. lib. 1. in som. Scip. c. 11. Cyrillus Hierosolymit. cathechesi 4. illuminato. Grego. Naz. orat. de pauperib. amãdis, & alij. Itaque mortuus homo, quãquam figuræ formã habeat eandem, tamen homo nõ est nisi hominis communione, quia fungi suo officio non potest, vt ait Aristo. lib. 1. de part. animal. cap. 1. moritur animal cũ anima discedit, hinc corpus δέμας hoc est uinculum, & σῶμα quasi σῆμα animæ sepulchrum & carcer, apud Plato. in Gorg. & Craty. docet & eadem Macrob. 2. in som. Scip. cap. 12.

Quot species hominum. Cap. 2.

VNum genus hominum est, unus homo à Deo primum creatus: De hinc ex eius latere, fęmina producta, sexusque distinctus: una substantia humana, adiutoriũ simile, Genes. 1. ut non mirum sit, si hominis appellatio utrunque contineat sexum, ut iurisconf. norunt. Quod negauit tamen aliquis in synodo Matisconensi, donec à patribus illi ex sacra apertũ est pagina, teste Greg. Turon. lib. 8. histo. Franco. ca. 20. de ijs latius, si Deus uelit, in nostra iuris epitome prosequemur. Sexu itaque alij masculi, alij fœminæ, & tertium genus quoddam compositum, androgynum, aliudque quartũ corpus Eunuchorum qui neutrius generis sunt. Rursum Theophrastus Paracel. in philosophia magna, tracta. 1. & 2. lib. de homuncul. homines diuidit in Adamicos, quales nos, & non Adamicos, qui propagationem non habent ab Adamo, quorum postremorum alios in aquis, alios in aere, alios in montibus, alios in igne degere ait: primos uocans Vndennas, seu Nymphas, qui in terra Pygmæos & Sylphas: montium Gnomos: morantes in igne Salamandras, quæ omnia nos in dicta Epitome interpretamur, & improba uisa expungimus: & de Trytonibus, deq; monstris explicamus quædam non iniucunda. Possemus & hic distinctiones hominum propè infinitas adijcere ex secunda parte speculi artis nostræ, a bonitate, magnitudine &c. ut alij sint meliores, mali alij, alij boni, magni, parui, macrobij, cito sublati &c. uerum hæc ad compendium & Syntaxim non faciunt.

De primo ortu hominis. *Cap.* 3.

AMbigere uidetur Plato 6. de legib. de hominis principio, dum ait, Hominum generatio uel nunquam incępit, aut inæstimabili ante nos initio cœpit. Sic reliqui qui ingenitum dixerunt mundum & incorruptibilem, pari modo sine origine esse rati sunt humanum genus, & ab æterno, ut Pythagoras Samius, Archytas Tarenti. Aristoteles Stagirit. Xenocrates, & alij teste Censorino, & obijcit Aristoteli Iustinus Martyr lib. de euersione falso. eius dogmatum, dum expugnat primum de auditu naturali, quod ignorauerit primam plantam & primum animal. Ægyptij ab orbis initio primos homines apud se creatos aiunt, cùm bonitate fœlicitateq; soli, tum propter Nilũ, qui multa generat, & suapte natura, quæ genuit, facillimè nutrit. Sicut & limo terræ à sole atefacto animalia perfecta nascuntur, ut ait Diod. Sicul. lib. 1. c. 2. Macrobius post longã cum Euangelo disputatione, ouũ ne prius fierit, an gallina, tandem cap. 16. lib. 7. Saturn. generalẽ construit regulam: in primo rerum ortu, animantes quæ solo somne generantur, opifice natura prius extitisse perfectas, at quomodo, non explicat. Ouid. 1. Metam. cum Hesiod. in 1. opr. & dierum, & Horat. in 6. od. 1. lib. carm. tradunt, à Prometheo filio, ut diximus, Iapeti, hominem uel eius imaginẽ ex luto fabricatam, & igne cælesti animatam: insulsè quidem, cum non animaduertant, hominem se dicere à filio Iapeti, & ita ab homine factum primum: debuerant enim ostendere unde primus homo ille Iapetus, & eius maiores. M. Cato in fragmentis de originib. refert opinionem eorum, qui elementa coeuntia sensim in sua loca homines produxisse. At Christiana ueraque est fides, hominem primum a Deo ex limo terræ uel puluere formatum, & inspiratione Dei uiuificatum, Euamque ei similem ex latere erutam in adiutorium, Genes. cap. 1. Inspiratio autem Dei in faciem hominis, tradita est animæ rationalis, ut ait Albinus in quæst. in Genes. Lapsi sunt autem Rabini Hebræorum in explicatione c. 1. Genes. dum non nouerant sanctissimam unius essentiæ trinitatem, dum ait Deus, faciamus hominem ad imaginem &c. ati ad stellas & Angelos Deum loqui, eosque fuisse coadiutores formationis Adami; cum tamen sequatur, & fecit

cit Deus hominem, ut ſcribit Pilo Iudeus lib. 1. de profugis. Traditque Cyrillus Alexand. lib.2. cont. Iulia. illud faciamus, quaſi conſilium, hyperbolicum eſſe ſermonem, ut rem magnam factum ſe deſignaret. Lapſi pariter ſtolidiſſime Seuetiani hęretici, qui hominis dimidiam partem dixerunt eſſe diaboli, aliam dimidiam Dei, que infra umbilicum diaboli, quod tollit Epiphanius tomo 3.lib.1. aduerſus hæreſes, hæreſi 45.

Dicendorum de homine paraſceue. *Cap.* 4.

QVia diximus in cellula hominis, in ſpeculo artis, ibi locum & fontem rationum & argumentorum, quæ ab inuentis ab homine ſunt; in tractatu hoc de homine nõ ſeparatim de corpore eius, & eius partib., & membris dicemus, nã de his tractabitur cum de animalib. ſeu uita ſenſuali agemus nõ etiam de hominis alia parte inſigniori, de anima: ſeorſum enim de ea poſtea, ſed de homine prout conſtat anima & corpore, atque ita eius tantum inuenta & artes percurremus. Itaque explicabo ordine diuiſionem rationalis cognitionis, quam præſcripſimus lib.4. Syntaxeon, capit. 5. ubi ſcientiam partiti ſumus in ſpeculatiuam, & practiuam: ſpeculatiuam rurſum, in realem & rationalem. Realem autem in meaphyſicam, phyſicam, & mathematicam. Rationales ſpeculatiuas, in grammaticam, dialecticam, rhetoricam, poeticam, hiſtoriam. Practicam iterum, in actiuam & factiuam, & ilam in politicam ethicam, œconomicam, hanc autem factiuam in mechanicas, quæ plures ſunt.

De triplici uita & de contemplatiua. *Cap.* 5.

TRiplex modus uiuendi, unde uitæ tres ſpecies, contemplatiua, actiua, & effectiua. Contemplatiua, ſeu ſpecuatiua, duos gradus habet; ſpeculatio quippe, diuinorum & ſcientiarum: ſumma uita Dei contemplatio: infima, effectiua: inter utramq; media, actiua, Contemplantur itaq; qui ſcientiis & ſapientiæ inſiſtunt. Agunt, qui prudentiam mora leſq; uirtutes excolunt. Efficiunt, qui aliqua arte mechanica, ſibi uictũ cõparant, de quib. Ariſt. 1. Eth.ca.5. Proxime accedit Philo Iudæ. libr. Quis rerum diuinarum ſit hæres, unum

id ad Deum contemplatiuę uitæ finem refert,& optime.Nec incommode,ut opinor,hæc uiuendi genera, ad duo contrahemus,cū Cic.4.epist.ad Atti.epist.3 1.in πρακτικὸν βίον, καὶ θεωρητικὸν in practicum seu actiuum,& theoriticum seu contemplatiuum.Contemplatiuum spirituale est, aliud circa corporalia uersatur. unde quantò spiritalia præstantiora corporalibus,& anima corpore,tanto theoritica seu speculatio,prę stantior actiua uita erit;non oportet tamen arbitrari contemplatiuam omnino actione liberam:careret enim extranea actione,cæterum suā spiritualem habet,ut ait Plato in Philebo;alioquin ut trunci arborum & pondus inutile terræ contemplantes nominati essent a societate hominum explodēdi. Qua distinctione componitur illa celeberrima controuersia agitata apud Arist.7.polit.c.2.& 3.de præstantia potiori uitæ actiuæ & contemplatiuæ.Agunt quippe sed subiecto meliori animę inquam contēplantes. Ideo scribit Philo Iudæ.li.de uita contemplatiua,solitarios illos contemplatiuos ecclesiæ catholicæ primos dictos therapeutas, id est, curatores seu medicos, quod profiterentur medicinā,ista uulgari præstantiorem,per oppida omnia.Hæc enim medicina uulgi,solis corporib. medetur:illa autem liberat animas morbis grauibus, quos inflixerunt uoluptates,concupiscentiæ,dolores,timores,auaritia, & cæterę perturbationes,uitiorūq; agmina,idque Dei uirtute.Sic & D.Paulus ad Philipp. 3.scribebat quidem,nostra conuersatio est in cęlis:sed tamen,quanta ipse egerit,quis nō uidet?dū ait se in multa pericula incidisse,ob actionē prædicationis uerbi Dei.Liquetque ex actibus Aposto. ipsum & reliquos Apostolos peregrinationes instituisse ad curandas animas.Docet & Abdias Babylonicus,& ipsamet sacrosancta euā gelia,in quib. Deus ipse Dominus noster Iesus Christus laborauerit & certauerit usque ad mortem.Nec in illis prætermititur,quod ibat & ipse p ciuitates & castella euāgelizare,Mat. 13.utque defessus in uia iuxta puteum cum Samaritana constiterit.Dixitque discipulis apud D.Ioan.c.15.in hoc clarificatus est pater meus,ut fructum plurimum adferatis,&efficiam ī ni mei discipuli. & postea,posui uos,ut eatis, & fructū adferatis, & fructus uester maneat. Noluit & otiosos stare in plateis homines, bonus pater familias, sed illos conduxit ut irēt in uineā suam & operarentur.Mat.20.& D.Paul. qui noluerit operari nō manducet,2.Thess.3.laborarūt omnes quotquot

uiri

uiri patres,cæleste regnum promeruerunt.Non quidem omnes illa uitæ actione corporali, sed spiritualia seminantes & colentes,proq; illis uigilantes. ut & Angeli apud D. Dionys. Areopag. in cælesti hierarchia,sunt in contemplatiua uita cōstituti,at non otiosi,sed alii in laudibus Dei assidui & oratio nibus,alii in hierarchiis instruendis deputati, alii ministerio proprio hominum & rerum omnium,prout Deo uidetur,assi gnati. Solitarius D. Hieron. aliquando, sed non semper & fuerunt Helias,Eliseus,& Ioan.Baptista in desertis & montanis habitantes:at nec illi otiosi, non inutiles,sed prædicatio nibus & in erudiendis hominibus assidui.Hanc uitam contēplatiuam, omnes homiues ut proprium sequi deberent:quia homo natus non est, ut hæc uilia & fæces terræ sibi peregri nanti condat:non ut instat brutorum & porcorum,uoluptari bus fœdis & spurcissimis sese uolutet,sed ut Deum cognoscat uenere tur, & colocat,utque ad nutum,ueluti domini,sit in ta lentis ab illo datis negotiatus,cum eius mandata recedendi ab hoc hospitiolo & carcere corporis aceperit,liber ab omni pondere isto terrestri ad eum perueniat.Turbantur certe erga plurima homines, & laborant in superfluis & inutilibus, uel potius nociuis, cum tantum unum sit necessarium,ut dominus dixit ad Martham.unum autem illud est,Deus, & ex eius mandatis & uoluntate uitam componere,seruire Deo, quod opus unum debet esse omnium Christianorum,ad hunc quæcunq; agunt ad illius gloriam referre, alioquin perperam & suo malo turbantur erga plurima. Hanc cōtemplationem in Theologia nemo non uidet habere materiam. Quamobrem cum de ea dictum sit lib.6.Syntax. non ultra immorabimur. Sed ad alias speculatiuas scientias transgrediemur, & postea de actiuis & factitijs agemus scientijs & artibus. Verum primum de metaphysica,quæ Aristoteles tradit, audiamus. Et quid de transcendentibus nobis magis placuit,explicemus.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS, LIBER X.

In quo agitur de Metaphysica.

Finis Metaphysices, Dei cognitio. *Cap.* I.

Metaphysices illa sunt, quæ post cognitas naturales causas, animum rationis principẽ & intellectus, ad altiorem perducunt considerationem, ut cognoscat, quoad fieri & consequi poterit, opificem illum supremum, unum & illud quod est semper, quod nunquam fuit aliud, nec futurum est quam solum est, quodque nihil aliud est, quam Deus unus, qui sine principio omnium principium, sine medio & fine omnium: Finis, a quo, per quem, & propter quem, & ad quem omnia. Sic Auicenna 1. suæ Metaphys. cap. 3. scopum ultimum indagationis Metaphysices esse fatetur cognitionem Dei altissimi, & angelorũ spiritalium. Non enim potest anima quiescere in naturalib. & uisibilius, dum uidet omnia mutuo colligata, nisi ad unam primamque causam sine principio conscenderit. Et dum a cõcatenatione rerum uisibilium peruenit ad inuisibilia, tunc pari ratione ab inuisibilibus ad inuisibilia alia maiora & præstantiora transiens, ob infirmitatem animi & rationis & prestatiã diuinitatis quam perquirit, luctatur cum intelligentiis: quas si ordine recte ad unũ direxerit, optatũ consequitur finẽ. Quã diu autem per illas rerũ uarietates & typos, ut in labyrintho animum exercet, tandiu in metaphysicis angitur & torquetur quæ difficiliora eo magis, quãto quis longius a uia cognoscẽdi Deum uerum, aberrat. Vt mirum non sit tot anfractus, tot scopulos, Aristotelẽ & alios Ethnicos offendisse, totq; labores passos in metaphysicis, dum lumen rationis tantum sequerentur

tur,nec uerã de Deo haberẽt rationem,quibus hodie muliec cula quæuis uel rusticus,fideli symbolo catholico informatus iure præire posset. Cum nobis cõpendiaria & certissima, qui filius Dei est,uerusque cum Deo Deus unus, incognita prorsus mysteria reuelauerit,& per spiritum sanctum omnem docuerit ueritatem. Quamobrem Christiani ibi incipiunt scientiæ & sciendi initium,ubi Philosophorum anchoram figebat suprema cognitio : olim ab elementis mundi orsi & physicis, hodie a Dei summi uera & certissima cognitione, quæ in epitomen & familiatem & necessariam reducta, Credo in Deum,&c.

MATERIA METAPHYSICES.

Vnum, ens, substantia, accidens, potentia, actus, necessarium, contingens, dependens, independens, finitum, infinitum. Cap. 2.

CONsiderat autem Metaphysica,uniuersalia quãtum uniuersaliter potest, & quantum consequi potest genera generalissima, ut possit hos rerum humanarum & existentium dispersos riuulos, ad quasdam origines & fontes reducere, & postea illa generalissima ad unum contrahere,& unũ illud cognoscere. Ideo eius materia, ens unum quod mente tantum comprehensibile,diuisum in alia duo,in substantiã & accidens,quæ postea per modos essendi in abstracto, hoc est generaliter,sine concreto indiuiduo cui hærẽt,considerat. In ente accidentis considerat nouẽ modos, quos prędicamenta dicit, quantitatem,qualitatem,relationẽ,passionem,&c. prout explicauimus li.1.Syntax.cap.4.& 5.& explicaturi latius,si Deus voluerit,proprijs commentarijs,quos paratos de his habemus. Considerat & Metaph. alia abstracta uniuersalia,potẽtiã,ut materiã,actũ,ut formã,necessariũ,cõtingens,dependẽs independens,finitũ in eo esse,& infinitũ in esse. Considerat & potissimũ transcẽdentia. Quę omnia nos in nostra methodo inSyntaxi pręposuimus,cũ omnis demõstratio maxime a com-

communibus,& posteà ex proprijs pendeat. Ens itaque in uniuersali contemplatione, subiectum est metaphysices: in cõcreto autẽ & particulari ratione, pro modo concretionis, est singularium doctrinarum. Sic Physicus tractat de ente mobili: Mathematicus, de ente quanto. hinc fit, ut Arist. summopere in primo metaph. & alibi laboret, circa uniuersale principiũ rerum omnium, quod ab exordio Moses Genes. mundi cap. 1. explicat, in principio creauit Deus cœlum & terram. Et D. Ioãnes. c. 1. Euangel. in principio erat uerbum, & Deus erat uerbum, omnia per ipsum facta sunt, &c.

Veritas aliud subiectum Metaphysices. *Cap. 3.*

SEcundo libro in ueritatis speculatione Aristot. anhelat, cum tamen Deus ipse sit ueritas Dominus noster Iesus Christus, qui nobis ueritatis lumen affulsit, plenius gratiæ & ueritatis. D. Ioan. cap. 1. 5. 8. 14. 16, 17. & sine hac ueritate, nunquam certè finis ille Metaphysices, qui omnem humanæ naturæ superat intellectum, nempe Deus, nobis innotuisset. Nõ enim potest apprehendi, quod infinitum est & increatum, a tam exigua creatura ab anima dico finita, cum nec naturaliter minus possit continere, quod maius est, unde oportuit ens illud reuelari, & fide credi, non per causas indagare; cum infinitis gradibus, causę rerum & res sint Deo minores. Et ita cũ ex generalioribus cognitio pendeat effectuum. Deus cũ quid supra se non habeat, & omnia sine comparatione aliqua perfectionis, infinitè illo sint inferiora, nõ potuit declarari perfectè per res aliquas, nec repræsentari. Nec ueritatis inquisitio ad eum nostra imbecillitate pertingere, nec ex puteo. Democriti, prodire ueritas sine diuino ductu. Duobus etiam ueritatem nobis intercipientibus ultra inquisiti altitudinem & sublimitatem, nempè consuetudine & natura ipsa. Consuetudo quippe uiuendi, si leges diuinas non sequaris, tantum ualuit, ut falsa pro ueris suadeat, & aciem animi retundat, Quod enim apud nos iustum, alia in prouincia, imò in eadem paulò post iniustum & impiũ uidetur: & natura hominis, animus in hoc sepulchro animæ uiuens, contagione corporis & erroribus sensuum, & tyrannis imaginationis simulachris, tot erroribus inuoluitur, ut maxima sui parte a suo intellectu puro deciderit. Ita crassis conspurcatus nebulis, ut diuinitatis, & ueritatis

ritatis radios nō concipiat. Quib.mederi cupientes Metaph. probis argument. consuetudinem emendandam esse statuerunt:naturæ autem tenebras, opinione: ut homo in singulis scientiis,certitudinem tantum conuenientem stabiliat. Sed neque Aristot.tales docuit argumentationes,nec conuenientes illas certitudines,ueras esse ostendit. Sunt etenim & in argumentationibus & scientijs, uaria, & quidem diuersorum philosophorum insignis authoritatis apud suos,studia & axiomata,ut postquam quisq; sua rationibus probè firmata existimauerit, statim uideamus columnas rationum eorum deiici probabilioribus, ut ueritatem certè nunquam cognouerint, nec ad illius umbram peruenerint: neque suis argumentis & disputationibus potuerint unquam uerè demonstrare, quid & ubi summum illud ens bonumq;, quies,& rerum omnium principium. Sed omnes quotquot iter ad id inquirendum pernauigare tentarunt, in ipso portu naufragium fecerunt, uel defecerunt,intercepti ab instituto cursu ab iis,quæ speciē quidem boni habebant,sed summum non erant. Alij à uoluptate,alij a uirtute,alij a pulchritudine, alij a diuitijs, alij a similibus propè infinitis irretiti. Donec ueritas ipsa dixit,hęc est uita æterna,ut cognoscant te Deum patrem, & quem misisti Iesum Christum. Ioan.17.c.3.ad Rom.6.

De quæstionibus, quas præmittunt Metaphysici. Cap. 4.

QVo circa Arist. cùm quò se uerteret certum non haberet,iam inuolutus suis axiomatibus & fluctuans, per totum lib.3.metaph.iactatur, nunc hac, nunc illac, circa quæstiunculas occupatus,quas præcedere debere arbitrabatur, cū tamen certum signum ignorantiæ docentis uideatur in omnem lapidem impingere, & inuolutę rem pertractare. atque ludit ordinem in eo.

1. An unius scientiæ tantum, an multarum sit causas speculari.hanc non resoluit Arist. sed Iauellus soluit libr.3. metaph.cap.2.

2. Num solius metaphysices, substantiæ principia considerare.resoluit affirmatiuè 4.metaphys.textu 7.& 8.

3. Num unius scientię simul de omnibus substantijs dicere,uel si diuersę de diuersis.Resoluit cum distinctione in lib. 4.meta.tex.2.

4.Num

4. Num etiam metaphyſices tractare de ſubſtantijs, & accidentib. & unius eſſe ſcientiæ, reſoluit li. 4. met. tex. 4.

5. Num principia rerum ſint genera, & an illa communiſſima: ut ens, unum, magnum, paruum. Nō reſoluit, ſed Iauellus ſoluit c 7. lib 3 met.

6. Vtrum præter ſingulare ſenſibile detur aliquod ens magis uniuerſale, quam ſeparatum, quod ſit compoſitum, uel materia, uel forma, negat Ariſt. 7. lib. met.

7 Vtrum omnium indiuiduorum unius ſpeciei, ut omniũ hominum, ſit una quidditas, ſiue una forma. Negat Ariſt. li. 7. met. tex. 20.

8. Vtrumne omnium rerum ſint eadem principia numero uel eadem ſpecie, & diuerſa numero. Reſoluit cum diſt. Ariſt. 12. met. tex. 19. uſque 29.

9. Num eadem principia corruptibilium, & incorruptibiliũ huius reſol. ex Ariſt. 12. met. tex. 34. 8. phyſ. text. 48. & ex 2. de gener. tex 55.

10. Vtrum unum, & ens ſit ſubſtantia rerum, uel nō? Determinat partim in 4. & 10. & 12. met.

11. Num numeri, & corpora, & ſuperficies, & linea, dicant ſubſtantiam rerum ſenſibilium. Determinat in 8. met.

12. Num præter res ſingulares ſenſibiles, & præter magnitudines mathematicas, quæ non ſunt ſubſtantiæ rerum ſenſibilium, nec principia ſubſtantialia, neceſſariũ ſit ponere formas. i. ideas ſeparatas. Negat Ariſt. lib. 7.

13. Sint ne principia rerum in actu, uel in potentia. Determinat cum diſt. li. 12. met. tex. 30. & 31. & lib. 9. tex 13.

14. Et num prima rerum principia ſint uniuerſalia, uel ſingularia. Soluit lib. 7. tex. 46 & ſeq.

15. Num præter ſubſtantias ſenſibiles ſingulares, dentur aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ a materia, quas Plat. dicunt ideas, ſeu ſpecies, ut homo per ſe, leo per ſe. Negat ideas Eth. 2. & 2. de phy. audi. tex. 19. lib. de gen. 1. 7. & lib. 12. met.

De ſpeculatione metaphyſices circa ſubſtantiam, accidens, unum, ſimile, æquale. *Cap.* 5.

AC poſtea ſuperatis illis obicib. in aliam deſilijt lib. quarto diſputationem, de ſubſtantia: & abunde proſequitur, metaphyſicam uerſari circa ens, & circa accidentia, quæ per ſe

conueniunt enti circa unum,simile,& æquale,agit de his, & de primis principiis,quæ uocat dignitates Mathematicas, & mirum in modum digladiatur pro probatione,& defensione primi principij, quod tamen quia Deum uerum non nouerat non tradidit.

Quid in quinto lib. Metaphysices tractet Arist. Cap. 6.

ITerumque in quinto,cum sibi nõ satisfaceret,explicat quid sentiat,& quomodo distinguat principium,causam,elemẽtum,naturam,necessarium,unum,ens,substantiam,idẽ,opposita,contraria,priora & posteriora,potentiam,quantum, quale,ad aliquid,perfectum,terminum, secundum quod dispositionem,habitum,passionem,priuationem, habere, ex aliquo esse,partem,totum,mutilum,genus,falsum,accidens, & alia, quorum hoc accipe schema,quod colligit Iodochus Chilichthoeus Neoportnensis in commentarijs in Fabri Stapulẽsis introductionem in Metaph.c.5.Cuius prior numerus ordinẽ terminorum:alter quot habeant acceptiones, explicat.

ordo		acceptiones	ordo		acceptiones.
1	Principium.	7	19	Posterius.	8
2	Causa.	4	20	Potestas.	4
3	Elementum.	4	21	Possibile.	4
4	Natura.	6	22	Impotentia.	4
5	Necessarium.	5	23	Impossibile.	4
6	Vnum.	8	24	Quantum.	4
7	Multa.	8	25	Quale.	4
8	Ens.	14	26	Ad aliquid.	4
9	Ens per accidens.	3	27	Perfectum.	4
10	Substantia.	4	28	Terminus.	9
11	Idem.	8	19	Secundum quid.	5
12	Diuersum.	8	30	Secundum se.	5
13	Differens.	2	31	Habitus.	4
14	Simile.	5	32	Passio.	4
15	Dissimile.	5	33	Priuatio.	8
16	Oppositum.	5	34	Habere.	4
17	Contrarium.	5	35	Ex quo.	6
18	Prius.	8	36	Pars.	2

Totum.

Quale ens metaphysici. Cap. 7.

RElabitur in sexto in ens, ut distinguat, & doceat, quale illud quod a Metaphysico pertractatur. Nam omnes fere scientiæ particulares considerãt determinatum genus entis, principia & causas sui subiecti: ut Medicina, causas sanitatis: Geometria, principia magnitudinis, nempe punctum principium lineę, lineam superficiei, &c. Arithmetica, principia, & causas numeri, puta unitatem principium numeri, diuisionẽ continui: physica, principia & causas entis mobilis, nempe materiam, & formam efficientem: Moralis scientia principia quoque sua, causas & habitus, puta agens liberum arbitrium, & actus consequutos similes: Aedificatoria, principia, & causas ædificij, puta materiam hanc uel illam, hunc finem, hanc figuram, hoc agens. Sed ita non debere considerari ens a Metaphysico, ut ab illis, sed uniuersaliter ens per se, non ens uerum, uel accidens, hoc est, quatenus uere est in aliquo, hoc est in concreto, sic enim explico, sed uniuersaliter. Neque tamen ut non ens considerat, quia illud non ens, est ens falsum, ut tractat: neque ut ens in anima, hoc est, prout comprehenditur abstracte a re aliqua ab anima: quia illud ens est ad aliquid, non uniuersaliter ens solum per se, quod extra animam est, diuisum postea in ens corporeum seu materiale, & incorporeum per actum, & potentiam, per unum, & multa: ut tractat in libro 7. Metaphysi. de materiali potissimum, & in 8. De actu, & potentia, in 9. De entibus autem incorporeis: in 10. Quæ sint autem primæ, & uniuersales causæ entis incorporei, in 12.

De ente corporali, & eius substantiæ diuisione, & quod formæ separatæ, seu ideæ non sint. Cap. 8.

ET idcirco in 7. dum de ente corporali agit, tractat de substantia ut de primo ente, postea de accidentibus, & de eo quod quid est in substantia, & illam dicit per se absolute ens

accidens autem,ens ſecundum quid, atque ſubſtantiam priorem,natura,tempore,& cognitione.Diuiditur ibi hæc ſubſtantia ſenſibilis compoſiti,in materiam,& formam ſeu figuram. Docet poſtea contra Platonem,ſingulares res ſenſibiles, non generari a formis ſeparatis,quas Plato uocat ideas,uel ſpecies: ſed uel ex uirtute indita naturaliter rebus, per quam agunt, uel ab arte ex ratione ſine intelligentia mentis artificis, & ex factione,uel a caſu,uel a fortuna : uerum ſi quæratur ab Ariſt. unde uis naturæ,unde caſus,certe neſciret reſpondere,ut chriſtianus,in promptu: a prima cauſa,a Deo, qui omnia benedixit,iuſſitque creſcere,& multiplicari.Gen.1.Et a prouidentia Dei,quæ per ſingula,cuncta diſponit, ut ne capillus ſine eius uoluntate de capite cadat,non paſſer occidatur,quamuis operetur per media,aliquando per ſolem,lunam,ſtellas,hominis coniunctionem, artem, &c. Tractat deinceps contra Platonem,genera maxime uniuerſalia:de ente,de uno, de ideis, & non eſſe ſubſtantias abſolute,quod non ſint ſubſtantiæ a ſingularibus ſeparatæ: quod ideæ Platonicæ non poſſunt definiri,nec demonſtrationem recipere,& ita uanæ.

De materia, & forma in ſubſtantia compoſita. *Cap. 9.*

PRoſequitur in 8.inſtitutum de materia, & forma ſermonem,nempe quod ea inſint ſubſtantiæ ſenſibili,ut principia intrinſeca conſtitutiua. Porro materia per ſe,& ſeorſum, non poteſt ſecundum philoſophos demonſtrari eſſe aliquid, quia conſtituunt eam in potentia,quæ per aduentum formæ fit aliquid actu. Fitque ex duobus ſubſtãtia compoſita,unde poſtea ſequitur formam rei ſenſibilis non eſſe totam rei eſſentiam,ſed partem,uel partem ut dicunt quidditatis.Dehinc ſecundo,formam eſſe aliquid pręter partes materiæ, alioquin actus,& potentia confunderentur:aliud nempe lapides, & ligna,quibus domus conſtat.aliud domus forma. Tertio nullã formam eſſe per ſe,uel generabilem,uel corruptibilem,ſed tãtum per accidens ad generationem,& corruptionem compoſiti.Quarto,quod ſi forma accipiatur pro tota ſpecifica quidditate,& non pro parte,ut in homine humanitas, & in ſimilib. rerum corruptibilium diſtinguentibus formis, forma non eſt ſeparata a materia,ſecundum Ariſt.in 3.& 8. phyſ. quod ſub-

uertit

uenit ideas Platonicas. Quinto, ficut omnis numerus resoluitur in unitates; sic omnis quidditas, siue rei cuiusque definitio, resoluitur in sua stata principia, in primum genus, & differentiam primam, ne in infinitum excurrens, in infinitum fiat peregrinatio. Rursum, quod ad materiã pertinet, noua dubia resoluuntur primum ex duplici consideratione materiæ corporum, primæ inquam, & propriç, prima quæ quatuor complectitur elementa, ignem, aerem, aquam, terram, quæ eadem est omnium materia, ex qua omnia generentur, & componãtur, & in eadem resoluuntur. Cum propria tamen omnium nõ sit eadem materia, sed diuersorum diuersa, ut materia flegmatis, cibus, dulcis, crassus, unctuosus; quia ea humida, & flegma humidum. Materia cholerç, amarus, quia amara sicca, & cholera, & a simili simile gignitur, uel immediate, uel mediata aliorũ alteratione, ut dum ex cibo per plura media, caro gignitur. Cur autem existente una prima materia tam diuersa generentur, accidit certe ex uoluntate primi artificis Dei, qui ita statuit: sicuti ex uoluntate artificis hominis plures formæ ex ligno possunt fieri, statua, cythara, lectus, &c. nascunturque uaria ex præscripta forma diuersis speciebus, a quibus natura suo authori obediens non deficit. Obseruat tamen Arist. diuersam a generabilibus materiam, in corporibus æthereis, quæ uocat æterna, in quibus tantum ponit materiam secundum locũ mobilem, aliquid existens actu. s. quoddam corpus. Sicut & ait accidentia priuatiua non habere materiam, quæ sit ens in prima potentia, ex qua scilicet fiant, ut in somno, & eclipsi ostendit simpliciter, nec accidentia positiua, quæ aliquando sunt, aliquando non sunt, licet non generentur per se, sed per accidẽs: quemadmodum quantitates, qualitates, & formæ substantiales. At in metaphysica illud quoque obseruandum, in naturalibus formam coniungi materiæ, cum ex potentia materia trãsit in actum per causam efficientem: ut dum fit ex metallo statua, per artificem, qui educit actum e potentia. i. qui facit id quod inde fieri eo modo poterat. Sic in mathematicis, in circuli forma, superficies quæ recipit circulum, formam accipit, ut materia potentiam habens, & in actum tunc deducta. Sic in reliquis figuris, quod diuersum in intelligibilibus, & substãtiis simplicibus, quæ ex seipsis sunt eos, & unum, seu actus differentes in hoc a sensibilibus substantijs.

Et hæc maximæ in generalibus & corruptibilius. At in sempiternis seu æternis, omne sempiternum est actus, & nõ est in potentia passiua. Actus quidem, quia semper est, nec quandoque non est, aliter non esset sempiternum: potentia autẽ nec passiua, quia sicut illa non potest nõ aliter esse, sic in æternis uel incorruptibilibus, nec malum non peccatum, non corruptio, quod pertinet ad eorum substantiam: quamuis alia aliis sint meliora. Porro intelligimus unumquodque in quantum actu est, non in quantum est in potentia. Atque ideo uerum & falsum, circa actum, non circa potentiam constituemus: ea enim consistunt in compositis, compositione & diuisione intellectus, ex distinctione materiæ uel naturalis, uel contingentis, uel remotæ. Et in substantijs simplicibus, non uerum & falsum, sed scientia, si ad eas cognoscendas peruenerimus; & ignorantia, si a cognitione aberrauerimus, non ideo minus tamen substantia uera.

Quid unum & quot modis, & quid multa, quid idem simile, æquale, diuersum, differentia, contrarium, medium. Cap. 12.

SEd quia per tam uariam rerum distinctionem pergimus ad illud supremum uenandum, quod unum uere dici possit, a quo alia: idcirco alia cura Aristot, in 10. ad unius cõsiderationem diffunditur, ut distinguat modos quibus unum dici possit. Itaque explicat unum dici quæ continua sunt natura, quod est uniforme, quid unius rationis siue definitionis & logice unum numero, ut ipsum singulare, unũ specie, unũ genere, unum super ens, & unum ens, unum super ens seu trãscendens quidem indiuisibile, & unum ens diuisibile. Conueniunt autem uni essentiali er, primo vt sit mensura, dehinc ut principium quantitatis discretę, ut ab uno & numero oriatur mensura seu quãtitas cõtinua, & per similitudinẽ eius, nõ quantitatis mensura. Opponuntur unũ & multa quod unum proferat non diuisum, multa diuisionem. Ad unũ conspirat, idem, simile, æquale: idem dicit unitatem substantiæ: simile unitatem in qualitate: equale unitatem in quantitate. Idem dicuntur uel per accidens, uel per se. Per accidẽs quinque modis. 1. si insunt eidem subiecto, ut in albo musico, albedo & musica. 2. quãdo accidens prædicatur de subiecto. 3, uel cõtra 4. quando simplex prædicatum prædicatur de cõposito subiecto. 5. uel cõtra. Modi idẽ per se, ut si conueniãt in subiecto, si

in natura, substantia, specie, genere. Similia autẽ possunt dici uel in fieri, cum mouentur ad eandem qualitatem: quod si ad diuersas, in patientia & alteratione, nõ in modis qualitatũ cõsequentia, & proprie si cõueniant in aliqua qualitate actu si conueniant in forma, figura, proportione, æquali uel inæquali, uel gradu intentionis, remissionis, unde ex gradu magis uel minus similia, indeq; & dissimilia per oppositionem cognosci facile possunt. Sed & hinc diuersa dicere par est, quia non est ipsum sed aliud; quia nec materia, nec ratio una est, & in mathematicis, quia alterius figuræ, ut curuum, rotundum, quadratum &c. diuersa quoque specie, forma, ratione. Sic differentia, specie, genere, materia, quæ sunt sub distinctis prædicamentis. Quęcunque autem differunt, differũt in aliquo, & in aliquo conueniunt. Accedit autem ad differẽtiam contrariam, contraria quippe, quæ sub eodem genere differunt: & est contrarietas, maxima differentia eorũm quæ nihilominus necesse est ut in aliquo conueniant, quia plura sunt, nec sibi quicquam contrarium. Ita enim catena & continua uia conseruatur ad unum, quod quærimus. Quamobrẽ media per consequens esse quoque expedit, quæ componantur extremis contrarijs, etsi a cõtradictorijs & priuatiuis media expungantur, quæ non inueniuntur in contrarijs, quæ differunt aut per differentias specificas sub eodem genere, non secus ac materia diuiditur per diuersas formas, cum & differentia sit forma, aut ex diuersis gradibus formæ alicujus naturæ, eadem semper retenta & numero: nec contraria sumuntur a diuersis ratione formæ genericæ, nec a diuersis dispositionibus materiæ particularis, sed a potentia & in potentia & aduersitate materiæ, non particularis, sed simpliciter dictæ.

Aristotelis anacephaleosis in 2. lib. Cap. 12.

HIs omnibus excursis, li. 11. Arist. utitur quadam anacephaleosi eorum quæ iam dixerat in physicis, & superioribus metaphysicis libris de scientia, num una sit generalis, an hæc circa principia elementorũ uersetur, reliquaque, quæ non oportet hoc compendio retractare,

De

De triplici substantia, corruptibili, incorruptibili mobili, incorruptibili insensibili & æterna. Cap. 13

ET repetit Aristot. rursum lib. 12. eadem & alia, quę quinto li. tractauerat, quod expediat metaphysico, qui de ente agit uniuersali, considerare præcipue substantiã, ut potens per se: id est, operęprætium, eum considerare causas uniuersales substantiarum corruptibilium & incorruptibilium, & id fieri per diuisionem substantiæ in sua genera tria: nempe in substantiam corruptibilem sensibilem, ut planetarum & animalium, in substantiã incorruptibilem, mobilem tamen motu sphærico, qualis cælũ: in insensibilem & immobilẽ, hoc est, non manifestam sensibus. Quarum duæ priores, physicam habent tractationem, secundum propriam rationem, postrema ad metaphysices pertinet speculationem. Et in hac ultima determinauda, quia facile lubricus, ubi non plane uidemus, est locus, laborarunt philosophorũ scholæ. Plato, ut diximus sua uniuersalia constituit abstracta, & ideas seu species mente agitatas: Pythagoras sua mathematica separata: Aristot. autẽ substantias dicit esse immateriatas, intellectuales, motrices orbium, & secundum se immobiles, neque ultra progreditur. Docetur autem pluribus, necessarium fuisse ad finem quendam constituẽdum inquisitioni de essentijs rerum, inquirere aliquam substantiam immobilem, æternam, semper agentẽ & mouentem, cuius substãtia sit actus & immaterialis præter & ultra substantias sensibiles & corruptibiles. Et hac in parte, non possumus conniuere inquisitionem primi & uniuersalis mouentis, eius quod ab alio non moueatur. Non enim solummodo quærimus mouens: nam inuenimus, implexu cælos se mutuo mouere & rapere, sed quærimus id quod mouet & non mouetur. hicque Deum esse fatentur qui eo peruenerint cogitationis necesse est, a quo moueatur cælum primum & omnia, uirtute & uoluntate & lege sua, cum qua & effectus & facultas; dixit enim fiant & facta sunt, mandauit & creata sunt. Atque hæc uis, lex & uoluntas Dei, & iussus, mens aliquando & anima mundi a philosophis & poetis nominatur, & intelligentia ab aliquibus, quamuis aliis aliud intelligentia. per se illud immobile primũ, ens & supra ens, per se unum, per se bonum: Sunt autem aliæ

substan-

ſubſtantiæ poſtea mouentes re ipſa, aliæ ab eo uim habentes, incorruptibiles in regione illa ætherea, ut planetæ, de quibus in cœlo diximus. Sed primum mouens diuiniſſimum eſt, & diuinitas ipſa ſeipſum intelligens, omnipotens: & intelligere diuinum, ſua ipſius incomprehenſibilis ſubſtantia. Et ſicut Deus intelligit ſeipſum, quia potentiſſimum quid, ita intelligit ſuũ intelligere, intelligens omnia, quia intellectus diuinus, ſimplex. Incompoſitus, ſimpliciſſima apprehenſio, ſine diuiſione, ſine compoſitione ſine diſcurſu, ſine tempore. Optimum uniuerſi, & unde omnia bona: neque quicquam eo præſtantius, non ſimplicius, non perfectius, inueniri poteſt, ut non liceat nec poſſimus, ad ulterius quid progredi, nullumque tranſcendens, nullumque ens eo antiquius uel præcipuum, dari poterit. In quo & Ariſtotelicæ metaphyſices cognitio finem accipit tractationis. Quanquam in 13. & 14. rurſum ad idearum improbationem reuertatur, & ſpecies ſenſibilibus conferre quippiam, cum eorum non ſit ſubſtantiæ, refellat, ſicut & Pythagoricorum numeros, ex quibus ſenſibiles ſubſtantias conſtare dicebant.

Ordinis tractationis huius, alia ratio. *Cap.* 14.

NOs in noſtra arte, entis hãc cognitionem uniuerſalem, & quæ eſt de metaphyſicis, alio modo & alia methodo, quam Ariſtot. & reliqui philoſophi pertractauimus. Neq; tamen in ea quicquam omiſimus, quod uel Ariſtot. uel Plato, Theophraſt. aliíque pertractarint, quatenus ad propoſitam artem facere uidebantur. Et idcirco in lib. 1. Syntax. tradidimus, cognoſcendi formulas, methodum & gradus, quibus cognitio perducitur ad intellectum & metaphyſices periodum, de cautionibus in ſermocinatione obſeruãdis, dehinc de rerum conſideratione generali, & diuiſione in ſubſtantiam & accidens, de materia & forma. At in ſecundo, epitómen rerũ omnium uno ſpeculo exhibuimus, per ſeptem claſſes, in quibus nouenario ordine primis duabus, omnia genera exquirendi typos, quæſtionis, & explicandi, diuidendi, & componẽdi per relationes omnibus communes docuimus. In tertio de tranſcendentibus, prout per ſe ſeorſum & prout in concreto ſunt. In 4. de omnibus accidentibus. In 5. de ſubſtantijs. in 6. & 7. de uirtutibus & uitijs ſeparatim, ut uitam hominis & partis

nobi-

nobilioris officium, beneficio quodam singulari prosequeremur, & mentes ad cognoscendum & uenerandum primum unum, & sine principio ens metaphysices & omnium rerum finem, principium & authorem disponeremus.

DE TRANSCENDENTIBVS.

Et cur principia tertiæ classis speculi, lib. 1. Syntax. cap. 1. transcendentia dicta sunt. Cap. 15.

SVnt in nostra arte nouem capita, ad quæ, quæ sunt, esse ve possunt, referuntur: nempe bonitas, magnitudo, duratio, &c. potestas, cognitio, uoluntas, uirtus, ueritas, gloria. Quamobrem nec errabimus, si ea dicamus transcendētia principia, nam extra omnes concretas essentias sunt, & ipsis tamen nomina & naturas connotant & distinguunt, comprehensione primum uniuersali per horum principiorum notiones, & ueluti per cahos quoddam & confuse, paulatim autem per synonyma apertius ratione rudis cognitionis. Hæc porro præcederu uoluimus, quod ordo naturæ is sit, ut a potentia in actum tendat, ut & intellectus a potentia in actum progreditur, & quodammodo rudi Minerua in principio cognoscit, postea distinctiones determinat. Sic obiectum quodcunque primū apprehendit ut quoddam diffinibile in confuso, priusquam penetret distincte diffinitionem, & partes eius ut diffinientes: ipsum namque uniuersale totum est quoddam, cum multa complectatur, ueluti partes, & ideo ueluti unum uniuersale, sensu notius, ex uniuersalibus ad singula proficiscamus oportet, ut docet Aristot. 1. physi. c. 1. quod in uerborum & rerum notione commune esse docet, exemplo puerorum, qui in primis omnes homines patres nominant, mulieres omnes matres. Sed & ego uniuersalia prius discenda existimo, quod his cognitis statim cum iis participantia, si quæ uniuersalium naturæ accedant, cognoscet aliquis, ut solent pictores, primis do lineationibus imaginum locum, mensuram, & formam rudē, demonstrare, & penicillo sigillatim postea percurrere, & emē dare ab errore, & linearum priorum generalium ductu caput pedibus non miscent, nec in inuētione partium reliquarum facile errant, ut norunt qui artem pingendi calent. Sciēdum

autem

autem est, nos nouum transcendentia posuisse tantum, cum Lullio, qui ea uocat principia absoluta. Etsi Henric. Cornel. Agrippa in commen. ad artem breuem Lullij, addat alia tria, essentiam, perfectionem, unitatem. Quanquam etiam antiquorum plures, quatuor tantum transcendentia, hoc est, quatuor quædam generalia supra res omnes posuerint: nempe ens, unum, uerum, bonum. Vt scribit Io. Picus Mirandula. quibus recentiores, Auicennam sequuti, duo alia addiderunt: nempe res, aliquid, ut scribit Iauellus Canapicius tracta. quarto compen. logica. 10. Et Ioan. Murmellius libro isagoges de decem prædicat. titul decimo, & Scotus, & Beatus Thomas. Quorum non sequimur sententiam, eo quod uideantur mihi duplici modo errare: primum, quod nimium constringant & coarctent hos fontes, ut confusio omnino dicatur illa transcendentium positio potius, quam uniuersalis delineatio. Rursum, quod ea ipsa, transcendentia non sint. Nam bonum, concretum quoddam bonitatis est, & uerum ueritatis, & unũ unitatis, essentque unitas, bonitas potius & ueritas transcendentia, quam unum, bonum, uerum. Item res, & aliquid, & ens habent concretionem, nec transcendunt. Siquidem & supra ens, & supra aliquid, & supra rem aliud est: nam hæc subsunt nostris transcendentibus, uel bonitati, uel magnitudini, uel durationi, potestati, cognitioni, uoluntati, uirtuti, ueritati, gloriæ, uel eorum oppositis, ut si ens est, ergo uerum est esse, si non est re, ergo potentia, & ita est potestatis, quæ est ex transcendentibus: Sic de similibus dici potest. Et ita essentia Agrippæ, sub ueritate & bonitate ordinanda, non seorsum. Quod autem pertinet ad alia duo addita ab eodem Agrippa, nempe ad unitatem, & perfectionem: ea nec hic adijcimus neque tamen esse inficiamur, sed in Deo esse dicimus, qui perfectus solus, perfectioque est: in reliquis autem nihil perfectum omni ex parte, quia non nisi unus Deus, ita dictus, quia solus perfectio; & perfectius omni ex parte, & perficiens alia, a quo singula alia, quæ sunt secundum concessam determinationem receperunt conuenientem gradum, ut tamen rerum perfectio, perfectio proprie non dicatur, neque in abstracto, neque in concreto extra Deum, qui talis absolute, quia absoluta potentia in Dei est sola potentia, ut scribit Marsil. Ficinus in commenta. in conuiuium Plato. Oratio. 3. capi. secundo, & omnia imperfecta uere sunt, eius comparatione.

tione. Et ideo Dauid ait, imperfectum menm uiderunt ocu li tui, domine, psalmus 138. Extat & hac de re istius probatio apud Iustinia. Cæsarem in libro secundo. §. sed quia diuinæ. de uete. iur. enuclean. libro quarto. C. titu. uigesimo Sed inquit, quia diuinæ res perfectissimæ sunt: humani uero iuris conditio in infinitum, decurrit, & nihil est in ea quod perpetuo stare possit: multas enim formas edere natura deproperat: non desperamus quædam postea nasci posse negotia, quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata. Idcirco res humanæ perfectæ dicuntur cum adiuncto, & cum alio uerbo. Finis, nempe ut perfectio sit finis constituti assecutio. Ita perfectio rerum in essentia, est optima cuiusque rei constitutio, hoc est, gradatio & ascensio ad suum limitem a Deo positum, & ad suum finem, ut & nouit Galen. libro septimo, de decret. Hippocra. & Plato. cum loquitur de diffinitione substantiæ. In artificialibus quoque perfectio, dum peruenitur ad finem determinatum: sicuti domus perfecta est, cum ædificata est: oratio perfecta, cum suis numeris & partibus constat. Quamobrem & quippiam respectu sui perfectum, respectu alterius imperfectum potest esse, eo quod in re non sit plena perfectio, sed limitata. ut ouum perfectum quidem est, uerum respectu animalis quod ex eo oriri debet, imperfectum quid est, ut scribit Aristot. 2. de generatio. anim. cap. 1. Nam cum finis ultimorum quodpiam sit, cum ad eum res peruenerint, recte eius tantum gratia, perfectæ dicuntur, ut & ad summum uitij perueniens aliquis, metaphorice perfectus in eo uitio, ut perfectus fur, dicetur, ut docet Aristot. 5. metaphysic. cap. decimosexto. Itaque & locus de perfectionibus disputandi, habebit propriam sedem, ubi de fine agemus in relatiuis principij. His accedit Iurisconsultorum authoritas qui & diuersis respectibus perfectum aliquid & imperfectum idem, dicunt. Cum enim apud illos perfectum dicatur, quod omnibus suis partibus constat, ut notat Caius in l. 1. de orig. iur. lib. 1. ff. titu. 2. ita & perfectum dixerunt, quod impletum est, & imperfectum non impletum. Sic perfecta legatio apud Vlpianum l. 2. §. legatis. uersiculo plane. de iudic. libro quinto. ff. tit. 1. Item alibi, sæpe perfecta emptio, perfectus contractus. Et ita de reliquis, etsi diuersi sint fines unius rei, interdum ratione unius, negotium perfectum, ratione alterius imperfectum, dici potest. Veluti in donatione causa mortis, quæ

quidem

quidem ratione suæ formæ, & solemnitatis, perfecta quidem est, sed ante mortis diem eius qui donat, imperfecta dicitur, ut scribit Vlpianus in l non uidetur. l. 33. de donatio. mortis cau. libro 39. ff. titu 6 Et communiter perfecta ætas existimatur ea, quæ impleuerit annos uigintiquinque. Sunt tamen alia quæ maturiorem ætatem perfectamque demonstrant, ut uenia concessa ætatis a principe, & alia determinatio expressa. Sicut scribit Cæsar Iustinianus in l. fina. de his qui uen. æta. impetr. libro secundo. C. titu. 45 iuncto Vlpiano in l. ad rempub. l. 8. de muneribus, & honor. lib. 50. ff. titu. 4. Et uariarum in alijs certis negotijs, in ætatis fine & perfectione. Nam & Iustinianus in presbyteris, perfectam desiderabant trigintaocto annorum, in lectore 18. in diaconisis 40. ut scribitur in §. diaconissam, & §. presbyterum. de sanctissi. episco. in authen. collat. 9. constit. fin. Ex quibus authentica presbyterum, & authen. diaconissam, de episcopis, & clericis, libro primo. C. titu 6. De similibus plura sunt exempla, sed hæc sufficiunt generaliter dicta, de prima classe principiorum, de quibus postea particulariter.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS, LIBER VNDECIMVS.

In quo tractatur de physica.

De nomine, & finitione physices. *Cap.* I.

GRæcis φύω, gigno & produco est, uel neutraliter nascor, unde physica, & φύσις natura .i. natiuum, seu productum, genitum; uel id quod in re nasci tale facit. Quare a principali parte geniti, ut annotat Gale. in Hipp. aphorismos, aphor. 2. lib. 3. uocat, & naturam Galenus 3. de temper. uniuersam substantiam, ac ipsam temperiem, quæ ex ipsis elementis conflatur, sic uocat φύσιν, idem quod χρᾶσιν. tot lib. περὶ φύσεως ἀνθρώπου, de natu. hominum. Sed melius arbitror naturam cuiusque dici, id quod cuique rei datum est in ortu. siue id sit uis, siue temperamentum, siue ex certa temperamentorum commixtione generica, uel specifica, uel indiuidua proprietas, uel determinatio, a tota, ut dicunt, substătia, ut quod magnes trahat ferrum: succinum, festucam, &c. Atq. secundum D Aug. de morib. Manichæorum, quod intelligitur in suo genere aliquid esse, natura eius est. Sic dicimus recte emendari arte naturam, uel mutari in aliquibus, non in nomi-

omnibus ut in his quę in nostra potestate non sunt, nam illā expellas furca licet usque recurret. Quo fit, ut quia quoddam ens in uniuersum consideratur mobile quatuor elementorū & corporum cælestium, quæ certas uires & substantias & proprietates habent inditas communes & generales, & quas distribuunt elementatis compositis, & posuerunt quoque & antiqui nomen quoddam generale naturæ seorsum ab elementatis consideratum. Galen. lib. 17. de usu par. illam φύσιν uniuersi definit, esse mentem admirabili uirtute præditam, quæ omnia peruadat. Verum Christiani dicerent Dei omnipotentis inditam rebus uim agendi & generandi, uel essentiā concessam. Sic forsan intellex t Plin. lib. 2. cap. 7. Naturæ potentiam esse quod Deum uocamus; & li. 27. c. 3. & Epicurus, & post eum Lucretius in ; de rer. natur. naturam rerum, di uina mente coortam. Verum illa uis naturæ, etsi idem quod natura, tamen Deus non est. Sequeretur quippe Deum esse in mundo ut in suo corpore animam, & animatum mundum; quod falsum, etsi uis illa a Deo sit, & impellatur. ut dum iacimus lapidem, uis quæ lapidem, impellit, dum lapis mouetur a ui manus processit, sed illa uis quæ defert lapidem separata est; nec idem est quod manus. Et in summa, opus aliud quam artifex. Neque quicquam natura aliud est, quam instrumentū prouidentiæ diuinæ: non enim, ubi prouide uidetur agere, ducit seipsam, sed ab ipsa prouidentia ducitur. Et Deus quidē in mundo & in omnibus, sed non ut pars, uel ut anima eius, ut diximus dum ageremus de Dei & animæ similitudine, in primis commentariis Arist. quoque, natura a Deo distinguit, dum eam secundum Plutar. de plac. Philos. cap. 1. sic definit. Natura est principium motus, atque quietis duntaxat, in quo primogenie inest, non etiam per accidens. Siquidem omnia quæ quidem nec a fortuna neque a necessitate, nec a diuino nomine, aut huiusmodi causam habent, naturalia dicuntur, suamque ipsorum naturam habent, utpote quæ ante priora secula non fuerint, sed suum ortum habeant: Natura quoque fiunt, quæ causam, & ordinem in seipsis habent; nam aut semper, aut plurimum sic eueniunt, ut dixit Aristot. libr. 1 Rhetor. ad Theod. cap 10. Itaque uis illa, siue natura, erit transmutationum effectrix. Galen. quoq; in Isagogicis lib. de definitionibus medicis, naturā dixit ignem artificialē, qui uia in generationem tendit: & ex Platone, artem diuinā, & ibi alia plura,

De

De diuisione Naturæ. *Cap.* 2.

PLotinus lib.8.inscripto de animæ descensu c.7. duplicem constituit naturam, alteram intelligibilem, alteram sensibilem. In intelligibili, animam viuere existimat: & sensibilem in corpore hominis naturam participare. Omitto naturæ acceptiones, cum non proprie diuidant, sed aliquid natiuum demonstrēt, & principium motus: ut dum putant materiam primam in potentia, ad formam recipiendam. Item formam rerum naturalium, ut animam in homine, generationis formā, ut nasci, gigni &c. proprietatem cuiusque rei, essentiamque alicuius rei, & Galen. lib.2. de sympto. causa. c.1. tomo 3. naturæ nomen quoque pro facultate, quæ animal siue uoluntatis nutu, siue citra hanc, regit, intelligit. Quare & diuidit in simplicem & compositam, actiuam & passiuam: lib.1. commen. in lib. Hippocra. de nat. huma. in princ. tomo 1.

Cognitio circa rerum naturam multiplex, & de gradibus naturæ. *Cap* 3.

RES naturales uario modo inquiruntur: quamobrem, & uarij sunt sciēdi fines in eodem naturalium rerum subiecto. Interdum naturam rerum perpendimus simpliciter & generaliter, ut ens mobile sine aliqua particulari materia uel motu, hoc est, non peruenientes ad particularem tractationē motus: & hic proprie uerus physici scopus, hic & finis, prout ēt Aristot. intra hos se continet, in tractat.8. lib. physi. Inde peruenimus ad motum quendam considerandum, scilicet localem, quem duplici genere absoluit Arist. lib. de cęlo, circulari, qualis est corporum cęlestium: & recto, qualis elementorum: & ita consideratur ens ibi ut in loco, uel ubi, quod in physica considerabatur in natura. Sicuti tertius gradus postea consideratione rerum sensibilium, ratione susceptionis formæ, unde ex motu fit alia inqsitio generationis & corruptionis, de quo in lib. de gener. & corrup. Estq; perfectorū corporū & perfecte cōpositorū, inibi consideratio generalis. At quia nō sēper corpora illa perfici, nec plane ex quatuor elemētis ad generādū tēperatis contingit oriri, oportuit aliū gradū quartū adijci cognitionis, de mixtis imperfecte, qualia sunt, pluuia, nix, grando, & reliqua, de quibus in Meteoris. Deinceps post genera-

lem illam perfectorum considerationem,& post imperfectorum singularem pertractationem, oportuit ad genera eorum quæ perfecta dici possunt commixtione elementorum, animum intendere:cum tamen ea sint in quadruplici differētia, ut alia esse tantum inanimata habeant,alia uiuere,alia sentire,alia intelligere:idcirco ad inanimata simpliciter primum peruenit cogitatio, quæ Hebræi uocant דוממים domemim, silentia. Cuiusmodi ea dicunt esse,quæ plurimum habeat terræ,ueluti aurum,æs,lapides,& similia.quæ nisi intra gremium terræ uel supra terram contigue,natura resideant:sicque probatio a situ terræ ineruditis quibusque satis terrena docet,sicut & illud,quod si totis diebus urantur, parum uel nihil de sui quantitate amittant. De his & tractat Arist.in mineralib. Admonet & deinceps rerum naturalium ordo, quo quædam terræ annectuntur,hærentq́ue,ultro res contemplari alias:nē pe eas quæ multum habent quidem ex terrestri pondere, sed & aliud quidpiam quod illarum rerum aliud genus cōstituat, illud est corpus quod dicunt Hebræi צומח tzomeach,id est,uirens,non uegetabile:cuius sunt plantæ omnes, olera, herbæ, quæ ut etiam rudibus & analphabetis doceant se quippiam cum præcedentibus participare,& ultra aliud supra silentia illa & composita simplici mixtione corpora habere : figunt radices quidem in terra uerum supra terram capita: exerunt, & monent se habere gradum alium perfectionis,uim,inquam, seu naturam productricem,facultatem alendi,crescendi,& simile sibi procreandi dicta illa uis anima uegetans,altrix,qua alimentum,retinent, suis partibus distribuunt, & assimilant. Anima autem hic simpliciter pro spiritu uitali aereo,quo motus fit in diuersas partes alimenti, & sequitur incrementum. Sic enim & ψυχὴ Græcis,apud plato.in Craty. & Plutarch. & נשמה neschamah apud Hebræos anima & spiritus,uel halitus dicitur, & Græcum quoque animæ nomen uidetur, ἄνεμος, quod uentus est,si credamus Arist.Is enim lib.de mundo, τὰ δ᾽ ἐν ἀερι πνέοντα πνεύματα καλοῦμεν ἀνέμους. flatus qui in aere flant,uocamus anemus, scilicet ἐκ τῆς ξηρᾶς ἀναθυμιάσεως ex sicca exhalatione.Atque in plantis prædominati aeris elementum,quod terra leuius est, ut sedes & ordinatio naturalis elementorum ostendit,non obscurum est colligere, cum ex eo quod in aurem similem se extollant: tum quod exci ssa ligna,ut plerunque,elemento aquæ supernatent,quæ leuior ter

ra,

ra ponderosior autem aere, tum etiam, quod si comburantur, cinis qui est terra, resolutis elementis ligno antea contentis, non est uel uigesima pars quantitatis prioris. Succedit huic alia tractatio nobilioris gradus, quæ de animato aliter corpore agit, nobiliori facultatum maiorum uirtute prædito, & præstantioris compositionis, quæ ignis nobilitatem, & ita maiorem & leuiorem motum habet, animalium brutorum inquã: ista participant compositione elementorum, cum ijs quæ essentiam tantum habent: cum plantis, quod uiuunt. Non tamen cum silentibus natura, perpetuo iacent: non cum plantis, radicibus terram exsurgunt: sed & mouentur propria naturali ui, nullo modo terræ uel aquæ affixa, ita ut præstantiora animantia uideas plantis, considera quo pacto sentiunt, hoc est sensus habent, uisum, auditum, tactum, odoratum: innatã aduersus nocentia cautionem, & ad iuuantia directionem. uide, ut plantas deuorent, ut existimens eas, præstantioris causa creatas, animaduerte iumentorum, fœnũ, glandes & alia porcorum, &c. & propter quod unum quodque tale, & illud magis istis: itaque anima præstantior plantarum, quæ sensibile ul tra uitale, habeat: ideo a nobiliori actione sentiente dicta perfectissima postea creaturarum terrestrium homo, cognitionẽ altiorem subijcit, qui habet elementarem in corpore mixtionem, & est planta immortalis, inuersa, contra plantarum aliarum sedem: Nam capilli, instar radicum, cœlum uersus, unde a diuina Dei natura pascuntur, respiciunt, membra reliqua uelut rami, terram intuentur. atque huius anima, ut a statu diuino inspirata & creata, & simul quod inest animæ plãtæ & brutorum, habet & ultra immortalem intellectum, & ratiocinationem, quibus brutis, & reliquis ut inferioribus corporibus, imperat & dominatur. Et de his omnibus Deo fauente dicemus, sed distinctis tractationibus. primum autem de primis, sicuti a physica sciẽtia in uniuersũ naturę speculatio cõsiderat.

Quid tractet Physica. Cap. 4.

PHysicus tractat & considerat principia naturalia, de quib. Arist. in 1 phys. causas naturales, de quibus Aristot. in 2. physic. de motu, de infinito, de quo in 3. Aristot. De loco, de uacuo, de tempore, de quibus Aristot. in 4. & de motus speciebus, quales alteratio, augmentum, &c. de quibus in 5. & de

tempore mensurante motum in 6. & inquirit in 7. primum motorem & in 8.

De principijs. Cap. 5.

MAgna controuersia quidem de rerum principijs, quam uidere licet explicatam apud Plut. lib. 1. de placi. philo. c. 2. & 3. Arist. in 1. Polido. Vergil. 1. de inuentione rerum, c. 2. Cicero acad. q. 4. quam omittimus: obtinuit autem apud Peripateticos, tria esse naturalium rerum principia, materiam, formam, & priuationem. Omnia constant materia, & forma 2. physs. Arist. c. 2. & initio 4. metaph. Macrob. 1. in som. Scip. c. 2. hæc in compositione prima: in resolutione ultima: Nos plura de principijs tractauimus in secunda triplicitate comparationum uel relatiuorum lib. 3. syntax. c. 4. & latius in eorum commentarijs Deo fauente dicemus.

De materia. Cap. 6.

MAteria, quasi mater, principium, quia receptaculum omnium, apud Plato. lib. 32. in Timæo, & Plut. 1. de plac. phil. c. 9. Græcis ὕλη & ὑπόθεσις hyle & fundamentum Hebræis חומר chomer, id est, cumulus, uel crementum, ex quo quippiam fit. & in Rabinorum commentarijs, Græca appellatione הילי hiki ab hyle. In summa id materia, ex quo aliquid fit. Nec enim quicqnam physicum sine materia, ut ait Caius Iurisc. In l. adeo l. 7. §. cum quis, de acquirendo, rerum dominio. lib. 41. ff. tit. 1. Arist. primo physicorum, cap. 9. materiam, inquit, dico, quod primum est unicuiusque subiectum, ex quo quippiam eo fit pacto, ut non per accidens insit; nam etsi corrumpatur, ad hoc ultimnm sane proficiscetur: & substantiam, materiam quoque dixit rerum, idem ibidem, & 7. metaphysi. cap. 3. & lib. 8. cap. 1. Diuidunt in primam & secundam. Prima est principium naturale, apud Physicos, natura scilicet, quę nata est præbere unicuique transmutationi subiectum, omnium tantum passiua, nulla actione actina, potentia & subiectum, nihil habens actus intrinseci, ut explicat Plato in Timæo, Faber Stapul. in introduct. ad physicam. Ferunt hanc materiam rerum omnium primam, inuisibilem & informem per se, eo quod illa sit omnium formarum seu simulacrorum, receptrix, ut

ut Plato nititur docere exemplo in Timæo, eorum qui sua uiolentia cõfecturi sunt, qui humidam materiam quam odore imbuere uolunt, ita præparant, ut nullum odorem propriũ habeant, utque qui imprimunt ceræ, in cera quæ ad sigilli notam præparatur, nullam prorsus propriam figuram apparere patiuntur. Sed exactissima leuigatione prius poliunt, subscribit Aristoteles, tertio metaphysi. capitulo quarto. Alcino. de doctrina Platonica, capitulo octauo, qui & sine qualitate propria eam esse uult. Primam quoque materiam inuisibilem & sine colore, probare nititur, Lucretius sexto, rationibus, lib. 2. de rerum natura, incipit in eo uersu:

Nullum corpus inest, materia, &c,

Et idcirco putarunt eam neque corpoream neque incorpoream per se, sed potentia corpus; quemadmodum æs est potentia statua, essentialique mutatione manere inuariatam, & si mutetur accidentaliter secundum formas, uel substantiales, quas recipit, dum compositio certam dat naturam, uel accidentales quæ sine substantiarum mutatione uel alteratione accidunt. Et Galenus primo de elemen. ingenerabilem dixit per omne æuum, cum tamen Stoici rati sint, omnem materiã & ipsam esse uertibilem, mutabilem, fluxamque omnino, teste Plutarch. 1. de plac. philoso. capitulo nono. Si quid tamen mea censura inter tot grauissimos philosophos ualeat, arbitror materiam primam immutabilem in se, etsi formas accipiat, non secus ac in secunda materia, substantia aeris non mutatur, etsi in formas diuersas mutetur: nec quicquam enim minuitur, dum ex aliquo aliquid fit, sed semper quod una parte interire uidetur, alteri accrescit. Neque materiam primam rerum corporalium, fuisse informem satis persuasum habeo, sed existimo illam cũ propria forma fuisse creatam, quæ ad alias formas esset accipiendas disposita, ut in secunda, uidemus ceræ propriam materiam & formam, item & aeris, ut nihilominus tamen ad uarias alias formas & figuras contrahi; Et existimo Chimeræ & monstri instar esse in naturalibus in potẽtia sola materiam constituere, nisi dicamus potentiam esse ex Dei uirtute, rerum creatrice. Creauit Deus materiam primam mundi uisibilem & corporalem, dum Moses ait, In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis, & uacua &c. Et cum corpora sint quæ ex materia hac fiũt, nõ possum nõ dicere, materiã primam esse corporalem post creationem.

tionem. quia ante frustra de materia sermo, si quidem ex nihilo Deus mundũ creauit sine ulla materia præiacente. Neqz etiã potest materiã separari a corporibus, ut ait Arist. 4.phys. cap.7. uidetur & Plato consentire in Timæo formæ propriæ, dum ait, materiam primam, ex propria potentia nunquam discedere, suscipere semper omnia, nec ullam unquam forma lis sibi similem contrahere, perpendo autem ibi uerba, nullã formam sibi similem. Ostendit & Heracliti dictum, qui teste Plutarch. oratio consolat. ad Apollo. dicebat, ut ex eodem luto potest quispiam animalia fingens confundere, & rursum fingere ac confundere, atque hoc uicissim incessanter facere: sic & natura ex eadẽ materia, iamdiu quidẽ nostros edidit auos, & continuo post eos nostros genuit parentes, mox nos, deinde alios ac alios circulari quodam modo pro ducet; & hic nascendi fluuius perpetuo fluens nunquam quiescit; quod & scribit ecclesiastes, cap. 1. Quid habet amplius homo de uniuerso labore suo quo laboret sub sole. Generatio præterit & generatio aduenit; terra autem in æternũ stat. Oritur sol & occidit, & ad locũ suum reuertitur; ibiq; renascẽs gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonẽ: lustrans uniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina, reuertuntur, ut iterũ fluant. & paulo post. Quid est, quod fuit; ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est, ipsum quod faciendũ est. Nihil sub sole, &c. Neque quia materia potentiã habeat, aliaque ex ea fieri possunt, ideo solam fatebor potentiam, sicuti lignum quidẽ potentia lectus est, sed lignum non est in sola potentia, sed potentia est in aliqua materia, & potentia aliud. Sic existimo & intellexisse Arist. dum ait, 9 metaphy. c. 9. materiã potentiã esse, quia posset progredi ad speciẽ. & dum lib. 11. metaphy. c. 2. ait, materia inseparabilis est a corporib. sed hæc potentia quidem est, actu autem nõ est. ita forsan & Gale. sensit, dum li. de semine scribit in omni particula, materiæ uim opificẽ inesse. Et scribit Plato in Timæo, materiam a sua potentia, nunquã separari. ponitque ita materiam & suam potentiam. Cumque uniuscuiusq; rei ratio, forma sit & substantia, fieri non potest quod omnibus modis materia uacet forma: atq. ita primam materiam, formam habere defendit Iohan. Grammat. lib. de mundi æternitate contra Proclum cap. 9. Materia secunda est

quæ

quæ ex alia ulterius materia formam habente, tãquam ex par te essentiali,componitur,ut aurũ statuæ aureæ materia, quia in illud statua resoluitur. Et quia plures materiæ secundæ, sic diuersi actus & substantię,uariaturque figura,situ,ordine,mix tura,compagine,ligamine,glutine,positione,tempore,loco, passionibus,& similibus,de quib. Arist.8.metaph.c.2.huic generaliter res ex qua aliud fit, uel fieri potest, materiam facti uel faciendi dici potest:sic materia libri papyrum, attramentum &c.dicimus,& materiam quoque rationis in parte rationali,sicut Arist.lib.7.metap.c 7 Erit hæc secunda, propinqua seu immediata,uel remota. Propinqua sine medio,ex quo qd proximo gradu fit, sanguis carnis materia propinqua Gale.3. de tempera.statuæ aureæ,aurum. Remota, quæ non nisi medio alio quidpiam facit,ut cibus materia carnis remota, quia post eam chylus & alia materia metallorum remota, argentũ uiuum & sulphur,sic de similib. Tradidimus etiam lib.1.Syntax.c.6.materiam quoque in sensibilem uel intelligibilem diuidi,sensibilis,sensibus comprehẽdi potest,uisu, auditu tactu, &c. Intellectualis mente,ut hypotheses iurisconsultorum, tractationes alię. Porro si de spiritibus agamus,materia nulla est, ex qua facti sint,uel ex qua alij aliudue fieri possint; non eñ Angelus ex materia angelica factus, nec anima ex anima, & ea ratione immateriales sunt,sic etiam Porphyrius lib. de occasionib.c.15. ἡ ψυχὴ οὐσία ἀμεγέθης ἄϋλος, ἄφθαρτος, ἐν ζωῇ παρ' ἑαυτῆς ἐχούσῃ τὸ ζῆν καὶ κεκτημένη τὸ εἶναι, idest, anima essentia inextensa,immaterialis, incorruptibilis, id uita, habens a seipsa uiuere,atque esse similiter possidens. nec esse animas compositas ex materia spiritali uel corporali, docet D. August.7.sup.Genes.D.Thom. 2.contra Gentiles c.49.de angelis idem D.Ioan.Damasc.2.de orthodo.fid.c.3. ubi tamen, non ratione compositionis,sed ratione simplicitatis Dei, angelos,eius comparatione,& materiales,hoc est crassos esse, & uideri tradit. Sunt enim spiritales substantiæ sine mole corporea,quia creati sine præiacente materia a Deo, illudque etiã defendit Bessario Cardin.3.contra calumniato. Plato c.21. Et Arist.11.metaph.probat statui posse substantiam insensibilẽ, in qua nulla materia uel potentia precedens,& Auerro.super 12.metaph.commentario 31.& 39.unde apparet Platonicos summo cum errore tribuisse corpora cęlestibus spiritibus, sicuti & Psellus lib.de Dęmonib.spiritus immundos gladio pati &

 affici

affici dixit: quod forsan uerum esset, non ex propria eorum substantia, sed ob contractam immunditiã participatione rerum terrestrium, post lapsum a cælo. Sicuti anima ex dolore corporis quo circunducitur, afficitur: uel si concedamus propter patiendi pęnam, illis ob proprium scelus impositã, contingere. quod uerius erit dicere. alioquin enim incorporei sunt & illi spiritus; ut docet Bicardus li. 4. de trinitate. 25. Qui uoluerit alia præclara multa de materia scire uideat Plotinum lib. de materia, qui est 4. Enneadis 2.

De forma. Cap. 7

ALiud principiũ naturale, forma quæ pater, ut mater materia rerum: cum ex compositione horũ, ut matris & patris proles, & res determinata fit. Per formam materia insensibilis, ut luce ad ueniẽte, res sensu uel intellectu distinguitur ab uniuersali confusione. Forma quippe omnis, materiæ est demõstratiua, sic Græcis forma, dicta μορφὴ species uel facies rerum, aut ὄψις, uis conspiciendi, quia per illam res sensib: aut oculis mentis subijcitur. Itẽ θέαμα i. res uisa. Et Hebręis תואר thoar, idem quod figuratio & species, uel adiectio distinguẽs. dicunt & pro eodem צורה & התכונה tzorah & hatheconah, quasi dispositionem uel facturam uel stabilitum dixeris. Erit itaque forma, rerum uel materiæ distinctio: sic forma unum, id est unam speciem determinãs, apud Aristot. li. 3. metaphy. c. 4. & phys. c. 5. Cicero in oratione formam propriũ cuiusque uocat χαρακτῆρα. Diximus in 1. Syntax. c. 6. formam esse & substantialem seu essentialẽ, & accidentialem, spiritalẽ, & corporalem, naturalem, artificialem. Essentialis dat essentiã rei, & ab alijs distinguit res quæ non abest sine illius formati interitu, ut pote constans ex tota rei compositione, etsi Alexan. Aphrodisæus diuersum sentiat, a cuius tamen sententia lubẽs discedo cũ Ioan. Fernelio, li. 1. de abdi. rer. caus. c. 3. & 4. illa autem procedit ex quadam lege præscripta rerum speciebus a Deo, quæ cum certo temperamento sapiẽtiæ Dei solius tantũ cognitio, perficit sicuti in artificialibus, certa forma rebus designata, si nõ accidat, res imperfectas facit; si destruatur, reddit extinctas. Sicuti late explicamus in iuris epitome; ideo dare rei essentiam forma substantialẽ traditum est, & formã potius quam materiam inspiciendam, ut ait Arist. 1. de generat.

nerat.animal.c.fin. Accidentalis forma,aliunde quã ex essen tia accedit, mutabilis sine interitu rei aliquibus forma dicta superueniens. Spiritualis forma,essentia immateriata dicitur ideo inuariabilis: quia uariatio formæ,oritur in his quæ materiã habent, ex appetitibus imperfectis & uagis materiæ ad formam,unde tot mutationes.Corporalis secundum diuersitatẽ corporum:consistunt enim materia & forma,teste Gale. li.corpo.tẽperatu.sequi animi mores.In homine forma corporis propria,sed in quantum homo constat ex anima & corpore,unde forma tertia hominis rationalis,non quod anima sit forma corporis hominis,ut sit pars similis corpori & corruptibilis,sed quod ex his duabus substãtijs iunctis,oriatur forma totius compositi hominis scilicet.Neque enim omnis forma componitur ex quatuor elementis, ut falso ratus Gale. li. 2.commenta.in aphor.Hipp.c.34.dum reprehendit Aristotelem in hoc. Est autem corporalis etiã diuersa pro modo corporum,ut alia cælestis elementaris,&c.

De priuatione. *Cap.* 8.

ARistot. 1. physic.c.9.priuationem dicit quoque principium per accidens. uerum nunquam mihi placuit eius sententia,tum quod ipsemet Aristot.2.phys.c.1. formam quoque dici priuationẽ & naturam uelit,ut nõ fuerit necessariũ ad didisse priuationẽ separatim a principijs.Eritq; potius uel finis prioris formæ,uel medium ad sequentem.2.principium arguit essentiam eius quod fit,ut ita incipiat: priuatio autem non habet essentiã,nam nec est, quod sublatum est,non medium subsistens: & cũ priuationem per se esse substantiã fassus sit Arist. 1.physic.c.9.non erit ita principiũ neque per accidens quoque:nam priuatio si adesse dicatur,nõ aderit sine subiecti corruptione,nec aberit,unde nec per accidens principiũ alicuius substãtiæ.Dehinc tertio si principiũ priuatio sit per accidẽs,dabit causam principio.& ita ipsa priuatio principiũ non erit, sed erit illa causa per priuationem, ut principium, uel si causa & illa priuatio principia duo sint, erunt plura, quam tria principia, materia,inquam, forma,priuatio,& causa principij.Et rursus aliud principium ex causa ortum:cum tamen ille tria admittat. Neque quarto, priuatio dicitur respectu principiati,sed præteriti:unde potius finis dici mereretur,

quam principium. Atque Aristoteles in poetica, principium potissimum primum dicit, quod necessario post aliud nō est, aliter autem finem uel medium illud potius, quod non competit priuationi, quæ terminus, finis, & necessario post aliud est, unde principium non mihi uidetur.

De causis. Cap. 11.

CAusa est, a qua dependet effectus, prior tamen effectu & distincta essentialiter ab eodē, sine causa: cū nihil, sit, ut ait Iob. 5. c. & naturales res causas habere non dubium erit. Porro causę naturales per se, causæ quatuor sunt: materialis, formalis efficiēs, finalis. Sic materia & forma principia & causæ sunt, forma, cogit materiā subiectam, efficiens formam, finis efficiētē, & talia sunt συμπράσματα seu colligationes causarum, ut ita possint causæ sibi inuicem causæ esse. Causæ, & uniuersales & particulares: uniuersales, ut Deus, sol, &c. in generatione hominis: particulares, pater, mater &c. ijs accidere causæ aliæ possunt, dictæ per accidens, casus, fortuna, occasio, quæ non producunt causas determinatas, de quibus omnib. diximus, ut & de harum causarum subdiuisionibus in 3. li Syntax. c. 5. & latius Deo fauente in commentarijs in eam partē paratis, & de fine adhuc in cap. 7. eius lib. 3.

De motu. Cap. 10.

QVidam motum negarunt, quod quomodo fieret ignorarēt, ut ait Galenus lib an sanguis in arter. cōtinea. tomo . . & li. 2. de semine, c. 4 tomo 1. Alij omnia moueri existimasse sæpe testatur Plato. Aristot autem lib. 7. phys. c. 3. ait eorum quæ sunt alia semper esse immobilia, alia moueri semper, alia moueri & quiescere posse, idem metaphy. lib. 4. ca. fi. Quod & uerius uidetur, sed quia diximus naturam esse principium motus & quietis, de motu agamus. Status quippe & species in reb. æternis, motus in temporalib. Plotino teste li. 3. ennead. 6. c. fi. motus interdum pro actione immanente, quę est in ipso agēte, ut in subiecto: quales sunt actiones potētiarū ut intelligere quod est in intellectu, uelle, appetere, & sentire &c. quę motus species, nō ad physici speculationē, sed ad metaphysicam, & ad tractatum pertinent de anima. Talis enim

motus etiam est in Deo, qui & intelligit. Interdũ motus pro actione transeunte causata ab agente, quæ recipitur in patien te: ut calefactio, ab igne recepta in qua & hic modus proprie communis ad mutationẽ quæ est generatio & corruptio est quæ actus mobilis existentis in potentia, ad ultimum terminum prout potest assequi, acquirendum per motum. Plato in Theæteto duas motus species constituit, alterationem uidelicet motumq; localem: alterationem dicit, ut cũ quid eodẽ in loco permanens senescit, uel nigrum ex albo, uel ex molli durum efficitur, aut alia quadam alteratione mutatus: Motũ autem localem, quando quid locum ex loco mutat, uel in eodẽ uertitur. Idem fere Gale. lib. 9. de decre. Hippocr. & Plato in principio & lationem & alterationẽ esse duos motus simplices: auctionem & diminutionem, cõpositos. Tradit deinceps lib. 10. de legibus Plato decem species motus esse, motumq; tradit incircuitum, localem transitum, condensationẽ, rarefactionem, augmentum, decrementum, generationem, corruptionem, mutationem ab alio in alium, mutationẽ ex se, tum in se, tum in alio factam. Galenus in isagogicis & finitionib. medicis ad sex species cõtrahit, & li. 4. de differen pulsiũ, dũ agit de brachij definitione, tomo 4. operũ. Localis motus Democrito, tantum in obliquum: Epicuro, per lineã, & inflexũ. Demebat ab illis quietem Heraclitus, ut mortuis tantum conuenientem, & dabat æternum motũ æternis; interitũ interituris: teste Plut. lib. 1. de plac philos. c 23. Gale. li. 1. metho. medendi cap. 6. motum esse in summa prioris habitus mutationem, eumque uel actiuum uel passiuum, Plotin li. de generibus. ent. li. 3. Ennead. 6 c 24. differre motus locales, ait oppositione, graduũ, ut ascensum & descensum, discessum a reditu, uel per figuram progressionis ut rectus a circulari differt, cui & differentia adijcitur uelocitatis & tarditatis, aliæque, quæ tot adhiberi possunt, quot sunt principia in classe transcendẽtium nostrorum, & eam sequentibus. Sũtque alij motus spõtanei naturæ, ut in elementis ad suas sedes, & ad propria redeuntibus: alij uoluntarij, in animalibus: alij contra inuoluntarij coacti. De quibus Aristoteles 4. physic. c. 8. & li. 8, c. 4. Sic quidam motus per se, quidã per accidẽs, Aristot. 11. metaphy. c. 10. alij itaque ab alio efficitur, ueluti a diuina causa cælesti, humana, aliaue externa: per se autem, circularis ponitur, & cõtinuus & perpetuus, apud Arist. 8. Physic. cap. 1. 2. 3. etsi huic

primi mouentis Dei insit. Suum & externum motum, dixit ex Platone & Cicero.2.de nat.Deo. quanquam Aristot. ratus sit nihil moueri per se, quin ab alio moueatur contra sectam Platonicam,nisi dicamus,aut ui, aut natura moueri,& a causa quæ intra res latet, ut agitat Macrob. lib.2. in som.Scip.c. 14. uidendus Aristot. lib.3. de cœlo c.2. Et primò mouentur per se primordia rerum,inde ea quæ paruo sunt corpora conciliatu,Lucretio 2.de rer.natur. In omni motu in summa con siderandum,quod mouet,quod mouetur,tempus sub quo mo uetur,locus in quo, ex quo,& ad quem mouetur,& motui om ni communem esse mutationem,quanquam, non omnis mu tatio motus sit.

De quiete. *Cap.* 15.

QVies motui opponitur, estque eorum quæ moueri cum possint, non tamen moueri contingat. Ploti.lib. 3. anneac.6.c.fin. quietum in rebus temporalibus priuationem di cit quandam alicuius motus, uel motionem quandam ualdè tardam. At quemadmodum motus bonum tam in corpore, quàm in anima, sit contrarium otium & quies putrefacit, ut ait Plato in Thæteto. Quies tamen ut motus,uel secundum naturam, uel ui fieri esseque dicitur a Plato.3. de cœlo cap.2. Aristot. quoque phys. lib.5.c.6. Absolutè,inquit, motus motui cõtrarius est,opponitur autem & quies:priuatio enim est. idem. 8. physic.cap. 1. Eritque contrariorum eadem intelligendi disciplina ex negatione motus,iuxta contrariorum leges,ut ait Aristot.in Prędicamentis.c.4.

De infinito & finito. *Cap.* 12.

INfinitum,quatuor modis:pro eo quod non potest termina ri,quia non est quantum:sic punctum,unitas,ens, incorporeum,substantiæ separatæ,Deus, dicuntur infinita.2.infinitũ, quòd licet possit terminari, tamen difficulter terminetur. 3. infinitum,quod non potest pertransiri propter impedimentum,ut profundum maris,& centrum terræ.4. infinitum,pro aliquo quanto continuo uel discreto, quod est natum habere principium & finem,& non habet:ut linea interminata, & superficies,& numerus interminatus, & de hoc tantum infini to loquitur Arist. 3. Physic.cap. 6.potissimum secundum Ianellum in epitomate illius tracta.de infinito,c.1.quod infini-

tum

tum inturdum secundum quid dicitur. Infinitum uere id, in quo extremam non contingit esse partem: quod non habet aliquid extra, dixit Arist. 3. physic. c. p. & 1. de generat. animal. c. 1. infinitum, inquit, natura uitare solet, quia semper finē quęrit, infinitū autem fine caret. Porrò infinitum duplex, secundū perfectionem, & secundum quātitatem: perfectione infinitū, id quod continet omnes perfectiones in se, quæ sunt, fuerūt, esseve possunt: eo modo, Deus infinitum, & hoc modo datur infinitum in 12. metaphy. Secundū quantitatem infinitum, duplex, in actu, & in potentia: actu, quando non est pars extrema: potentia, in eo quod finitum quidem actu, sed potest ex eo, potentia procedi in infinitū, uel secūdum diuisionem uel per partium adiectionem. Nec datur tamen infinitum secundum quātitatem actu, Arist. 11. metaph. c. 9. & 3. physic. c. 8. nec in sphæra, globo, uel rotundo. quia & rotundum centrum habet & incuruum, vel repetitum, vt annulus in mensura repetit iterum partes si quis ueniat ad eas semel a quib. cœperit. Potētia tamen, continuum, erit diuisione infinitum, & per appositionem numerus habebit infinitum, ut ait Arist. li. 3. physic. c. 6. Sic forsan potentiam indefinitam materiam dixerit quis cum Plotino lib. de materia 4. anneadis. 2. ca. 15. uocat enim eam & infinitudinem, si ita loqui par sit, ut & Plato in Philebo, quam dixit natam cū termino, id est, forma a bono, eaq; mixta res genuisse. Qui uoluerit controuersias antiquorū de infinito cognoscere, utq; Plato duo infinita posuit, scilicet in Philebo, magnum & paruum, alij plura, uideat Aristot. lib. physic. 3. c. 4.

De loco. *Cap.* 8.

DE loco multa diximus li. 5. Syntaxeon. cap. 4. & in commentarijs latius interprætabimur, quamobrem nō utemur longiori de eo sermone.

De uacuo seu inani. *Cap.* 9.

VAcuum dicunt, superficem uel spatiū nō repletū corpore locato, tamen aptum repleri. Vacuum esse & inane in rerū natura, plurib. adstruit rationib. 1. de rerū natu. Lucretius, idemque sensisse Pythagoricos, Platonicos, Xenocraticos

cos tradit Arist. libr. de insecabilibus lineis, in principio, quo entia discernerentur. tradi'q; opiniones de uacuo. li. 4. c. 7. & 8. contra Arist. in 4. tradit nō dari uacuum in natura, quod sit spacium distinctum a re locata, coniunctū aūt cum re ubi motus, concedit esse. Minus conceditur, uacuum in ipsis corporibus, ut in lana spongia, cinere, & similib. nā ibi aer replet, qui dum aliud superuenit cedit, & sic de similibus. Plutar. lib. 1. de plac. Philo. cap. 18. cum opiniones de uacuo recenset, scribit Aristotelem dixisse, extra mundum uacuum esse, ut mundus quippe cum corporalis, & respirare posset; quod certe ridiculū. est eius esse quoque tales respirationes necessariū esset, unde oporteret alium extra esse mundum, uel locum corporalem, quo corpus reciperetur; uel oporteret fateri absurdum extra mundum quippiam esse, quod falsum est. Existimoque non egere respiratione mundum, cum motus fiunt, sed dum mouetur aer, transit res ab uno in alium locum, mutatur quoque aer, & aliud corpus succedit, ita ut alius locus non desideretur quàm qui erat, & res mutuo sine uacuo succedant. Probabile tamen duco, posse uacuum dici quippiam non absolutè, sed secundum quid, ut uacuum a uino, oleo, aqua, & similibus; sic Genes. 1. in principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & uacua, scilicet ab ornatu, ab hominibus nō dum habitata; quod & apertius paraphrasis ibi docet. Hierosolimitana, dum ait,, ורקניא מכל בעירה יצרו כן בני אנשא,, id est, & uacua erat hominibus & iumentis.

De Tempore. Cap. 15.

DE hoc diximus, quando egimus de prædicamento quādo, lib. 5. Syntaxeon c. 8, & latius in commentarijs in accidentia, quæ proximè, si Deus uoluerit, cito euulganda.

De elementis, generatione, corruptione, meteoris, in sequentibus gradibus substantiæ, & in sequentibus libris Deo fauente dicetur.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER DVODECIMVS.

In quo agitur de Musica.

De mathematicis diciplinis in genere. *Cap.* 1.

CVM corpora naturalia, superficies habeant: & solida longitudines, & puncta, in corpore cum Physico mathematica consentit. Differt tamen consideratione & alijs, quæ tradit Aristot. lib. 2. phys. cap. 2. Eligit quippe ex corpore uniuerso, certam partem pertractandam, atque uersatur circa lineas, angulos, numeros, aut aliquid cæterorum quantorum. Arist. 11. metaph. c. 3. Gellius lib. 1. c. 9. geometriam, gnomonicam, musicam, alias item disciplinas altiores, ueteres Græcos μαθήματα appellasse tradit, indeque mathematicos; uulgum autẽ quos gentilitio nomine Chaldæos, dicere oportet, mathematicos dixisse Mathemeticæ sciẽtiæ quatuor præcipuę sunt ex consensu omnium, Astrologia, Musica, Geometria, & Arithmetica, de quibus aliqua dicemus. Istę quippe speculatiuę sunt disciplinæ, sicut physica, teste Aristot. lib. 6. metaphy. cap. 1. & lib. 11. cap. 6. & necessariæ ad rerum naturalium & aliarum cognitionem, ut ait Plato in Epinomide. Omittimus illas autem cognitiones, quæ uana iactitant, & absque fundamento, prohibitas, qualis cheiromantia, pyromantia, & similes a uerbo potius ματαίω dictæ, idest uano iacto, & quarum authores & assertores olim urbe Roma pulsi fuere ant, teste Cornel. Ta. lib. 2. annal.

De Astrologia. Cap. 2.

De hac diximus in libro de Cælo.

DE MVSICA.

Quid musica. Cap. 3.

MVsicam ueteres inter disciplinas colocauerūt, eo quod natura quærit non solum in negotio recte,uerum,etiā in otio laudabiliter posse uiuere. Aristot. lib.8. polyt. cap.3. Variæ autem sunt nominis musices notationes: aliis ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, indagando, aliis a μέλω & dulcedine cantus, alijs aliter, ut notat Budæ. in commentar. ad ling. græ. Cælius Rhodig. lin. 11. cap. 10. Nobis placet ut dicamus musicam esse sonorum acutorum, grauium,& ex his mistorum conuentionē aptam proportionem, & commixtionem. Nam,ut ait Pluta. in uita Homeri, ἐν αὐτῇ μουσικῇ φθέγγων ὁ μέν ἐστι βαρὺς, ὁ δὲ ὀξύς. id est,in ipsa musica,tonus alius acutus,alius grauis. Grauis in uoce, ex intimo spiritus trahitur acutus ex superficie oris emittitur, ut ait Martianus Capella lib.9. Ex temperamēto sonorum & ictuum diuerso,oritur synphonia & harmonia quæ est κεκραμένη ἐκ διαφόρων ἀρχῶν, temperata ex diuersis principiis.

De sono subiecto Musicès. Cap. 4.

OBiectum auditus esse sonum, dicit Galenus, eumque aeris repercussionem lib.8. de usu par. c.6. & Aristot. 2. de animal. c.8. & Plut. in principio de musica, rursum Aristotele problem. sectio 11. q. 1. uocem,audiendi primordium ait,& ab eodem initio oriri,& ita commeare. Sonum habent apud Aristot. 2. anima. c.8. alia actu aut potentia, uel nullo modo. quædam namq; illi uidentur nullum habere solum, ut lana, spongia & similia quæ existimo tamen habere, sed non ab auditu semper discerni. Quædam sonum habent, ut æs & alia solida, actu, dum sonant, potentia, dum quiescunt. Sonus fit actu alicuius semper in aliquod & ad aliquid mediāte ictu qui sonum efficit ipsum. Duo corpora requirūtur itaque, saltem in

ſono edendo:nec ſolum, ſonum facit. Sonus porrò redditur ob aerem reſiſtentem & percuſſum,qui reſilit & cedit corpori.& ſi citius impellatur,acutius ſonat:quia cito nequit aer cedere,ſed propellitur:inde Echo,id eſt,ſonitus, qui poſt cõcuſſionem ſubſultat & in pilæ uel ſphærolæ modũ reſilit. Cùm enim aer impellitur contra locum præruptum uel concauũ, qui illum diſſolui prohibuit,reſultat & alio retorquetur,& refrangitur, ut ait Ariſt. 2. de animal.c. 8. Themiſtius lib. 2.de anima cap.27. & Plinius lib.2. cap.46. Columel. lib.8. de re ruſti.cap.5. De fabula Echo Ouidius 3. metamo. & Macrob. libr.1.Saturnal.c.3.Atq; ideo uibrationes ſphærularum & ſagittarum aerem impellentes,ſtrident, & illum uiolenter ſcindunt:& tunc aer,ut ait Themiſtius,duorum uice fungitur, & corporis quod percutitur,& uice medij, in quo percuſſio agitur. Nec tamen me latet, quanta fuerit controuerſia inter Ariſtotelem,Pythagoram,& Platonem,qui incorporeã Echo putauerunt,non enim dicunt eſſe aerem,ſed figuram aeri inhærentem: Et inter Stoicos, qui uocẽ corpoream eſſe contẽdunt?eo quòd agat & quòd repercutatur, auribuſq. ſentiatur, ut ait Plutar.lib.4.de plac.philo.c.20.& Gellius lib.5.noct.attica.cap.15.ego namq.Stoicis ſubſcribo, & Lucret.qui ait.

Tangere nec tangi,niſi corpus,nulla poteſt res.

Item,quòd ſpiritus uoce emiſſus, & in aquam reſoluitur, ut ſi ſpeculo recipiatur uox, dehinc & emiſſus ſępe hyeme condenſatur. Plures & alias rationes adfert Lucretius lib. 4. de rer.natu. ibi,

Haud igitur dubium eſt,quin voces,verbaq.conſtent
Corporeis e principÿs,vt lædere poſſint,&c.

Veruntamen non ideo credendũ eſt fabulæ,quam refert liber 2.Balthaſaris dictus,del cortegiano,qua narrat in finibus Moſcouiæ & Sarmatarum ſeu Poloniæ, mercatores ſub tempus hyemis,ad flumen Boriſthenem ex utraq; ripa conueniſſe,colloc utoſque,neq; mutuo ſe intellexiſſe,quòd congelata uerba ob frigoris rigorem fuiſſent, ut nec in fluminis ripas perueniſſent gelu intercepta: poſtea autem cum glacies ſolueretur, uerborum ſonitum auditum fuiſſe pro modulo ſolutionis. Nam nos congelari quidem uocis ſpiritum dicimus, ſed dum ſoluitur murmur non edere, eo quòd non feratur aer impetu, ſed ſoluatur ſponte. Diuiditur ſonus in acutum, & obtuſum: acutus, ueluti pungit & breui tempore ſen-

ſum mouet,& uelox eſt:obtuſus,tardus, & lõgo tempore mo uet,Themiſt.2.de ani.c.30. Ariſt.in ſæpe citato 2.de ani.c.8. Accidit autem diuerſitas ex ictu,& diuerſa percuſſione aeris, Macr.2.in ſom. Scip.c.4.Plato in Timæo. Sonorum ſpecies uox,& loquela:uox differt a ſonitu, quia ea tantum animalium,& eorum tantum, quæ ſanguinem habent, non autem inſectorum,etſi ex ijs quædam canere uidentur,ui cicadæ,& alia.Si quidem id accidit illis ut canere membrana ſepto trã ſuerſo ſubdita,ad quam ſpiritus in eo incluſus,atteritur. Nec uocem quoque habent,quæ integuntur;neque piſces,etſi ſan guinei.Nam ſi qui ſint vt capti,& alij qui grunire uidentur, id fit ex attritu branchiarum,non ore. Vox apud Vitruuium lib.5.c 3.eſt ſpiritus fluens,& aeris ictu,ſenſibilis auditui,qui mouetur circulorum rotũdationibus infinitis,quales mouet iactus lapidis in aqua. Etenim ut rotationes in ſuperficie aquæ,ex ictu lapidis; ſic ex ictu uocis, rotationibus in aerem extollitur,& in altitudinem uox peruenit per circuitũ,quod etiam cum Vitru.not.Sen.lib.2.nat.q.c.i. At quia non idem eſt uox & ſermo,ut ait Galenus lib.4.de loc.affect.c. 7.loquela eſt,eorumq. ſermoni deputata ſunt, quorum lingua principatum obtinet, nec parum conferunt nares,labia, dentes, & iuuant uocis inſtrumenta,guttur,& muſculi ipſum mouentes nerui qui a cerebro uim ipſis deferunt,de quorum anatome, & ſpeculatione multa Gal.lib. de præcognitione ad poſthumum,& de uocis affectibus,& paſſionibus plura,apud Ariſto. tota ſect.11.probl.

De muſices inuentione. Cap. 5.

MVſices inuentionem refert Ioſephus ad Tabu.nepotẽ Adami 1.antiquit.c.i.Gen.5.alii ad Mercurium,utGrego.Giraldus,de iis gent.Syntagm.9.in mercur. philoſtra.lib. de imagi.Mercurium illum,Orpheo dediſſe,hũc Amphioni. Alij Dion.tribuunt.Euſeb.lib.2.de præp.euang.Quæ quiſque in muſica inuenerit,tradit Pli.li.7.c.36.

De diuiſione muſices,& de cæleſti. Cap. 6.

MVſicam diuidunt,in Theoricam,ſeu ſpeculatiuã,& practicam.Theorica rurſum,autore Boetio in 1.muſi. c.2. triplex;

triplex: mundana, humana, instrumentis constans. Nos autē diuidimus musicam, in naturalem, & artificialem; Naturalem rursum in cœlestem, & humanum. Artificialem postea subdiuidemus. Naturalis cęlestis musica est, quæ de harmonia totius, & partium mundi, considerat: Humana, quæ de proportionibus corporis, & animæ, atque harum inter se partiū per tractat. Nam & rerum omnium motiones, & astrorum conuersiones, Pythagoras, Plato, Architas, atque reliqui antiqui, existimarunt nec fieri, nec consistere posse sine musica, ut ait Plut. in fi. lib. de musica, ideo in synopside musices statim ab initio Psellus ait, Μουσικὴν οἱ παλαιοὶ συνέχειν οἴονται, οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων συμμετρίας ἄτερ καὶ ἀναλογίας ἐστὶν i. musicam antiqui dixere continere omnia, nihil. n. rerum existentiū, sine mensura & ratione est. Et Vitruuius lib. 5. architect. cap. 3. scribit architectos, naturæ uestigia prosequutos, & indagationibus uocis perfecisse theatrorum gradationes, & quæsisse per canonicam mathematicam & musicam rationem, ut quæcūque uox esset in scena: clarior & suauior ad spectatorum peruenire aures, &c. apud Athæneum li. 14. c. 13. Pythagoras Samius, tantū nominis non aliunde consecutus in philosophia refertur, quam quod uniuersi mundi machinam, ex musicis rationibus esse demonstraret.

De Cœlesti Musica. Cap. 7.

Coelestis est, quæ ex disposito orbium, & planetarū ordine, concordanti motu, & occurrente in spatio definito, fit. Sicut describit Cic. in som. Scip. & Macrob. in eum lib. 2. c. 1. Sunt in elementis motus diuersi, qui harmoniam in rerum natura demonstrant, de quibus plat in Timeo, & in eū Marsi. Ficinus, & Chalcidius explicat proportiones musicales, & quomodo in motu cęlestium, & elementorum sunt, Boet. & Ang. polit. li. panepistemon, sed melius nuperrime pont. Tyardæus in solitarios musices.

De musica humana. Cap. 8.

Existimarunt antiqui, symmetriam, & proportiones hominis, respondere harmoniæ mundi maioris. proportiones illas explicauit nuperrime insignis illius seculi pictor pro

prio li. Albertus Durerus, Agrip; a in occulta philosophia. Verum in facultatibus,& actionibus animę, elementorum conuenientia in corpore, in uirtutibus explorauit musices harmoniam,& systemata Tyardeus in præd. lib. 2. musices. Heriphylus quoque medicus, motus humanos,& pulsus uenarum digessit in numeros musicos.

De artificiali musica, eius diuisione, & instrumentis musicalibus seu organis. Cap. 9.

HAnc melodiam Plat. 3. de repub arbitratur ex tribus cōstare; oratione, harmonia, rhythmo Sed omissis aliis, de artificiali harmonica agendum est. hanc diuidemus in theoricam,& practicam: Theorica est quæ diuersorum sonorum proportionem,& toni disparem, siue inęqualem diuisionem, ingenio & ratione, non aure considerat, ut au Boet. li. 5. musices, c. i. Hericus Glareanus li. 1 Dodecachordon, c. 1. hæc tractant prædicti duo authores,& Franchinus Grassorus, Faber Stab. & alii, Practica dicitur, quæ modulationem ipsam hēt. hanc Plato, ut refert Diog Laer. in 3. in eius uita, in tria genera secauit, ut quædam uoce sola constet, ut cantus; alia uoce,& manu, ut quando cum organo vox coniungitur: alia manu tantum, ut dum organum silente uoce percutitur. Sed melius in instrumentalem,& uocalē diuidimus. instrumentalis, quæ concentum perficit, aut flatu & pulsu, aut pulsu solo. Flatu cōcentus redditur, per magistri flatum,& pulsum, organo: ut tubis, ductilibus tibijs, quarum cantilenarum nomina hæc Athen. lib. 14. Dipnosop. c. 5. refert. gingras, tetracomus, epifallus, choreus callinicus, bellicum, fuanicomus, ficynnoturba, thyrocopium, cuismus, moton. Quæ omnia, cum saltatione,& cantilena ad tibiam canebantur. Modulatio dehinc eodē flatu,& pulsu, tubis, alijs cornu, fistulis, lituo, auena; frat & eius ordinis tympanum Hieronymi, tuba Hieronymi organū fistula, chorus eiusdem quę depingit Orcomarus Luscingius, li. i Musurgię. Pulsu autem tripliciter perficitur sonus, uel pulsu aeris, uel pulsu neruorum, uel chordarum intensarum, aut pulsu baculi in membrana, ut in tympano militari,& similib. æratis corporibus: per incudes,& malleos, per capanarum vel nolarum proportionem, per cymbala, tympana, pelues, per crotala, quæ erant circuli ærei cum multis orbiculis ęreis, qui

pul-

pulsati edebant sonum. Chordis tēsis cōstant, cithara, luthus, qui testudo, chelis, guitharra, chorus, norta Vasconibus triū chordarum, uiola, seu rebechum cum plectro. Sunt autē hæc organa lyræ species sicut panduta, & barbito: Plato 3. de rep. inter instrumenta polychorda numerat trigona, pactidas, & Athenæus lib.14 c 14. sambucam, & magadin, de quibus ibi multa & c.15 tripoda Pythagoræ Zacynthii, quæ pede, manu, & plectro pulsabantur, chordis tensis auricalchi, virginale seu manuchordium, clauicytherium, clauichordium, seu spineta, sistrum constant. Qui voluerit plures species instrumentorum musicorum enumeratas uidere, consulat Iulium Pollucem lib.4.onomast.c.8.& 9.10.11.& seq. Cęlium Rhodig. lib.5.lectio.antiq.cap. 23.25 26. Ottoma. Luscinum lib. 1. Musurgiæ, Ioan. Rauisium Textorem in officina, c. de musica. Et de inuentione & authoribus instrumentorum musices latè Poly. Verg. li.1. de inuentor.rer.cap.15.

De vocali Musica & eius diuisione. Cap. 10.

VOcalis musica, quæ superioribus interdum iucundius iungitur, est quæ voce humana exprimitur, interdum cum sono simplici, scilicet cum solmisatione, ut vocant, vel alio sono inarticulato, interdum cum sermone significante, hæcq; duplex, irregularis & regularis: irregularis est ex modulatione triniali, & vulgi vocant bon de ville. Regularis, quæ constat certis regulis: hæc duplex, chorealis, vel figuralis. Chorealis, quæ Gregoriana dicta, simplex. Figuralis, & mensuralis alia noua, constans ratione positionis, diuersitate sonorum. Alio modo tamen Martianus capella.lib 9. diuidit artificialē musicā in tria genera, ἰδικόν, ἤτ' ἐργασικόν, ἐξαγ]ελιτικὸν ἰδικὸν proprium, quod ex similibus, & per sueramibus consonabat, sono, numero, uerbis. Quæ ad melos, uel sonum pertinet dicitur harmonica: quæ ad numeros, Rhythmica. quæ ad uerba, metrica, ὑπεργασικὸν, mutationes subtili ingenio facit, ut continuatio uidearur: cuius tres partes, μελοποιία, λῆξις πλοκή, de quibus uide apud Capellam. Exantelticon genus tertium est, ac si dicas effusorium: quod per aliud resonare potest, tripliciter scilicet, uel per organum, uel propriam dulcedinem, uel per resonantiam, ut in lyris.

De uoce, seu phthongo in artificiali musica, & eius scala.
Cap. 11.

Phthongum sonum digerunt, unum & eundem tenentem tenorem, Ptolom. in musica, & eius interpres Porphyrius. Bacchius porro dixit interuallorum minimum, Aristides, & Quint. minimum electum per se; Aristoxenus, casum uocis: suffragatur Papus, & Emanuel Briennius, musici. Psellus in Synopsi musices ait Phthongum esse, uocis indiuiduæ concinnam intentionem.

Phthongi, uel uoces, apud omnes ueteres græcos, & latinos fuerunt 15.

1 προλαμβανόμενη, i. assumpta uox, sonus, chorda, practicis inferius A re
2 ὑπάτη ὑπατῶν, i. principalis principalium B mi
3 παρυπάτη ὑπατῶν, i. proxima principali principalium C fa vt
4 λιχανὸς ὑπατῶν, index principalium, D sol re
5 ὑπάτη μεσῶν, principalis, uel grauior, inferior mediarum uel νήτη ὑπατῶν, i. grauium altior E la mi
6 παρυπάτη μεσῶν, proximior principali mediarũ. F fa vt
7 λιχανὸς μεσῶν, index mediarum, G sol re vt,
μέση, media,
νήτη μεσῶν, mediatum altior A la mi re
9 παραμέση, i. proxima mediæ B fa b mi
10 τρίτη διεζευγμένων. Tertia disiunctarum C sol fa vt
11 παρανήτη διεζευγμένων, proxima altiori disiunctarum D la sol re
12 νήτη διεζευγμένων, altior disiunctarum E la mi
12 τρίτη ὑπερβολαίων, tertia excellentiorum, uel altiorum F fa vt
14 παρανήτη ὑπερβολαίων, proximior altiori altiorum G sol re vt
15 νήτη ὑπερβολαίων, altior excellentiorum A la mi re

Istæ literis septem notantur uoces a, b, c, d, e, f, g, quib. adiecit Boetius alias septem, a, b, c, d, e, f, g, sic fuerunt 14. postea Guido Aretinus adiecit alias, vsque ad uiginti: infra proslambonomenon a re, adiecit, c, ut, in fine autem post neten hyper-

perbolæon, adiecit bb. fa mi. cc sol fa, dd la sol, ee la. Guilielmus du Fay addidit sub c ut, adhuc ffa ut, graue, quorum omnium hęc figura.


Signa clauium & loca.

5. *Excellentes in acuto sono.* { ee la; dd la sol; cc sol fa; bb fa mi }

aa la mi re

7 *Minutæ diuisæ in acutas, & superacutas.* { g sol re ut; f fa ut; e la mi; d la sol re; c sol fa ut; b fa mi; a la mi re }

Capitales. { *Finales* 4. { g sol re ut; f fa ut; e la mi; d la sol re }; *Reliquæ graues.* { c sol fa ut; b fa b mi; a la mi re; g sol re ut; f fa } }



raro utuntur.


In hac figura, uoces inferiores grauiores, ex quibus ascenditur ad superiores usque, gradatione sonorum perfectorum & imperfectorum, per quinque tetrachorda, id est, continuationem quatuor chordarum quæ faciũt diatessaron, scilicet, hypateon meson, synemmenon, diezeugmenon, hyperbolicon uel actuatum. Ex quibus modulationum oriuntur tres compositiones, harmonica, chromatica, diatonica, ut ait Virtuuius lib. 5. cap. 4. Harmonica diuersas habebat tetrachordorum dispositiones, nempe interualla, dieses binas & tonos. porrò Diesis, est toni pars quarta, ut hemitonium dimidia

pars. Chromatica seu dicas colorata, habebat hemitonium in ordine composita. primo hemitonium, deinc tres quartas toni, tonum & quartam toni partem. Diatonica, est quæ semitono minore, tono ac tono incedit: hicque modus conseruatus, alij ex usu desierunt.

De uocum expressione, figura, tactu pausa, punctis. Cap. 12.

VOces quibus exprimerent musici sonos suos confictæ, hæ sunt 6. ut re, mi, fa, sol, la. quas Guido Areti inuenisse fertur. Quarum alię dulces, ut fa: duræ, la mi; mediocres, uel naturales, sol re. Et uocibus fit systema & diastema apud Psellum. Systema, compositio constructioque plurium uocũ. Diastema, interuallum inter sonos oblatos, quod augetur pro arbitrio ascendendo & descendendo. Interualla uocum inter se modos dixerunt musici; sex autem ponunt, aliosque ex illis deinceps componunt. Modus est quantitas temporis, quo sustinetur sonus, cui opponitur silentium seu quies, seu pausa. mensurant hæc tactu musici, quem mensuram uocant. Dispo nam figuram notarũ musices, nomina, tactus seu ualorẽ eius, & quietem seu silentium seu pausas uno schemate.

nomina notarum. | notæ figura. | cum mensura seu tactus. | pausæ uel quies.



Punctus

Punctus quoque additus singulis, addit mediam partem tpis supra proprium, ut .ualet & sic .ualet & & ualet & Sic de similibus hæcque de tactu simplici dicta sunt, quam uocant tempus imperfectum, in quo faciunt tactum: non de tactu perfecto, qui perficitur, triplici : Dicitur tripla etiam, signaturq; ita

De unisono & tonis. *Cap.* 13.


VNisonum, & solum sonum & concordantiam signat. ex primis unisonis, cōponitur modulatio. At unisonus ut concordantia est, duorum in aliquo uocum, ut, ut, re, re: Tonus quatuor modis dicitur, coniunctio, discordantia, intonatio, tropus, ut ait Ioan. Tinctoris in definitionibus terminorum musices. Tonus inter omnes uoces sequentes fit, excepta distantia mi & fa, alioquin tonus, est ex distantia inter duas uoces. Ex hoc componitur ditonus, duorum tonorum spatium, inter tres notas. ut inter ut & mi, fa & la. hemiditonus, cum interponitur hemitonium ditono: ueluti a uoce re, usq; ad sol. huicque tritonus, qui tres perfectos sonos complectitur, ut mi re ut. διὰ τεσσάρων uocant quartam quæ constat quatuor uocibus, & tribus interuallis, ueluti, re sol mi la, mi mi: fa fa. διὰ πέντε quintam uocant, habentem quinq; uoces; quatuor interualla tribus tonis & hemitonio constantē διὰ πασῶν, id est per omnes literas, ab uno g. usque ad aliud g. sol re ut; ab uno c sol fa ut, usque ad aliud c. sol fa ut, dicitur octaua, ex his componuntur, disdiapente, & dispiapason.

De concordantia, & discordantia. Cap. 14.

COncordantia seu concinnitas, est acutorum, grauiumq; sonorum accommoda mixtura. Concordantiæ sunt 12. unisona. 3. 5. 8. 10. 12. 13. 15. 17. 19. 20. Discordantia est inconcinnitas sonorum, quæ aures offendit: discordantiæ 9. sunt: 2. 4. 7. 9. 11. 14. 16. 18. 21.

Exempla

Exempla concordantiarum: reliqua cacophoniam edunt.



Quædam axiomata componendarum modulationum. Cap. 15.

1. NVnquam duæ perfectæ concordantiæ unius generis sese consequi debent, ut duæ octauæ, duæ quintæ: alterius tamen generis possunt, ut quinta octauam, & contra: concordantiæ tamen imperfectæ, eiusdem generis, seu ascendendo seu descendendo sese consequi possunt: quantum tamen fieri poterit, oportet uitare connexionem sextarum: reddunt enim cantum insuauiorem & asperum, nisi illam octaua sequatur statim, cum qua iungi debet, uel cum tertia, uel cum quinta.

2. Omnes concordantiæ ultimæ, debent conuenire in concordantia perfecta.

3. Si quis uelit minimas albas, contra semibreues notas, concordantijs inserere, omnes minimæ debent esse concordantes contra semibreues: & si diuidatur minimæ in quatuor nigras contra semibreues albas, prima & tertia nigra, debent quadrare cum minima, aliæ tolerantur.

4. Oblata compositione modulanda, cuius eligendus sit cuique ex quatuor uel ex pluribus partibus uox & tonus. debemus ante omnia grauiorem uel inferiorem notam baseos uel basios perpendere, num eatenus possimus uocem demittere: de hinc altiorem uocem, superioris partis quam altum uocant, metiri oportet: num eatenus uocem efferre possimus. quibus ita finibus præscriptis, inter hos, uoces aliæ facilioris delectus, & ita probè omnes uoces reddere audibiles & plenas, sine uocis contentione poterimus.

De

De tonis tropicis. *Cap.* 16.

PОrro fines cantandi & elationis uel depressionis uocis, sunt per diapason in octuplici differētia, uocāt has tonos tropicos 8. numero distinctos, ut sit primus, 2.3.4 5.6.7.8. horum quatuor authenti, 4. plagales. Authenti, qui non descendunt ultra finem proprium, nisi per unam notam, ascendunt autem supra finem 8. aut nouem notas; hi sunt ex ordine prædicto 1.3.5.7. Plagales: qui super finem suum regulariter ascē dunt per quatuor aut quinq; notas, seu sonos, uel uoces, infra finem descendunt quatuor: & sunt hi rursum numero 4. ex superiori ordine 2.4.6.8. Primus & secundus tonus, finiūtur per re, in d la sol re: sed primus habet notam prædominantem in la, quæ est quinta altior fine; secundus autem in fa, quæ tertia altior fine. Tertius & quartus, finiuntur per mi, in elami: sed tertius habet notam prædominātem in fa, quæ est altior fine suo per sextam; Quartus autē in la, quæ est altior suo fine, per quartam. Quintus & sextus finiūtur ambo in fa, in f fa ut; sed quintus habet prædominantem notam altiorem suo fine per sextam, sextus autem in la per tertiam. Septimus & octauus, desinunt ambo in ut, in G sol re, ut septimus habet dominantem, sol, quintam a suo fine; at octauus fa, quartam a suo fine. horum uersus.

Pri. re la, Sec. re fa. Ter. mi fa. Quat. quoque mi la,
Quint fa fa. Sext. fa la: sept. ut sol: oct. tenet ut fa.

De modis Musices antiquorum. *Cap.* 17.

AD superiores tropos referri possunt antiquarum grecarū cantionum modi ex Psello in musica. & Arist. in musi. Plut. & Boetio, Tyardeo hoc modo,

Vt hypodorius, si a c ut usque ad g sol re ut.

Hypophrygius, à c fa ut, usq; a la mi re

Hypolydius, ab f fa ut usq; in d. la sol re.

Dorius, a c. sol fa ut usque in a à la mi re. Lentus hic spondaicus, religioni pudicitiæque accommodus, quo sępe utitur Sandrinus.

Phrygius, ab f fa ut usque in d d la sol. bellicis rebus accommodatus, tragicus, iambicus, & huius musica distrahit ac rapit

pit animum ac quasi extra se ponit, ut ait Arist. polyt. 8.c.5. Plato 3. de Iusto.

Lydius, a g sol re ut, usque ad suam octauam. hilaris ad condimentum cleri hanc Lydiam & Ionicam harmoniam ut temulentam Plato improbat dial.3. de Republ.

Myxolydius, ab ce sol fa in suam octauam

Hypermixolydius, a Ptolom. additus: ab fa ut, usque ad suã octauam: qui raro fit.

Addiderunt alii Iouium, Iastium, floridum, uariumque, Æolium quetulum, qui tamen abierunt ab usu. De quibus omnibus late Boetius & Henricus Glareanus in dodecachordo, & Martia. Capella & Athenæus li. 14. dipnoso c.10. Reliqua de musicæ partibus, quæstionibus, & sonis expiscanda ab Arist. sectio. 19. problema. Alia autem discenda ex usu, quæ pertinẽt ad claues, uoces cãtus, interualla, notas, ligaturas, pausas, mutationes, trãspositiones, sol misationes, tactus, syncopationes, mensuram, modum, tempus prolationem, signa: puncta additionis, perfectionis diuisionis, alterationis: quæ ad imperfectionem, colorem notarum, augmentationem diminutionẽ, proportionem, indicium tonorum. & de quibus ordine tradit practica musica Hermani Finckij.

De effectibus & ui musicæ. Cap. 18.

MVsica plerisq; uisa est morũ esse formatrix & imitatrix, ut Arist. lib.8. polyt.c.5. & Plat. dial.6. de legib. atque musices sonis, etiã barbarorũ animos ad uirtutem, incẽdi, uel in mollitiem uoluptatis resolui tradit Macrob. li. 2. in som. Scip. c.3. Refert Galenus li.5. de Hippocra. & Plat. decretis, Damonem musicum iussisse tibicinæ, quæ adolescentib. quibusdam temulentis, insana & quædam agentibus Phrygium canebat, ut mutaret modum in Dorium, eoque facto illos a temerario impetu destitisse: Non enim, inquit, rationalis facultatis opiniones, dedocere ac immutare cantilenis, ualemus: sed affectib. obnoxia animæ pars, cũ sit irrationalis, ipsa sane motib. quibusdã irrationalib. & exhortari & sedari potest; ita enim natura comparatũ est, ut irrationalia ab irrationalibus, rationale a scientia & inscitia, utilitatem & detrimentum adipiscantur. Terpander quoquoque seditionẽ musica, inter Lacedæmonios sopiuit. Tales Cretẽsem pestem sustulit. Plut. in Music.

Music.ut Phœbus per eandem, pestem a Græcis diuertit apud Homerum ilia.1.Morsus Phalangij, solum modo musici in strumenti sono curatur, teste Amato lusitano li.2.in Dioscor. c.50. Agamem non citharœdum custodē pudicitiæ, cauētem laudes probarum mulierum, Clytemnestrę uxori reliqui, nec prius ab Ægistho decepta, quā citharœdus occisus. Athenæus li.1.dipnosop.c.7.Strabo li.1.Geogr. Homerus Odys. y Saul. leuius se habebat ab spiritu maligno, quo arripiebatur, dum Dauid citharam pulsaret, 1. Reg.16. Mouit Psaltes spiritū propheticū Eliseo 4.Reg.3. Spartani dimicaturi ad pugnā, concētu & anapesti pedis modulo se incitabant. Vale.Max.li.2.c.1. Et fistularum præclaro usu apud Lacedemonas, narrat Gellius noct.1. c.10. & quod musica fuerit hominibus uniuersis utilis, Arcadibus necessaria, Cretēsibus, & Lacedæmoniis, pro tuba ad bellum. Et alia plura de ea tradit Polybius lib.4.histor. Multa ad hāc rem quoque cumulat Athenæ.li.14 dipnosi. c. 11. Meminit Arist.proble.sect.19.q.28. Cicero in legib olim pueros leges cantasse, ut facilius memoria tenerent. & 4.Tusculā Pythagoreos mentes suas a cogitationum intentione cantu fidibusque, ad tranquillitatē reducere. Citat & Catonē li de originib. mortem maiorū hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiā clarorum uirorū laudes atque uirtutes. sic in Deorum puluinaribus & epulis magistratuū fidibus præcinisse. Volunt sub tabulæ inuolutione ferarum musica delinitarum & arborum syluestriū, contineri Orpheum efferatos hominum mores, in societatē ciuilem reduxisse de quo Apollo Rhodius li.1.argonautic.ubi de Amphione, & apud Virgil. in bucolicis, & Statium 1.Thebaidos & apud Horat. in poetica.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa mouere sono testudinis

Rustici etiam nunc & artifices, canendo laboris reuelant tædium, infantes uagire ad nutricū cantus desinunt, & obdormiunt. Et placet feris musica, mulique tintinabulorū sonitu collis suspensorum, sarcinas leuius ferūt, equi in prælijs tubis concitantur, ceruus apud Horum Apollinem musica delectatur & turtur: delphino quoque idem tribuit Plinius li. 9 c.8. Cātatione & musica & saltatione nauræ uelut uoluptate educta prope Nassam capitur, pastinaca piscis: authore Aeliano lib.1. de natura animal.cap.39. & lib.17. cap.18.

De

De saltationibus & tripudijs. Cap. 19.

IVlius Pollux li.4.Onomast.c.13.scribit, partem musices esse saltationē uel tripudiū: ideo musices occasione, ad tripudia quæ ad eius sonum fiunt, ut pauca moneam me trāsfero. Tradunt ab initio poetas saltationes instituisse liberis hominib. ut figuras tantū, quæ essent signa eorum quæ canebātur. Quod si quis min⁹ moderate figuras effinxisse, atq; cū esset in cātilenis: nihil iuxta saltationem dixisset, hic male audiebat, fiebatq; famosus. Atheneus li. 14.c.32. Arist. in prin. Poetices. saltantiū esse scribit, gesticulationis numerosa uarietate mores, perturbationes, actionæsq; imitari. Hinc cum cantu, ad motiones eas quæ fiunt in armis, exercebātur antiqui per saltationes concitatas, dictas pirrichas, & per reliquas etiam citas, quales apud Cretenses. Orcies, & Epicredia, tripudia, ut nō immerito Socrates dixerit, tripudiantes maxime esse idoneos rebus bellicis, Erat & Thelesias saltatio militaris. Mulierum fuerunt tripudia, apocinum, mactrocinum. Saltationes firmiores uariæ antiquis hæ. digiti, iambici Molossica, Emmelia cordax, Sicinnis, Persica, Phrygia, nicatismus, thracia, calabrismus, Telesias. Furiosę habitæ, Cernoptiora, mougas, Thermaustris, loricata minerua, mundi cōflagratio Ridiculæ saltationes igdis, mectrismus, apocinus, Sobas, Morphasmus, noctua, & leo, farinarū effusiones Velocissimas saltatio, Sicinnis dicta, quam exercebāt satyri, a cōcutiendo nominata. Cū pila quoq; luderent, ludo Phæmudæ cōcinnitatem seruabāt. Phæaces tamen sine pila tripudiabant. Thraces cum armis ad tibiam saltarunt, atq; & alte & leuiter tripudiarunt, ensibusq; utebantur, alterque alterum percutiebat, ut omnib. is uulnerati uideretur, quiq; consulto cadebat quo efficiebatur ut omnes exclamarent. Tunc uictor eum armis spolians uictoriam canens abibat, ut ait Athenæus li. 1.c.8. Hāc nostri saltationē imitantur per eam quam dicunt Martelles & les Mathessins. Meminit & Athenæ. alterius saltationis, quam dicit Carpæā, in qua, figura erat seminantis cum bobus, is sibi metuens pro bobus concinne pugnat, arripiēs arma ad rhitmū contra latrones fingētes, saltando: forsan nostri imitantur eam per saltationem, quam dicunt les Allemandes, ut latrocinium. Meminit. Iulius Pollux Libro 4.c.14. de aliis generib. saltationū, de

mor-

morphasmo, quæ erat omnigenũ animalium imitatio: de scopia auium imitatione: de hypogipone, quę senes cum baculis referebat, & de Tragicis Sima, Chirocalatisco, Termaustri, Cybistesi & de aliis Flauius Vopiscus in uita Aureliani scribit tales saltatiunculas per milites compositas de Aureliano, qui plures hostium occidisset sua manu; quibus diebus festis militariter saltarent.

Mille, mille, mille, mille, mille, decolauimus.
Vnus homo, mille, mille mille mille decolauimus
Mille, mille, mille uiuat, qui mille mille occidit.

Tantum uini habet nemo, quantum fudit sanguinis. Atq; cum idem Aurelianus esset tribunus, sextæ legionis Gallicanę apud Maguntiacum, & ex Francis quos uicit septingentos interem isset, iterum de eo facta est hæc cantilena.

Mille, Francos mille, Sarmata semel occidimus
Mille, mille, mille, mille Persas quærimus,

De scenicis antiquorum saltationibus.

IN scenis olim, tantum Chori, in locum quorum postea successerunt histriones: erantq; tres saltationes scenicæ. Tragica, Camea, Satyrica. Tres lyricæ, Pyrrhca, Gymnopedica, Hyporchematica. Tragicæ similis, quæ Emmelia quoque: in utraque grauitas & dignitas Gymnopædicæ uicina quæ anapala dicebatur, quam nudi pueri saltabant concinnas quasdam lationes dissecantes: figurasq; quasdam manuum facientes, ut essent spectaculũ palæstræ, atq; pancratiis dum pedes cũ concinnitate mouerent. Hyporchematica comicæ comparata, quæ & Cordax: ioco plenæ ambæ: Saltabantque mulieres & uiri eam. Successit in locum Pyrrhichiæ, Dionisiaca multo leuior: cuius saltatiores habent thyrsus hastarum loco. Species has saltationis tradit etiam Iulius Pollux. li. 4. onomast. c. 14. a choris illis choreas dictas existimo & ipsas choreas choros ꝓ tripudio & saltantiũ multitudine; declaraturq; prolixe ab Hesiodo in aspide Herculis. Plato li. 2. de Iusto, duas partes choreæ tribuit. unam in uoce, quæ per numeros & cõcentus, alteram in corporis motu, per numerum & figurã, sed quæ numerum habeat quidem cõmunem cum motu uocis, figurã uero propriam; in prima illa parte, cantus ipse, uocis est motus Erãt horum leges, in ingressu, egressu, prosecutione saltationis.

quo-

quorum uestigium fuisse reor in his saltationibus quas dixerunt *basses danſée*, aut *danſes compaſſés*, Erant siquidem in choris, εἴσοδοι, ἔξοδοι, στροφαὶ, ἀντιστροφαὶ, ἔποδοι, de quibus Arist. in poet. Scoliastes Sophoclis Demetrius Tricli, & scoliastes Aristoph. & Leonicerus in primam odã olympior. Pynd. Iul. Pollux li. 4. c. 15. & 16. Strophæ & Antistrophæ & epodi, nihil aliud erãt quã formulæ saltandi ad lyrã. cũ enim occineretur strophe, fiebat conuersio chori a dextris ad sinistram, cum antistrophe, a sinistra in dextram, cum epodos, fiebat quies, & ad regressionem primã dispositio, ut hæc, & alia plura notat Lilius Greg. Giraldus 1. dialogo de poetica & poetarũ historia. Duplices notat formas ex Homero Athenæus in 1. c. 8. unam eorum qui cibysteres uocantur, aliam per spherã, uocamus in circulum. Erat saltatio in restim, quemadmodum uidemus fieri in iis, quas dicimus *branſles*. Sic restim ducere dicũtur in saltatione primi puerorum puellarumque chorum confectum per manus exercentes, apud Terentium in Adelphis. *Tu inter eas restim ductitans saltabis.* & Liuius lib. 27. per manus reste data uirgines sono uocis pulsus pedum modulantes incesserũt. Meminit & Athenæus lib. 4. c. 24.

Intus erant iuuenes clari, innuptæq; puellæ
Saltantes, manibusque manus cepere uicissim.

De diuersis moribus antiquorum circa Musicam & tripudia. Cap. 21.

QVandiu antiquitas agnouit causam musices & tripudiorũ, tandiu mihi uidetur ea approbasse & laudasse. Quãdo autem figuræ solæ reman serunt & uoluptas, lõge a fine, ad quem & propter quem musicã & tripudia instituerant, ea merito, potissimũ apud bene sentientes nationes, improbata fuerunt, nisi temporib. perditis, uel sub principibus parum caste uiuentibus, uel impiis. Sicuti musica, quandiu clarorum uirorum & uirtutum laudes canebantur, fuit exculta, & uocis & tibiarum usus honestus, ut Themistocles hinc fuerit habitus indoctior, quod lyram in epulis, in quibus laudes cantabãtur heroum, recusasset, ut ait Cicero 1. Tuscula. & alii. At postquã ad mollitiem, uocis & cytharæ dulcedo incidit, ut effæminatos reddens homines, explosa est, & instrumentorum musicalium sciẽtia potius digna uisa est, quæ uilissimis hominibus,

cini-

ciniflonibus,lenonibus,& decoctoribus.& meretricibus exerceretur, quam ns a grauioribus,probis, & a matronis tractaretur, ut non possimus non dolere,quod hodie, summo cum diuinarum rerum opprobrio, mercenarios istos musicos organicos & symphoniacos in sacris comitijs & sacrosanctis templis diuinis & festiuis Christianorum supplicationibus,& concentibus,nescio quas turpes & obscœnas cantilenas resonare audiamus,ac si in lupanari quodam essent. Res certe animaduersione digna:quamuis enim,non exprimantur cantionum profanarum uerba; tamen multis,qui ea norunt, in illis concentib. animus per sonum earum,commouetur ad turpia,& a sacris ad scelera ingenia auocantur. Ita enim paulatim licentia nimia, ex magistratuum segnitie,& prælatorū incuria ex sacris Dei & diuorū laudibus per musicam ante decātatis, permisit in eum impium morem homines decidere, etsi aduersentur diuina & œcumenica concilia. Quamobrem apud Romanos inter duo bella punica,ingenui & Senatorum filij in ludum saltatorium ,ut discerent saltare, commeabant, nec matronæ putabant in honestam saltationem, ut testis Scipio Africanus Æmilianus in oratione contra legem iudiciāriam Tiberij Grachi. Et Sallustius Semproniam reprehendit, non quod saltare, sed optime scierit. At postea saltationes inter probra & histronica habitæ, ut ait Macrob.lib.Saturnal. 3.c. 14. Scribit Xiphilinus ex Dione,in Nerone. Saltare inquit in orchestra & publice turpe olim, tamē ad id coegit nobiliores,& fæminas propiscue Nero,atq;scholas huius rei cōstituit,& si qui prodirent personati,petente populo personas aufetebat,ipseq: in Theatrum prodiit ludens. Dion etiā ipse li.59.refert, Caium Cęsarem Caligulam promiscue admisisse mulieres &equites & senatores,in orchestra saltare. Et postea li.60.sustulit mulierū saltationē in orchestra Claudius; pueri tamen postea sub eodem euocati ab Asia,qui pyrrhicam saltarent Cicero pro Murena, inter maledicta enumerat dictum fuisse Murenā saltatorem. Domitianus imperator,censor morū factus,quæstorium uitum quod gesticulandi, saltādiq; studio tenere:etur,mouit Senatu,ut ait Suet.in Domitia c.7. Æmilius Prob. in uita Epaminondæ, Scimus,inquit,musicā nostris morib. scilicet Romanis,abesse a principis persona. Saltare etiā in uitiis poni,quę omnia apud Græcos & grata & laude digna dicūtur. Fuit & tēpus quo discebāt fidib. antiq Romano

rum,ut ait Cicero in Catone, sed & id postea recessit ab usu, si-cuti & tandē degenerante musica apud Græcos,unde prouer-bium refertur a Suida in uerbo, ἀρχαῖον ἀρχαῖον ὀχιθαρζιαν antiquum, idest, ineptum,& nullius pretii pulsare citharam. Idque non propter mulices odium, sed abusum. In quibus enim usus purus is fuit, probatus mos antiquus. Sic Salii quo que in saliendo comprobati a Romanis, quia omnes fere gentes in sacris, & festis, quibusdam propriis saltationibus utebantur in cantandis diuinis laudibus,ut ait Lucian. de sal-tatione. Meminit,& de illis Liuius,& Diony. Halicar in se-cundo,& alij.Eo enim modo Salij,quoddam mysterium Mar tis referre se putabant, cum Priapum adamaret, ut refert Lu-cianus. Saltauit,& Dauid religionis enthusiasmo motus,co ram arca Dei.2.Reg.6.& Paralip 15.fuerunt,& symphoniaci, & cantores semper in ecclesia Dei, ut alibi docui, & mulieri-bus quoque ad Dei laudem non inhibita saltatio,& cantio,ut Exod.capitu.15.Verum nunc mores deprauatissimi, & ad ma lum procliues,qui ut bruta ducuntur animalibus passionibus, certe abstinere debent a tripudiis, ut a mali incentiuo. Dum enim causæ saltandi obliteratę sint,& effectus,certe non po-test sequi aliud, quam alius effectus. Scribit, & Iustinus ex Trogo lib.30.instrumenta luxuriæ,esse tympana,& tripudia. Et Ouidius primo,de remed.amor.Eneruant animos citharę, cantusque,liræque, Et uox,& neruis brachia mota suis. Vn-de & tandem exosum inter probos perquam maxime mulie-rum genus saltatricium, potissimum si illæ puellarem exces-sissent ætatem, ut Ammianus Marcellinus de moribus sui tē poris sic conqueritur libro 14.quocunque oculos flexeris,fœ-minas licet affatim spectare cirratas,quibus si nupsissent, per ætatem iam ter posset nixus suppetere liberorum,ad usque tæ dium,pedibus pauimenta tergentes, iactari uolubilibus gy-ris, dum exprimunt innumera simulacra, quæ finxerunt fa-bulæ theatrales. Inter græcos monet etiam Suidas in uerbo, ἄχρηστα, in saltatriculæ domum ne insilito, nę illis rebus in-hians malo a meretricula ictus, de gloria deturberis. Repetit idem rursus in uerbo.ἀποθραυσθῇς. Improbat,& apud Lucia-nū, in princip.de saltatio. Craton prisci seculi mulierculas,a-matores inuitantes, nempe libidinosas Phædras, Partheno-pas,& Rhodopas,cum pulsationibus,& obscœnis cantibus, & pedum strepitu, dicens per saltationem mutari ex uiris in Ly

den

den quandam, aut Baccham, omissa pristina forma: uidentibusque esse exitio, non secus ac si loton, ut socij Vlyssis degustassent, aut Syrenas audissent. Et prioritate ad luxuriã uiros, mulieres saltatrices, mihi uidetur captatum exprimere nomine, Theocritus dum ait Eidyllio, 1. in fi.

αἱ δὲ χίμαραι
οὐ μὴ σκιρτάσητε, μὴ ὁ τράγος ὔμμιν ἀναστῇ, idest, uos uero capellæ nolite saltare, ne forte in uos hircus incurrat. Recordor certe exemplo Oridum, qui cum saltantibus uenatoribus, & ipsi tripudiantes capiuntur, sicut & Asiones, ut ait Athenę. libro nono, capitu. 14. quod & accidit istis saltatrices expectã tibus. Sic deceptus stolidissimus in sua fide Herodes ab Herodiade filia saltatrice, Matthæi 14. Marci 6. uetat Ecclesiasticus cap. 9. cum saltatrice ne assiduus esto. Sed & eo peruenerunt insaniæ gesticulationes saltationum, ut empusas quasdã, & monstra uidere uideamur, quam homines, uel insanos, sicuti Alphonsus rex Aragonum, teste Antonio Panormita. in eius dictis, optime notauit saltatricem quandam, quam cum impudentius se agitantem aspexisset, expectate, inquit, mox Sibylla reddet oraculum. Sibylla enim uates, non nisi furore correpta reddebat oraculum. Neque ex saltationibus antiquis aliqua retinetur, præter Ciclopeam turpissimam omnium saltationem, ut notat Trebellius Pollio in Galieno, Crinitus libro 17. de honest. discipli. capitu. Nocuit & Cardianis, equos saltare, & tripudiare in pedes posteriores erectos in symposiis, docuisse. Si quidem in pugnam uocati equites, cum hostes morem equorum nouissent, tybias iusserunt modos equis consuetos cantare, quibus erecti equi sessores præcipitarunt, & uictoriam tripudiis hostibus pararunt, ut refert Arist. in repub. eorum, & Athenæ. lib. 12. cap. 6. Et Horat. li. 3. carmi. ad. 6. inter scelera sui temporis, ob quæ ueretur immitti bellũ à Deo, addit.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura uirgo: Et fingitur artubus
Iam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur ungui.

Et ode 7. eius lib. Asteriem castitatis admonens adiecit, & illud,

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER XIII.

In quo agitur de Geometria.

De necessitate Geometriæ. Cap. I.

SCriptum erat in foribus scholæ Platonis, *ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω*, nullus ignarus Geometriæ, ingrediatur: non enim huiusmodi discipulos suis arbitrabatur dignos prælectionibus. Nam septimo de rep. scribit, Geometriam ad ueritatem attollere animum, & ad philosophādum præparare cogitationem, & interesse ad disciplinas comparandas, maxime, attigeritne Geometriam aliquis, an non, & conducere ualde ad rem militarem, ad castra ponenda, regionem occupandam, colligendas, uel spargendas turmas, & ad cætera machinamenta, quibus circa acies, uel in obsidione, uel itinere uti solent. Iustitiæ quoque propriam esse Geometricam proportionem, & omnium in rep. actuum docet Marcil. Fici. in arg. lib. 3. Enneadis tertiæ Plotoni cap. 5. quod late prosequitur Arist. lib. 4. Eth. ad Eudemum. Talem autem dicit quando totum ad totum comparatur, aut alterum ad alterū: non continuam proportionem, uel equalitatem numeri, quia illa proportio arithmetica. Docet, & distribuit istas proportiones. Arist. 5. Ethi. ad Nicom. Atque quomodo in iustitia distributiua seruetur proportio geometrica, in commutatiua Arithmetica. Sed & propius ad rem saluti societatis humanæ conducere terræ dimensionem, postquam illa pronomina meum, tuum, suum, res distribuerunt, nemo est qui nesciat.

Limes quippe erat positus, litem, ut discerneret, agris.

Limes autem non nisi decempedatoris, finitoris, uel agrimensoris arte Geometrica, constitui, uel conseruari, uel restitui potuit. Vnde Alphorab. apud Aegyptios ob confusos a Nili inundatione agrorum fines, necessario natam Geometriam tradit, ut commodius diuiderentur, Quinctil. libro 1. Institu. orat. c. 18. ratus est omni ætati hanc utilem, & necessariã esse: pueris, ad acuenda ingenia: alijs autẽ omnibus, quia ea numeros, & formas docet, computatio autem omnibus sit necessaria, cum de his lites maximæ oriantur.

De nomine, & diuisione geometriæ. *Cap. 2.*

Γεωμετρία, Geometria, nihil aliud est, quam terræ mensura: uersatur namque circa puras dimensiones, sicuti Arithmetica circa puros numeros: stereometria autem dimensioni bus addidit pondera; Astronomia uero numeris, & dimensionibus cœlestes metitur motus. Geometria habet theoricam, & praxim: Theorica, sola mentis cogitatione, quãtitates, proportiones, & earum mensuras intuetur: Praxis, experimento sẽsibili, mensurat. in utraq. subiectum, magnitudo, uel quãtitas, quam terminis, & interuallis distinguit, & concludit utraque; Gel. li. 6. c. 18 Geometriæ partem facit ὀπτικὴν κανονικήν: illam ad oculos pertinere, hanc ad aures; utraq. spatijs, & interuallis linearum, & ratione numerorum, consiare.

De magnitudine, & specie magnitudinum, & puncto, & lineis. *Cap. 3.*

Magnitudo, est unius cuiusque rei extensio: extensio autẽ uel in longum, uel in latum, uel longum, latũ, & profundum sit. Longitudo sola, dicitur linea: quod habet longum & latum: superficies, quod longitudinem, & latitudinem habet & & profundum, dicitur corpus: de cuius mensura non erat certa determinatio tempore. Plat. ut ipse ait 7. de repub. Linea, lõgitudo est sine latitudine, conclusa punctis. Pũctum est, cuius pars nulla est. Punctum autem uel in linea, uel extra, uel ad voluntatem datum. In linea uel extrema, uel medium lineæ æqualiter, uel inæqualiter potentia determinat. Hoc punctum tamen, magnitudo non est, nõ magnitudinis pars, sed magni-

tudinis

tudinis omnis principium. Linea, uel recta, uel curua, uel media inter has. Constat uero Geometria ex Heronis sententia, lineis rectis uel nō rectis, quibus addit Appollonius inflexas. Has in planas & solidas, Geminus partitus. Fiunt ex lineis mixtiones & superficies. Mixtiones linearum sunt uariæ: æquidistantes, cum duæ eodem modo dicuntur, quæ tamen non se cōtingunt parallela dictę: intersecantes, quando in aliqua parte in superficie se secant. Perpendicularis, cum aliqua recta super aliam subsidente ex catheto & ad perpendiculum cadit. Obliqua cum non ex directo cadit, sed lateraliter. Diametralis, cum linea circulum æqualiter in duas partes diuidit, chorda dicta si inæqualiter supra uel infra centrum. Fiunt una linea circuli, uel eccentrici uel concentrici.

De figuris Cap. 4.

Fiunt & lineis figuræ & superficies, quando clauduntur lineę in corporibus, figuras χήματα Græci geometrę appellant, ut ait Gellius in 1. c. 10. quarum duo genera, ἐπιπέδον & στέρεον, planū & solidū. Planum, quod latum & longū solū est, ut in area triquetra, quadrataq; figura. tales & aliæ figuræ rectæ, circulares, ęquales, inæquales; anguli, rectilinei obtusi, acuti, concaui, conuexi. Sunt & figuræ corporibus cōmunes, quarum initium dicit Aristot. 1. magno. moral. c. 10. triangulum. cum tamen figura alia sit agonia. i. sine angulis, ut sphærica; sine longitudine, ut globus, cum longitudine rotunda, quæ cilindrica: cum latitudine rotunda, vt in Trochleis. Sed de angularibus intelligendus Arist. nisi angulus ad imaginationem aliarum trahatur. Angulares figurę, sunt triangularis quadrata, rhombus seu pendes quadrata, Rhomboides pendens longa. parallelo grauius quadrata, parte altera longior: pentagonus, exagonus, hapragonus. isopleuros, cuius tria latera angularia æqualia; isochelos, cuius tantum duo latera trianguli ęqualia; rectus angulus media pars quadrati; ex omni latere inęqualis; scalens. Trapezūs, quæ ex altera parte habet inæqualitatē. Extant li. 5. Ioan. de Regiomonte, de triangulis omnimodis, & eiusdē ἐλογχῆικα de quadratura circuli, & Nicolai Cusani, & Orontij Finęi de eadē li. Sunt autē orbiculares figurę, pyramides ex basi lata ad punctum fastigiatę. Illud porro notabile ī figuris, nullū angulū esse figurā, sed figurę principiū esse.

Secundo nullam solam lineam, angulum perficere: Est enim omnis figura, omni quaque ex parte finita actu.

Tertio notabile, omnem lineam superinductam figuræ, figuram illam destruere, ut ait Arist. problem. sect. 15. q. 1.

Quarto nulla simplex figura, corpus est, ut docet Galen. lib. 1. de element. ubi & fere de omnibus figuris meminit: & latius de his omnibus Euclides in 1. Martia. Capella li. 6. circa finem. Archimedes Syracusius li. 1. & 2. περὶ σφαίρας καὶ κυλίνδρου, de sphæra & cylindro, & lib. de circuli dimensione. Et Eutochius Ascalonita in commentar. Archimedis in illos prædictos libros. Ioan. Vœgelin. Hyalpronensis, in elementali geometrico. Carolus Bouillus in introductorio geometrico. Sebastian⁹ Serlius, li. 1. de architectura. Pertinēt ad figuras formę agrorum quas cōstituit quintuplicis generis Aggenus Vrbicus, in commentariis ad Iulium Frontinum de limitibus agroru m. Vnum, quod ex flexuosa linea continetur; alterum quod ex flexuosa & rationalibus: tertium, quod ex circunferētibus: quartum, quod ex circunferentibus, & rectis: quintum quod ex rectis: quorum species sunt infinitę ex mixtionis diuersitate. Pertinent quoque ad easdem figuras ichnographię quæ fiunt in Architectura. secundum graphicam delineationem. item scenographia apud Vitruuium li. 1. cap. 2. & alibi. & Leo Baptistam Albertum, lib. 1. rei ædificatoriæ. cap. 1. & 8. & lib. 2. cap. 1.

De corporibus, pyramidibus, & columnis. *Cap* 5.

CORpora tres habent dimensiones, longitudinem, latitudinem, profundum, ut ait Arist. 3. metaphys. c. 5. Corpus uel indefinitum uel finitum est. Indefinitum, quod aliqua sui parte relinquitur: non finitū, qualis est solidus angulus quem plani anguli claudunt, angulis ad unū commune punctū cōcurrentib. Cæterum indefinitum corpus est, in mēte indefinitū, cum re ipsa omne corpus sit finitum. Finitum corpus est, quod ex omni quaque parte, uel una superficie uel plurib. terminatur; ueluti sphæra solida, & concaua, pyramis, columna, cub. octocedron, dodecedron. Pyramidum duæ species, perfecta, & curta: perfecta, quæ procedit ad conū, & supremū uerticā: hæcq; potest esse rotunda, si basis sit circulus; uel trigona,

tetragona,pertagona,exagona, &c.Curta,quæ ad conũ non peruenit. Sũt & columnæ rotundæ, trigonæ,tetragonæ &c. quibus & accedere poſſunt pro forma uaria,diuerſæ baſes,ca pitula, puluini,uolutella,epiſtylia,coronix,zophorus,ſtiloba ta, ſcapi, thori, ſtriæ,tochili,plinthi,ſupercilia,aſtragali, ſca-mili,uaricephal,varicę,cymatia,forma Ionica,Corinthia,Do rica,&c. quorum diagramma & tractationem,uide apud Vi-truuium lib.3.& 4. & apud Leo. Baptiſtam Albertum lib. 7. de re ædific. cap.6.7.8.9.15.& lib.1.cap.10.

Communia magnitudinibus omnibus. Cap. 6.

COmmunia lineis,ſuperficiebus, corporibus,ut eorũ magnitudines conſiderari poſſint ſecundum contiguitatẽ, uel cõtinuitatẽ,& conſequentiã.Termini magnitudinũ, pun ctum,linea,ſuperficies;interualla,longitudo,latitudo,& profundũ quoque in corporib.Differẽtiæ interuallorum ſurſum, deorſum,dextrũ,ſiniſtrum;ante,poſt.Geographi ſurſum dicũt arcticum polum;deorſum antarcticũ,orientẽ dextrum, occidentẽ ſiniſtrũ.Plin.tñ li.2.c.8.læuũ accipit pro oriẽtali plaga, dextrũ pro occidentali,cũ a læua parte mundi,curſus feratur in contrariã partẽ planetarũ.Videndus Vitr.li.9.c.4. At Varro de ling.lat.ſiniſtrã ad orientẽ,dextrã ad occaſum,anticã ad meridiẽ,poſticã ad ſeptentrionẽ refert.Hyg inius & Iul.Fron tinus de agro.limit.& eius cõmentator Agenius Vrbicus, dex tram appellaruntſeptẽtrionem, ſiniſtram meridiẽ,altitudinẽ uerſus orientẽ. At augures qui circũſcribebãt aeris regiones, dextram meridiem poſuerunt,ut conſtat ex Liuio in 1. & Phi lan.in li.9.Vit.c.4.Intelligere tñ debemus,nõ eſſe in cęlo dex trũ uel ſiniſtrũ,niſi noſtro reſpectu,ut ait Ariſt.li.2.de cęl.c.2.

De inſtrumentis ſeu medijs geometricis. Cap.7.

INſtrumenta, quibus hæ figuræ fiunt, diriguntur, uel menſurantur corpora, norma, libella, quæ nunc ſcadra, de qua apud Vitruui. libr. 9.cap. 2.cathetos ſeu perpendiculum, de quo Vitruu. libr. 3. capi.3.circinus, rectus & ualgius, ſeu intortus, de quo Ouid. libr. 8. metamor. dum de fato ſororis Dædali filio agit. At pro interuallorum dimenſione, extant

tāt Astrolabium, annuli geometrici, radius astronomicus, seu baculus Iacob, pertica, & similia. ex quibus triplex conficitur mensuratio, prima, altimetria quæ de altitudine; secunda, planimetria de longitudine & latitudine, tertia, sterometria, secundum longit. latitud. & profundum. De astrolabio, eius partibus, & usu extant infiniti fere libri, unde haurire poteris, tibi quæ ex usu fient. & inter præstantiores est author Stophlerinus de fabrica in primo, in 2. de usu astrol. Rodolphus Battingius Frisius de methodo usus astrolabij. Ioannes de Roias in commenta. in Astrolabium siue planisphærium. Iacobus Kœbelius in astrolabij declaratione. Annuli fabricati etiam sunt, quæ planæ sphæræ habeant sicut astrolabium similitudinem, de quorum compositione & usu, euulgarunt libellos P. Beausardis, Gemma Frisius. Ioā. Dryander, Bonetus Hebræus, Burchardus Mythobius, Orentius, Finæus, Ioan. Regiomontanus. Porro de radio astronomico, extat liber proprius eius nominis Gemme Frisij. Pertica fuit etiam apud Græcos & Romanos, instrumenrum mensurandi, illa erat decem pedum, unde metator decē pedator dicitur a Cicerone 3. philip. Apud Persas pro pertica, in usu funiculus, qui dictus schænos stadiorum 60. Ptolom. 30. Hebræis חבל, chebel Psal. 77. ibi diuisit illis terram in funiculo distributionis. utebātur etiam Hebræi קנא kana, id est, arundine seu calamo, pro mensuris, ut apud Ezechiel. c. 4. & albi.

De gradibus mensurarum & instrumentorum, quibus interualla terræ mensurantur. Cap. 8.

MEnsuratum gradus & partes ex Schonnero lib. de globi terrest. usu, c. 12. sic colliguntur.

Ex granis digitus quatuor formabitur unus,
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus.
Quinque pedes passum faciunt: passus quoque centum
Viginti quinque stadium dant: sed miliare
Octo dabunt stadia, at duplatum dant tibi leucam.

Sed facilius ex cosmographia P. Apiani c. 11. ex Geor. Agrico. de ponderib. & mensuris sic collige.

Digitus latitudine 4. granor. hordei, quatuor digiti 3. pollices faciunt. Robertus Cenalis de uera mensura. & D. Hieron. in Iob digitus Hebræis & sbaa.

Vncia

Vncia habet 3.digit.

Transuersa manus 4.digit. Palmus miaor Hebræis dicas 2. Palmos.

Spithama seu Palmus maior 3. Palmus minor. Plinio dodrans semicubitus, Hebræis zereth atsalah.

Pes 4.mino.Pal.

Sequipes & cubitus sex Pal.mi. Hebræis amah.

Cradus uel gressus 2.pedes.

Passus simplex 2. pedes cum dimidio, Hebræis Tzeah uel Tzeadah.

Passus geometricus 5.ped.

Origa ulna, amplexus seu brachium, est hexapeda mensura, Gall. toise, Hebra. chorsem.

Calamus comprehendit cubitos 6. uulgares & sex Palmos.

Pertica decem pedes, calamus sanctuarij maior pertica palmis duobus, aliis 15. pedum, ex Varro. de re rust. 1, 10. & Colu. lib. 5. c. 1.

Plethrum, pedum 100.

ἄρουρα georgica mensura, ped. 50. dimidium plethri.

Clima ped. 60.

Actus quadratus undique, finitur pedibus 120. latine acuna. hic actus duplicatus in longum, iugerum facit, quod uno die iuncti boues exarent, Plinius lib. 18. c. 3. At Hebræis manesch & tzemeth, diuersa tamen pro modo prouinciarum; Iugerum Parisinum perficitur perticarū centuria & pertica 22. pedum, quadratus numerus eius 484. pedaneas habet mensuras; iugerum Anglicanum quod illis acre 40. perticarum in lōgum, 4. in latum, pertica 16. ped. hyda autem apud illos mensura 20. continens iugera, ut notat Polyd. Vergil. lib. 9. histo. Anglo.

Porca ager in latum habens 30. pedes, in longum 180.

Scrupulum iugere pars minima habens 10. ped. in longum & latum quadratum, ex cuius mensura perueniunt metatores ad uncias & sextantes agri donec ad iugerum peruenerint, quod habet 278. scrupula. Sunt ex diuersitate nationum alia, ut arpentum, satum, quatrarium, medimnum, aratiunculæ.

Mansum 20. Iugerum mēsura circunscribitur, ut notat Robertus Cœnalis de uera mensuræ ratione, fol. 48. relatione facta ad Anglica. Nam dimensionem in ecclesijs, culturæ autem rusticanæ 15.

Stadium habet 125.passus.

Diaulos 2.stadia.Dolichos stadiorum 12. passum 1500.

Miliare Italicũ 100.passus 8.stadia.Millia Germani 4000. passus 32.stad.Miliare magnum 5000.paſ. Milliare Teutonichum Schonnero libr. de usu globi terrest. cap. 12. est 5760. passuum.

Leuca communis 1500 paſſ Hebræis milliare cibrath.

Parasanga Persarum 30.stadia.Herod.in 2.Agatio autam 2. de bello Goth.21.stad.

Shænos uel funiculus Ægyptiorum 60.stad.Ptolomæo 30. meminit & Herod.in 2.qui tribuit milliaria 7. cum dimidio, Iacob Zyeglerus,cosmogra. terræ ſanctæ 4. milliaria mediocria Germanica.

Stathmos nostris poste.tabellariorum uel ueredariorum diuersorium dicta mensura maxima apud antiquos non fuit ubique certa.28.millia, & semiſſ. millia. meminit & de stathiuis regijs Herod.in 2.constituunt leucas 14.

480. Stadia uni gradui circuli æquinoctialis respondent quæ reddunt milliaria 60.Italica,Germanica 15. Gallicarum leucarum 15.Hispanica.28.ex quibus totius mundi facile colligitur mensura. Nam totus orbis diuiditur: primo in imperia: imperia, in regna: regna, in prouincias: prouinciæ, in regiones: regiones in loca: loca in territoria: territoria, in agros;agri, in centurias: centuriæ, in iugera: iugera, in climata; climata,in actus; actus, in scrupula & perticas;pertica, in passus & cubitos; passus in pedes. pes in palmos;palmus in uncias; uncia, in digitos; digiti in grana.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER XIIII.

In quo agitur de Optica.

De considerandis in optica, & quid, & de uisu. Cap. I.

Ὀπτικὴ pars Geometriæ est, quæ ad uisum pertinet, & de eius mirabilibus uidendi formulis & deceptionibus, rationem reddit, ut ait Gellius lib. 16. c. 18. In hac sex considerantur, uisus, uisibile, medium uidendi, uisibilis species, uisibilis radius, specula. Visus organa sunt oculi & nerui optici dicti, a cerebro fluentes, qui ad oculos usque perueniunt, Vitello lib. 3. optices Theor. 20 cum his a cerebri humore secreto, pars purissima ad oculos tendit, sensorium quoque frigidum & humidum, quemadmodum & cerebrum, ut ait Arist. lib. 2. de genera animal. c. 9. Ideo lib. 5. c. 1. uisum aquæ tribuendum censet: sic cessitque uisus cum humido caret, ut ait Hippocra. lib. de uict. ratio. & Galenus crystallinum in oculo humorem, causam potissimam uisus dicit lib. de instru. odorat. Sic uidere proprie oculorum est, ut iudicare, rationis; memoriæ, meminisse, ut notat Macrob. lib. 7. Saturnal. c. 5. Cæterum uisus, est perspectiua potestas, quæ uisibilia obiecta depræhendit. Sensuum omnium hic certisimus ducitur, discernit namque eminus, quæ corporibus insunt annuntians, nempe colorem, magnitudinem, figuram, motum, positionem, interuallum, ut notat Galenus lib. 16. de usu part. corpo. huma. c. 3.

Vnde oriatur uisus. *Cap.* 2.

CIrca potentiam uisualem, uariæ opiniones: alij quippe putant oriri ex imaginibus insertis & oblatis oculorū radiis & reflexis, Democritus, Epicurus, & Lucretius lib. 6. quā refellit sententiam Macobr. lib. 7. Saturnal. c. 14. Hipparchus fieri uisum dixit ex proiectione utriusque oculi ad rem uisualem: ueluti tactum, per manuū admotionem, Plato, per corradiationem lumine ex oculis exerto, occursante re uisibili. In speculis, reflexionem imaginum, cum circulis & simul cū aere intermedio, transferri tradit Plutar. lib. 4. de plac. philos. c. 13. & 14. Alias quoque de uidendi facultate sententias, refert Arist. li. de sensu & sens. Gell. lib. 5. c. 16. Consentiunt autem fere omnes, sensum uisus per medium aerem ad coloratum porrigi, teste Galeno lib. 7. de Hippocra. & Plat. decret. cū uisus, non sit sine colore. ut ait Plato in Charmide. Zeno Citicu uidere esse ait, cum id quod inter uisum subiectumque lumē est, in coni intenditur speciem. Appollodorus aeris illam partem quæ coni speciem habet, dicit prope uisum, basim uerò prope id quod cernitur fieri. Diog. Laer. lib. 7. de uit. Philo. in Zenone, unde omnis uisio pyramidalis est, cuius uertex in cētro oculi: basis, in rei superficie: & omne quod uidetur, sub angulo uidetur. ut ait Virellio 3. perspec. theore. 18.

De uisibili obiecto, uisibili specie, & medio. *Cap.* 3.

ARist. 2. de animal. c. 7. obiectum uisus, rem uisibilem esse ait: uidetur autem mediante lumine & colore, de quibus Theophrast. in paraph. ad 2. de anima c. 22. 23. 24. obiectum autem hoc, uisibile est, siue uideatur, siue non, dūmodo aptū sit uideri apud eundē Arist. 2. de anima c. 10. Medium, est diuisibile spatium, per quod uisibilis obiecti species, ab eo ad uisum defertur, etenim inter uisibile & superficiem oculi, opus distantia est. uisibilis species, est similitudo eius quod uidetur, idipsum sensui repræsentans. uisibilis radius, linea recta, quæ a centro uisus digrediēs, ad uisibilis rei centrum, terminatur. Et hic radius, primus, reliqui autem infiniti. Speculus corpus est, quod reflexam uisibilis rei speciem, palā ipsi uisui refert.

De-

Deceptiones in uisu unde. *Cap. 4.*

DEceptiones in uisu contingunt secundum Vitellio.li.4. theo.1. uel secundum uisum,uel secundũ uirtutem animæ distinctiuam;uitantur autem, obseruantis & interuenientibus 8. sequentib. cautionib. 1.si uisibile actu lucẽ participet, alias enim non uidetur,ut idem Vitell.ait li.3.Theor.1.Ex diuersa autem lucis receptione diuersi colores fiunt, ut in pãno serico.in collo columbæ,pauonis, &c.2 exigtur,ut sit distantia conueniens inter uisibilem & uisum.Vitell.li.3.c.4.si autẽ occupetur per medium apropinquationis corpor. , intercluditur uisus; dico conuenientem distantiam requiri, pro modo facultatis oculi; nam quæ nimium distant, etsi uelocissime currant uidentur quiescere: ut in sole, luna: & sydetibus alijs licet uidere. & quadrata rotunda censentur. Lucre. 4. de rer. nat.3.ut sit oppositio rei uisæ ad uisum, Vitell. 3. theo.2. & 44.4. sit corpus uisibile alicuius quantitatis, respectu superficiei uisus,ut actu uideatur,Vitell.in 3.theorem.19. hoc est,ut si quædam inter hæc proportio debita. 5. ut corpus uisum sit aliquomodo solidũ,nam si cum diaphano uel cum medio sit similis perspicuitatis, haud discernetur. Vitell. 3. theor. 4 & li.2.theo.4.Reddit & aliã ratio iem Arist.5.de generat. anima.c. 1. atque in hoc corpore, mediũ animaduertendũ,mediũ namq; rubeum,vitri,omnia rubra uidere facit; Sic de similib. sicuti & uarius color ex humoribus pupillæ. 6. exigitur ad uisum certum diaphanus inter corpus uisibile & oculum. nam si intemperatus,uel crepusculũ,uel alio modo crassus,officit,Vitel.li.3.c.13.debetq;esse lux conueniens, ne sit nimia,potissimum in corporibus politis, ex reflexione acies uidendi obtundetur. ut si quis Solem intentis uelit intueri oculis,si autẽ minima, aut nulla,umbrę subtrahẽtes oculis.7.in uisu certo,tempus exigitur, ut uisum consideremus. Nã simplici & primo intuitu,nemo põt apprime dijudicare, nisi iterum intueatur, quod exigit tempus Vitell. li. 3. theor. 56.57 58.uisus sana dispositio requiritur:nã propter ægritudinem oculi,deceptio accidit:uel si is male sit dispositus, potissimũ in crystallino humore,quo lęso decipitur uisus.Vitell.li. 3.theor.16.Sic humor citrinus in oculo,uel rube⁹, talia reprę sẽtat & arguit uisa.si in pupilla humor crass⁹,pforata apparẽt,

si

si niger, plena muscis. Si ponatur digitus super angulum oculi, uel in angulo, res duplex uidetur, si moueatur cum digito, res moueri uidentur, eadem ratione falso Antiphon existimabant se semper ante se hominem uere uidere, quod Aristot.3. meteo. refert ad debilitatem uisus, & reflexionem aeris ad uidentem, Docuit & me hoc Claudius Celestinus li. de mirabil. mundi. Hinc ægritudines oculorũ, uisum uel debilitant, uel dissipant, uelut lippitudines, lachrymæ, inflammationes, caua ulcera: caligatio, uel propter senectutem, uel propter aliam imbecillitatem. Suffusio, quam Græci ἐπόσυχιν uocant, quæ se potentiæ oculi, qua cernit, opponit. Paralysis, oculi; ex percussione. μυδρίασις pupilla effusa uel dilatata. His annectere poteris alias uisus deceptionis causas, quas adfert Vitel. li. 4. theor. 28. & sequent. quales, & erunt imaginationes, & animi impressiones uiolentæ, & indiscreta uis visiua, ut qui cogitant & arbitrantur se mortuos uidere, quia non considerant, quæ ante sunt, sed is hallucinantur. Sicuti & passiones indicia alia corrumpunt.

De visibili. *Cap.* 5.

VIsibile omne, uel tale per se est, uel per accidens. per se duo, lux & color: Aristo.2.de anima.c.7.addit ignem lib.de coloribus. Per accidens, remotio, magnitudo, situs, corpus figura, continuitas, separatio uel diuisio, numerus, motus, quies, asperitas, lenitas, diaphanum, densitas, umbra, obscuritas, pulchritudo, deformitas, similitudo, diuersitas. Vitell. in princ.2. neque corpus ullum per se colorem sine luce habere, docet pluribus rationibus Lucret. 2. de rer. natu. incipitque ibi;

Nullus enim color est omnino materiai

Corporibus, neque par rebus, nec denique dispar.

&c. Arist. in præd.2. de animal. cap. 7. inter lucem & lumen distinguit & colorem. Lumen dicit perspicuum; ut est aer, aqua, & solidorum complura, ut uitrum, glacies, crystallum: Traditque lumen esse actus perspicui, & colorem in lumine uideri lucem autem & in tenebris & sine lumine, ut in igne. ideo Vitell. diaphanum corpus lib. 2. definit, per quod lumini patet transitus: & contra umbrosum, per quod non patet.

De

De luce & coloribus. *Cap. 6.*

LVx in primam & secundam & minimam separatur. prima, secundam & tertiam facit: ut lux prima, quæ illuminat totam domum: secunda quæ in angulis domus est; minima, quæ si subdiuidatur, non habebit actum lucis. Theoremata lucis prosequitur Ioan. Pisanus episcopus Cameracensis, in perspectiuæ lib. 1. quam emendatam protulit Paschasius Hamelius nuperrimè. Color, est motus actus perspicui, apud Aristot. apud Themistium autem 2. de anima cap. 22 & Plato. in Timæo, color est ueluti flammula quædam, fulgorque ex singulis corporibus emanans, partes habẽs, uisui ad sentiẽdum accommodatas, Album & nigrum, duo colores præcipui uisum disgregat album, congregat nigrum, at ait Plato in Timæo. Ex horum commixtione secundum plus & minus, quinque oriuntur alii colores, iuxta Aristo. de coloribus si æqualiter misceatur rubedo: inter album & rubeum alij duo, unus albo, alius rubro proximior: ille glaucus, hic puniceus. Sic inter rubeum & nigrum, alij duo proximior rubeo purpureus, nigro uiridis. Lux apud pictores potissimum, de substantia coloris ponitur, eaque est clara, obscura, multa, pauca. Multa & clara, albedo in puro perspicuo. Obscura & pauca, nigredo. Ideo, ratione remissioni, uel intensionis, lucis, alij 7. colores ab albedine ad nigrediuem oriuntur; alii septem a nigredine ad aldebinem. ita in summa colorum 3. principales, albedo, rubedo, nigredo, & 14. mediæ: quorum septem per intensionem graduum ab albo ad nigrum: & septem, per remissionem a nigro ad album. Constant autẽ omnes, subiecta materia & luce quæ ei admiscetur, & modio. Qui plura de coloribus & picturis desiderabit, consulat Plinium lib. 35. Cardanum lib. 7. de subtil. & lib. 13. de rer. uarier. cap. 67, Alciat. Antonium Tylesium li. de coloribus, & nos infra de pictura agemus Deo iuuante.

De triplici uidendi modo, & de directa uisione.
Cap. 7.

VIsio ob triplicem uidendi modum, triplex est: directa, reflexa, & refracta. Directa, cum uisibilis radius, rei uisæ est perpendicularis. quod fieri potest, uel sursum, uel deorsum, uel ad latera, cum respectu omnium centrum, sit oculus. De quo uisu Aristoteles quædam adfert libr. problem. sect. 11. quæstio. 62. Sciendum tamen, una uisione simul sursũ deorsumque, & ad latera, inspici non posse, quia axis, uel acies uisus, ad diuersa simul non dirigitur, ut docet Vitel. princ. lib. 4. perspecti.

De reflexione uisus, & speculorum differentia.
Cap. 8.

VIdendi modus per reflexionem alius: reflexio fit in corporibus politis arte, uel natura, & hæc corpora specula dicuntur. Politio corporum, est continuitas partium superficiei politi corporis, sine sensibili diuisione, uel sine poris. Speculorum reflexionem facientium plures inueniuntur species, ut alia sint plana; alia connexa; & triplicis generis sphæricatria; concaua, columnaria, pyramidalia, de quibus, & eorum reflexionibus. Vitell. libro quinto, theorem. octauo, & sequent. Cardanus ex illo libro decimoquarto, de subtilit. & de chalibei specu li compositione. libro undecimo, de rer. uariet. capitu. 57. de alio alterius generis, libro 13. de rer. uariet. capitu. 63. De experimentis omnium speculorum Antonius a Porta, libro quarto. de miracul. rer. natural. Vitellio. libro quinto, sexto, septimo, octauo, nono. Ioannes Pisanus in secundo libro perspect. quam emendauit Paschasius Hamelius. In reflexionibus omnibus a quibuscunque speculis factis, apparet quidem forma rei, ut plurimum ante oculos conspectui quasi opposita, cum tamen secundum ueritatem non opponatur; omnisque reflexio debilitat uires, & colores, quamobrem in omni reflexione latet uisum ueritas lucis, & coloris plus quam in directa uisione. De speculis etiam Vitellio egit, libro nono, theorem. 44. quæ radijs solaribus exposita ad communem eorundem radiorum concur-

cursum, ignem accendere possent; inter quæ illud celeriorem uidetur efficere combustionem, quod sic excauatum est, ut in eius superficiem incidentes radij solares, ad unum certum, & commune punctum refrangantur. quando illud in formam sectionis recti, atque rectanguli coni, quæ parabola dicitur, fuerit excauatum. De cuius artificio Orontius Fineus librum composuit, de speculo ustorio.

De refractione. *Cap. 9.*

Visio refracta fit, cum per medium alterius diaphani fit, ut cum per aerem fertur, uisio, uel sub aquam, uel ultra uitrum; huic enim dissimile medium occurrens, uisuales radios refrangit, & fracto radio, res apparet interrupta; atque secundum diuersitatem diaphani, fiunt diuersæ refractiones. Maioris quippe diaphani, & magis lucidus aer aqua, & ignis aere; Et aquæ quæ puriores, & liquidiores commixtis, & densis. Et quo magis diaphanum crassius, eo magis figura crassior, de quibus omnibus Vitellio li. 1. Macro. libr. 7. Saturn. c. 14. Ioan. Pisanus toto lib. 3. perspectiue.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER XV.

In quo agitur de Arithmetica, & mensuris, & ponderibus.

De numero, & numerandi notis. *Cap.* I.

GRecis arithmos, numerus latinis est, unde arithmetica, ars numerandi. Soli autem homini, inter omnia animantia datum est, posse numerare, ut ait Aristoteles problema. sectio. 30. questio. quinta. Tradit Suidas in uerbis γελοιότερον Μελτίδου, stultius Meltide. Amphistidem, ut fatuum a poetis exa-

Numerorum notæ anti-

	Indorum.	*Græcorum.*
1		α
2		β
3		γ
4		δ
5		ε
6		ς
7		ζ
8		η
9		θ
10		ι Δ
11		ια Δι

exagitatum, quod ultra quinque numerare nesciret. Numerus, est multitudo ex unitatibus numerantibus aggregata. Sūt enim unitates, in unoquoque numero, ut ait Aristoteles, libro 13. metaphysico. capitu sex o. Numeratio, est summę cuiusuis uel numeri expressio. Expressio autem est diuersa pro modo regionum, & idiomatum, figurę que numerorum diuersę. Nā interdum notis, interdum calculis multiplicatis, interdum literis, numeratum; interdum clauis. Notę extant Arabicę quas sifras dicimus. Sic meminit Plinius libro septimo, ante usum literarum, per clauorum fixionem annales consulares numeratos, atque Volsinis clauos quoque indices numeri annorum fuisse, in templo Nortię Hætruscæ deæ. Plinius libro septimo, capitu. 40. Thracię gentis morem esse scribit calculis colore distinctis pro experimento cuiusque diei, scilicet, num fœlix, uel infœlix contingerit dies numerare, & in urnam condere, ac supremo die separatos dinumerare, atque ita de quoq; pronuntiare. Alludit Persius Sat. 2.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo.

quorum. *Cap.* 2.

Hebræorum.	*Latinorum.*
א	I
ב	II
ג	III
ד	IIII, uel IV
ה	V
ו	VI
ז	VII
ח	VIII
ט	IX
י	X
יא	XI

Indorum.	*Græcorum.*
12	ιβ ΔΙΙ
13	ιγ ΔΙΙΙ
14	ιδ ΔΙΙΙΙ
15	ιε ΔΠ
16	ιϛ ΔΠΙ
17	ιζ ΔΠΙΙ
18	ιη ΔΠΙΙΙ
19	ιθ ΔΠΙΙΙΙ
20	κ ΔΔ
21	κα ΔΔΙ
22 &c.	κβ, &c. ΔΔΙΙ, &c.
30	λ ΔΔΔ
31	λα ΔΔΔΙ, &c.
40	μ ΔΔΔΔ
41	μα ΔΔΔΔΙ
50	ν |Δ|
51	να |Δ| &c.
60	ξ |Δ|Δ
61	ξα |Δ|ΔΙ, &c.
70	ο |Δ|ΔΔ
71	οα |Δ|ΔΔΙ
80	π |Δ|ΔΔΔ
81	πα |Δ|ΔΔΔΙ
90	ϑ |Δ|ΔΔΔΔ
91	ϑα |Δ|ΔΔΔΔΙ
100	ρ Η
200	σ Η
300	τ ΗΗΗ
400	υ ΗΗΗΗ
500	φ |Η|
600	χ |Η|Η
700	ψ |Η|ΗΗ
800	ω |Η|ΗΗΗ
900	ϡ |Η|ΗΗΗΗ
1000 mille	Χ
2000 bis mille	ΧΧ
3000 ter mille	ΧΧΧ
4000	ΧΧΧΧ
50000 quinque mil.	Χ

Hebræorum.	*Latinorum.*
יב	XII
יג	XIII
יד	XIIII
יה	XV
יו	XVI
יז	XVII
יח	XVIII
יט	XIX
כ	XX
כא	XXI
כב	XXII
ל	XXX
לא	XXXI
מ	XL
מא	XLI
נ	L
נא	LI
ס	LX
סא	LXI
ע	LXX
עא	LXXI
פ	LXXX
פא	LXXXI
צ	XC
צא	XCI
ק	C
ר	CC
ש	CCC
ת	CCCC, uel CV
ך	CCCCC uel IↃ
ם	CCCCCC
ן	CCCCCCC.
ף	
ץ	
א̈	M uel CIↃ uel ∞
ב̈	
ג̈	

Indorum.		*Græcorum.*
6000	ς,	X|X
7000	ϛ,	X|XX
8000	η,	X|XXX
9000	ζ,	X|XXXX
10000, myrias, decem mil.	ϑ,	M
20000	ι,	MM
30000	κ,	MMM
40000	λ,	MMMM
50000 quinquaginta mil.	μ,	|M|
60000	ν,	M|M
70000	ξ,	M|MM
80000	ο,	M|MMM
90000	π,	M|MMMM
100000 centum millia	ϑι,	
200000 ducenta mil.	ρι	
300000	σι	
400000	τι	
500000 quingenta mil.	φι	
600000	χι	
700000	ψι	
800000	ωι	
900000 noningenta mil.		
1000000 decies cent. mill.		

De diuisione numerorum. *Cap.* 3.

NVmerus omnis, aut monadicus simplex, quem uocant digitum, aut ex monadibus compositus, uocant articulum; uel ex utroque compositus. Monadicus, non egreditur denarium. Sic 1.2.3.4.5.6.7.8.9.& o. zero. Decadici hi, 10.20.30. 40.50.&c. addito semper, o, micron, monadicis. Cōpositi, uel mixti, ut 12.13.14.15.16.&c. 120.131.142.&c. Monadicus, denarium non excedit, etiā apud exteras nationes, adfert rationes Arist. proble. sect. 15. q. 3. Quomodo autem per digitos & articulos, antiqui numerarent, docet Bed. li. i. de nat. rer. cap. i. Numerus rursum omnis, uel secundum Theoriam, uel secundum Praxim consideratur: & in Theoria, uel secundum se, ad figuras

Hebræorum. *Latinorum.*

ט̈	ↀ,vel IↃↃ
ה̈	
ו̈	
ז̈	
ח̈	
ט̈	
א̈ א̈	ↀ uel CCIↃↃ
ב̈ ב̈	
ג ג	
Multiplicant deinceps suas notas	IↃↃↃ
	CCCCIↃↃↃↃ

figuras geometrias non applicatus; uti si dicimus duo simpliciter, uel ad aliquid, relatione facta ad aliud, ut si cõsideremus 4. relatione ad 2. aut ratione figuræ. Secundum se rursum, ut si sit par, aut impar; sunt n. illa duo elementa numeri, secundum Arist. i. met. c. 5. ande mixtio eius qui pariter par, & pariter impar. Par in ęquales diuiditur numeros; impar in inęquales, pariter par is, cuius partes in pares diuiduntur; pariter impar, contra; hinc & impariter par.

Numerus par. 2. 8. 16. 12. 8.

Impar. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 15. 17. 19. 21.

Pariter par, ut 8. 32. 128.

Pariter impar, ut 6. 10. 14. 22.

Impariter par, qui semper non diuiditur in pares, 12. 20. 28. 40.

Diui-

Diuidunt & iterum numeros in perfectum, diminutum, abundantem, cum alio æqualem uel inæqualem, maiorem, minorem, duplum, triplum, &c. Item abundantem, in superparticularem, sesquialterum, sesquiquartum, superpartientem. Cũ autem transfertur numerorum consideratio ad figuras geometricas, numeri alio modo quam notis arithmeticis exprimuntur, nempe punctis seu calculis, uel uirgulis, quibus superficies suorum corporum demonstrant geometræ ex Pythagoræorum dogmate, & tunc alio etiam modo intelliguntur. Horum autem numerorum quidam lineares dicuntur, qui habent longitudinem, cum unitates in unam partem extenduntur ut ..... Alij plani, quibus figuratur superficies, ut: : : : & trigonus .·. tetragonus, pentagonus, exagonus, heptagonus, & sic de reliquis figuris, quas punctis construunt. Alij solidi quando per numeros ponunt longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ut in figuris, quas dicunt pyramides, & cubos. Porro numerus cubicus, fit ex bino ductu cuiuslibet numeri in se, & in sui productum, ut fit 8 a 2. & 27. a 3. de quibus omnibus uidendus Boet. in Arithme. Psellus, Iodo Clithoneus, Faber Stapul. Orõtij, Buteonis, Forcatuli & aliorum arithmeticæ; Euclides 7.8.9. geometriæ.

De praxi Arithmetices, & notarum uel calculi ordinatione. Cap. 4.

Illud, post notarum & figurarum cognitionem, obseruandum in dispositione & ordine illarum, minorem semper esse numerum qui ad dextram est, eo qui ad sinistram: dehinc, primum in dextra gradiendo uersus sinistram, significare monadem, secundum decadem, tertium centenarium, quartum millenarium, quintum decimum millenarium, sextum centenarium millenarij, septimum myriadem. accipe typum,

sinistra.	2	5	6	7	2	3	5	*dextra.*
	myrias.	centena millen.	decimus millen.	millenarij.	centenarij.	decades.	monades.	

Sic

Sic autem summa exprimitur huius numeri, duæ myriades, quingenta sexaginta septem milia, ducenta triginta quinque. Dehinc obseruandum, zero, uel omicron o. ubicũque addatur, decem addere, per se autem, nihil ualere uel ponere, sed aliarum notarum ualorem denario augere. ut 1. cum o. valet decem, sic, 10. & cũ 2 ualet sic 20. uiginti. sic de 3. 4. 5. &c. dicendum. Quod si duo o o. uel tres o o o. addantur monadibus, primum dextrum addit decem, secundum uersus sinistrã docet notam ualere centum, si tertium, ualere mille, si 4. decem millia, & sic consequenter usque ad myriadem, ut 10. ualet decem, ut 100. centum: 200. ducenta, 1000. mille, 2000. duo millia &c. In calculis, dispositio, quæ fit a dextra in sinistram in siphris, fit in lineam sursum, ut inferiores minoris, superiores maioris numeri sint.

Quod si ad latus aliquis calculus adijcitur parti sinistrę, hic mediam partem eius numeri, cui adijcitur, ualet.

o *myriades*
o *centenarij millenarij*
o *decanici millenarij*
o *millenarij*
o *centenarij*
quingenta o o *decades*
quinque decades o o *monades*
o
quinque medium decadis.

De regulis communibus. Primum de additione. *Cap.* 5.

COmmunia utrique modo numerandi sunt, additio, substractio, multiplicatio, partitio, de quibus dantur regulę & praxes. Additio est duorum uel plurium numerorũ, in unã summam collectio. Regulæ additionis hæ 1. numeri addendi perpendiculariter secũdum propriam naturã subscribẽdi, monades monadib. decades decadib. & postea linea claudẽdi, ut

1 5 3 2	*numeri addendi*
2 3 4 2	*linea*
3 8 7 4	*additio*

Secunda

multiplicā-8 ✕ 2 di numeri 7 ✕ 3 —————— 5 6	Sic autem operare, ter 2. sunt 6. subscribe 6. postea, substrahe ab 8. priori 3. uel ab inferiori 7. 2. supererunt 5. subscribe itaque illis 5. & habebis septies octo facere 56.

Disponimus & sic numeros in multiplicatione.

2 3	*numerus multiplicandus per 12.*
1 2	*numerus qui multiplicat.*
4 6	*progressio prima multiplicat per 2. cum 3. & 2.*
2 3	*progressio secunda multiplicat per 1. cum 3 & 2.*
2 7 6	*summa ex multiplicatione.*

Regulæ multiplicationis. Prima, numerus multiplicandus prior scribendus, posteà is per quem multiplicatur, dehinc linea subijcienda.

Secunda, incipienda multiplicatio a dextra in sinistram. Tertia, sint plures numeri multiplicandi, ut 352. per unum multiplicantem, ut per 3. ordine cum illo multiplicante sunt prosequendi ut ter duo sunt 6. ter 5. sunt 15. ter. 3. 9. sic 352.

3
————
1 0 5 6

Quarta, si plures sint multiplicantes, unus post alium, omnes multiplicandos prosequitur numeros, subijciendo primā quamque summam multiplicatam, sub multiplicante, postea a dextra in sinistram, ut hoc exemplo docetur,

1525	
63	*numerus multiplicandus.*
	multiplicans.
4575	*pri. summa ex multipl. multiplicant. 3.*
7150	*secunda summa ex senario.*
70075	*summa integra.*

Deducitur & quodlibet totum seu as in suas partes, pars in partes & minuta. vt as in uncias, vncia in semiuncias seu 2. partes, uel in sextulas, id est. 3. partes &c. ut apud Volusium Metian in lib. de distribu. partium. aureus in solidos, solidi in denarios &c. sic de similibus usque ad prope infinitas partes, & sicut indicat Horatius in arte poeti. dum ait,

Romani

	1	
	2 60	*superſunt diuidenda*
	1 1 0	
numerus diuidendus	3 4 8 0	
numerus diuidens	1 2 4 4	28 *proueniens*
	1 2	*numerus*

De alijs regulis. Cap. 11.

EST alia norma numerandi, cum datis trib. numeris, oportet quartum proportionalem inuenire. uocant regulam ſocietatis uel trium rerum, uel quatuor proportionarium: in qua, ut ſe habet primus numerus ad tertium cognitum, ita ſe habet ſecundus ad quartum. ut ſi primus ſit res certa æſtimata, ſecundus eius pretium, tertius numerus aliarum rerum pari modo æſtimandarum, ex illis conſurget quartus pretium earundem. Cuius regulæ conceptio hunc in modum fit. ſi 3. libræ plumbi emantur 50. aureis, quot aureis ementur 20. libræ plumbi. Diſponitur autem ſic, ſi 3.50.20. in quo, ad quartum habendum, oportet multiplicare poſtremum numerum dextrum per ſecundum uerſus ſiniſtram, & multiplicatio dehic diuidenda per primum, & conſurget quartus hoc modo,

multiplico	20
per	50
	00
	100
	1000 *ſumma multiplicationis*

Diuido ſummam, multiplicatam 1000. per 3. ſic

1 1 1	
1 0 0 0	333
3 3 3	

Et ita uiginti libræ plumbi ualebunt 333. aureos. ſed ſuper eſt unitas diuidenda. quam ſectionibus minoribus multiplicando. poſtea ad diuiſionem ſimilem reuocabis. Eſt & alia regula quæ Algebræ eſt, quadraturæ numeri & cubi. Quadrare numerum in ſeipſum ducere, hoc eſt, præfatum numerum toties in unum componere, quot in eo ſunt unitates. ut pote, ſi multiplica uero 4. per ſe, conſurgent, 16. qui numerus erit quadratus:

subuertere dialogo de diebus decretoriis, subuertere nititur, referens uim non ad numerum, sed ad naturæ efficaciā in decretoriis diebus & aliis: Quod numerus per se actus non sit, sitque in mathematica abstractione, & imparitas sit forma accidentalis, non substantialis ex Aristotele. metap. 4. comment. 5. quod ue quantitas distincta numero non sit actiua. ut ait Aristoteles in prædica. & metaphy. 3. Veruntamen & dixit Virgil. Deum numero impare gaudere, Ecloga. 8. & in Ciride. Persuasum & Platoni in Timæo & Macrobio. libr. 1. in som. Scipio. capitulo. 6. & libr. 2. capitulo. 2. imparem numerum, marem & efficatiorem: parem, fœminam. Et Vegerius in re milit. scribit fossarum castrensium latitudinem, esse imparitati accommodandam. Caballistæ ex numeris nominum diuinorum mirabiles colligunt uirtutes, ut ex nomine Dei quadrilitero, 12. & 72. literarum, ut tradit Rabi Hatzados in petitio 1. Galen. razeia, id est, reuelationis secretorum. Et Galatinus lib. 3. contra Iudęos, c. 9. Reuchinus, libro de arte Caballistica.

De monade, & aliis quibusdam numeris. Cap. 11.

MOnas Psello in Arithmetica, ob id quod diuidi nequeat, pacis, concordiæ, amicitiæ, & pietatis est symbolum. Et principium cuiusque, unum est, & circa unum Aristot. lib. 5. metaph. capitulo. 6. multa & 13. metaph. capit. 8. refert unum ad Deum, & Dionys. Areopag. libro de diuinis nominibus capitulo. 4. quia Deus unus, Deuter. 6. Exod. 20. Matth. 23. Ioan. 8. ad Galat. 3. ad Ephes. 4. 1. Timoth. 2. De hac unitate plura D. Cypria. tractat. 3. de simplic. prælat. Monas tamen non est numerus, sed principium numeri. Binarius utique primus est numerus, de quo Macrobio in 1 in som. Scipio. c. 6. Lactant. libr. de opifi. Dei cap. 8. & 10. Ternarius numerorum potentissimus, trinus Deus in personis, & unus in substantia, tres in cælo, &c. 1. Ioan. c. 5. Ter orauit dominus Iesus Christus eundem sermonem dicens, in horto oliuarum. Ter repetunt incantationes magi. Virg. eglo. 8. ibi Terna tibi hæc, &c. De ternario numero totum integrum libellum composuit Ausonius, quem uocauit Griphum: sub ternario omnia contineri scribit Aristot. 1.

de cęlo cap.1. Omitto persequi reliquos numeros, nam de illis fuse iam tractarunt Martia. Capell. lib.7. Boet. Agrippa lib.2.de occul.philosop. cap.10. Philost. de uita Apollonij li. 3, cap.9. Quare hactenus de numeris dicta sint.

De mensuris. *Cap.* 12.

DE mensuris etiam dicēdum esse numerus nos admonet; nám in illis, numerus obseruatur. Mensura apud Euclidē, est quicquid pondere, capacitate, longitudine, latitudine, altitudine, animoque finitur. Quamobrem secundum Georgium Agric. li.1. de mensur. mensuræ expenduntur capacitate uasculi, & est mensura liquidorum aridorum. aut grauitate id est, pondere: aut interuallo, ut apud geometras. Mensurę liquidorum uasculorum sunt, ratione diuersarum regionū uariæ, & a locis etiam nominatę, uel ab arte, ut Romanę, Atticæ, Hedię, Georgicæ, externę, Persicæ, Syriæ, Hebraicę, Ægyptię, Arabicę, Romanæ, ut culeus 20. amphor, amphora, 2. urnar, urna 4. congiorum, congius 6 sextariorum: sextarius 2. heminar. hemina 2. quartarum: quartarius 2 acetabulorum: acetabulum sesquicyathi: cyathu. 4. cochlearum: cochlear uel lingua, drachmarum 3. & scrupuli unius. Aridorū Romanæ mēsurę, modius 2. semimodiorum; semimodius sextariorum 8. sextarius heminar. 2. hemina, acetabulorum 4. acetabulū cyathi unius & sesquicyathi: cyathus linguilarum 4.

Atticę uel medicę liquidorum, metrites habens choas 12. chus sextarios 6. sextarius cotylas 2. cotyle quartarios 2. quartarius oxybapha 2. oxybaphum. sesquicyathum: cyathus, conchas 2. aut chemas 5. aut mystra 4. Mystrum capit chenicem unam, Cheme cochlearia 2. cochlearium drachmam unam.

Aridorum Atticæ, medimnus habet chenicas 48. chænix cotylas 3. seu sesquisestarium; sextarius, cotylas 2. cotyle, oxybapha 4. oxybaphum, sesquicyathum: cyathus cochlearia 10 cochlear drachmam.

Georgicę mēsuræ liquidorum, metretes quę habet amphoras. 2. amphora choas. 4. chus cothylas 12. cotyle oxybapha 4 oxybaphus sesquicyathum: cyathus mystra 4. Mystrum drachmas 4. cum. dimidia.

Aridorum, medimnus habet 2. semimedimnos: semimedimnus

mmus,li.8 r.tertiarius medimni,lib 54 seytarids medimni,li. 13 & dimidiam &c.uelut in aridis.

Veterinariorum,cotyle habet oxybapha 2. oxybaphus cyathos 4. cyathus mystra 4. mystrum,cochlearia 10.cochleariũ drach.2.

Persicæ mensuræ, r.chana, quæ habet medimnos Atticos 45.2.Artabo quæ capit unum atticum medimnum,& 3.chœnicas Atticas:sed illa etiam est alterius mensuræ, Nam si minor uel media, habet tantum unum modimnum;si est Ægyptia & minima,est quinque capax.At alia mensura modiorũ Capitha,habet 2. chœnicas Atticas.Mensuræ Ægyptiæ, Artaba,de qua supra: Aporrhymæ, 11.sextariorum, œphin.4.chœnicum.Inium quæ & sextarius,

Syriæ,Metreta,habet sextarios 120.collathum sextarios 25 Sabitha sextar 22.chœnix sextarios 4.

Liquidæ Hebraicæ Bath.habet amphoram Atticam,id est sex hinas.Hin habet 2.congios.est & log.sextarius.

Aridorum mensurę Hebraicæ,Corus habet 10.medimnos Atticos,in prophetis dicitur homer:Lethec siue letheca,ca.5. medimnos Atticos,Epha capit medimnum Atticũ,fat.4.congios uel cohas;omer capit 7.sextarios Atticos,& 5.partem. Interpretes 70.reddunt gomer,Iosephus assaronem. Cab ca.4. sextarios.

Arabum mensuræ liquidorum, Dorach amphora,congios 8.Iohein, id est, congius. habet 6. sextarios, eius media pars Grædrs dicitur ἡμιχῦν, Arabes dicunt missichaus apud Serapionem.Kist. deprauatum, ξέστης, Auicennæ acsac & euis, Serapioni aben; Latinis sextarius.habet heminas 2. Corboni,id est,hemina.Rabi Hali dicit mena;Rhaze calicem; Auicennæ de media cotyla, quæ quartarios 2. capit. ceci hati, id est, quartarius, acetabula 2. Kasfuf Auicennę anec sune, Andreæ Aspago hac sunec, si interpreti Serapionis acsasse,latine acetabulum,capit sesquicyathum.Cuatum,uel alcuatum Aazi a cyatho,interpreti Auicen.briala, habet cochlearia 4. Falgerin, Serapioni sahaliel & cochlanarium,latine cochleare,habet libram mensuralem; apud Rhasim interpres uertit sotulum.

De ponderibus. *Cap.* 13.

Pondera Romana.

Libra habet 12.uncias.Nomina,uncia. 1.sextãs 1. quadrãs 3 triens 4.quincunx 5.semis & simi libra 6.septunx 7.bes 8.dodrans 9.dextans 10 deunx 11.as libra. Vncia cõtinet uel potest diuidi in 2. semiuncias, in quatuor sicilicos, uel 7. denarios, aut uiginti scrupula. Libra continet uncias 12, semiũcias 24 Duellas 36 sic liquos 48 sextulas 72. denarios sextantes 84. denarios uictoriatos 168. scruptula 288.

Pondera Græcorum. Attica, Talentum minus Atticum: quod habet minas 60. mina facit drachmas 100. sic Talentum habet tantum drachmas 6000.obolos 36000.semiobolos 72000.aereola 216000.Mina habet obolos 600. obolus aereola 6 pareolum habet minuta 7.Talentum maius est 8. minarum lib Romana 83. & 4. unciarum. Mina Attica duplex, maior seu Solonis. 100. drachmar. minor seu uetus, 65 drachmarum.

Mina medica habet uncias 16. libra uncias 12. uncia drachmas 8.drachma scrupula 3. scrupulum obolos 2. obolus se n ;obolos 2. semiobolus siliquam unam, & dimidiam grana 6. siliqua grana 4. medici libras sic notant.lib.mediam.S.Q. pro quadrante uel quarta. unciam, drach. scrupulum. med. granum. 2. uel G Veterinariorum pondera,Mina habet 15. uncias;libra drachmas 90.uncia drachmas 7. & dimidiã:drachma, scrupula 3.denarius, scrupula 4.scrupulum, obolos 2.

Pondera externa Ægyptia, Talentum librar.80.mina Alexandrina,unciarum uiginti,uel drachmarum 160.Mina Ptolomaica, unciarum 18. drachmarum 144 Drachma autem obolum pendet.

Pondera Hebraica. Cicar sanctuarij, uel talentum maius, Iosepho Cnichares minarum 100.librarum 250.Cicar congregationis, uel talentum uulgare,uel minus, minarum 50. lib. 150 schelkel stater uel siclus, drachmarum 4.uulgaris autem siclus, teste Rabi Salomone duarum drachamarum. manes unde Græcis mina, pendit siclos 60. id est. libras 2. cum dimidia.Gerah, obolum Atticum pendit, sicli pars uicesima.

Arabica pondera medica, Manes, uel mina Romana, Serapio-

rapioni,& Auicennæ unciarum 20.mina alicatica,& Basaris Serapioni, alanthalica,& Ægyptia, Auicennæ unciarum 11. Rotulus, idest, libra unciarum 12 Sacros,idest,uncia:sextarũ, semiuncia Serapioni Aureus, idest, denarius septima unciæ pars. Darchimi & alki Serapioni,est drachma Garme scrupulum,&(Keomet etiam Onolossat est obolus. Dauich,hoc est, lupinus pendit duas oboli tertias partes, Auicennæ grana or dei 8 Kirat,seu siliqua,dimidia lupini pars. Kctuf,idest,acreolum pendit grana duo: granum Arabibus, minima pars ponderis.

Talentum Vitruuio 120.librarum est: Hesichio librarum 100.si libram pro mina maiore hebraica accipias: At hebræi cum minus talentum, constat 125.libr. si pro libra Romana accipiat.

Vtuntur,& nostri medici manipulo,pugillo,quantum manus prehendere potest. Porro qui hæc omnia latius desiderauerit uidere explicata,consulat Georgium Agricolam,lib.de ponder.& mensur & eius epitomatorem Philandrum ad finem Vitruuij, Volosium Metianum in libr.de distributione,uocabulis, & notis partium in rebus pecuniarijs,ponderibus,& mensuris. de mensuris geometricis non addemus quicquam, cum de illis iam satis in geometria diximus.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XVI.

In quo agitur de grammatica.

De grammatices necessitate. *Cap.* I.

GRammatica est bene scribendi, & loquendi sciẽtia: sine arte antea. Vt facile fit conijcere, uerũ illud esse quod tradit Suet. Tranquillus de Illustrib. Grammat. olim nec in usu, nec in honore ullo fuisse. Semper. n. a rudioribus exorsa est humana inuentio. Vt & natura paulatim perficit a lineamentis ea quæ producit exorsa: etsi quod perfectum homo initio accepit, paulatim corrumpi idipsum permittit, ut & pro inuentorum conseruatione, & inueniendorum ratione, fuerit obseruatione opus, & præceptis. Sed eo magis ad obseruationẽ coacta natura, quo pressit illam necessitas. Et quia in societate ciuili, nulla magis pars necessaria, quam diligentia in efferendis, & insinuandis mentis conceptibus, & informanda uoce, quæ sine errore posset candide uoluntatem repræsentare loquentis: idcirco magnum quoddam fuit opus significantibus cancellos præscribere, & pronunciatis errorem adimere: efficit autem id grammatica, quæ ab elementis uocis incipiens ad conuenientem dictionum coniunctionem, & certam sententiæ significationem, per gradus animum ducit, secundum propriam cuiusque nationis mentem, & usum, & idioma: vsitata, ut cognita, facile emendando: uel usitata, & consueta, in artem reducendo. Neque enim omnino incognita, & quæ a uulgari tunc fuissent alie-

na

na, cum leges datæ sunt, oportuit uel potuerunt constitui noua. Quò fit ut pro diuersitate idiomatum, fit & grammaticæ diuersa & dissimilis, non secus ac diuersarum gentium, dissimilis consensus. Penes consensum autem & usum, uis est & norma loquendi, ut ait Horat. in arte poet. Retinent autem illum qualemcunque notæ & figuræ literarum, uocem perpetuam & penè immortalem reddentes, ut expressit Lucan. his uersib.

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi
Mansuram rudibus uocem signare figuris.

De nomine, & quid pertractetur in grammatica. *Cap.* 2.

FVit certè subtile ingenium ei, qui ad leges sermonem reuocauit, quibus ueluti frenis, ne in uicinas loquendi formulas euagaretur, compescuit: ut non immeritò apud Hebræos fuerit Grammatica dicta, דקדוק dikduk, id est, subtile inuētum. Cornel. quoque Nepos, in eo lib. quo distinguit literatum ab erudito, literatos seu grammaticos eos uulgò appellari scribit, qui aliquid diligenter & acute, scienterq́; possint aut dicere aut scribere, ut refert Sueton. de claris grammat. ca. 4. Porrò illa omnia, a literarum cognitione, dum natura illarum perpenditur, procedunt: unde ut a materia grāmatica dicta: Neque enim aliud est i. quàm γράφω scribo, nec scriptura aliunde q àm per literas. Vt faber lignarius, ærarius, &c. a materia quam pertractat, dicitur. Atque ex literis fiunt syllabæ: ex syllabis, dictiones: ex dictionibus, oratio, literas exornat orthographia, syllabas, prosodia, dictiones probat etymologia, orationem syntaxis.

De literis. *Cap.* 3.

LIteræ sunt signa pronūtiationis, inde Hebreis Si אותיות otioth signa: alijs literæ, quasi lituræ, uel lectioni iter præbentes. Sunt hæ, uelut elementa, ex quibus componitur uox. Sicut canit Lucretius 2. de rer. natur.

Quin etiam passim nostris in uersibus ipsis,
Multa elementa uides, multa communia uerbis,
Cum tamen inter se uersus, ac uerba necesse est
Confiteare alia ex alijs constare elementis.

Elementa quippè sunt, quæ principia aliorum, & in quæ alia corpora diuiduntur, uel potentia uel actu, ut ait Aristot. 3. de cælo. Et Prisciano, elementa ideo literæ, quòd illæ coniunctæ uocem componant, & Tertull. lib. 5. contra Marcio. apud Romanos quoque, literas elementa dici tradit. In litera quinque consideramus, figuram, nomen, prolationem, ordinem, cognationem. In figura uario modo differunt. Nam uel differunt inter se, ut a, a u, uel a seipsis, ut a paruum, a magno A Item aliæ figuræ secundum mores notionum diuersæ, ut Gallicę, Italicę, Longobardę, seu Insubrum, Hispanicę, Romanę, Hebraicæ, Chaldaicę, Arabicę, Armenicę, Tzernianę, Sclauonicę, Sarracenicę, Samaritanæ, Græcæ, & similes, quarum characteres Guillel. Postellus lib. de duodecim linguis expressit. Et Ioannes Baptista Palati. lib. proprio inscripto, *lib. nuouo per imparare da scriuere tutte sorte de lettere.* Sunt & alij characteres a forma uario nomine dicti, ut quadrati, pendentes, dentati, curti, &c. Alij a locis & rebus, quę illis scribuntur, uel olim scriptum est, ut apud typographos Ciceroniani, &c. apud alios cācellarij, mercatorū, bullarū apud alios cancellarij, mercatorum, bullarum apostolicarum, trapezitarum &c. At & in omnibus istis differentiæ characterum adhuc constituuntur, ut sunt literæ capitales seu maiores, quę maximæ sunt, & quibus inscribunt libros uel titulos. Versales quæ incipiunt clausulas uersus, uel caput quoddam faciunt nominis proprij, aut Dei, aliæ minores, aliæ finales, quę in fine tantum, quemadmodum in tacographia , & , apud Græcos ν & ς, apud Hebræos. ךםןףץ Fuerunt & signa Ægyptijs, quę totam sententiam exprimerent, dicta Hieroglyphicę literę, seu sanctę, de quibus horus Apollo uolumē conscripsit, alię iugatę & cōiunctę, ut sp: sen duplices, ut duo ff, duo ss, intitulatę, quia afferunt duas literas, ut ā ē, &c. Infractę, ut p ꝑ q; &c, &c. Et in his rursum, qui incidunt uel fundunt literas, uel tacographia scribūt, obseruāt proportiones in corpore literarū, & interuallis earum, & in linearū subdistinctione, ut spatia ęqualia sint dictionis, literę ęquales, linea recta, hastę illarū corpus nō excedant, sint inter duas lineas interualla duo corporis literæ, ne cōcurrētes hastę literarū sese expugnāt, ut spatiū inter dictiones sit saltē unius, o. ne cōfundātur dictiones, Figurę literarū tot sūt, quot literæ natiōnū. Sunt & idiomata, quę exprimūt, characteribus, pau

tioribus,

cloribus,uel pluribus notis,mentis placita. Itaq; Hebręis literę sunt uiginti duę, Latinis totidem, Græcis 24. de aliis nō loquar, quia non adsunt præ manibus characteres uel figuræ illarum. Afferrā autem Hebræas, de hinc Latinas, postea & Gręcas: subinde Latinas & Græcas ex latere sinistro Hæbraicarum, quę exprimere uidentur illas Nomina harum sunt appellationes, ut aleph, alpha, beth, bitha, &c. in quibus hoc annotatum uelim, nomenclaturam omnem ab Hebręis & Chaldæis fluxisse, literarum, ut ex collatione trium inferiorum linguarum liquet; monuit & id Caninius, in sua grāmatica Syriaca. Et Plin. lib. 7. cap. 56. ubi de inuentione literarum agit, literas, inquit, arbitror semper Assyrias fuisse, & alii apud Syros repertas uolunt, alii apud Ægyptios. Sic Eupolemus Historicus, lib. de regibus Iudeæ. Mosem ait primum fuisse sapientem, & grammaticam tradidisse primum eam qualis tunc habębatur. Phœnices uero ab his possedisse scientiam, ut pote conterminos Iudæis. Meminit & Clemens in lib. Stromáton, & Siryll. Alexand. lib. 7. contra Iulia. apost. Qui uoluerit significationem appellationis nominum literarum Hebraicorum cognoscere, consular Euseb. Pamph. lib. 10. de præpar. euangel. cap. 2. At in Græcis examinandis, suadeo, ut caute quis sentiat, ne labatur in hæresim Marci cuiusdam & Colarbasi, qui nouam ex alphabeto Græcorum fingerunt hæresim, de qua Septi. Tertullia, libr. de pręscri pto contra hæret. Prolationem etiam in margine sequentis schematis coniunximus singulis, ordinem pariter.

ferra

fere ſimiles.	nomina	prolatio.	hebraicæ.
A lat.græc.	aleph.	a e i o u	א ſ.g.q.
	beth.	u conſonans	בּ ſ.d.
		b	ב
	gimel.	g	גּ r.pa.
g in tacogra.	dalet.	dh	דּ r.li.
Γ græc.inu.r		d	ד
	he.	h	ה ſ g.q.
H	uaf.	u	ו ſ.la.q.
f	zaim	z	ז r.d.
ζ græcum.	cheth.	ch	ח r.g.
T in tacogra.	theth.	t	ט r.li.
i	iod.	i	י ſ.p.q.
C caph inuer.	Caph.	χ ch	כּ ך ſ.p.
		k	כ
L	lamed.	l	ל ſ.li.
M antiquum.	mem.	m	מ ם ſ.la.
o Græcum inuer nun.		n	נ ן ſ.li.
ſum.	ſamech.	ſ	ס r.d.
Π græc. inuer.	ain.	a e i o u	ע r.g.
	pe.	φ ph	פּ ף r.la.
z		π	פ
K & Q	tzade.	tz	צ ץ r.d.
r inuerſum.	kof.	k	ק r.pa.
S	reſch.	r	ר r.d.
	ſchin.	ſc	שׁ ſ.d.
		ſ	שׂ
	taf.	θ th	תּ ſ.lin.
		t	ת

Harum aliæ ſeruiles,aliæ radicales.gutturales, labiades,palati,linguæ,quieſcentes,dentium , prout demonſtrant literæ adiectæ poſt characteres hebraicos,ſ,ſignificat ſeruilem:r,radicalem:g,gutturalem:la.labialem.li. lingua:p,palati:q,quieſcens,d,dentium.

Latinæ.	græcæ.	pronunciatio.	nomina.
A a	Α α	a	alpha
B b	Β β ϐ	v b	vita
C c	Γ γ	g	gamma
D d	Δ δ	d	delta
E e	Ε ε	e	epſilon.
F f	Ζ ζ	z	zita.
G g	Η η	i e	ita.
H h	Θ θ ϑ	th	thita.
I i	Ι ι	i	iota.
K k	Κ κ	k	cappa.
L l	Λ λ	l	lambda.
M m	Μ μ	m	mi.
N n	Ν ν	n	ni.
O o	Ξ ξ	cs	xi.
P p	Ο ο	o	omicron.
Q q	Π π ϖ	p	pi.
R r	Ρ ρ	r	ro.
S ſ s	Σ σ ς	ſ	ſigma.
T t	Τ τ	t	taf.
V v u	Υ υ	ny	ypſilon.
X x	Φ φ	ph	phi.
Y y	Χ χ	ch	chi.
Z z.	Ψ ψ	pſ	pſi.
	Ω ω	o	omega.

De cognatione literarum inter se. *Cap.* 4.

COgnationem,seu affinitatem habent literæ,uel ratione figuræ,uel ratione pronunciationis:quamobrem oportet,ne errore confundantur,prospicere,uel scribēti,uel legenti,uel loquenti.

In charactere affines: בגדהוטס
כנרחוםס

affines pronunciatione בגדכפת
t p c d g h
ב ג ד כ פ ת
th ph ch dh gh u
τ ϖ κ ο ι ξ ζ ψ
θ β χ ω η κτ, οδ πσ
υ δς.

De uitiosa,& emendanda literarum quorundam pronunciatione. *Cap.* 5.

IN pronunciando,affinitas literarum, multum habet erroris inter bene loquentes,si al era pro altera usurpetur, sicuti uulgus nationum quarundam particulare quoddā in hoc habet uitium, ut ex subiecta tabella docetur.

Pronuntiant uulgo,

Vespali	o	pro	a
Parisini	s,	pro	r,& contra.
	an,		en,& contra.
	am		em.
	i,		i,vt tiaij pro tibi.
Germani	t	pro	d.
	p		b,& contra.
	me		m,ut somenus,pro somnus.
	ts		s,ut tsum,pro sum.
	tc		c,ut fatcio,pro facio.
	t		c,ut pettus,pro pectus.
	u		u.
	f		u,ut fulnus,pro uulnus:fates, pro uates.

Vul-

Vulgus uoſtrum ē pro ſ, & contra.

Neuſtrij { ge / n } pro { g / m, ut noſtrum, pro noſtrum.

Batatui i pro g.

Nannetes, { ll } pro { g, ut llaber, pro glaber.

Galli l pro ll

omittunt { g, / h } ut { dinus, pro dignus. / abeo, pro habeo.

Itali { z / au / ʋ } pro { i. / o. / u.

Vaſcones omittunt p, ut iſe, pro ipſe.

Holandi { z / dz } pro { s / z, ut Medzentius, pro Mezentius. / dzeugma, pro zeugma.

Pariſini omittunt { s / t } vt { multo ictu, pro multos ictus. / oporte facia, pro oportet faciat.

Poſſem hic dialecticos græcorum ſubnectere, in quibus, & aliæ pro aliis litteris uſurpantur, & receditur permaxime ab Attica. Sed quia id uitio illis datum non eſt, ſed dialecto & idiomati, ſilebo. Qui uoluerit tamen uarias illas acceptiones obſeruare, legat Anteſignanum in primam partem Clenardi Grammatices.

De

De diuisione literarum. Cap. 6.

IAm in Hebraico alphabeto, notatum est, literas Hebræorum esse, uel principales, seu radicales, uel seruiles, seu addititias, item alias palati, gutturis, dentium, linguæ, labiorum. Dehinc omnes illas ferè consonantes, gutturales tamen dentius sonare, ex consonantibus, alias esse tenues, quibus inest punctum quod uocant dages, alias duplices, quibus non est dages, sed simplex est litera seu uirgula superiecta, notata in istis literis בגד כפת quæ dicitur raphe. Pro uocalibus autem, utuntur Rabini istis אוי. Cæterum literis supposuerunt ad faciliorem soni expressionem, puncta, quæ uocant motiones, quas diuidunt in magnas & paruas.

Nomina. Magnæ	5. *Valor,*
cametz	a. *obscurum cum o mixtum*
zere	e. *subtile*
hiric magnum	i. *longum*
holem	*uel punctum sup. literam*
schurec	u.

Minimæ.

pathah	a	*clarum*
fegol	a:	*crassum*
hatephcametz	o	*breue*
Hiric paruum		*punctus in qualibet litera, i, paruum*
kibutz		*sub litera u paruum*

Motionum, aliæ mutabiles uel ob regimen, uel affixum, uel numerum pluralem, uel mutationem generis, & sunt 4. *cametz* zere *holem* *late pfegol.*

Reliquæ immutabiles sūt Est & compositum *hatepsegol* sub litera, quod e, ualet. Est & sceua hoc modo, :, sub litera e, interdum tamen est motio ministra, quæ quando legatur & de diphthongis, docent omnes grammaticæ Hebræorum. Item de officijs litterarum & punctorum, potissimum Quinquar borei grammatica in fine. Latini diuidunt literas in uocales proprias 5. a, e, i, o, u, & unam addita y, & consonantes 16. b, c, d, f, g, k, l, m, n, p, q, r, s, t, x, z. Reijciunt namque h, quòd sit tantum aspirationis nota.

Harum

Harum quasdam seligunt, ut minimæ per se uocis, ideo dictę mutæ: omnes inquam consonantes, exceptis, quas uocant liquidas, l, m, n, r. & duplas x, & z, atque ex uocalibus coniunctis colligunt duorum fermè sonorum literas diphongos æ, œ, au, eu, ei, Græci ferè eodem modo diuidunt literas in uocales, & consonantes, sed uocales mutabiles habent α, ε, ο, & immutabiles in coniugationibus η, ι, υ, ω, Et præpositiuas ut α, ε, η, ο, ω: & subiunctiuas υ, ι. Longas quoque, ut η, ω: breues, ut ε, ο: & ancipites, α, ι, υ. Ex quibus omnibus & componunt diphthongos proprias 6. αι, αυ, ει, ευ, οι, ου: & improprias 6. ᾳ, ῃ, ῳ, υι, ηυ, ωυ. At cōsonantes, diuidunt in mutas 9. & 8. semiuocales Mutas; β, γ, δ, π, κ, τ, φ, χ, θ; quas in tres classes subdiuidūt tenues; 3. κπτ; medias 3. β, γ, δ; medias 3 cras tres. φ, χ, θ. semiuocales 8. sunt. ζ, ξ, ψ, λ, μ, ν, ρ, σ; quarum aliæ duplices. 3., ζ ξ, ψ: reliquæ simplices, ex quibus 4. immutabiles, λ, μ, ν, ρ.

De syllabis. *Cap.* 7.

Collectio literarum, syllaba est: ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν. cōsiderantur in syllaba cuiuslibet idiomatis 4. numerus, spiritus, tempus, tonus. Numerus saltem duarum literarum, nam una litera monogramma, non syllaba est, unde, aliud est numerus dictionis, aliud uerba tenere. Spiritus est lenior, uel durior pronunciatio syllabæ, ideo asper & lenis. literæ Hebræorum suos spiritus ferunt, lene habent, ל. ה &c. & grauem ut ה. habent & raphe, scilicet lineam supra literas בגד כפת: quę reddit aspirationem, quæve intelligitur, nisi in prædictis literis בגד כפת sit punctus in gremio, quē dicunt dages, &c. Latini h. habent aspirationis signum; Græci, notas lenē, grauē habent, quibus supra literas utūtur. habent & aspiratas natura literas, ut χ φ. θ, neque uocalis uel ῥ in principio dictionis est apud eos sine aliquo horum spirituum. In medio poriò dictionis si duo ρρ, prius lenem, alterum densum habet spiritum, sic ῤῥ, in principio semper densum. ῥ Tempora tria, longum, breue, & commune. longum notant hoc signo latini , breue υ. Hebræi non egenti notis, habent enim suas motiones, ut dixis, longas & breues. Sed & ista speculatio est poetices artis. Tenor accentus dicitur, acutus ita supradictionem notatus, grauis eius notę, circunflexus Græcis, Latinis. Apud Hebræos, aliæ notę, & distinctio accentus, constituunt que accentum triplicem, grammaticum, rhetoricum, musicū, grāmaticum uocant טעם tagam, i. gustum, quo uox resonat

emi-

eminentior per arsim & thesim. Rhetoricum uocant מתג metegretinaculum, seu frenum, quo ornatè dictio pronūtiatur. Musicum dicunt נגינה neghinah, harmoniam. grammatici nulli fermè inueniuntur in Biblijs sacris, sed pro illis musici inseruiunt, potissimum si supra uel infra dictionem linea est, uel alia nota. Ponitur autem rhetoricus מתג meteg ante accentum grammaticum per aliam lineam infra literam, ad retinendum lapsum pronunciationis. Consulendus de istis Sestia. Munsterus in Grammatica postrema, in tractatu de accentibus Hebræorum. Commune omnibus linguis ferè, ut acutus in dictione ultima, penultima, & antepē. esse possit. Grauis tantum ultimam, circunflexus & ultimam & penulti. occupet. Raimundus Mithridates Romanus, de Tropis Hebraicis, acutum dicit duo loca habere apud eosdem: primū, supra literam dictum kadmæ קדמא cuius signum quale est graue Latinis: secundum subtus literam, dictum Merca מירכא, cuius signum in modum acuti. Grauis pariter habet duo loca, supra literam in formam acuti, dictus geresch גרש: & infra literam, in formam grauis, dictum טרחא Tarcha.

De dictionibus. *Cap. 8.*

CONstructura syllabarum, uel syllaba. s. aliquid demonstrat, dictio est, quia aliquid dicit, id est, significat menti & auditui, aliquibus nomen. In dictionibus considerabimus, etymologiam, pronunciationem, syncopem, epenthesim, apocopem, synalepham, ethlipsin, apostrophen, aphæresin, prosthesin, paragogen, hyphen. diæresin, antithesin, metathesin, sistolen, ectasin. Etymologia, uel dictionem matrem alijs inde natis & formatis demonstrat uel eam ab alia ostendit. Reuocāt omnia nomina sua Hebręi, ad suas radicales primas dictiones, quæ ferè semper tribus literis constant. Composuit in Latinis librum de Etymologia Varro, in Græcis autem fœliciter nuperrimè Henricus Stephanus, Thesaurum ueluti per radices linguæ Græcæ exhibuit. Pronunciatio, docet, qua parte dictionis uox habeat arsim, id est, longiorem remotam. & qua parte deflectatur, & habeat thesim, docēt hæc uulgari lexici Latino Gallici Roberti Stephani, & alij nuper excusi, in quibus annotantur dictionibus accentus, in Græcis nominibus & Hebraicis, utiq; ēt ubique adiuncti, nisi in cōmentarijs Rabinorum, quibus nec puncta uocalia adijciuntur.

Syncope

Syncope,ablatio de medio dictionis,ut audacter,pro audaciter.

Epenthesis,interpositio in dictione,ut induperator pro imperator,aut literæ geminatio.

Apocope,ablatio a fine;familiaris græcis.

Aphæresis,ademptio primæ syllabæ:ut pone merum pro depone.

Prosthesis contra;adiectio in principio dictionis, ut gnate pro nate.

Paragoge,adiectio in fine dictionis,frequens græcis.

Apostrophos,auersio qua ostenditur uocalem,uel diphthõgum deesse in fine signo,hoc in spacio posito, ut ἀπ' ἀμῦ.
Galli interdum confodiunt apostrophen, in e, hoc modo e,

Synalepha,quando ex duabus uocalibus,uel diphthongis, fit coalitio,ut ex τὸ ὄνομα fit τοὔνομα, ex ὦ ἄγαθε ὤγαθε, ut sæpe apud Arist.& alios.

Ethilipsis,quando finalis syllaba dictionis in m,desinit,inque cum uocali qua incipit sequens dictio, eliditur cum sua uocali,ut in uentur' excidio Libiæ,pro uenturum excidio Libyæ,&c.

Hyphe,est uirgula-quæ duas syllabas,siue unius dictionis,siue duarum coniungere uidetur, ut ὅ-τι frequens in sermone Gallico,& Hebraico,ut dis ie,uel sic dis-ie.Vocant hebræi voculam hanc,מקף makef.quã ad latus scribunt, sic,ut אל נינ וה & Niniue,in Niniuem,מן העיר min ahir,est ciuitate,&c.

Diæresis est,dum syllaba una diuiditur, uel uocalis, ut pro, inuoluere iuuoluere,aulai pro aulæ,ut sæpe apud Lucretium.

Antithesis,literæ pro litera positio.

Metathesis,transpositio literæ.

Sistole,correptio præter naturam syllabę,ut ectasis extẽsio, contraria naturę.

De dictionum generibus,quas partes uocamus orationis.
Cap. 9.

Dictionum genera,ad quæ appellationis, uel uocis conceptiones referantur,sunt uaria secundũ uarium loquendi idioma. Apud latinos,ut a notioribus incipiam,octo.totidem gręcis.3.hebręis tantum.Latinorum,nomen,pronomen, uerbum,

bum,participium,aduerbium,præpositio,interiectio,coniunctio.Græc.nomen Pronomen,uerbum,participium,aduerbiũ, præpositio,articulus,coniunctio . Hebræo.tantum שם scem, nomen;uerbum פעל pagnal,& מלה milah dictio,ſub qua cõplectuntur pronomina , aduerbia,coniunctiones, præpoſitiones,& interiectiones. Atque etiam ſi recte perpendamus omnia , neque alias præter tres principales illas partes inueniemus;reliquę enim ad eas pertinent;ad nomen,pronomen ; ad uerbum,aduerbium;& participium ad utramque. Dehinc , & reliquæ illis duabus partibus famulantur , ut pro uno accipi mereantur. Neque hic immorabor , ut demonſtrem,quæ ex iſtis partibus inflectantur,declinentur, uel coniungentur;quę ſint nomina adiectiua,ſubſtantiua, quæ eorum qualitates,ſpecies,genera,figuræ ,numeri,caſus,tẽpora,& modi . Hæc enim facili negotio ex grammaticis cuiuſque linguæ quiſque haurire poteſt.Neque etiam de ſyntaxi,ſeu ordinatione,&compoſitione harum partiũ dicemus.nemo enim eſt;ut opinor, hæc lecturus,qui hæc fundamenta ſaltem latina non prius iecerit. Et ſi deſideret in reliquis idiomatibus grammaticam callere, incidet quoque in libros paucis uerbis editos de ea , ut a me compendioſius transferri non poſſint ; nec inſtitutum noſtrũ eſt,alienis plumis corniculam Horatianum agere.Quæ.n.ſcripſimus,proprio labore,ex uarijs corroſa,& ordinata , noſtra , poſt Deum,cui omnia accepta debeo,aſſerimus.

Quibus in rebus ſcriptitatum antiquitus. Cap. 10.

ANtequam membranis,hoc eſt,corio depilato, & præparato,quod uocant pargamenum,&papyro ex centonib. lineis,uel bombacinis compoſita,ut nunc,uterẽtur, uaria fuit materia,qua ſcriptitatum.Scribebant namq. aliquãdo, in palmatum folijs,deinde in quarundam arborum corticibus, ſeu libris,poſtea publica monimenta plumbeis uoluminibus,mox & priuata linteis,aut ceris.Pugillarium namq. uſum,ante Troiani belli tempora legimus apud Homerũ uſi,&Babylonii,papyri arboris libris;Parthi autem literas ueſtimentis intexebãt ut narrat Pli.lib.13.c.11.& c.13 .chartarum inuentionem,& diuerſitatem proſequitur.Sibyllam Cumæam folijs ſcripſiſſe docet Virg.li.3.Æn.

Fata

Fata canis, folijsque notas, & nomina mandat.
Quæcunque in folijs descripsit carmina uirgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa, relinquit.
Illa manent immota locis, nec ab ordine cedunt.

Adrianus Imperator, libris linteis, quotidiana sua scribi præceperat, qui erant in bibliotheca Vlpiani Flau. Vopiscus in Aurelia. uita. Senatusconsulta autem, quæ ad principes pertinerent, diu in libris elephantum scribebantur, quos reperit in bibliotheca eiusdem Vlpiani Vopiscus, ut ipse testatur, in uita Taciti Cæsaris. Dictys Cretensis, ex Gnoso ciuitate, qui fuit in expeditione contra Ilium, de bello Troiano sex uolumina in tilias literis Phœniceis digessit, quæ iam reuersus in Cretam, præcepit moriens ut secum sepelirentur: quod factū est in arcula plumbea, in eius tumulo. postea autem anno 13. Imperij Neronis, terræ motu facto sepulchrum apparuit, & arcula aperta inuenta a pastoribus, & libri inuenti postea ad Neronem missi, teste Q. Septimio in uita Dictys. Cum secreto scripturus esset Iulius Cęsar, & Hirtius ad Decium Brutum, ne se M. Antonio dederet, sed opem speraret, in tenuem ex plumbo ductam laminam scribebant uerba quędam, chartę instar conuolutam, & urinatori cuidam tradiderunt deferendam ad Decium, qui re cognita sic rescripsit, ut ait Dion Cassius libr. 46. hist. Eadem formula plumbeę laminę inscriptę, & inclusę pani. Milesios prodidit Diognetus, ut scribit Parthenius in Eroticis. c. 9. Andriscus lib. 1. de rebus Naxicis, Theophrastus li. *ια πρὸς τοὺς καιρούς*. Eo forsan pertinent tria genera occulta scribendi, Dermaticum, Hyphasmaticum, & Alleoticū, de quibus in principio polygraphię Tithemij, quę ne mysteria euulgemus, silemus. Erat & Scytale Laconica, de qua Plutar. in vita Lysandri. Demaratus de expeditione Xerxis in græciam, gręcos pugillarib. admonuit, Herodot. in 1. Histieus philosophus a Dario detentus, Aristagoram monuit per seruum, cuius capiti postquam eum totondit impresserat literas, Gellius lib. 17. c. 9. omitto reliqua, de disco Lunę, de speculi reuerberatione, de tędarum nocte silenti descriptio ne, & de alijs prosequi.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER XVII.

In quo agitur de Dialectica, seu Logica.

Quid dialectica, & eius materia, & fine, instrumento, & medijs. Cap. I.

Διαλεκτικὴ, seu Dialectica, est ars differendi: a uerbo διαλέγομαι, ratiocinor, unde quidam logicã dicunt. huius materia, quæstio generalis, nõ autem particularis: finis eius probare, & differere, hoc est, aliquid percurrere disputando. Instrumenta & media eius, definitio, diuisio, argumentatio. Definitio quid sit explicat: diuisio distinguit, nempe genere, differẽtia, proprio, & accidente. Genus est, quod de multis differenti bus specie prædicatur in eo, quod quid est, idque duplex gene ralissimum, quod non habet supra se genus, & habet tamẽ sub se species: Et subalternum, quod est species alterius generis, & habet sub se species. Species, est quæ subijcitur generi, & habet sub se differẽtias numero, in eo quod quid est: atque bifariam hæc dicta, specialis, & specialissima: specialis uel subalter num genus, ea quæ cum sit species, potest esse, & genus: specialisſima quæ tantum habet sub se indiuidua. Proprium proprie est, quod uni, & soli speciei, & semper conuenit. Accidẽs, quod adest, & abesse potest, sine subiecti corruptione: quodque separabile, & inseparabile tamen dicitur. Accidentia nouem sunt, quæ cum substantia præbent dialecticæ, & finitioni, decẽ summa

ma differendi capita. Quæ ſunt,ſubſtantia,quantitas,relatio actio, paſſio,ubi,quando,ſitus,habitus,qualitas,de quib. omnibus ſyntaxes dedimus li.2.artis a c.7.uſque ad c.16. & Deo fauente latius dicturi proprio in eum librum commentario.

De diuiſione Dialectices. *Cap.* 2.

Dialectica ſeu logica,duplex;Naturalis ſcilicet,ratiocinatio cuiuſque hominis;& artificialis,quę cōſtat præceptis ingenio,& longo uſu collectis.Artificialis tres habet partes, quarum prior tractat de terminis incomplexis,altera de complexis,3.de argumētatione.Termini incomplexi, uel ſecūdæ uel primæ intentionis dicuntur;in primæ intentionis terminis,tractatur de prædicabilibus,de genere, ſpecie,& differentiis. in terminis ſęcundæ intentionis,de prædicamentis decē, ſubſtantia,& 9.accidētibus.Porro complexi termini,complectuntur orationem & propoſitionem,de quibus tractat Ariſtot.perhihermenias.Argumentatio autē, quatuor percurrit tractatus & partes; prior tractat de argumentatione ſyllogiſtica, abſoluta, & ſimplici, id eſt,non applicata alicui materiæ de qua agit Ariſt. lib. priorum. Secunda agit de ſyllogiſmo demonſtratiuo,de quo in libris poſteriorum. Tertia de ſyllogiſmo topico, id eſt, probabili, de quo in Topicis.Quarta de ſyllogiſmo fallaci uel ſophiſtico,ſeu deceptione,de qua in li. Elenchorum.

De terminis *Cap.* 3.

Terminus cōmuniter & abſolute ſumptus,eſt pars propinqua cōſtitutiua orationis & propoſitionis: dicimus partem propinquā ut excludamus conſtitutionem ſyllabarū, ex literis,utq́; intelligamus de partib. integralib. nos agere.Terminus triplex eſt;alius ſyllogiſticus,continens maiorem, minorem, & extremitatē ſeu concluſionē;alius topicus,qui claudit in ſe totam rei definitæ eſſentiam,qui & rei definitio dicitur.Alia & ſpecies terminorum,eorum quæ conſtituunt propinque orationem,& in quæ oratio reſoluitur,cōſtans oratione & propoſitionib.De hinc terminorū alij per ſe ſignificatiui,cum ultra ſeipſos aliquid ræpræſentāt,ueluti hi,homo,animal,lapis.Siquidem homo rationale exprimit animal ſenſiti

tum & motiuum:lapis durum, & simplex compositum; & sic de similibus. Alij per se nihil significant. sicuti in articulatæ uoces, sibilius, ut bif baf. & aliæ fere syllabæ dissutę. Rursum significantium per se, quidam per se significāt naturaliter, ut homo, animal; alij ex placito seu cognosensu loquentium, secundum uaria regionum idiomata & morem.

Terminorum significatiuorum species. *Cap. 4.*

TErminorum significantium species, ut alius cathegoreumaticus, alius syncathegoteumaticus fit ille sempet, & seorsum, & cum alijs aliquis indicat. ut homo, lapis; &c. hic autem, per se nihil aliud quam seipsum, at cum alijs significat, ueluti cum nomine substantiuo, aut uerbo, in quantum determinat nomen aut uerbū; cuiusmodi sunt, propositiones aduerbia, coniūctiones, deriuata cathegoreumaticorum, alii primæ, alij secūdæ intentionis: primæ intentionis, qui exprimunt rei essentiā realē, ut homo, leo: secūdæ, qui per media, priores referunt, ut genus, species, differētia, singulare. Significationem itaque termini habent, communem, uniuersalē, singularem: ita & communis terminus erit, qui ad plura referri, uel de pluribus dici potest, ut homo, lapis, grammaticus & nomen appellatiuum: uniuersalis, qui habet generis nomen, ut animal: uel minus uniuersalis, qui ad indiuidua referri potest singula, ut homo. Singularis qui de uno solo dicit̃, & indiuiduum ostendit, ut Plato. ostendit autem trifariā, uel ex proprio nomine indiuidui adiecto, ut Sempronius studet. uel 2. addito pronomine demonstratiuo nomini communi, ut hic, ille, iste homo uigilat. 3. per circumscriptionem rei, ut filius hominis tradetur, id est, dominus noster Iesus Christus. Rursum termini, significant uel in concreto, ut albus, niger: uel in abstracto, sine subiecto, ut album, nigrum color, sapor, &c. In incomplexo ut in dictione: in complexo, ut oratione: sine tempore, ut homo, lapis: cum temeore, præsenti, prçterito, uel futuro, ut homo currit, curret, &c. Est & terminus uniuocus, quod unice unum genus; uel unam speciem significat unica de difinitione, ut homo, animal rationale. Æquiuocus qui sub distinctis rationibus, & absque ordine, & immediate,

plu-

plures naturas significat, distinctas specie: ut canis, & piscem, & sidus, & quadrupes animal refert Analogus, qui sub distinctis rationibus, uel sub una, inæqualiter participata, plures naturas ordine quodam prioris & posterioris significat.

De propositione. Cap. 5

EX terminis, oratio & propositio componuntur: quare de propositione pauca dicenda. Propositio, est oratio uerum uel falsum indicans, Aristot. hanc 1. peri hermenias, in cathegoticam & hyppotheticam diuidit: prior significat unica oratione & sententia, ut tu curris, ille sedet: altera duas uel plures iungit, ut multi sunt homines, sed non omnes periti. Cathegorica rursum, aut uera, aut falsa, aut alij cuius, aut nullius quantitatis: quantitatem aũt hic intellige, si sit uel uniuersalis uel particularis, uel indefinita, uel singularis. Vniuersalis habet terminum communem cum signo uniuersali: ut omnis, nullus homo &c Particularis, cuius subiectum est terminus communis, additus signo particulari; ut quidam, aliquis homo, &c. Indefinita, cum terminus communis, sine signo uniuersali est, ut homo est creatus. Singularis est cum termino discreto uel communi: ut dominus noster Iesus Christus est Deus homo, uel cum pronomine demonstratiuo, ut hic homo bonus est, &c.

Propositionum concurrentium distinctiones & leges. Cap. 6.

PRopositiones, uel omnino separatæ, uel pendentes seu colligatæ, uel pugnantes & quæ pugnare uidentur, mutuo collatæ, uel contrariæ, uel subcontrariæ, uel contradictoriæ, uel subalternæ sunt. horum typum sic fingunt, ut sequẽti pagina apparet.

Contradictoria affirmatio, requirit ut sit de eodẽ, & ad idẽ & eodem tempore. Lex contrariorum, ut in nulla materia simul possint esse ueræ, falsæ tamen possint esse in materia cõ-



ingente. Lex ſubcontrarium, ut in aliqua materia ſimul, nō poſſint eſſe falſæ; uere tamen poſſint eſſe in materia contingente. Lex contradictoriarum, ut in nulla materia poſſint eſſe ſimul ueræ, & falſæ. Lex ſubalternarum, ut uera uniuerſalis ſit, & eius ſubalterna uera, & non contra.

De his, quæ accidunt propoſitionibus. *Cap.* 7.

ACcidunt propoſitionibus, ut ſint uel neceſſariæ. i. ueræ, quæ negari non posſint: uel posſibiles, quæ poſſint ſcilicet eſſe ueræ, uel falſæ; uel cōtingentes. i. cum id effertur, quod natura eſſe non poterat, ſed contingit ita eſſe; uel imposſibiles, quæ referunt, quæ neque contingere poſſunt, nec vera sūt. Accedit etiam propoſitionib. conſenſus, quando conſentiunt & concedunt qui diſputant, ut ita res habeatur; eſtq. propoſitio ea tunc ex ſuppoſito.

De argumentandi formulis. *Cap.* 8.

TErtia dialecticæ pars, circa argumenta uerſatur. Argumētum autem dicitur, id quod rei dubiæ facit fidem. Apud Ari-

Aristotelem argumentorum quinque species, syllogismus, consequentia, enthymema, inductio, exemplum. Syllogismus porro formalis, de quo lib. priorum; demonstratiuus, de quo li. poster. topicus, de quo in topic. sophisticus uel captio de quo in elenchis.

De syllogismo formali. Cap. 9.

SYllogismus hic constat, maiore, minore, & cõclusione bona; in maiori & minori medium repetitur; id autẽ est terminus qui in maiore facit propositionem primam, in minore secundam. Medium quippe nunquam ponitur in conclusione. Quia medium id est, per quod cõclusio ex alio elicitur. Syllogismus bonus, constare debet figura, & modo. Modus, est debita ordinatio propositionũ, in quantitate & qualitate. Figura est, dispositio partium argumẽti & constructio; uel debita ordinatio terminorum in subiiciendo & prędicando. Atq; hic termini dicuntur, subiectum & prædicatum: & subiectum, ut clare loquamur, est id quod ad aliud reducitur, seu refertur, uel quod alio continetur: prædicatum, quod aliud continet, uel in quo subiectum participat, ut si dico, Petrus bonus est, Petrus erit subiectum, bonus prædicatum. Vel alio modo quod de aliis, quam de uno dicitur, prædicatum est, eo quod cum dicas subiectum semper uel speciem dicis, seu ante te dixisse cogitare debes genus, uel aliud quod id quod dicis contineat: ut de filio si loqueris, patrem præsupponis.

De modis syllogismi. Cap. 10.

MOdi breuiter, duobus uersibus comprehenduntur, in quibus uocales, signant affirmationem & negationẽ in figurarum conceptione.

Asserit a, negat e: sed uniuersaliter ambæ;
Asserit i. negat o. sed particulariter ambo.

De figuris. Cap. 11.

QVia terminorum tripliciter uariari potest ordinatio, erit & triplex figura syllogismi, quarum unaquæque habet suos modos. Prima figura, cum medium quod erat

subiectum in maiori, est prædicatum in minori, ut omnis homo est animal (ibi homo subiectum, animal prædicatum) at Petrus est homo; ergo Petrus est animal. Estque hæc figura cæteris perfectior. In qua tñ est id obseruatione dignũ, ut nihil sequatur ex ea, si minor sit negatiua: ueluti in hoc exemplo, omnis asinus est animal. Quia tunc concluditur falsum ex præmissis ueris. Secundo in hac quoq; annota, quod ex maiori existente indefinita, uel particulari, nihil sequitur: ueluti si dicas, quoddam animal est homo: at, omnis homo est asinus: ergo asinus omnis est homo. Secunda figura est, cum medium prædicatur in utraque propositione præmissarum, scilicet in maiore & minore, & extremitates subijciuntur, ueluti, nullus lapis est animal, at omnis homo animal est, ergo nullus homo est lapis. Tertia figura, cum medium in utraque præmissarum subijcitur & non prædicatur, ut quoddam animal non est homo: quoddam animal est substantia; ergo quædam substantia non est homo.

De modis figurarum. *Cap.* 12.

Figuræ modos habent, quos complectuntur quatuor, qui sequuntur uersus, partim ex lib. prio. Aristot. collecti, partim a Theophrasto & Eudemo additi, ut notat Boet. lib. de syllogysmo cathegorico.

Barbara, celarent, darij, ferio, baralipton,
Celantes, dabitis, frapesmo, frisesomcrum.
Cæsare, camestres, festino, baroco darapti,
Felapton, disamis, datisi, brocardo, ferison.

Singuli modi continent tres syllabas, quarum prima maiorem, altera minorem, tertia conclusionem, indicat: si enim aliæ syllabæ dictionibus adiectæ, existima ad rationem metri pertinere. In his uersibus, primi dictiones incipiunt a literis B.C.D F. ex quibus hoc nota, aliorum uersuum modos, quorum dictiones ab ijsdem literis incipientes uidebis, posse ad illum quatuor formarum modum reduci, cuius literã primam referunt, per quatuor species conuersionis. Ideo in cæteris modis, qui in trib. posteriorib. uersib. sunt, quive ad quatuor primos modos reduci possunt, adduntur quatuor literæ aliæ, quæ pro significatione propria modos conuersionis significant,

gnant,qui his carminibus notati ſunt,

Simpliciter uerti uult S. P.uero per accidens,

M. uult tranſponi.C.per impoſſibile duci.

De conuerſione quoque propoſitionum,tradit Ariſto.li.1. reſolutiu.priorum,c.2.& 3.

Igitur conuerſionum notæ ſunt S.P.M.S.ſignificat conuerſionem ſimplicem,quæ fit de ſubiecto in prædicatum,& contra de prædicato in ſubiectum, manente eadem quantitate, ut in modo.

ce *Nullum animal eſt lapis,*
lan *At omnis homo eſt animal,*
tes. *Ergo nullus homo eſt lapis,*

Quæ concluſio conuertitur ſimpliciter remanente qualitate & quantitate,ſic,

Ergo nullus lapis eſt homo.

P.ſignificat quod ille modus reducitur per conuerſionem per accidens.Conuerſio autem per accidens, eſt tranſpoſitio prædicati in ſubiectum, & ſubiecti in prædicatum, manente eadem qualitate, ſed mutata quantitate, in qua conuertitur affirmatiua uniuerſalis in particularem affirmatiuam,& uniuerſalis negatiua in negatiuam particularem,ut in

Ba *omne animal eſt uiuens,*
ra *at omnis homo eſt animal,*
lip. *Ergo quoddam uiuens eſt homo.*
Conuerſio,
Ergo omnis homo eſt uiuens.

M.demonſtrat modum illum,cui inſeritur, debere reduci per tranſpoſitionem præmiſſarum propoſitionum,ſcilicet ut maior minor fiat,& minor maior,ut in

fra *Omne animal eſt ſubſtantia,*
peſ *At nullus lapis eſt animal,*
mo. *Ergo quædam ſubſtantia non eſt lapis.*
conuerſio fit in
fe *Nullum animal eſt lapis,*
ri *At quædam ſubſtantia eſt animal,*
o. *Igitur quędam ſubſtantia non eſt lapis.*

C.ſignificat eum modum cui adijcitur, reduci per impoſſibile:id autem fit, cum modus is in alium traducitur,& fit impoſſibile,ut in

Omnis

Ba Omnis uirtus eſt laudabilis,
ro At auaritia non eſt laudabilis,
co. Ergo auaritia non uirtus.

reductio in

Bar Omnis virtus eſt laudabilis,
ba At omnis auaritia uirtus eſt,
ra. Ergo omnis auaritia laudabilis.

Ad primam figuram pertinent duo primi uerſus, barbara, cela rent &c. celantes, dabitis, &c. Ad ſecundam pertinent modi, Cęſare, cameſtres, feſtino, baroco. Ad tertiam reliqui, de qui bus exempla probant apud quoſque dialecticos.

Obſeruanda in optimo ſyllogiſmo. *Cap.* 13.

OR ſerua, 1. ut medium non ſit ęquiuocus terminus, uel analogus. 2. ut neutra præmiſſarum, ſcilicet maior uel minor ſit hypothetica, ſed ſit utraque cathegorica. 3. ut maior, minor, & concluſio ſint impermixtæ, nec replic entur. 4. termini præfati in præmiſſis, teneantur in concluſione 5. non fiat argumentum ex quatuor terminis, nec expreſſè nec implicitè. 6. non fiat tranſitus a ſuppoſitione ad ſuppoſitionem. 7. concludatur ex præmiſſis, non ab extraneis ab illis. Exigitur 8. etiam in ſyllogiſmo bono, ut aliqua præmiſſarum ſit uniuerſalis uel particularis affirmatiua negatiua: dehinc 9. ut ſi aliqua præmiſſarum ſit particularis, concluſio ſit particularis, & non contra, 10. Quòd ſi concluſio ſit negatiua, ut aliqua præmiſſarum ſit negatiua. Nam ex puris negatiuis, uel ex puris particularibus nihil ſequitur. Medium uenari poſſumus inueniendo aliquid, in quo quod decreuiſti probare, participet.

De ſyllogiſmo ex demonſtratione. *Cap.* 14.

SVidas in uerbo ἀποδεχ]αι, ἀπόδειξιν, ſeu demonſtrationem, a definitione differre docet. Nam definitio explicat res, per genus & differentias. Demonſtratio autem propria ſit, ex his quæ per ſe & primum inſunt, & quę ex cauſis effectus probat, τεκμηριώδης ſeu abſoluta demonſtratio, dicitur: ut ex illuminatione. Lunæ, oſtendatur eam eſſe globoſam. ut ex igne fumus. At τεκμήριον argumentum, cum omnino effe-

ctum

ctum causa sequitur. Et τὸ ἄλυτον σημεῖον signum irrefutabile, propriè argumentum, quod si non omnino quid sequatur signum quidem dicitur, sed argumentum nõ est. Arist. 1. posterio. c. 2. scribit omnem doctrinam & disciplinam fieri ex præexistẽti cognitione. Sic mathematicę disciplinæ natę ex priori cognitione, nempe ex principijs prius sensibus cognitis, & natura apparentib. quale pũctum est, cuius pars non est: utque quod totum maior sit sua parte, quod circulus, sit figura una linea cõtenta. Sic dialecticus in syllogismo, præmittit propositiones magis notas, ex quib. minus notas colligat. Rhetor, exemplo noto & enthymemate utitur, definitionibus iuriscõsulti: suntq; horũ suppositiones, vel affirmatiuæ uel negatiuę.

Ex quibus demonstratio colligatur. *Cap.* 15.

Demonstratio omnis esse debet ex ueris propositionibus primis, immediatis, notioribus, & necessarijs, non aliunde. Propositio autem necessaria illa dicitur, quæ ita uera est, ut nunquam falsa esse possit: ut ens, non potest non esse ens. Et in hoc a contingente distinguitur, & a possibili. Porro principij huius demonstrationis, nulla alia est demonstratio, quia illa est ipsum principiũ: saltem in eo ad quod assumitur, & secundum quid. Et demonstratio est ex his quæ sunt per se, ideo illa principia sunt, Arist. i. de anima. Proinde idem Arist. li. 1. resolut. posterio. c. 6. 7. & 8. tradit, Demonstrationẽ esse non posse ex cõtingentib. uel ab illis quæ se aliter possunt habere, sed ex præmissis necessariis: neque ex his quæ fiunt per accidens, quia fortuitorũ nõ est scientia: 1. posterio. c. 23. Neque ab extraneis, nam cum de propriis quis loquitur, nemo modum alterius scientiæ quærit. Neque ex corruptibilibus. quia præmissio debet esse perpetua & inuariabilis: neq; ex principijs communibus: quia alia est interrogatio & demonstratio, ratione diuersorum, ut alia medici, geometræ, iuriscõsulti, atq; ut ait Arist. 1. de part. animal. c. 1. Demõstrandi modus, necessitatisq; ratio in naturali scientia diuersa, quam in scientiis speculatiuis. Vtimur tamen interdum generalibus, quæ & ubique pari modo se habere possunt, ut quod quid esse & non esse, possit. Neque tamen omnium potest esse demonstratio. Fieret enim in infinitum processus, ut ait Aristo. Metap. 4. cap. 4. Et ut ea rursum, quæ demonstrari possunt,

facile possumus assequi, egemus exercitio ut in cæteris artib. sicut docet Galen.li.9.de decre. Hippocr.& Plato.

De consequentia. *Cap.* 16.

EST syllogismus ex antecedente quoque & consequentia, quando ad positionem antecedentis, necessario sequitur consequentia.cuius notæ sunt,ergo,igitur,&c. Optimarũ consequentiarum istæ quædam selectæ sunt.1.ab inferiori ad superius cui directo subordinatur,affirmatiue,ut homo est animal,ergo & est corpus:homo dormit,ergo animal dormit. 2.ab uniuersali affirmatiua & negatiua,ad omnes suas singulares,tam collectiue quam diuisiue, bona est consequentia. Collectiue,ut omnis homo currit,ergo & hic currit:diuisiue, omnis homo currit,ergo & tu curris.quia homo.3. ab uniuersali negatiua,ad quamlibet singularem,semper & uniuersaliter,recepta consequentia,ut nullus homo est asinus,ergo nec ille,nec iste.Et hæc in uniuersalibus. Simili modo 4. ex parte indefinitarum particularium & singularium propositionum, sunt receptæ consequentiæ.Itaque a particulari uel indefinita,uel a singulari ad uniuersalem non ualet quidem consequentia,ut ex hac propositione,aliquis homo albus est, consequentia non ualet:ergo omnis homo albus est:at a particulari ad suam indefinitam,& contra,affirmatiue & negatiue in omni materia,tenet consequentia,ut aliquis homo currit, ergo homo currit:& aliquis homo rationalis,ergo homo rationalis.5.a particulari & indefinita, ad omnes suas singulares disiunctiue sumptas,bona consequentia:ut homo currit,ergo hic uel ille currit.Distinctiuæ dictiones sunt,uel,aut. Item 6. a singularum omnium partium enumeratione, ualet consequentia ad uniuersalem,ut is,ille,iste,& hic albus est,ergo omnes albi.7.a contrarijs quoque immediate,unum negando alterum affirmatur:ut hoc non est rationale, ergo irrationale: non est nox,ergo dies &c.Quod si contraria mediata sint, nõ utique ualet,ut si quis dicat,hic non est niger,ergo est albus, consequentia non ualet,quia alia media sunt,quæ neque nigra,nec alba sunt,sed uel uiridia,crocea,&c.8. a conuertibilibus ualet consequentia, seruata quantitate conuertibilium, ut Petrus est homo,ergo risibilis,quia conuertuntur, non est homo,ergo nec risibilis.9.ualet ab uno correlatiuorum ad al-

terum,

terum,ut dicun',totale,ut pater uel mater est, ergo filius est illis.item 10.a definitione ad definitum. 11.a descriptione ad descriptum.12.a toto copulato,ad partem copulati,in eo casu copulationis,affirmatiue non negatiue, ut Plato & Aristo.dicunt,ergo Aristo.dicit,non autem negatiue,ut Plato & Arist. loquuntur,ergo Plato non loquitur.diximus in eo casu copulationibus,ualere tantum consequentiam,quia in alijs extra copulationem,& in quibus non copulantur,non ualet,ut Socrates & Plato de aliquo loquuntur,non ualet hæc consequẽtia,ergo loquuntur de rege Galliæ.omitto reliqua.

De enthymemate. *Cap.* 17.

RHetoribus ἐνθύμημα dicitur, sententia grauis & acuta, ex cõtrarijs rationibus collecta,ut scribit Cicero in Topicis.M.Fab.in 5.Rhodol.Agrico.de inuen.Aristo. lib.2.rhetor.ad Theod.c.22.& 23.pro omni quoque meliori sententia animi,capi potest,sed apud dialecticos, usurpatur pro argumentatione ex uerisimilibus, & signis collecta, cum altera propositionũ,uel maior uel minor deest,ut tradit Rod.Agricola lib. 2.de inuent.cap.14.& Aristo.lib.2.resolutiu. prior.c. 27.Estque imperfecta argumẽtatio.Trahitur autem,uel a uerisimili,uel a signo,uel ab indicio.

De inductione. *Cap.* 18.

ALia probationis & argumenti species inductio, apud Cic.2.de inuentio ubi & 1.de inuent.ea dicitur, enumeratio,qua pluribus rebus expositis,& cæteris infirmatis, una res reliqua,necessario confirmatur Alio tamen modo ab Aristo. 1.topic.ca. 10. dicitur a singularibus ad uniuersalia accessio, hoc est,per enumerationem particularium, uniuersalis probatio. Fallax autem est & imperfecta,si non omnia enumerentur particularia,uel in genere omnes species non recenseantur, & cæt.

De paradigmate seu exemplo. *Cap.* 19.

EXemplum,est quædam species comparationis: est enim aliquid maius,uel par,uel minus, quod ad imitãdum uel

fugien-

fugiendum sumitur. Rodol. Agrico. lib. 1. de inuent. cap. 25. Estque exemplum, quando extremum medio inesse ostenditur, per id quod est simile tertio, ut notat Arist. lib. 2. prior. c. 24. Sunt & exempla secundum communem rationem & facilius creduntur: interdum præter rationem communem. De primo, ut si diuites dicantur pauperibus iustiores, & exempla adferantur diuitum, facilis fides: sin autem iustiores pauperes, adiunctis exemplis: præter rationem communem, fides. Arist. Rhet. ad Alex. Porro exempla exemplis facile refelluntur, & exempla, ut præter solitum morem, fortuitoque accidisse respondemus.

De topicis. *Cap.* 10.

HInc seges argumentandi amplissima, ideo breuius loci percurrendi. Loci itaque uel hæret negotio, de quo agitur. uel externi sunt. Inhærent autem, uel per se, uel ratione alterius: per se, ut ratione totius partis notæ, proprij. Ratione alterius, scilicet ut ratione gentis, formæ, similitudinis, differentiæ, contrarietatis, adiuncti, efficientis, effectus, comparationis, antecedentium, consequentium, repugnantium. Externi autem sunt sumpti, a diuinis oraculis, legibus sacris & humanis, testibus, instrumentis, usu, sententijs, attributione, authoritate: & a nostris transcendentibus, a bonitate, magnitudine, duratione, &c. a terna triplicitate comparationũ, a principio, medio, fine &c. & ab alijs per ordinem speculi, de quo lib. 2. Syntax. artis nostræ, c. 1.

De solutione argumentorum. *Cap.* 11.

DIssolui possunt omnia argumẽta, per generales illas tres triplicitates speculi nostri classe 2. habita ratione principij, medij, finis: differentiæ, concordantiæ, & contrarij: maioris, minoris, & æqualitatis, inter substantiam & substantiam, substantiam & accidens, & accidens & accidens. Non enim eadem omnium elementa, non principia, non media, non fines &c. quæ postea miscentur, ut secunda triplicitatis cum prima; sic differentia, concordantia, contrariantia, principia, media, fines rerum, uel principium cum fine uel cum medio: sic & miscere poteris tertiam triplicitatem scilicet, maius, minus, æquale,

æquale; primis; maiores, minores, æquales conuenientias, media, fines, differentias &c. uidebisq; si te assuescas paululum in his, magnā uim breui negotio. enodandorum argumētorum, consecutum. Et si uelis ultra uagari, habebis præ manib. primam classem speculi, ut per solutionem quæstionum. compares tibi rationes diuersitatis, uel conuenientię, uel æqualitatis uel contrariorum, prout toto 2. li. explicamus. Subueniet 3. classis eius speculi, ut dixi transcendentium, & postea 4. ab accidentibus petitis rationibus, & subinde ab alijs sequentibus classibus, ut inuitum te moles probationum & impugnationum obruat. Arist. autem atque alij, solutiones explicantur ab æquiuoci distinctione, ab oppositis, uel simul, uel post: ab accidente, ab ipso nunc a sensibili, a termino, a genere, a distinctione, a materia, a relatiuis priuantibus.

Regulæ generales respondendi. Cap. 22.

1 RESponsurus consideret sensum propositionis, ut quid concedendum, quid ue negandum sit, præuideat.

2 Si contingat illum interrogari ante propositionem argumenti, de sensu suę positionis impugnandæ, ut pro confesso aliquid ab illo per aduersariū extorqueatur. caueat sententiā proferre. nquidem soluendo, poterit interpretatione libera, alio sensum detorquere, quam aduersarius prospexerit, & ita se intellexisse, asserere, eludetq; ictus.

3. Quantum assequi poterit, impediat conclusionem; & animaduertat, num falsum quod cōcludit aduersarius possit docere. Poterit autem quinque modis impediri ne concludatur. primum, repellendo quod falsum est. secundo, resistendo ei qui interrogat: hoc est, ut nihil concedat, uel fateatur, donec audierit conclusionem; uel si reprehendat id quod interrogatur. Tertio, si dixerit uitiose quęstionem positam. Quarto, si protrahat tempus in solutione, & aliud ex alio ducat in uoluatque, & extra campum & arenam, sermonem deriuet. Quinto si distinguat uel reijciat maiorem.

De sophismate & fallacia & solutione eius. Cap. 23.

FAllax argumentatio uel σόφισμα, uel in uerbis, uel in rebus latet. Vocant & Latini cauillationem, cuius natura est, ut ab euidenter ueris, per breuissimas muta-

tiones,disputatio ad ea,quę euidenter falsa sunt, perducatur, ut ait Vlp.I.C.l.natura cauillationis.l.177.de uerb.sig.lib. 50. ff.tit.16. Deteguntur autem doli uerborum, si perpendātur amphibologica,homonyma, adiuncta seu composita distincta, accentus falsus,& uerus,& orthographia,orationis forma, & punctuatio. In adiunctis,illud fallax argumentum, num sedēs possit ambulare:in distinctis,illud,quinque sunt duo, & tria; ergo tria sunt quinque,& duo quinque. Cętera patent. Captio autem ex rebus,contingit 7.modis,

1.Ab accidēte si illud pro proprio ponatur, ut Socrates ambulat,Socrates albus est:ergo album ambulat.

2.Vt si id quod quodammodo est, omnino asseratur: ut si quod in opinione est pro uero habeatur,ut quod uerum non est,opinabile est;ergo est.

3.Ex reprehensionis ignoratione,ut si interroganti, nū res eadem dupla,& non dupla sit,respondeamus non;dicet, nonne duo unius sunt dupla,ergo inquiet eadem res,dupla, & nō dupla est;sed definitio dicebat,unius & eiusdem, reprehensio autem alterius.

4.A consequentib.cum quid dicitur ex alio sequi, & tamē non sequitur;ut homo est animal;ergo animal est homo.

5.Ex repetitione eius,quod ab initio dictum est, ut cum id quod dictum est,multis modis accipi potest,ut si probare uolens hominem esse lignum,interroget, num homo lignū sit, respondebis non; postea num homo est ridens, respondebis utiq;;At dicet homo est lignum ridens,utrumq.n.dictum est, ergo lignum est homo.

6.Cum id quod non est,& causa pro causa ponitur.

7.Cum multa interrogata pro uno ponuntur.

Tractat,& de captiosis interrogationibus Gellius libr. 16. noct.Att.c.2.

SYN-

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER XVIII.

In quo agitur de arte bene,& multum dicendi,seu de Rhetorica.

Quid in hac arte consequamur. Cap. I.

ARs bene,& ornate loquendi est illa, quæ docet pręcepta concinnę elocutionis,apte,ordinatè, & copiose dicere de unaquaque re proposita. hac arte utitur Rhetor, declamator,& orator uerum alio & alio modo.Rhetor namque docendo,declamator fingendo orationum materiam,orator ueras causas agendo. Oratori philosophica fere omnia subiecit L Crassus. non consentit M. Antonius apud Cic.in lib.de ora.Alij tantum organum aliarum scientiarum hanc rati sunt.Mihi autem uidetur perfectum non posse dici oratorem,qui ex omni genere scientiarum quandam nō hauserit cognitionem.Magnus quippe Tyrius ser. 21. Rhetoricā definit cogitationum animi enunciatricem.

De materia,& statu causæ,& generibus orationum. Cap. 2.

QVamobrem materiam generalem ex qua fiat hæc ars, putarem illam encyclopediam,quam nostro speculo artis percurrimus,lib.2.Syntax.c.i.singularem autem,& propinquam,statum causę qua de agetur.Porro status causę tres habere potest potissimum fines,demonstrationem, deliberationē, seu consultationem,iudicium; unde conflātur tot genera cau

ſarum apud Cicero, 1 ad Heren. & totidem orationum gene ra. Eritque oratio aut dehortatiua, aut adhortatiua. vocat ſua ſoriam, diſſuaſoriam Cicero 1. Rhetho. quæ generis deliberatiui ſunt, aut laudatiua uel uituperatiua, quæ generis demõſtratiui: aut accuſatiua uel defenſiua, quæ generis iudicialis.

De obſeruandis ab eo qui dicturus eſt. Cap. 3.

Dicturus, antequam dicat, quædam in dicendo ſeruare debet, ultra ea quæ tradidimus lib. 1. Syntax. c. 3. Inueniat, diſponat, pronunciando conueniente geſtu utatur. Inuentio continet electionem rerum, ſententiarum, & uerborum. Facilis electio, ſi antea inter legendum probatos, & graues authores, notabiliora ſelegerit & in locos communes ordinauerit, ſi memoriæ tradat fideli ſpeculũ noſtræ artis. Diſpoſitio inuentorũ ſecundò exigitur, uel ſcriptura, uel mente cõprehẽſa, quæ nihil eſt, q̃ proportionata, & conueniens cuiuſque in ſuo proprio loco ordinatio, ut ait Speuſippus lib. de definitio. Platoni. Diſpoſitio diſtinguit, & diuidit partes ſuæ orationis; partes autẽ uel mẽbra orationis quinque ſunt: Exordiũ, narratio, propoſitio, diductio, cõcluſio. Exordij quod Græcis προοίμιον, officiũ, ſecundum Cic. 1. rhetor. Quintil. in 4. c. 1. animos auditorum conciliare, attentos reddere, dociles & beneuolos, quæ aſſequimur ſi de nouis, difficilibus, uel inuſitatis nos dicturos polliceamur, captata aliqua occaſione uel a noſtra, uel alterius perſona, a præſtantia rei, a diuiſione incipientes. Sit exordium breue, a propinquo petitum. Suppeditauit tibi abundè exordiorum ſegetem 2. pars noſtri ſpeculi lib. 2. c. 1. a bonitate, magnitudine, duratione &c. rei, uel contrarijs uel ſynonymis eorum. Exordium ſequitur narratio, id eſt rei, uel negotij propoſiti, ſeu cauſæ expoſitio: hæcque breuitatem & facilitatem ſummopere exigit, ut & rei ueritatisque natiuam & naturalem habeat repræſentationem. Eſt tamen cautio adhibenda, ut ſi cum aduerſario res nobis ſit, ita narratio fiat, ne in ſuas poſſit transferri partes: & tunc narrando, in quo cum aduerſario conueniamus, in quo diſſideamus, dicendum: ut in quo diſſidium eſt teratur tempus probationũ artificialium, uel ea reijciamus, quæ obijciuntur: unde orationis tertia pars incipit, propoſitio, ſcilicet eius quod in controuerſiam uenit, uel quod eſt probandum uel refellendum. Et hac in parte locis utimur & argumentis dialecticorum, cũ

continua

continua tamen oratione,siue argumentandi formula.Probamus uero uel refellimus,sumptis probationib. uel ex parte subiecti probationis,uel ex parte prædicati,uel mixtione eorũ: bel reuolutione totius nostri speculi,primum per quæstiones ut per utrum,quia est,uel non est:per quid,a finitione & eius partibus,per quotuplex a diuisione, per quæstionem de quo, a materia,& sic de similibus sequẽtibus omnibus, quæ postea misceri possunt.Ex his sequitur conclusio cum breui præcedentium connumeratione,seu epilogo.

De uocis compositione in oratore. Cap. 4.

PHiliscus Rhetor,ad imperatorem quendam illum orare intercipientem, referente Erasmo lib.8. apophtheg. ait, τὸν μὲν ἀγόρα ϑαλκίζειν τὴν κόμην,τὸν δὲ ῥήτορα φωνήν. i.uirum argui per comam,& rhetorem per uocem.unde uox cum gestu,maxime exigitur in oratoris pronunciatione, uox aures,gestus,oculos continet & pascit audiẽtium,& uoce homines,ut æra tinnitu probamus.uox ex faucibus, per aeris repercussionem emittitur.uocem fauces tumentes strangulant: obtusæ,obscurant,rasæ,exasperant:conuulsę fractis organis similes reddunt. uox quãtitatis & qualitatis ratione, distinguitur. Quantitate,ut grandis,exigua. Qualitate,candida,fusca,plena, exilis,læuis,aspera,contracta,fusa,dura flexibilis,clara,obtusa,acuta,grauis, fluxa. Bona uox oratoris illa quæ dulcis & libera,sine exprobrante & fragoso sono. uitia uocis,exclamare,ut tabulę faciunt,insurgere,submittere,raucescere.Vox neruis organorum similis.quo enim remissior, hoc & grauior & planior Quo tensior seu magis intẽsa, eo tenuior & acutior. uitium in utraque;ima quippe uim non habet,summa rumpi periclitatur.Omnis uox fit spiritu longiore uel breuiore. Pronuntiatio autem dilucida erit,si tota uerba exegerit,cuius uitia partem deuorare,partem sine sono relinquere. Atque dinumerandæ non sunt literæ,sed pronunciandæ,sine uolubilitate,non suffocate,non præter uires laterum & pectoris.

De uocis mutatione in dicendo. Cap. 5.

ORator,uno tenore uocis perpetuo uti nõ debet uel monotonia.Nã & ridetur citharędus,corda qui semp oberrat

trat eadem. Vox mentis interpres est, ideo & uox cum eũ mẽ-tis uariis motionib. mutari debet. Itaq; in lætis, erit uox simplex, plena, & quodãmodo hilaris: in ira, atrox, aspera, densa & cũ respiratióne crebra: in inuidia, tensior: in certamine, erecta totis uiribus. Tunc enim ut suis neruis intenditur. In blandiẽdo & satisfaciendo & rogando, leuis & submissa: in disputationib. teres; in monitionib. suasionibus, pollicitationibus grauis; in metu, uerecunda, contracta; in adhortationib. fortis: in digressionibus, fusa & securę claritatis: in expositione & sermonibus familiaribus, recta: inter acutum & grauem sonum media. Attollitur concitatis affectibus, descendit compositis.

De notis quæ indicant uel uocis suspensionem, uel mutationem Cap. 6.

Sententiam, quę in oratione ponitur continua, una quadã integra conclusione uocis absoluendam & proferendam periodon uocant, cuius nota, punctum. Sed quia interdum periodi longiores sunt, quam spiritus proferentis, ideo uox ad respirationem suspenditur; at suspensiones maiores & minores sunt, antequam ad periodũ perueniamus. maior, κῶλον Colon, est membrum periodi, quod aliqua sententia constat, uerbo finiti modi adiecto, sed quod adhuc ad perfectiorẽ sensum expectandum moueat periodum. Colon geminato puncto notatur sic; Minor distinctio est comma, id est, incisum, uirgula, sic, uel sic ad faciliorem lectionem, modico spatio uoci interiecto, distinguens partes orationis: quamobrem paulum suspẽdẽda uox in commate, magis in colo, multo magis ĩ periodo, & ibi respirandum si sententia uarietur. Græcis hæc eadem, & notæ sunt & eiusdem figurę, ac apud Latinos similis naturę Hebręi alio modo signant, habent quippe loco periodi, accentum, quem uocant soph passuk, idest, finem uersus. Cuius. figura, est linea directe sub litera vltimę dictionis descẽdens & duo puncta ad latus sinistrum, sic; סוף פסוק soph. passuk. Pro colo habent hoc signum ^. sub litera: uocant autem אתנחתא, Athnata; pro commate habent duo puncta supra scripta literæ, uocant זקף, zakeph. Mutationem uocis significant etiam aliquæ notæ, ut si admirationem uelimus pronũciare, adijcimus lineam rectam puncto directam, sic, !, Si interrogationem faciendam, semicirculos puncto superponimus?

Græci ſemicirculum puncto ſubiiciunt,ſic,;Si ſubmiſſius quid pronunciandum duobus ſemicirculis includitur,ſic () parentheſim uocanr.

De moderatione uocis per ſingulas partes orationis. Cap. 7.

PRonunciatio proæmij ſit lenis: Narrationis, uocis aptioris.manu magis ultra ſubſellia prolata: ĩ probatione,agitatior,acrior,& inſtantior, cum geſtu orationi conſentiente. Egreſſiones ſint magis remiſſæ & lenes. In epilogo , uox ad concitandos iudices uel auditores, producenda ad placãdos, inclinanda cum lenitate, ad cõmouendos ad miſericordiã, fluxu uocis & flebili modo utendũ.Ex fine namqne,ut ex poſtremis impreſſionibus magis commouentur audientes.

De geſtu totius corporis. Cap. 8.

IVſſus dicere, non ſtatim incipiat uel erumpat, ut ſi ex mora aliquantula ſpatium cogitandi,& quia interim dicturi cura,auditurum delectat & iudex uel alius qui iuſſit,ſeipsũ interim componit.In hac tamen cũctatione,ne moræ ſint indecentes,dicturus poteſt caput mulcere,manũ intueri, infringere articulos,ſimulare comatum , ſuſpiratione ſolicitudinẽ fateri,aut aliud agere,quod quemque magis decet,idque diutius ſi iudex non intendit animum uel auditores,incipiat dehinc. Vultus ex affectibus mutatur , hiſque oculi , palpebrę, genæ,ſupercilia obtemperant. Superciliorum duo uitia , immobilitas & mobilitas nimia, optima inter illa mediocritas; contracta triſtitiam ſignificant:diducta,hilaritatem ; remiſſa pudorem.Nares & labia,non torquenda,non mungenda,nõ mordenda.Sit ceruix recta,collum non tendatur,quia leuigatur uox;ſi affigatur mentum pectori,minus clara fit: nam redditur craſſior preſſo gutture. Humeri ne eleuentur uel deprimantur,quia geſtus ille ſeruilis eſt.Brachiorum ſit moderata proiectio,explicantibus ſeſe in proferenda manu digitis.

De geſtu conueniente manuum & digitorum. Cap. 9.

OMnes fere geſtus præcipuè oratoris, ex manu pendent. Digitorum communis geſtus,hic eſt.Medius digitus in

pollicem contractus explicitis tribus,principijs aptus est,cum leni ex utraque parte motu modico,prolatus cũ capite,humeris sensim ad in quo manus feratur,obseruantibus in narrando,exertus,sed tum paula productior.In argumentando & exprobrando,acer & instaus:atque in his partibus longius & liberius exeritur . Cauendum tamen, ne in sinistrum latus tendat,ne ue transuerso brachio proferatur.Duo medij digiti sub pollice,habent gestum intentiorẽ narrationi non accommodum.Tres contracti pollice presso,indice explicato, in exprobrando & iudicando accomodi. Index spectante humerũ manu , paulum inclinatus, affirmat ; uersus in terram ut pronus, urget. Verecundiæ aptissimus gestus, quo primis leniter in summum coeuntibus digitis non procul ab ore & pectore,fertur ad nos manus:deinde prona , aut paululum prolata laxatur. Motus totius manus, a sinistra incipiat. Deinde deorsum , postea sursum proijciatur , uelut in latus dexterũ & in dextera finiat. Manus cum sensu & incipiat periodum & desinat.

Vitia gestus manuum, & aliarum partium corporis.
Cap. 10.

Vitia manus sunt , tollere eam supra oculos, demitterẽ eandem infra pectus,percurrere ea intra humerum sinistrum.Sinistra manus , nunquam sola gestum facit recte: dextræ se accomodat frequenter , siue in digitos argumenta digerimus , siue auersis in sinistram palmis abominamur ; uel reiicim⁹ aduersa:siue ad latus utrunque discedimus satisfaciẽdo uel supplicãdo. Ambabus diuersos perficimus gestus attollimus quippe adorantes, supplicantes submittimus, medij demonstramus,inuocatione protendimus.Manus complodere, & pectus ferire , fœminum est: pectus iactare, stultum . Cum nosmetipsos tamen alloquimur, adhortamur,miserantes, obiurgantes, uel de nobis loquimur , caua manu,& summis digitis pectus appetere,optimum gestum addit.Pes sinister non dexter debet produci ab oratione , corpore tamen recto: attamen tortuose nõ est insistendum,Inclinari autem si doceas uel obscure loquaris,uersus iudicem paululum licet. Cum ad argumenta perueneris & locos,uestem fluentem reiicere potes,deijcere etiam si hæreat, & frontem siccare.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XIX.

In quo agitur de poetica.

De poetica arte, quatenus in republica admittenda. Cap. I.

MEtra, inquit Aristoteles in Poet. partes esse numeri satis apparet, & sicuti numerus & harmonia natura insita nobis sunt, uidetur & poesis naturalis, quæ postea arte iuuatur Constat autem, poesim esse artem, quia suis præceptis, perficitur, quanquam non ita uerum omnia quæ poetæ canunt, arte cani: nam miranda canunt, sed non crededa. Et Plato in Ioue, Omnes, inquit, carminum poetæ insignes, non arte sed diuino afflatu mente capti, ista præclara poemata canunt; ut Corybantes, non sanamente canunt, additque, res leuis, uolatilis atque sacra poeta, nec canere prius potest, quam Deo plenus, & extra se positus, & a mente alienatus sit. Nam quandiu mente quis ualet, neque fingere carmina, neque dare oracula quisquam potest, hæc ibi Plato. Cicero 2. de Oratore, Bonus poeta nemo sine inflammatione animorum existere potest, & sine afflatu quasi furoris. Aristotele quoque in poeti. uiri uersatilis ingenij, uel furore perciti esse poeticam tantum, dicit. Etenim poetarum aliqui, ab ipsa natura ad poeticam bene firmati

mati ſunt, aliqui autem a mente abſtrahuntur. Subindicat & Cebes apud Plato. in Phędo uel de anima, poetarum animos magis ad fabulas, quàm ad uerum ſermonem animum inten dere. Quod & omnes fatentur: uerũ aliqui ad myſteria cõtor quent: alij ad partem poeſeos delectantem. At ſemper nihilominus uerum remanet uetus illud prouerbiũ, poetas multa mentiri, ut ait Ariſt. 1. Metaphy. cap. 2. Sene. li. 1. de beneficis, ſic explicat; Quemadmodũ nomenclatori memoriæ loco au dacia eſt, & cuicunque non poteſt nomen reddere; imponit aliud loco nominis proprij; ita poetæ non putãt ad rẽ pertine re uerũ dicere. ſed aut neceſſitate coacti, aut decore corrupti id quemq; uocari iubent. quod belle facit ad uerſum. exprimit in arte Horatius, *pictoribus atque poetis.*
Quilibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Plato lib. 10. de rep. partem Poeſeos reijcit, & a ciuitate tã quam ei noxiam ex plodit eam, quæ imitatrix eſt, id eſt, quæ repræſentat mores aliquorum, quales ſunt Tragœdiæ & Comœdiæ: alias tamen partes admittit, ob quas poetæ utiles putantur a Plut. proprio li. de audiẽ. poemat. Refert Maximus tamen Tyrius ſermo. 16. Heſiodi carmina, & aliorum quæ ra piũt animos, perinde ac tibiarũ & florida harmonia, ut argumenta meraru fabularũ plebiſcito explodi: cui tamẽ ille non ſubſcribit, ratus philoſophandi ſemina inde perueniſſe ad ipſum quoq; Plat. & alios: & in Homeri & Heſiodi carminib., fabulæ ſpeciem poeticen quidem ſpectare, at latere in his ad uirtutis amorem ſtimulum. & ſermo. 21. poeticen dicit, optimam nimirum adoleſcẽtis animi nutricem, & alumnã & ſermo. 29. quid eſt aliud poetica, quam philoſophia tempore uetuſta, conſonantia metrica, argumento fabuloſa. hęc que poſtea docet conuertibilia, eſſe philoſophom, & eſſe poetam. Cicero in eius laudibus multũ pro Archia poeta. Cui adſtipulatur Strabo libr. 1. Geogra. Antiqui inquit, poeticam pri mã quandã philoſophiam perhibẽt, quæ ab ineunte nos ætate ad uiuendi rationes adducit, quę mores, quę affectiones do ceat, quæ res gerendas cum iucunditate præcipiat &c. Extant & Heraclidis Pontici ἀλληγορίαι σοφόταται, καὶ εἰδικόταται εἰς τὰ τοῦ ὁμήρου περὶ θεῶν εἰρημένα, καὶ ἀντιῤῥήσεις τῆς κατ' αὐτοῦ βλασφημησάντων. In quib. totã poeſim philoſophia naturali plenã, docet & Dion Chryſ. oratione Græca de Hom. Plat. ab eo quoq; ſuæ philoſophiæ partẽ maximã hauſiſſe do cet,

cet Arist.& Zenō.& alios, Quāobrē Græcorū ciuitates ab ipso primordio, liberos in poetica educarunt, nō utiq; nudę uoluptatis, sed castæ moderationis gratia. Extollit & poetices ibi partem, quæ uerbis ad inuitandā uidendi rationem incitaret. Quid autē ego possim in horū authorū concursu adferre, nū probem, improbemve poeticā, explicabo. Probo quidem artē omnino, utpote quæ in electione uerborū & sententiarū, ingenia acuat & exerceat, & quæ ad optima etiā possit esse celebranda instrumentū: neq; enim fuit usquam Dei cultus, sine aliqua metrica decantatione: nō apud barbaros, non apud Iudęos, nō Christianos. Sunt & carmina quædā, quæ merentur perpetuo in ora esse, vt Phocylidis, Tyrtei, Theognidis, Hesiodi opera & dies, & similia, ut iudiciū est Isocratis ad Nicoclē. Verum cum Plat. & alijs probe sentientibus, Christianis potissimum, abominor poetas antiquos & recētes, qui nobis tragice uel comice, uel spectra & chimeras proponunt, aut uitiorum lernam, ex quib. etsi erudiatur lingua & sermo, inficitur certe anima, ut eo modo impios & turpes mores iuuenes cōbibisse appareat postea cum fuco eloquentiæ; uixque a faciē dis quæ legerint, se temperare possint: & si tenera ętas dum addiscit, non sentiat quantum uirus hauriat, similis illis qui oblitis melle cantharis, improuide uenena deuorant. Concinna certe multa Martialis habet, sed quam turpia aliū de propinet, quis non uidet? Familiariter loquitur Terentius & Plautus: at quantum noceat pueris didicisse modum scortādi, quo ibi nihil frequentius quis nescit. Omitto reliqua, quæ colloquijs pessimis corrumpunt iuuenum mores, prospicient & dabunt operā si sapiunt, & ludimagistri & magistratus; ne his in posterum imbuatur & instituatur iuuentus. Sic enim opinor, D. Aug. 1. confes. uinum erroris dixit poesim, & Democritus insaniam. Et, ut est apud Hora in arte,

Dum semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Certe & æque pueris ac omnibus Christianis, illud impiū, toties Iouem, Appollinem, Bacchū, & alia idola gentiū, pro Deo resonare, deos dicere, deos inuocare, & reliquas fabulas cōmemorare, quas & plerunque pueri ueras credunt, & sic pecum hoc ueneno inter Christianos semipagani moriuntur. D. Paulus hoc notat expresse 1. ad Timoth. c. 4. ineptas & inanes fabulas deuita. Et rursum 2. ad Timot. erit tempus, cum sa-

nam

nam doctrinã non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, a ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. D. Hierony. in pſal. 104. ad uerba illa, & dedit terra eorum ranas in penetralibus regnum ipſorum, ait in ranis poetarum carmina deſignari, qui a catholica regula diſcrepantes, regnum terrenorum corda deceptionum fabulis replent. Eadem repetit ſuper Pſal. 77. ad uerba & ranam & diſperdidit eos. Et idem D. Hier. Damaſ. abſit, ut de ore Chriſtiano ſonet, Iupiter omnipotens & mehercule, me caſtor, & cætera magis portenta, quam numina &c. Quod ſi apud Ariſt. lib. 7. Polit. c. 17. legimus, pœnã ſtatutam his qui publicam ſtatuam, oculis propoſuiſſent multitudinis, per quam libido excitaretur, quanto magis iſtis pœna imponenda, qui iuuentutis mentem tabulis iſtis ſpurciſſimis & impijs poetarum imbuunt & ſuggerunt. Hoc non patitur Iuuenal. etſi poeta, dum ait, Saty. 14.

Nil, dictu fœdum, viſuque hęc limina tangat,
Intra quæ puer eſt: procul hinc procul ite puellæ,
Lenonum & cantus pernoctantis paraſiti,
Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras. Nec tu pueri contempſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat ubi filius infans.

Extat uerus prouerbium, quæ factu turpia ſunt, eadem & dictu. Sicque præcipit Iſocrates oratione 1. πρός δημόνικον· ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν. Atque barbari Perſæ, quæcunque non eſt fas apud illos facere, eadẽ nec dicere, ut ait Herodotus in 1. Imo obſcæni poetæ & olidi, ſunt peiores pernicioſiſſimis lenonibus: lenones enim perpetuo non audent comparere, pudicitiam aperte non impugnant: at iſti continua lectione libere expugnant: uel corrumpunt. Cecinit uel inuitus Ouidius illud,

Eloquar inuitus, teneros ne tange poetas,
Summoueo dotes impius ipſe meas.
Callimachum fugito, non eſt inimicus amori,
Et cum Callimacho, tu quoque Coe noces,
Me certe Sappho meliorem fecit amica,
Nec rigidos mores muſa Thaleia dedit.
Carmina quis potuit tuto legiſſe Tibulli?
Vel tua, cuius opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?

Et

Et mea nescio quid carmina tale sonant.

Sed hæc hactenus de poetarum censura, de qua non loquemur, sed de arte poetica, qua quis & ad bona, non secus ac gladio uti potest.

Quibus constant poemata, & de rhythmo. Cap. 2.

OMne poema, ex syllabarum ratione & ordine, & tempore constat. Syllabarum diuisio, in primas, medias, & finales: quæ inter primam & finalem dictionis syllabam sunt, mediæ dicuntur. Et cum suis numeris quodãmodo cursu continuato currere uideatur metrica oratio, ideo syllabarum cõnexione, pedes fieri dicuntur, ut ex pedibus uersus seu carmẽ. Quamobrem in poetica arte & metrica, tria considera, syllabarum tempora, seu quantitatem, num breuis, longa aut anceps. Secundo, pedum diuersas structuras. Tertio, pedum commixtiones, unde diuersitas carminum nascitur. Obseruandũ tamen non fuisse adhibitam rationem quantitatis in poetica apud omnes nationes, sicuti nec perpetuo apud Hebræos, in Gallicis & Italicis metris & Germanicis, in quibus pro arte, est certus numerus syllabarum & rhythmus. Rhythmus, est conuenientia syllabarum in fine duorum uersuum, quos miscent pro arbitrio præscripto. Scio tamen quosdam uoluisse Gallicum, idioma, legibus syllabarum latinarum constringere, uerum nulla inest uersibus in hoc idiomate gratia, & oporteret orthographiam Gallicam, quæ uaria est prius certis & conuenientibus legibus coercere, quã ad tẽporũ & quantitatis obseruationẽ reuocare. Rhythmũ Hebrȩi doctiores trium literarũ posteriorũ uersuũ duorũ, vel pluriũ faciunt: uocantq; illud carmen שור משובח scir messuba, id est, carmen excellens. Indoctiores, non semper easdem tres in rhytmo ponunt literas, sed aliqñ quæ prolatione affinitatẽ habent. Qñ autem rhythmus una litera consonat, dicunt שיר עובר scir gober. i. carmen trãsiens seu uulgare. Si in duab. שיר ראוי scir raui. i. carmen elegãs. Sed & isti habẽt in rhythmis duas sedes, in medio uersus, & in fine. Primam partẽ uersus, dicunt דלת daleth ostiũ: secundã רוגס segor. i. clausurã, diuisiones eorũ, psetzim. i. distinctiones, pausas uocant. uersum aũt includẽtẽ utranque partẽ, uocant בית bait domũ. Cæterũ non semper bait seu uersus hẽt rhythmũ in medio uel ĩ pesetz, quãuis diuisionẽ hẽat

sicuti

ſicuti in uerſibus Gallicis & Italicis & Germanis, Alexandrini & heroici dicti, & decanici, habent quidem peſec, ſed nō rhythmum niſi in fine. Habent quoque Hebræi formam aliam uerſus componendi, per quantitatem ſyllabarum, ut uidebimus proximo capite.

De ſyllabarum quantitate. Cap: 3.

SYllabarum aliæ longæ, aliæ breues, aliæ ancipites ſeu communes, quæ & breues & longæ eſſe poſſunt. Græcis & Latinis longæ & breues ſyllabæ, cognoſcuntur octo modis, paucis diſtinctis.

1. Poſitione, cum duæ conſonantes literæ, uel muta cum liquida, uel duplex conſonans ſequuntur uocalem, quæ autem ſint mutæ liquidæ & duplices, diximus in grammatica.

2. Cognoſcuntur diphthongo, omnis diphthongus longa eſt, apud omnes, niſi ſequatur uocalis apud Latinos, apud Græcos uariat.

3. Præpoſitione; nam præpoſitiones, de, pro, à, è, ſe, de, di, dis, &, pro, niſi, paucis exceptis, quas notant omnes proſodiæ, longæ ſunt, niſi ſequatur uocalis.

4. Deriuatione, deriuata primitiuis conſentiunt, paucis exceptis in Epographia Franc. Quintiani Stoæ capit. 12. 13. 14. & apud alios.

5. Compoſitione, ut compoſita, normam ſimplicium obſeruent.

6. Cum uocalis ante uocalem, quia corripitur prima, paucis exceptis.

7. Regulis; quæ dantur de diſſyllabis, præteritis longis, exceptis, ſcidi, fidi, tuli, ſteti, dedi; de prima corripienda geminati præteriti; de prima producenda ſupini diſſyllabi; de crementis uerborum & inflexionum nominum de quibus late Deſpaut. Pantaleon, & alij.

8 Exemplo, quia ita uſi antiqui ſint, & dicunt aliquas natura longas uel breues ſyllabas, potiſſimum Græci & Hebræi. Græci quippe habent, ut diximus, natura longas, η & ω. breues ε. & ο. Ancipites, α. ι. υ. Et Hebræi habent ſeptem motiones, ſeu uocales, longas, nempe quinque motiones magnas, & pathah, & ſegol. de quibus in grammatica egimus. Traduntur autem regulæ particulares de primis, mediis, & finalibus ab

om-

nibus prosodicis, apud Latinos a Franc. Quintiano, Despaut. Pantaleone, & aliis quorum capita collegit uersibus Glareanus libello de syllabarum ratione. Vt uocales longæ sint ante literas, quæ in his uersibus ponuntur, ante alias breues,

De primis. *Mansla, delesteue, flinsdiuerim, bodogosmo, cudrunsgumsi.*

De mediis. *Gau, bedec, elmentu qui, nost, dugrumunticus adde.*

De ultimis. *A,u,i,n,c,as,es,os finales dant tibi longas.*

De quantitate syllab. apud Græcos, tractat Franc. Vergara, li.4. Grammat. & Rhenatus Guillonius in Gnomone & alij.

De pedum diuersa nomenclatura. Cap. 4.

EX syllabarum quantitate diuersa, pedes diuersi componuntur. Simplices alij, alij ex illis compositi. Simplices, dissyllabi 4. trissyllabi 8. dissyllabi, pyrrichius duab. breui. ᴗ ᴗ. Spondeus, duabus longis- . Iambus, breui prima & longa sic. ᴗ-. Trochæus contra, -ᴗ; Trissyllabi, dactylus, prima longa, & seq. breui. -ᴗ ᴗ. Anapestus, ᴗ ᴗ -. Tribrachys ᴗ ᴗ ᴗ. Molossus ---. Amphybrachys ᴗ - ᴗ. Amphimacrus, -ᴗ-. Bachius ᴗ-- Antibachus -- ᴗ. Compositi, proceleusmaticus ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ex duobus pyrri. dispondeus ---- 2. spon. dijambus ᴗ - ᴗ - 2. iamb. di trochæus -ᴗ -ᴗ. 2. troch. Antipastus ᴗ - - ᴗ Iambo & troch. Choriambus - ᴗ ᴗ - troch. & Iambo. Ionicus a minore ᴗ ᴗ - - pyrr. & spond. Ionicus a maiore - - ᴗ ᴗ spond. & pyrr. Pean. 1. -ᴗ ᴗ ᴗ Tro. & Pyrri. Pean. 2. ᴗ - ᴗ ᴗ iambo & pyrr. Pean 3. ᴗ ᴗ - ᴗ pyrr. & troch. Pean. 4. ᴗ ᴗ ᴗ - pyrr. & iamb. hi pedes Latinis & Græcis communes; at Hebræi iambum habent dictum. יתד Iated, clauum, fitque Iated ex sceua mobili, seu hateph segol, & una syllaba. Cum autem aliam addunt syllabam, quam uocant המכנסת mechennach, id est modum, uocant דורכבת murcheber, id est, compositum, Latinis potest dici Bacchius, postea namque per syllabas computant uersus.

De distinctione & nomine carminum. Cap. 5.

CArmina nominantur uarie, uel a prædominanti pede, uel a numero eorundem, uel ab inuentore, ab eo quod

canitur,

canitur, & instrumento cum quo canitur. A prædominanti pede, ut carmen iambicum, trochaicum, dactylicum, anapęsticum, choriambicum. A numero pedum, monometrum scilicet 2. pedum, dimetrum, 4. trimetrum, 6 tetrametrum, 8. quadratum catalecticum, & acatalecticum: quæ intelligenda de iambicis, trochaicis & anapæsticis, in quibus duo pedes pro uno numerantur, non autem in hexametro & pētametro carmine. Pentametrum quod habet 5. pedes uel 4. & duas cæsuras: hexametrum quod habet 6. pedes. Ab inuentoribus, Pyndaricum, glyconicum, sapphicum, seu pentametrum & hendecasyllabum, asclepiadeum, archilochium &c. A materia decātatā, heroicum, eroticum, georgicum, olympicum, nemæum, pythium, isthmium, adonicum, elegi, næniæ, eclogæ, epinicia &c. Iulius Pollux in 1. pęan proprie, dixit esse uersus de Apolline: hymnum Dianæ: utriusque prosodiam, Bacchi, dythyrambum, Cæteris, Iutum: Linum & Litiersem fossorum & rusticorum. & lib. 3. cap. 3. hymen uel hymenæus, cãtus nuptialis, alia que addit, lib. 4. c. 7 Ab instrumento, ut lyricū. A numero uersuum, ut disticha. Apud Gallos: *dizains, balades, sonetz, chantz royaux*, & alia genera, quæ numeratos habent uersus, & apud Italos. De generibus pedum & metrorum, fere omnes supra citati authores agunt, tum in Hellinica, tum in Latina lingua. At Hebræi decem & octo genera metrorum alia habent, de quibus Gaspar Haiuonius, sacræ theologiæ professor primus scripsit Latine, & post eum Munsterus, in fine utriusque suæ grammatices Hebreæ. Primum est פשוט pascut i. carmen simplex, ubi nullum scheua: secundum compositum, ex iathed & quatuor syllabis: tertium cōpositum ex iathea & 4. syllabis, & alio iathed & 2. syllabis, 4. compositum ex iathed & 2 syllab. Reliqua postea composita uarie ex iathed & syllaba, uel syllauis antecedentibus uel sequentibus ac apud Latinos & Græcos ex spondeis & iambis & trochæis fiunt uersus uarij.

De systemate uario carminum. *Cap. 6.*

SYstemata & complexiones carminū apud Latinos & Gręcos, ad tria genera reducuntur. Nam uel sunt dramatica, uel exegematica, uel mixta. *δραματικὰ ποιήματα* dicuntur, ab imitatione eorum quæ repræsentantur, cuius præcipuę species, Tragœdia & Comœdia. De Tragœdia, & unde dicta, nū

a præmio

a præmio hirci,uel aliunde tractat Ant.Mancinel. in Horat. lib.2.car.od.1.& Acron,& Ascensius,in eius artem.Et Cornutus in his,quæ in prologo Terentij Afri afferũtur.Tragędiæ partes apud Arist. 4.Prologus vsque ad ingressum chori;ab histrionibus agitur chorus. ἐπεισόδιον,exodus.Chori officium; supplere quicquid extra argumenta adijcitur apud Horat.in arte,atque ita agit partes authoris, defendit officium uirile, bonis fauet,regit iratos,laudat laudanda,contraria vituperat. Sunt & alia chori officia,de quibus & plura de strophe, antistrophe,& epodo, consulat Iacobum Mycillum in fine annotationum in Euripidem,commentarium in Pindarum.Chorus tragicus differebat a comico,quod esset 15.personarum, comicus 24.Differuntque in choris,& multis alijs Comędia & Tragœdia;quia illa de rebus popularibus, hæc de heroicis agit;illa,lætos habeat exitus,Tragædia tristes; illa uerbis cõmunibus,hæc sublimibus utatur.Exegematica poemata, illa quæ ex contextu authoris nulla personarum interpositione consistit.Mixta autem,quæ cum illo contextu,interdum personas loquentes inducunt,ut Hom.& Virg.in Æn.

De tributis carminibus. *Cap. 7.*

TRibuuntur carminibus,scansio,cæsura,figura, permixtio.Scandere,est distinguere,& percurrere per pedes carmina.Cæsura,est sectio pedis,uel post duos pedes syllabam relinquendo,ut pentemimeris,uel heptamimeris, uel trochaica.De figuris tractant grammatici aliunde. At mixtio carminum habet propria nomina,ut si constat duobus generibus, hexametro, & pentametro dicitur dicolon distrophon, carmen,dicolon tetrastrophon, cum post tres eiusdem generis uersus,quartum alterius modi sequitur, & ad primũ fit reuersio,ut in Sapphico cum Adonio.Tricolõ tetrastrophon,quãdo post trium generum quaternos uersus, ad primum reuersio fit,ut in 1.lib.oda.Hora.

Dianam teneræ dicite virgines,&c.

Concinniores dicuntur uersus,in quibus adiectiuum substantiuum antecedit,& interea quædam intermiscentur, ut

Bella per Æmatios plusquam ciuilia campos.

Item si heroicum,seu hexametrum diuidatur, uel dissyllaba dictione,uel trissyllaba, & si fieri possit pentametrum sola dissyllaba.

De quibusdam effectibus carminum. Cap. 8.

QVia poetæ furore aguntur & spiritu quodam concitato, & carmina alios concitare dubium non est, ut ait Arist. in poetica: unde uates idolorum, non prius reddebant uersibus oracula, nec sibylla, nisi furore agerentur, ut constat ex Callimacho in hymno Apollini & aliis. Quamobrē incantationes & ueneficia olim, persuasum est fieri carminib. & uerbis cantione conceptis Sic scribit Virgi. 8. eclo.

Carmine uel cælo possunt deducere lunam.
Carminibus Circes socios mutauit Vlyssis. Et.
Frigidus in campis cantando rumpitur anguis.

Atque Horatius 2 epist0.

Carmina dij superi placantur, carmine manes.

Et ouidius in opusculis.

Carmine læsa Ceres, sterilem uanescit in herbam.
Deficiunt læsi, carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataque uitibus uua
Decidit, & nullo poma mouente fluunt. &c.

Non tamen hæc omnibus carminibus uis inest, & nisi illi quæ ex impressione altissima mentis, per uocem exprimuntur. Sicuti nec omnia dicta uel audita, audientes mouent, sed quæ ex intentione animi proferuntur, & a concitato, irato, trepido, amante, &c. merito enim, ut ait Dionys. Halicar. in princ. omnes putant orationem suam cuiusque animi esse imaginem, & habent carmina & scripta, suum quodammodo genium & uim eductam ab authore, qua uiuant & operentur, unde dicebat psal. 57. de incātatore, quod sapienter incantent, ibi, tanquam aspidis surdæ, quę non exaudit uocem uenefici incantantis sapienter. Itaque eruditè dum excantationes adfert Medeæ Ouidius Metamor. 7. illam concitatam, minacem, commotam fingit, ut & Appol. Rhodius. lib. 4. Argonaut. Talem & Canidiam Horatius lib. Epo. ode. 5. ibi,

Quid ut nouerca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua &c.

Et ut ait idem Horat. in arte.

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto.
Et quocunque uolent animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt

Hu-

Humani uultus, si uis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent
Telephe uel Peleu; male si mandata loqueris,
Aut dormitabo aut ridebo, tristia mœstum
Vultum uerba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciuia, seuerum, seria dictu.
Format enim natura prius nos intus, ad omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram;
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit,
Post effert animi motus, interprete lingua.

Narrat Suidas Tyrtæum Archimbroti filium, poetam & tibicinem, carminibus suis Lacedæmoniis cum aduersus Messenios bellum gererent authorem uictoriæ fuisse, eo quod animos eorum, carminibus ad bellum incenderit, laudando eos qui in bellicis excelluerunt, ut tradit Plato 2. de legibus, & Horatius in arte,

Tyrtæusque mares animos, in Martia bella
Versibus exacuit.

Narrant, & Archilochum, ea ui & ira in Lycambem scripsisse, ut ipse impotens ferre contumeliam, laqueo se suspenderit. Sic in eadem arte meminit Horatius,

Archilochum proprio rabies armauit iambo.
Et Ouid. in Ibin,
Postmodo si pergas, in te mihi liber iambus
Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.

Ideo idem Horatius libro primo, epistol. epist. 20. ad Mecœnatem apentia uerba Archilochi dixit, hoc est ad agendum impellentia.

Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros, animosque secutus
Archilochi, non res, & agentia uerba Lycamben.

storiæ indicium, rem eodem modo a pluribus scribi, ut ait Ioseph. lib. 1. cont. Apio. ueritatis namq; amica simplicitas, ut ait Pind. & alij.

De historiæ speciebus. *Cap. 2.*

AVlus Gellius lib. 5. c. 18. historiæ constituit differentias, annales, ephemerides. Annales sunt, cum res gestæ plurium annorum, obseruato cuiusque anni ordine, deinceps cõponuntur. Cum uerò non per annos, sed per dies singulos res gestæ scribuntur, ea historia, ἐφημερὶς Græcis est, nobis diariũ. Cicero 2. de orato. Erat, inquit, historia scilicet Romanis, nihil aliud nisi annalium confectio; cuius rei memoriæque retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Pontificem Maximum, res omnes singulorum annorũ mandabat literis Ponti. Maxi. efferebatque in album, & proponebat tabulã domi, ut esset potestas populo cognoscendi, ij qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta temporum, hominum, locorum, gestarumq; rerum reliquerunt. Accedit Cornel. Tacitus lib. 4 dũ de annalibus agit Romanorum; ingentia, inquit, illi annales bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut si quando ad interna peruerterent, discordias consulum aduersus tribunos, agrarias, frumentariasque leges, plebis & optimatum certamina, libero egressu memorabant. facit Liuius lib. 6. deca. 1. Cæterum serius, nec perpetuò apud pontifices illa potestas scribẽdę Historiæ fuit, ut scribit Flau. Vospicus in Tacito.

Historiæ utilitates. *Cap. 3.*

HIstoriæ utilitates plures sunt Plutar. de curiositate, unam tradit ad satiandos malis, quę in his adferũtur curiosos, ne noua amoliantur ptentare. Liuius in proœ. Historiæ, Hoc illud est præcipuum in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi tuæque Reipub. quod imitere capias: unde fœdum incœptu, fœdum exitu quid uites. Polybius Megalopolitanus in 1. illã tradit quoq; utilitatẽ, q̃d aliorum periculis, qui legunt, cautiores redduntur, & certè,

Fęlix quem faciunt aliena pericula cautum;

Melius est enim uidere experta, quàm experiri mala. Et idcirco Historia a Diodoro Siculo li. 1. dicitur cõtinere doctrinã

omnium periculorum expertem, ex cognitione alienarum calamitatum,uel fœlicium successuum.Suntque, ut ait Plutar. historia bellaria,quod in heroum illustriumque uirorum cõuiuijs,nihil secundas mensas exhilaret magis,quam ueterum exemplorum recitatio.Dionysius Alex.Halicarnass. In historiis.inquit,ueritatem ac prudentiæ sapientiæque principia recõdita omnes credimus. Herodotus in initio eo animo se ad historiam scribendam transtulisse dicit,ne præclare gesta,iniuria temporum obliterentur:ne fama & admiratione digna facinora,in obscuro sine gloria delitescant.

De arte scribendæ historiæ,seu de præceptis quibusdam. *Cap. 4.*

LEges tres potissimum obseruare oportet uolenti historiã uere contexere: prima, ut narratio fiat prout res gesta fuit, uel est.

2.Vt chorographiã loci ubi gesta est,uel ubi est,dicat uere.

3. Vt tempus circumscribat proprium.

In ueritate narranda non oportet scriptorem mouere affectus legentibus,nec oratione ad id aptas perquirere,non calamitates mortalium insectari, quod Tragœdiarum scriptores faciũt:sed dicta factaque hominum uere referre, etiam si mediocria fuerint,ut ait Polybius lib.2.histor. Nihil falsi subtexendum,nihil fingendũ,nihil ueri tacendum, sit liber ab omni perturbatione & affectu in alteramuis partem, author.nihil amore uel odio ductus scribat,laudet laudanda, contraria uituperet.Idque breuiter.Immorari namque in his non historiographi,sed declamatoris partes sunt. Quamobrem Pausanias 1.li.in Atticis improbat Hieronymum Cardianum historiographum,ut familiarem nimium, ei de quo scripserat: quia inquit,qui cum uiro principe familiariter uiuit, necesse habet ad fauorem eius,omnia scripta accommodare.Chorographia seu descriptio loci multum conducit,ad lucem gestorum, ut in uictoria consequenda, & aciebus instructis loci oportunitas,moresque regionis,addunt quædam aliter incredibilia.Tempus quoque adiectum certum,singula distinguit & ad memoriam & ad cognitionem certiorẽ pertinet, & ad rerum peristases insignes.Sed & exigitur historias scribenti, uel referenti,nomina propria seu hominis, seu loci, seu temporis tenere & adijcere.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXI.

In quo agitur de politica.

Tractationis ratio. *Cap.* 1.

POstulabat ordo a nobis præstitutus, ut de iuris speciebus loqueremur post historiæ & aliarū speculatiuarum artium explicationem, cęterum quia in nostra iuris epitome de illis proprio loco agitur, in illis non immorabimur, ne cogamur legum, & capitum citationes, & authoritates hic inculcare, a quibus, quoad potuimus, semper abstinuimus. Ideo illa tractatione prætermissa, ad practicas artes cōuertitur calamus, quas in actiuas & factitias diuidimus: Actiuas, in politicam, ethicam, & œconomicam: factitias in mechanicas. De politica itaque suo occurrēte ordine agatur.

Quid politia. *Cap.* 2.

POlitia apud Aristot. 3. polit. cap. 4. est, legitima ordinatio ciuitatis, uel regni, secundum quam alij præsunt, alij parent. Isocrates autem orat. 10. quæ Areopagiticus dicitur, est anima ciuitatis, inquit, nihil aliud quam politia, tantam uim ac potestatem habens, quantum in corpore quidem prudentia uel mens: ea enim est, quæ de omnibus consultat, bo-

na conseruans,noxia declinans. Et quanquam a ciuitate tan tum hæc scientia ciuilis dicatur,tamen & reip.administrādæ cuiusuis ratio, ad hanc appellationem pertinet, & ad regni quoq. regimen. Sicq. etiam Socrates,apud Xenoph.li.4.cōment.de dictis eius,dixit,πολιτείαν esse ἐπιστήμην βασιλικήν, καὶ τῆς βασιλέον,politiam,scientiam esse regiam, & regum. Nec mihi alio modo regni,& ciuitatis administratio,differre uidētur,quam quod in eò plures,in hac pauciores sint;utriusque quippe finis,commune bonum, & in utraq. administratione,leges condere,& exequi,utq. ciuitas ciuiū unitas,sic regnum regnicolarum,& ciuitatum unitas. Imo & ipse vniuersus mundus ciuitas una,nosq. omnes cuiuscunq. nationis cōciues.Et Athenienses ab initio regnū, in administranda ciuitate usurparūt,ut ait Heraclides in prin.lib.politiarū. Romulus a ciuitatis quoq. suæ administratione, regnum exorsus apud Halicarn. Liu. &Plut. Deioces ab oppidorū optima administratione,ad Medorum imperium euectus,& dignus regno habitus,apud Herodotum in 1.omitto reliquos.

De speciebus rerum public. *Cap. 3.*

ADministrationis rerum publicarum tres sunt præcipue species,nempe unius,paucorum,& multorum, ut tradit Plat.lib.de regno,& dial.4.de repu Arist.3.pol.5.Isocra.orat. 3.ad Nicoclem. Æschines contra Timarchum,& Diog.Laer. in Plat.lib.3.Platonem tradit politiam,in species quinque distinxisse, uberius explicans tres prædictas, aliam popularem ponens,aliam quam optimates exerceant,tertiam quę diffundatur in paucos,regiam quartam,quintam tyrānicam. Inter quas tamen optimarum, & paucorum unam speciem facere possunt.Tyrannica autem improba est,cum ui impulsi,& adacti ciues ab aliquo reguntur,potest & ad unius administrationem referri.Polyb.autem lib.6.epito.sex politiarum genera, ab una monarchia, ut pręcipua administratione, per gradus minoris perfectionis, declinare sic ostendit, sex politiarum inquit genera. Monarchia,quæ natura constat. Neque tamen quælibet monarchia regnum dici debet, sed ea duntaxat, quæ uoluntario subditorum consensu conceditur, & magis pro animi sententia regitur, ac gubernatur, quam timore, & uiolentia. Ex monarchia regnum nascitur:ubi uero regnum in malum connatum, scilicet, in tyrannidem mutatur, rursum ex horum destructione Aristocratia, id

est,

est,optimatum gubernatio,prouenit,quæ tamen natura quadam in oligarchiam,hoc est paucorum administrationẽ;trãſmutatur.Cum uerò multitudo iniuſtitiã eorũ, qui præſunt, ira percita ulciſcitur,naſcitur Democratia,id eſt, populi administratio.Rursũ, cogẽte plebis contumelia & iniquitate, temporis ſucceſſu, ochlocratia, id eſt, plebis audacia & imperium,exurgit.

Quæ ſpecies adminiſtrationis melior. *Cap.* 4.

DE hac quæſtione uariæ proditæ ſunt ſententiæ, & ſanior pars unius adminiſtrationem magis probat,quàm pluriũ uel pauciorũ,uel populi. Et populi quidem ſeu democratiæ principatus,in repub. ſpecioſum nomen habet, uideturq; ex legũ æqualitate non plus uni, quam alteri tribuere: uerum reipſa comprobatur, nihil ei cum ſua appellatione cõmune eſſe. At contra monarchiæ nomen auditu difficile,penes unum tamen ſummam eſſe reipub. conducibile omniũ maximè eſt:& facilius unus quiſpiam uir bonus reperitur.& ſi illum inuentu difficilem quis putet, neceſſe eſt fateatur,& plures inueniri, eſſe difficilius,ut ſcribit Dion. Caſſius lib. 44.hiſtoriæ. Non poſſumus conniuere bene ceſſiſſe aliquando democratiam ut apud Athenienſes,Romanos,& alios:interdum & Ariſtocratiam,ut & ex his mixtam, uidemus integram conſeruari Venetorum Rempubl. Quamobrem, ut quod ſentio,dicam,per ſe unius imperiũ boni uiri & principis,fœlicius puto,at tale perpetuo non poſſe conſiſtere:ſicuti & in corpore humano, optimũ cum ratione iſtã mẽbrorũ & paſſionum rempubl.temperari: uerum id non poſſumus ſemper aſſequi,ut uideantur omnes rerum publicarum conſtitutiones morti ſemper fuiſſe obnoxias, ſecundum Xenophon. lib.2.rerum Græca.unde Flaui.Vopiſc. in Caio Cæſare, fato rempubl.regi dicere auſus eſt,eamq́; nunc ad ſũmum euchi, nũc ad minima retrahi,quod docet exẽplis mutationis Reibul.Romanæ.Hoc pluribus ſe cõfirmaſſe exiſtimauit,Peucerus lib.de diuinatio.generib.tribuẽs uitæ tãtũ imperijs quingentos annos,ad ſummũ ſeptingentos,ad quos tamen dimidiatos uix pleraq; peruenerunt.Quod tñ ego fato nõ tribuo, ſed mutationi rerũ, & diſpari adminiſtrationi,uel tyrãnidi. Et fateor quidẽ regna & imperia,ſuas ætates hře, & uitã, ſed

ex caufis pluribus quam fatalibus. uel diuidi, uel languefce-re,uel transferri,uel extingui.Fere autem res omnis per quafcunque caufas nafcitur,per eafdē contrarias uel diflutas disfoluitur. Atq; fi agamus de regno ui occupato, id ui retineri debet:at quia nullum uiolentum perpetuum,nec illud quoque durare poteft,cum non fint folida fundamenta,ut docet Demofth.2.olynthia.Res poftquam ad fummum peruenerūt gradum,cum res in eodem ftatu non permaneat fub hac cœli magna &continua ratione,in deterius defcendat oportet.Sic prçftantiffimis imperatoribus,ueluti ad culmen & faftigium uirtutis & perfectionis humanæ confcenfis,filij nati ut plerūque femper fuere impij,& omnino disfimiles. Tales Heli 1. reg.c.2. & Samueli 1.reg.c.8.Salomoni, cui contigit Roboā 3.reg.c.12.&c. Marco antonio Philofopho Cçfari, Xiphilinus in Commodo & in M. Antonio. Herodianus. Scipioni Africano, Q Fabio Maximo, & aliis Valer. Max. lib. 3. cap. 5.Sol, ubi fupra hemifphçriū ad meridionale punctum peruenit, neceffe eft decidat in occidentem:& homo a uirili ætate in fenectutē,uires remittit.Diuidūtur imperia mortuo patre per filios,& uirtus minor diuifa & robur,quā quādo unita nō pares artes filiis in retinendo, non par reuerētia fubditorum in fucceffores,ac priores, maior tributorū efflagitatio in fucceffonibus,quā in præmortuis,uiuendi mores alii utrifq;,hinc rebelliones,tumultus,bella, principū aliorū petita a rebellib. auxilia. Hinc ufurpationes,incurfiones,populationes,& tranflationes imperiorum & regnorū.Tarquinium Superbum pepulit regno uiolata Lucretiæ pudicitia Liuius in 1. & 2. Dio. Halic. l 4.fuftulit eadē rō & Romæ decemuiros. Liuius,Dio. Halic. li. 11. Hidericus Meronei filius Galliæ rex pulfus ob libidinē: Annonius,Reuchlinus in breuiario hift. Frāc. Paul. Æmil.in 1.Greg.Turon li.2.hifto.c.12. poftea tamē regno reftitutus.Sciūt omnes quare Pipin⁹ regno fucceffit,ex Reuchlino in d.Breuiario hic.Franc.P.Æmil.in Childer.3.Gaguino. Annonio.Et ex Iuftino in 1.quare Arbactus imperiū Affyriorū in Medos tranftulerit.Nec omittam transferri reges & regna fçpe a Deo.ob iniuftitias,ob uitia populi,ob duras eius & principū ceruices,Ecclef.c.10.Daniel.2. Aggçi. 1.fuccidit uel abftulit regna ab iifdē quos elegerat,uel a fuccefforib.eorum propter fcelera eorūdē.Vt 1.Reg.c.15.28.& 2.reg.3.& 3.reg. c.1.14.1.paralipo.c.10.&c. Sic Deus fufcitauit contra populum

lum Gaditanum Ruben & Manassem, qui eum reliquerant, & idolis seruiebat, spiritū Phulis regis Assyriorum & Theglatu, Phalnasaris, regis Assur, qui eos a propriis in suā transtulerunt ditionē 1.paralip.c.5 Ezechiæ eadē de causa Dei permissu, regnum ad emptum per Nabuchodonosorem, 4.reg.24. & 25. Ad hæc obseruaui Deū optimū maximū & omnipotentem, dum eo mala excreuerāt ut regulos quoque occuparēt & subditos, aliquem semper Tyrannum barbarū suscitasse, qui excurreret imperia & regna, eaque subiugaret & affligeret. Omitam, quæ de Cyro ipse Deus loquitur Isaiæ 45. proponā tantū Alex. Magni & Romanorū excursiones uulgatissimas, Scytharum. Gotthorum, Hunnorū. Vandalorum excursiones, quo tēpore abundabat iniquitas. ut Carocus rex Vandalorū, anno Domini 410. secundum Tritem. in breuiario histor. Frāc. ab insulis Scanzianis seu Gotthicis egressus, per Germaniam & Saxoniæ fines, Rheno transmisso, Monguntiam, Vormatiā, Spiram subuertit, & Cimocelanā, Treuirorum Metensē, Dū Alaricus Visigothorū rex, aliunde Italiam subuertebat, Gallis populatis in Hispaniam transgressus, atque dum ab istis se putarent impetrasse regionū incolæ pacem, statim Attila rex Hunnorū, & Vualmirus res Ostrogothorū Ardaricus rex Gepicorū, & alij gentes Aquilonares in unum conspirantes, a Pannoniæ finib. egressi, anno 453. cum infinita multitudine Gallias & Imperiū Romanum aggressi sunt. Nec est quod de Turcis aliud subiiciam exemplū, qui cum Christiani impie & turpiter in oriente uiuerent, & mutuis dissidiis excādescerēt, imperiū Dei iudicio, multis annis orientale flagellarunt, tandemq; subegerunt & fidem Christianam sustulerunt. Dignetur autem Deus gentis illius iugum excutere; sin minus, finib. quos habent continere: uerendum enim est, ne nos pariter, qui non meliores, sed deteriores sumus patribus nostris, nisi Deus misereatur, ob blaspemias & nostra scelera, carnificis illius flagella experiamur. Delicta quippe, potissimum contemptus religionis. prouocant iram Dei, & bella inuehunt, sic enim & cecinit Hora.l.3.car. ode 6.

Quæ in optimæ administratione requiruntur. *Cap. 5.*

NEmo ambigit Rempub. omnem, unum quoddam corpus conficere, & in eo principem caput esse magistratus mēbra precipua populum & plebem, subditos, imperata

ta ab illis accipere. Atque ficuti nec in corpore membra om nia habent fimilem functionem,fimiliter nec in Repu.uel ci uitat. ,qui ibi degunt.ut dicebat Agrippa Menenius Lanatus apud Dion.Halicar.li. 6. Quamobrē ficut in corpore humano optima crafis & tēpera mentū & mēbri cuiufq; conferuata functio iudicat fanū illud effe;& contra fi aliquod membrū, potifsimum principaliū,morbidū fit uel munus fuū non exequatur,prædicit corpus illud,uel corruptū uel proxime interiturum, eoq; celerius,quo magis a proprio temperamento difcedit: fic in corpore Reipublicę,ut fi princeps,qui caput eft, ægrotet aliquo infigni uitio, uita principis aliorum cenfura erit, eaq; perpetua; ad hanc enim dirigimur, ad hanc conuertimus.Nec tam imperio (ut ait Plin. Iunior in Panegyr.) Traiani, nobis opus eft, quam exemplo, & claudia.

Componitur orbis
Regis ad exemplum,nec fic inflectere fenfus
Humanos,edicta ualent,quam uita regentis.
Mobile mutatur femper cum principe uulgus.

De magiftratibus,qui pro mente & confilio, & mediis ad regendū funt, eadem dicere par eft. Vt itaq; falus populi contineatur,quæ fuprema lex uel finis adminiftrationis politicæ eft,neceffariū eft profpicere ne refpubl. in proxima fibi & affinia uitia, incidat.Quemadmodū enim, ut fcribit Polyb.ferrū rubigo,ligno uermiculi ac teredones ad nafcētes perniciē adferunt,& quanquam externa cuncta nocumenta effugiāt, ab iftis tamen quæ adnata funt,abfumuntur; hoc pacto & rei publi. cuilibet pro natura ipfius, quędam adnafcitur & adhæret peculiaris malitia;ut pote regno, Tyrannis:Ariftocratiæ, oligarchia;Democratiæ,beftialis ochlocratia,i.plebis feditio.

De officio principis. Cap. 6.

SIt pius, Deum colat;cor enim regis in manu Dei,& reges in ipfos imperiū eft Iouis feu Dei,ut ait Horat.ode.4.li.4.

Dis te minorem quod geris imperas.
Huc exitum omnem huc principium refer.

Hoc præceptum Ifocratis orat.de regno Agapeti ad Iuftinia.Nec dignus regis nomine uidetur,qui fecundū mandata Dei fe & fibi fubditos cōtemnit regere,ut ait Angelgonus in li.4.reg.c.24.reges bene agant,nā ut ait Horatius in Epift.Et

pueri

pueri ludentes rex eris aiunt.si recte facies. Male imperando inquit P.Mimertus summum imperium amittitur.Rex sapiēs populi stabilimentū sapi.6.& rex insipiens perdet populū,ec clesf.c. 10. Multiplex & multiformis debet esse princeps.alius in bello,alius in pace,alius erga hostes.alius erga subditos, ut scribit Philo Iudęus li.de Ioseph. Addit Plutar formulā optimi administratoris in politi.Mores uulgi benigne tractet,nec repente eos mutet:abstineat a comessationib. & compotatio nib., sit tardo gressu,oratione leui. uultu constāti;una uia forū & curiā adeat,ut solebat Pericles, caueat a leuiorib etiam, uitiis,quia in eū omniū intenti oculi: unde minima principis uitia animaduertuntur & reprehenduntur.ut Cymoni uinum exprobrarūt Athenienses:Scipioni somnolentiā Romani,& Pōpeio mollitiem, quod unico digito se scalperet. non oportet omnem noctem dormire reipub. consulentē. Recordetur rex & princeps omnis,duorū:primo, oportere aliquando eum reddere rationem populi sibi commissi coram Deo. Secundo eum moriturum ac subditos.Hodie rex est, & cras morietur,Eccl.c.10.unus est interitus regum, & subditorum & una natiuitas,sap.7.Vtatur princeps optimis consultoribus, colligat omnium sententias, mente euoluat, quid satius uideatur, ponderet consilia, quæ conc perit,non detegat,nisi cum oportet,& quibus oportet: ut Tiberius apud Dio Cass. lib.57 histo. Etenim sacramentum res abscondere bonum est.Tob.cap.12. Ne patiatur uulgus esse iniurium, sterneret enim uiam ad rebellionem.Leges bonas & sine dubio proponat,quęstū & negotiationes iniustas exterminet; sic enim & apud exteras nationes, commeantibus apud se negotiatoribus, nomē suum honorabile & amicum reddet.Caute agat & præmediate, nec multum nec omnibus, nec semper loquatur. Hæc enim ad consilium & maiestatem, pertinent: omnes tamen audiat æquo animo: sic subditorum animos conciliabit, qui contemnil interdum ægre ferentes,contra principem praua moliuntur sępe,etsi uiles sint personæ, antequam detegantur & puniantur Estq; conseruandi imperij facilis modus, amari a subditis; hocq; ipsum securitatē citra custodiam parit:fideles existimet,non qui eum laudent, sed errantē honeste admonēt & corrigūt.Iratus nihil statuat,ira impedit animum ne uerum cernat.Quantum fieri poterit,minus a subditis extorqueat,& recordetur populum suum pecus

esse,

esse, quod quando libuerit, poterit tondere, nec ita oporteat deglubere, ut dicebat Tiberius Cęsar apud Dio. Cass. li. 57. hi stor. quod boni pastoris id non est: pastor autem sit populorum, ut Vocat regem Agamemnonem Homer. iliad. 19. Malos principes faciunt, nimia licentia usurpata, rerum copia, amici improbi; satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici uel stulti uel detestabiles, & quod negari non potest, rerum publicarum gerendarum ignorantia, ut ait Flau. Vopis. in Aureliano. D. August. lib. 5. De ciuitate, c. 24 fœlices reges fore ait, si iuste imperent, si honoribus & obsequiis non extollantur, si se esse homines meminerint; si ad Dei maiestatem & laudem agant, si eum collant, si tardius uindicant, facile ignoscant, scilicet non ad odium, nec ad impunitatem iniquitatis, sed spe correctionis, si sint luxuria castigatiores, quanto possunt esse liberiores, si imperent suis cupiditatibus. Tradidimus alia & nos de institutione principis, li. 2. pręludio. opt. Iuris. c. 4.

De Magistratibus. Cap. 7.

Magistratibus, eligantur uiri sapientes, timentes Deum qui oderint auaritiam, Exod. c. 18. Sint uitę incontaminatę, quales se esse profitebantur candidis uestibus, qui magistratus petebant, authore Liuio, li. 4. deca. 2. Et qui habeant, non tantum manus sed etiam oculos continentes, ut Sophocles monuit Periclē apud Cicero. 1. de offic. Non promoueantur cū negotiatione pecunię. Nam sicuti Alexander Seuer. dicebat apud Ælium Lamprid. in eius uita, Necesse est, ut qui honorem iuris & gladii emit, uendat; & ego non patiar, inquit, mercatores, potestatum; quos si patiar, damnare non possum. Erubesco enim punire hominem qui emit & uendit. Accidet & inde aliud damnū reip. ut qui rerum experientia ualent, qui ue probi sed pauperes sunt, cum nec pecunias habeant ad mercandum magistratum, uel si habeant, nolint laborem, quem tamen obire deberent coacti, mercari, non sint in gubernaculis reipub. Non enim qui pondus administrationis reipub. norunt, solicitudinem ambiunt magistratus, si probi sunt pauperes; multo minus si probi & diuites, sua sorte extra aleam tantę curæ, contenti. Quo fit ut hodie uix reperiantur, qui serio multum in legibus pertractandis & perdiscen-

scendis inuigilent: pauperes quidem inquã,quod sibi ad gradus dignitatum aditum præclusum uideant; diuites autem, quod certo sciant,cum duabus legibus aut quatuor & aliquo capitulo iuris pontificij ad psittaci morem pronunciatis vt dicunt pro forma,id est pro fuco laruæ togatę,ductu & auspicio cæci Plutonis, in Orchestram senatuum & iuridicium se conscensuros, nullo discrimine qualitatis, uel num senes sint, uel iuuenes,quales ut plerũque nunc,qui aura salutationum, non iustitiæ impelluntur; num probi uel impii, uel moriones,uel saltatores,de his enim inquisitio summaria ad nutũ conscii expiatur; num equites,uel plebij: sed sola numi probatione facta in pondere, numero,uel mensura, & materia & forma,ut non mirum sit, si in tot fluctus & uortices inciderit respublica. Quis enim mirabitur, si nauis ab imperitis nauarchis ducta, in scopulos & pericula incidat. Quod miror unum tantum,est,cur ex quo cœpit eo modo gubernari,non funditus fuerit subuersa.Dei hoc unicum opus est, qui semen adhuc antiquum in curiis reliquerat uiuũ, quod coercuit lapsus. Sed uiderint ipsi nomothetę.Prospiciant quoque magistratus circa duo illa fundamenta reipub. circa pœnam & præmium, quibus continetur, ut ait Solon apud Cicero. li.epist. ad Brutum 15.epist. Vlpi.l.j.de iustit.& iur.Sunt & alia præcepta de magistratuum disciplinã antiquorum, de quibus late tractauimus in præludiis opt.Iurisc. & magistratus libr. 2. cap. 5.6.7.8.

De subditorum officio. Cap. 8.

QVi priuati sunt a reipub. administratione,non ditiores sed celebriores discedunt,Non assistant nec patrocinẽtur malis, Regem honorent, magistratibus obsequantur, & alia obseruent quę tradit Isocra.3.orat.ad Nicoclem.Sunt celeberrima uerba Tragœdiæ quæ Rhesus apud Eurip. πείθου βασιλεῖ Parendum regi, iubet & id D. Paul.ad Titum, ca. 3. D. Petrus 1.cap.2.Cedendum est iræ regis, uiolenta quippe res est ira regum, cui si incommode resistas,grauiores excitat tumultus.Equi feroces, quemadmodum & tonitrua,non ui sed popysmate reguntur, & nautæ non pugnant aduersus tempestatem,sed uel quiete uel obliquis cursibus utentes,expectant cœlum commodius; multis modis medetur tempus his qu..

nulla

nulla ui possis emendare. Res humanæ semper quidem fluctuant: sed quoties incidit insignis uel fatalium rerum mutatio, multi periclitantur qui non cedunt turbini. Oportet hic imitari morem Siciliæ Afranice potissimum in Anaria insula quam incolę Isclam uocant, seruatum, ubi insulani regē quamuis hostem transeuntem, applausu, tubis, tibiis, & simili gratulatione uehebantur, ut ait Ant Panormita, li. 2. de dict. & fact. Alphon. cap. 6. Referam sententiam præclarissimam Iulij Cæsaris: is enim ad milites tumultuantes, orationem habens, ait apud Dio. Class. lib. 41. histor. Rom. Ego sane neque alias rectum esse arbitror, ut qui magistratum gerit, subditis sit inferior; neque salutare quicquam agi posse censeo, ubi ij quibus iniunctum est ut dicto sint audientes, impetare ipsi uelint: intelligitis enim quam probe sit futura ornata illa domus, in qua natu minoribus, ætate grandiores despectui sunt; aut ludus literarius, ubi discipuli magistros contemnant. Quæ spes sanitatis ægrotis si non per omnia medicis, obtemperant? quam tuta nauigatio, si nautæ gubernatoris iussu non pareant? Ita natura duas res easq; necessarias cō parauit, in humano genere, ut alii cum imperio essent, alij subiicerentur. Nihilq; est quod absque his esset, ne minimo quidem spatio perdurare possent. Et hęc eadem explicat Lucan. 5. Pharsal. Et Dion. Halicar. lib. 1. histor. sempiterna lege naturæ tradit esse receptum, inferiores parere præstantiorib. nec moleste ideo homines ferre debere, quod sciant se subditos. Vocat autem scriptura sacra rebelles, filios Belial, excutiē tes iugum, sine iugo, Deuter. 13. Iudic. 19. & alibi. Neque si rex impius est, ad populum pertinet eius castigatio: siquidem ut plerunque causa cur boni principes & boni administratores reip. tolantur & substrahantur & dentur mali, peccata populi sunt. Sic enim Deus prouocatus malis, dixit, dabo uobis regem in furore meo. Oseæ cap. 13.

De politicis magistratibus. *Cap. 9.*

Magistratus, omnes quidem ciuitati in qua sunt, prospicere decent, & ideo omnes ea ratione politici dici possent: uerum, cura ciuitatis speciali quadam solicitudine, semper ad proprium aliquem magistratum uel plures, prout ciuitas maior minorue, fuit. Sic fuerunt Romę & alibi præfecti

urbi

urbi, tribuni plebis, ædiles agoranomi, astynomi, magistratus municipales, duumuiri, præfecti uigilum, nocturni magistratus, & similes id genus, de quibus in iuris epitome Deo fauente. Illis, finis propositus, conseruare ciuitatem, ciues, splendorem ædificiorum, venalibus pretium statuere legitimum, monopolia prohibere, punire delicta: incendia præcauere, & curare, blasphemias in Deum, & crimina, & mores ciuium corruptos emendare, fraudes negotiatorum inhibere: annonæ prouidere, sanitati prospicere, & ideo cloacas immundas, sterquilinia, porcos, aliaque insalubria in urbe nõ pati: & reliqua id genus agere, quę hodie in Gallia pro modulo iurisdictionis, a rege uel consuetudine concessa, explicant consules, scabini, iurati, capitolini, & alij municipales magistratus, & decuriones. In summa ad ciuiles mores informandos, ea considerent, quæ tradit Plautus in Persa,

Perfidia, & peculatus ex urbe, & auaritia, si exulent,
Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,
Septimum periurium, octaua indulgentia,
Nona iniuria, decimum, quod pessimum aggressu scelus.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXII.

In quo agitur de Ethica.

De nomine Ethicæ, & morum bonorum fine.
Cap. I.

QVod græci uocant ἔϑος, uel ἦϑος, uix latine reddi poteſt, ut notauit Quintilia. libro ſexto, capit. tertio, ἦϑος, inquit, cuius nomine, ut ego quidem ſentio, caret ſermo Romanus, mores appellantur, atque inde ea pars philoſophiæ, quæ moralis eſt dicta, ſed ipſam rei naturam ſpectanti mihi, non tam mores ſignificari uidentur, quã morum quædam proprietates: nam ipſi quidem omnes habitus mentis continent. Et poſtea, mites & compoſitos, ἤϑη uocatos uoluiſſe antiquos, ut concitatos πάϑη. Hinc ethica diſciplina, ſeu moralis nihil aliud præſtare (id autem eximium eſt) quam morum compoſitionem poteſt: hincque bene agere diſcimus, & uitam uiro dignam, unde & uirtutes morales, atque olim fœlicitas hominis in bene agendo cõſtituta, ut ſcribit Ariſtoteles, libro 7. polit. cap. tertio. Quod tamen, nos qui chriſtiani ſumus, non fatemur. Siquidem concedimus, & dicimus uirtutes ad fœlicitatem eſſe iter certiſſimum, quibus be-

ne

ne agere docemur, uerum non illi fęlicitatem, nec in nostris pirribus actionibus, uel meritis: sed per eas uirtutes, & bona opera, si sequamur mandata Dei, fœlicitatem a Deo ipso solo speramus. Et uirtutes Dei arbitramur exercitus, quibus duce Deo, quis uitia prosequitur, ut ait Philo Iudæus li. de agricultura. Ita singulæ uirtutes tantum uelut uiæ ad uitam æternã, non autem illæ, uita æterna, & fœlicitas, ut ait Greg. Nazian. lib. de pauper. amand.

De differentia generali uirtutis moralis, & intellectualis.
Cap. 2.

CÆterum hic animaduertendum est, animi duas esse potissimum partes, ut scribit Franciscus Philelphus, lib. septimo. episto. Marco filio; altera est nobis cum Deo communis, qua ratiocinamur, & intelligimus; altera communis est nobis cum pecudibus, qua appetimus, & afficimur. Tradit & Aristoteles, libro 1 Ethic. c. 13. & 2. Ethic. ad Nicoma. c. 1. In de uirtutum duæ species, intellectualium, seu rationalium, & moralium. Per intellectualem, seu rationalem, ratione inquirimus quid nos aut sequi, aut fugere oporteat: estque hæc uirtus in consultando posita. Cic. 4. Academic. quæst. & breuissime, hæc uirtus recta ratio dici potest: cui contrarium uitium, &, ut ipse Cicero ait, uitiositas. Et quia uiri efficacia in illa parte rationis uiris uiget, uirtus quoque a uiro dicta non immerito uidetur eidem Cicero. lib. 2. quæstio. Tuscula. & apud Plato. dial. 4 de iusto, robur animæ; contrarium morbum turpitudinem, & imbecillitatem. Moralis autem uirtus, circa qualitates est animæ appetitiuæ; in ea enim mores sunt. Mores si quidem secundum Plutar. lib. de uirtute morum, sunt qualitates animi ratione uacantis; uirtus tamen moribus mixta non est, sed mores regit, & frenum illis imponit, ab omni materia semota. Intellectuales uirtutes, sapientia, scientia, prudentia, & quæ ad illas referuntur. Morales, liberalitas, temperantia, iustitia, fortitudo, & quæ etiam ad illas referuntur. De quibus suo loco dum de uirtutibus, Deo iuuante, & uitiis seorsum agemus, & alio loco in uirtutem, cum commentaria Deo fauẽte in transcendentia nostra parata, publicauerimus.

Vnde uirtutes morales comparentur.
Cap. 3.

INtellectualis uirtus,ex doctrina:moralis,ex usu oritur: nulla autem natura nobis inest, aliter æque boni essent, cum nihil contra naturam fieri nascique possit,ipsa natura. Aristoteles 2. Ethic.cap. Quocirca,si quis a teneris annis assuescat bene agere,magnum habet in uirtute momentum:& cōtra in malum consuetudo, uitiorum fit maxime sectatrix, & ita chorus in Iphigenia in Aulide, actu 2. apud Euripidem exprimit:

τροφαὶ δ' αἱ παιδευόμεναι
μέγα φέρουσ' εἰς ἀρετάν id est,

Casta uero,& recta educatio magnum habent momentū ad uirtutem.& Plato dialogo 4. de repub. educatio inquit,eruditioq. bona seruata,ingenia quoq. bona efficit,& dial. 1. de legib.caput disciplinæ,recta in educationem dicimus. Sic Ouid 3. de arte.

Sed nimius labor est,sapienter iactibus uti
Maius opus mores composuisse suos.
Et Plautus in Trinummo,
Mores mali,quasi herba irrigua succreuerunt uberrime.

Docuit exemplo Lycurgus, quod refert Plutarchus lib. de libe.educ.Is enim, dum Lacedemonas, ad parandam uirtutē ingens momentum consuetudinem docere uellet, atque disciplinam,doctrinam,& uitæ institutionem,duos catulos produxit in medium,iisdem ortos parentibus, quos diuerso modo nutrierat:& leporem,& ollam eis apposuit; quorum alter in leporem, alter in ollam erupit impetu docens consuetudine alterum gulosum,alterum uenatorem euasisse. Idcirco summopere curandum est cum quibus consuescamus, ut tales fiut,quales nos esse uelimus. Nam hæc consuetudo,siue in malum,siue in bonum,transfundit mores, & transit in alteram naturam,ut tradit idem Plutarchus lib. de tuenda bona ualetud.monet & sacer Ecclesiastes,cap.37. cum uiro sancto

cto assiduus esto. Et Dauid Psal. 17. Cum sancto sanctus eris: cum peruerso, peruerteris. Et Pau. 1. Corinth 15. corrumpunt bonos mores colloquia praua. Idem docet Euripides in Andromache: Cice. 1. de legibus. Sunt & uersus notissimi, citati ab Aristotele, Plutarco, & Xenophonte in dictis Socratis, a quibus rogatus Socrates, quid deceret olere senes, respondit probitatem: deinde interrogatus ubi hoc unguentū uenderetur, uersus hos protulit Theognidis,

ἐσθῶν μὲν ἀπ᾽ ἐσθλὰ μαθήσεαι ἢν δὲ κακῆσι
συμμιγῆς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. id est.
A bonis quidem bona disces, sin autem malis
Immiscueris te, perdes, & quam habes mentem.

Charōdas etiam Thurijs lege præscripsit, ut ciues sui a malorum familiaritate, & consuetudine prohiberentur: actionemque prauæ consuetudinis inuenit, & graui eius delicti reis imposita multa, licentiam coercuit, ut author Diod. Siculus lib 12 biblioth. prima itaque lex post Dei opera implorata, ea in bonis obtinendis moribus, uitiosos uitare, cum bonis congredi. Altera, studia quę bonos reddunt sequi. Tertia, turpia factu, dictu quoque arbitrari. 4 honestatem præferre utilitati. 5. bona a Deo largita in usus, non abusus conuertere. 6. Alteri non facere, quod nolimus nobis fieri. 7. ne quid nimis, aliasq uirtutes morales sequi, uitia fugere.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER XXII.

In quo agitur de œconomia.

Quid œconomia. *Cap.* I.

QVi domui suæ bene præsunt, primum nacti sunt gradum, & præludium ad ciuilem, & politicã administrationem; ut contra, indignus illa, qui suę domi nescit præesse. 1. Timo. 3. Iste. n. administrationes tantum multitudine dissimiles; in reliquis fere partes uisæ Socrati, apud Xenoph. lib. 3. de dict. & fact. Socr & Plat. libro ciuili. Dicitur h ec priuata administratio familiæ, œconomia, ita descripta; Oeconomia, eo disciplina, ad gubernationem probam rei familiaris, & domesticæ pertinens, apud Arist. & Xenophon. in œconomicis; & Platonem, in œconom. uel de philoso. οἶκος, græcis, non tantum pro ædificio & domo, sed & pro substantia. i. οὐσία, & pro familia accipitur; inde οἰκόνομος, qui rem familiarem dispensat, paterfamilias, & οἰκονομία, familiaris rei cura, & administratio, proprie, quamuis aliquando ad rerum pub. & regnorum administrationem transferatur appellatio, ut apud Arist. 3. pol. 11. ὥσπερ νὺ ἡ οἰκονομικὴ, scilicet ἐπιστήμη βασιλεία τῆς οἰκίας ἐστιν, οὕτος ἡ βασιλεία, πόλεως, καὶ ἔθνους ἑνὸς ἢ πλείονος οἰκονομία. Sic οἰκονομία του θεου, dispensatio, seu prouidentia Dei est. Et apud Archi-

tectos

tectos οἰκονομία, distributio partium, ut ait Vitruuius lib. 1. c. 2. & apud alios, pro dispositione aliorum legitima, metaphoricè tamen ut apud Cicero. 1. de orato. ad Attic. lib. 6. Episto. 1. apud Quintilia lib. 3 c 3. & lib. 1. c 8. Sed nos de propria agemus appellatione prætermittentes alias, quas posuit Aristot. princ. œcono. ut alterius tractationis, nempe, satrapicam, Regiam, præfectoriam, & ciuilem.

De partitione œconomiæ priuatæ. *Cap. 2.*

ARisto. 3. politic. οἰκονομία, inquit, ἑτέρα ἀνδρὸς καὶ γυναικός, τοῦ μὲν γὰρ κτᾶσθαι, τῆς δὲ φυλάττειν ἔργον ἐστὶ œconomia, inquit, altera viri, altera mulieris: uiri quidem est acquirere, mulieris autem conseruare opus. Sed latius domesticæ disciplinæ partes sunt quatuor, prior circa coniugem, 2. paterna, 3. dominica, 4. acquisitiua. De singulis.

De vxoria œconomia. *Cap. 3.*

PRior cura & disciplina domestica, circa cõiugem est, quia ea socia diuinæ & humanæ domus, ut tradunt iurisconsulti, adiutorium homini simile Genes. 1. Alterum corpus & idẽ. Cui adhærere etiam relicto patre, iussum, Genes. 1. & 3. Esdræ 4. Matth. 19. ad Ephes. 5. Est animal certè ualde imperfectum mulier, ut exacta disciplina egeat, si nolis molestijs infinitis inuolui: si enim percutis, subsultat: si stringis, ut anguis manu elabitur: si premis, pungit: si indulgeas, superbè imperat & cõtemnit. Mulieres vt ait Teren. in Hecy. sunt fermè, ut pueri, leui. sententium & rursum.

Censen' te posse ullam reperire mulierem, quę careat culpa?

Et Plautus in Pœnulo,

Apagesis negotium in muliere quantum una est: si uerò duæ,
Sat, scio, maximo uni populo quodlubet plus satis dare potest, &c.

Et iterum,

Negotij sibi qui uolet parare, nauem & mulierem hæc duo sibi
Comparato, nam nullæ magis res duæ negotij habent.

Operari uirorum & opes congerere, absumi autem plerunque sumptibus mulierum, scribit Xenophon in œcono. ea, inquit, debet rei familiaris curam suscipere, quam si probè gesserit, omnia fortunata: sin autem male, infœlicia. Et Prouer. c.

14. Sapiens mulier ædificat domum ſuam : inſipiens etiam extructam manibus ſuis deſtruet. Quærenda igitur primum proba uxor nubere uolentibus, dehinc, illa regenda. Plato 3. de legib. uirum 35. annorum eſſe deſiderat, mulierẽ adultam ut prolẽ robuſtam comparent, ſecundũ Xenophon. li. de rep. Laced. Probam duci ſi inueniatur oportet, rara certe auis in terris. mulierem enim fortem quis inueniet; &c. Prouerb. 31. ſin minus, eam quæ minus cęteris erit imprudens; atque ea qualiſcunque, a Domino expectanda & quodcunque, os tibi contigerit, illud rodendum, ut eſt in prouerbio Hebræorum in ſententiis beu ſyræ, ſententia 3. cuius uerba hęc. גרמא דנפיל בחולקך גרחיה garma de naphil beh 8 lek ad gardcih, id eſt, os quod tibi ſorte uel in paitem contingit, rodito. quę uerba explicat ibi פירוש piruſc, ſeu expoſitio, non debet quis curare, ſi non duxerit uxorem nobili genere; quia ita ſibi de ſuper conceſſum eſt; nec ideo repudiare. etiam ſi peior eſſet uxore Achab Iezabel, uel uxore Kotak, quia propter eam non reus fit iudicio. Quatuor quippe, inquit, ſunt hominum genera, quę non ueniunt in iudicium. Nempe qui extrema laborant paupertate, qui patiuntur colicam paſſionẽ, & cui eſt mala uxor, nec repudiat eã. Hæc ibi commentarius Hebræus. Diuitię & domus a parentibus, uxor autem a domino, prouerb. 19. In nobis autem ſitum, oculis neue digitis eligamus, quę reprobat Plutar. lib. de libe. educ. in forma per oculos deceptio: digitis, dos perſtringit mentem, utroque autẽ modo quis libertatem a ſe abdicat. Viri leges in gubernatione mulieris ſunt. Prima, meminerit, uxorem ſuam ſibi ſociam a Deo datam, ut non uilius ut ancillam habeat, non magnificentius ut dominam: ſiquidem ex latere, nõ capite facta. Secunda, ſeruet uterque tori fidem. Tertia, ſit uxori & liberis bene uiuendi exemplum. Quarta, numquã metum incutiat uxoris ſine uerecundia & aliqua reuerentia, peccata modica ignoſcendo; nam pati ſine uerecundia, ad meretrices pertinet; & metus cum odio, Tyrannum potius in domo, quam maritum facit. Quinta, Ea præſens uir faciat & dicat, quæ eodem abſente uxorẽ moneant, multò ſibi cõmodiorem uirũ præſentem abſente. Sexta, Tria ſemper abſcondat ab uxore maritus, Theſaurum uel eius finem: ueneris poſtremæ impotentiam: conſilia rerum non domeſticarũm: cauſę in promptu cuilibet ſunt. Alias leges quoque his ner-

bis

bis addit Cato de re rustica c. 43. Vxor te metuat facito ne sit nimium luxuriosa, uicinis atque mulieribus quã minimũ utatur, neue ad eas domum abeat, ne ne recipiat. Ad cœnã ne quo eat, ne ambulatrix siet, rem diuinam ne faciat, neue mãdet qui pro ea faciat iniussu domini &c. Plutarchus quoque in præceptis connubialibus, iubet ne uxor sit dissimilis religionis cum marito, neue peregrina sacra recipiat faciatque.

De legibus uxoris erga domesticos. *Cap.* 4.

PRobæ matrisfamilias leges ab Arist. quædam adferũtur in 1. œconom. c. 4. & 2. œco. c. 1. 2. & 3.

1. Mulier omnibus quæ intus sunt, dominetur; excepto scilicet marito.

2. Nullum permittat domum ingredi sine præcepto uiri.

3. Non pandat secreta domus.

4. Sumptu, uestitu, & apparatu muneri conueniente utatur.

5. Filios, filiasque potissimum, instituat, nec uagari permittat, longiusue a latere suo discedere: uerba omnia impudica & cantiones illis prohibeat, nec præcinat.

6. Reipublicæ negotijs ne se immisceat.

7. Nunquam sit otiosa ab opere, nec digiti a colo, aut penso, telaue sint: ne ue otiosam patiatur ancillarum filiarumque cohortẽ; id enim ad augendam rem familiarem pertinet, & animum ab adulteriis, & uenereis retrahit, quæ sese otiosis insinuant facile.

8. Non sit litigiosa cum domesticis, uel uicinis, non curiosa, non maledica, nõ peruicax marito, non uino, gulæ, dedita non sordida: non nimium compta. pulchrum enim tunc cæteris spectaculum, miserum marito est.

9. Mulier suum arbitrium omnino exuere debet, vt marito obtemperet, sitque maritus pro corde, oculis, & lingua; rideat ridenti: & compatiatur tristi, non adulatoris modo, uel cameleontis, sed ut socia & dimidiatum corpus eius, & cũ eo unus spiritus.

De dominica œconomia. *Cap.* 5.

DOminica pars œconomię, domino & seruo constat. Serui sunt uel natura, uel lege; natura, q uili animo uitiorũ man-

mancipia & cupiditatũ,& qui seruili sunt ingenio,cuiusmodi homines liberi mercede seruientes, ita & domini natura: qui præstant animo. Lege serui, qui uel captiuitate uel uenũdatione,propria uolũtate cõsẽtiẽte, facti tales sunt, uel quia ex seruis nati sunt:Domini quoq; lege,qui eos emerunt, & patrẽ matrẽmue eorũ iure possident, uel qui imperãt, ut ait Aristot.1.polit.c.5.qui ratione familiæ & imperiũ,esse,ratione subditorũ aliorũ,gubernationẽ tradit. Leges dominicas quasdã in seruos,tradit Aristot.1.œcono.cap. 5. ne superbos uel abiectos esse sinat,opificibus cibũ abundè, paululũ autẽ uini tribuat.Tria quæ debet præstet,cibum,opus, castigationẽ:panis & disciplina,& opus seruo.Eccles.c.33.castigatio tẽperata sit,uerbo & facto.Caueat, ne plures sint præter necessitatem eiusdẽ officij,se enim mutuò præpediunt, & segnius operantur,dum alter alteri fidit,& si neuter fecerit opus, alter in alterum culpam reijcit.Sic qui unum famulum habet, integrum habet:qui duos,dimidiatum,qui tres,nullum.Cõuenit quoq; domino & bono patrifamilias, sibi subditos beneuolos habere,bonos præmijs continere, malos pœna bonos reddere, sic utriosque auxiliares & custodes rerum suarũ reddet. Nunquam patiatur esse otiosos,ornet satis eleganter pro modo officij,caueant ab insolentia:contemnetur enim ab stultitia, euitet tamen crudelitatem,quæ tyrannicæ potestatis est signum.In oneribus imponendis & iniuriando, recordetur seruum quoque uel famulum, esse hominem, & Christianum, anima ornatum, & rationis capacem seruum sensatum diligendum,eccles.c.7.docet & Seneca lib.2.quemadmodum damnum sit beneficium: Nutriat & curet ægrotos,pariter ac sanos:nam alioquin famulitio indigni sunt, sicut & olim domini seruos ægrotos domo extrudentes, ex lege Claudiani,sanati liberi erant,ut ait Dion.Cass. lib.60. histo.Roma.leges autem seruorum & famulorum hæ sunt:Subditi sint dominis & obedientes, ad Colossen. 3. ad Ephes.4. sit illis rostrum suillum,id est, non sint fastidiosi palati, sed quouis cibo contenti sint.Habeant aures asininas,id est,patulas non ægrè ferentes iras domini, si quid loquatur forte durius. sit dextra explanata,id est,non furentur, sintque fideles:Habeant pedes ceruinos, id est,celeriter exequantur mãdata,& ad obediendum aduolent,nec semper expectent domini manum.

De paterna in liberos œconomia. *Cap. 6.*

PAterna hæc œconomia, constat ex patre & filij. Pater filios exemplo & opere, & aliorum disciplina, si ipse incapax sit, uel non potuerit satisfacere, instituat. Plut. de lib. educan. Castiget errata nec cõniueat, qui enim parcit uirgę, odit filiũ suũ, qui aũt diligit, instanter erudit. Prouerb. 13. rursum Eccles. 30. Qui diligit filiũ suũ, assiduat illi flagella, &c. Alia etiam lex literis aureis scribenda, quia uerissima & quotidiano euentu approbata, Eccles. 33. Filio, mulieri, fratri, & amico, ne des potestatem super te in uita tua, & ne dederis alij possessionem tuam, ne fortè pœniteat te, ne fortè depreceris loco quo ipsi te deprecari deberent. Melius est enim ut filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorúm tuorum. Filiæ tibi sunt, custodi corpus illarum, & ne ostendas hilarẽ faciem tuam illis nec filijs. Trade in matrimonium filiam tuam, & grande opus feceris, homini sensato da illam. Ecclesiast. capit. septimo. Sunt, & alia leges circa filiam eccle. c. 26. Alia lex D. Paul. ad Ephes. 6. ad colos. 3. Patres, nolite prouocare ad iracundiam filios uestros, ne illi fiant pusillanimes. In summa patris in filios regium debet esse imperiũ, non tyrannicum, quale erat inter Persas, qui filijs ut seruis utebantur, ut ait Aristo. 8. Ethic. c 8. Potissima eruditionis filiorum pars & fundamentum, ut patres dent operam filios probè institui puiè & sine hæresi in religione catholica, & in cultu & timore Dei, ut Tobias exemplo est. Tũc enim iuueni timenti Deum omnia ex uoto succedent, & patri, qui uicarius Dei est, qui pater omnium est, tunc tales in senecta patres experientur in senecta quales sibi antea formauerint. Filiorum autem leges erga parentes, ut omnino obediant, nõ succenseant, sed iras & maledicta, ut pro eorum emendatione prolata, & bono animo ferant, ut dicebat Socra. apud Xenoph. lib. 2. de dict. & fact. Socrat. senectutem & canitiem patris suspiciant, honestè; patienter reuereantur & obseruent, rependentes quoad poterunt, beneficia suscepta. Non enim patres cùm filij paruuli essent & infantes irascebantur, dum desipiebant iuueniliter & stolidè loquebantur, uel agebant ut repuerascentibus quoque patribus, ipsi filij restituere non grauentur, & antipelargein, seuerum & malè moratum pa-

trem

trem uenerentur & obseruent. Non enim Deus & natura bonos uel malos coniunxit, sed patres fecit Sed de his hactenus & breuiter dicta sufficiant: etenim in iurisprudentiæ epitome late pertractamus, quæ ad leges uxorias, dominicas, & parentum, & liberorum pertinent, dum post nuptias de horum agimus potestate.

De œconomia acquisititia. *Cap.* 7.

IN omnibus, non progredi regredi est, quamobrem citò in paupertatem uel insignem diminutionem labuntur patrimonia, ubi acquirendi nullus est modus Modi porrò sunt plures per diuersas scientias & artes mechanicas oblati, quamobrem & illa pars reijcitur tractanda in sequentem librum, ubi de artibus factitijs & mechanicis agitur: iam enim de artibus alijs liberalibus & mathematicis dictum, ex quibus quis uiuendi & acquirendi rationem instituere sibi potest. Plato in Sophista uel de ente, acquisitionis duas dicit esse species, unam inter uolentes, quæ est commutatio, dono, emptione, mercede Alteram mancipatione, uel opere, uel sermone factam. Mancipatio duplex, alia qua aper è capit, alia quæ uenando secundum diuersitatem animalium, quadrupedum, reptilium, aquatilium, uolatilium. De lucris Iurisconsultorum & medicorum dicitur, Dat Galenus opes & sanctio Iustiniana. Ex his paleas, ex istis collige grana. Sunt cognita stipendia quàm maximè fuerint uiris literatis indulta tum docentibus, tum magistratibus, tum professoribus & bene de repub. meritis, ut non opus sit me in illis immorari quantum rei familiari commodi ex probis studijs accedere possit. Nec enim magnum est ut qui spiritualia seminant & colunt, temporalia metant. Prodicus sapiens nullum gratis erudiuit, sed habebat semper in ore Epicharmi illud, Manus manum lauat, dans aliquid, aliquid accipe, ut ait Xenocrates libr. de morte.

Finis 23. *Libri.*

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER XXIIII.

In quo agitur de factiuis artibus, & mechanicis.

Quare artes factiuæ. Cap. I.

ABominandę necessitatis, amarissimæ leges, & truculentissima imperia, gentes non intellectu tantum, sed etiam auditu grauia pati coegerunt, ut ait Valer. Max. lib. 7 c 6. hinc commerciorum in longinquas regiones per tot pericula peregrinatio, per maris discrimina: cui accessit habendi libido, a necessario uictu, facto in auaritiam gradu. unde, numi & cibi extorquendi causa, tot artes, & tam uariæ factiuæ, ut ait Persius in princ. *Quis*

Picasq; docuit nostra uerba conari?
Magister artis ingeniiq; largitor
Venter, negatas artifex sequi uoces
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Coruos poetas, & poetridas picas,
Cantare credas pegaseium melos.

Sine arte uix quis uiuere saltem honestè uel ali nō potest. Vnde Thespienses, quibus turpe erat artem discere, uel agriculturę operam dare, pauperes erant, uel plurimum, & Thebanis multa debebant: ut tradit Heraclides in politijs, & eorū rep. Ars una omnibus communis apud aliquas nationes, agricultura apud Vtopienses insuls nos, extra quam adhuc unusquisque propriam eligit, prout est habilis, ut tradit Thomas Morus lib. 2. Vtop. Apud Phœnices Tyrios multitudo

commo-

commorabatur artificum omnium, ut ait Diod. Sicul. libr. 17 Biblio in anno 4. Alexan. Iuuat artes & auget hominis industria, quę nunquam quiescit, quin quicquam uel pulchri uel quod ex usu sit, non excogitet, quin inuentis non addat, multaq; perficiat. nulla quippe est disciplina uel ars, quę singulari fuerit simul consummata ingenio, ut ait Colu. libro. 1. cap. 5. de re rust. fueruntq; artium principia exigua, teste Arist. 1. Elechio. nec statim ad consummationem producta. At earum inuentio, ex seminibus hominibus inditis, & eductæ artes paulatim in actum uel disquisitione, uel fortuito, prout necessitas uel utilitas, uel uoluptas sese obtulit, & suasit.

De Mechanicis. Cap. 1.

Μηχανὴν Græci, machinationem, excogitationem solertem dixerunt. Illud autem idem est, quod multum pertingere & ascendere, compositum ex μήκους, id est. longe & multum & ἄγειν, id est, ascendere, pertingere, & penetrare secundum Plato. in Cratylo. μηχανικός, mechanicus, est, opifex eorum, quæ simul ingenio & manu perficiuntur; unde non quęlibet artificia protrita & uulgaria, mechanica dicenda sunt proprie, sed ea tãtum quę ingenio succurrunt difficultatibus contingentibus pręter naturam, & subueniunt utilitati, ut ait Aristo. in princ. quæstio. mechanic. unde Hieron. & Papus numerant inter mechanicas manganariam, per quã pondera immania minima ui tollũtur in altum. item mechanicho poeiticen, per quam facile aqua anthliis extrahitur, & quæ instrumenta bellis accommoda facit, ueluti arietes, testudines, turres ambullatorias, helepoles, sambucas, exostras tollenones, & similia, quęque hydraulica per se resonantia facit uenrorum flatu organa, pilas sponte saltantes, lucernas mirabiles, & similia neruis, funibus, æquilibris, & reliqua pneumatica, adhibita ratione numerorum, naturæ, syderum & & aliorum. uerum mechanicę arti mult ũ prosunt artes aliæ utæraria, ædificatoria, materia, pictoria, &c.

De lanificio. Cap. 3.

Lanificij nomine, cõtinetur omne studium & opus, quod circa lanam uel ex lana fit. parum autem interesse arbitror

tror scire quis hanc artẽ inuexerit, nũ ut Ou. 1. de ar. Pall. ibi. Quid facit Aeacide, &c. Tribuenda ne Atheniensibus, ut Iustinus in 2. & alii aliis. De his enim & de lanarum differentiis, & inuentione fulloniæ artis & contextus, Plinius tradit li. 8. cap. 48. & lib. 7 c. 56. Polyd. Vergil. lib. 3. c. 6. unde & Lilium Gregorium syntagma. 11. de historia Deo. Magna utilitas opifici, huius, & negotiationis splendidum lucrum; quamobrem & olim, maxima fuit controuersia inter Brugenses & Eranconares de lanificio faciundo, anno domini 1407. de qua uidendus Meierus lib. 15. histo. Flandricæ.

De diuisione lanificij. Cap. 4.

Plato libro ciuili in duas partes lanificij diuidit artem, in discretoriam & concretoriam. Discretoria est, carminatio. carminatio in longum latumq; protractio seu di ductio: inde stamen, penso fuso retorto, uel ut nunc, rota. Concretoria, texturę opus habet, implicatione staminis & subtegminis. Textrina ars, quæ subtegmen & stamen implicat, dicũt Galli stamen, *l'ordissement*: fila autem subtegminis licia dicuntur, inde pluribus liciis texta lana, & diuersis polymita dicta & prætexta si nobilis sit: sin autem ignobilis, prætexta linea Gallis *droguet*, apud nos *miraitaine*. Hebræ. prohibita Exo d. ca. 22. Alexandriæ dicit inuentum pluribus texere liciis, Plin. lib. 8. c [illegible] At instrumentum quo stamen & subtegmen iunguntur [illegible] nostros Tholosatas dicitur lapigine, Latinis radius, Gręc: [illegible]ερκίπιον: addetur trama qua filia trãsferuntur & spatha, ad condensandam texturam, antiqui quoque duos lapides a stamine dependentes habebant, dictos Agnythen & Lean, apud Iul. Pollucem. lib. 7. cap 10. ubi & de antio, id est regula textorum, & uiuerra meminit.

De prisca ouium sollicitudine, ob lanam, & de alijs. Cap. 5.

Quæstum hunc, uellera ouium præbere nemo est qui ambigat, ut non immerito dicere possimus, hunc pro uéteru fabulorum illud fuisse uellus aureum Colchicum: multi namq; hoc uellere pascuntur, & repente fere ditantur: neq;

ubi

ubi lanificium exercetur, uix conſpices ocioſum uel mendicantem ualidum, ni inſigniter improbus & deſes ſit: tantam enim exigit curam & tam uariam, ut nullus cuiuſque ætatis uel ſexus, uir aut mulier ſit, qui non poſſit operam ſuam ei præbere: ut deſinam mirari, cur antiquis patrimonium omne, a pecudibus, peculium & pecuniam dixerint, ut ait Plin. lib.33.cap.3. & lib.18.cap.3. Iuriſconſult. ll. 5. 88. 97. 178. 222. de uerbor. ſignifi. lib. 50. ff. Erat enim in pecudibus potiſſimum patrimonium, tanquam in rebus naturæ humanæ omni ex parte neceſſariis. Nam caſeo & lacte illi paſcebantur, & lana uel pellibus ueſtiebantur. Et deus ipſe primis parẽtibus fecit ueſtes pelliceas, Geneſ.3. neque ullũ aliud fuit animal, cuius ſimilitudine ſe magis uoluerit Deus Dominus noſter IESVS Chriſtus hominibus rudibus declarare, quã arietis & ouis; legimus enim de eo, tanquam ouis ad occiſionem ductus, non aperiens os ſuum, nec coram tondente, nec coram lanione; & agnus Dei qui tollit peccata mundi, D. Iohan. cap. 3. agnus occiſus ab origine mundi, Apocalip. capitu. 13. Cuius myſterium in illis primis tunicis pelliceis, quibus induit priores parentes, erat, nam in Geneſi mundi cap.3. ſic ſcribitur, עיר וילבשם ויעש יהוה לאדם ולאשתו כתנות, ſic lege, uaiaguas iehoua, elohim leadam ul eiſtho cotenot gnor, vaialbiſcem, i. & fecit dominus Deus Adamo, & uxori eius, ueſtes corij, uel cutis, id eſt, pelliceas, & ſi alii legant honoris, ויל בשם & induit eos: quę litere, ſi inuertantur, faciunt ישו לבם iſu libam, id eſt, Ieſus in corde eorũ, ut annotauit etiam Franciſ. Venetus lib. 1. prolem. ſectio. 1. problem. 59. Quare & forſan ſancti patres, ob myſterium & utilitatem ſe paſtores ouium dicebant, & erant Genes. 4. & 46. 29. 30. Exod. 3. paſtores & reges alij fuere, qui uel armentis patrimonium auxerunt, ut Meſa rex moab 3. 4. Rag. 3. uel ipſimet nutriebant. Sic referunt Apollinem nutriſſe pecora. & paſtorem, ut Phornutus ait lib. περὶ τῆς τῶ θεῶν φύσεως, Ouid. Metam. 2. Horat. lib. 1. car. od. 10. Erat paſtor Alexander Priami regis filius, ut ſcribit Homerus & Lucia. in dialog. Helenæ, & reliqui poetæ ſimilis argumenti belli Troiani. Quamobrem & Philo Iudæ. lib. de uita Moſis. tradit paſtoralem artem eſſe præludium ad regnum, id eſt, ad gubernationem hominum, ad regimen gregis manſuetiſſimi. Quemadmodum bellicoſa ingenia præexercent ſe in uenationibus.

Plato

Plato quoque in lib. ciuili olim quoque dæmones, seu felices animas fuisse pastores animalium: & sunt, inquit, hodie quorum natura diuinior est, pastores brutorum.

De lana, seu uellere ouium. Cap. 6.

VEllus ouium, multitudo pilorum est, quia oues meatus habent tenuiores, & ideo pili eorum quoq. tenuiores, ut ait Arist lib. 5. de gen. ani. c. 3. Ouibus expilatis, moliorpilus subnascitur, suntq; duriores quo prolixiores pili, ut idem author ait, prob. sect. 10. q. 24. & 25. Sic quadrupedum uelli lanę que prolixius adueniente senectute augētur, uerum rarescunt fiuntq. pauciores, eodem authore, lib. 4. de hist. ani. c. 11. molle uellus erat in agro Mutinensi. Strabo in 5. hirtum in Liguria, & Mediolano: mediocre Patauinum. Lana, est uel succida, uel elota: succida, plura habet salutis remedia, apud Pli. li. 29. c. 2. Elota, quæ a fæcibus, & pinguedine lauatur: Hispania habet & pollentia oues præcipue nigri uelleris: fuluas Tarentū lanas, albas Apulia.

De progressu lanificij usque ad pannum. Cap. 7.

PRimum detonsa lana succida, lauatur, dehinc siccatur, carminatur; dehinc tingitur, seu coloribus inficitur, uel helxine, apud Pli. li. 22. c. 17. uel anchusa Pli. li 10. c. 20. & alijs. Tincta, iterum lauatur, & siccatur, & carminatur ruditer; postea suauiori pectine, addito oleo; dehinc penso admota trahitur, tenditur, netur, uel deducitur, uel colo & fuso, uel rota fit filum, uel stamen, politum, tenue planum. Texitur, pannusq. fit ex ramæ iniectione, perductione, & traductione; dum texitur feritur, premitur, & condensatur subtegmen, spathæ ictibus, interim pendentibus ad latus lapidibus inter texendum pannum, concluduntur per ora fimbriæ, ex quadam fili crassioris lanæ specie, quem uocant Madric Vascones. Pannus dehinc ut corpulentior euadat, apud Lutetianos defertur, ut olim in aliis nationibus, ad fullones, qui pedib. conculcant & terunt, & reuoluunt; apud nos autem & reliquos Tectosages, & Aquitanos fere, malleis in molendinis fullonū more tūditur. Additur tūc sapo Lutetię, apud alios butyrū; uel pinguedo, ut apud

Lemonices,dum pannos uulgares faciūt:A fullone & malleis dehinc exficcatus pannus, ad concinnatorem (quem uocant apparatorem)defertur,qui ei a pertica pendenti pilum extrahit & explicat carduo, crebris pectinationibus leuiter polliēdo,pro carduo quoque,fed rudiori opificio,in iftis concitatio nibus pilorum utuntur pectine carminatoria. Ex officina con cinnatoris poftmodum,ad tonforem transfertur, qui æquat, & deprimit pilum panni, ideo dicunt eum, baiffaire, noftri, quod æquando lanuginem eam deprimat. Ab hoc iterum ad apparatorem redit, qui uolfella uocant(*pinfette*) palearum feftucas inhærentes detrahit punctim. Poftmodum ad baiulos, feu præfectos operi lanificij defertur,qui fi pannum probè no uerint confummatum, figillo ciuitatis, ubi pannus fuit factus, confignant.

Ex pannorum pertractatione quot fpeciei hominum uiuant. *Cap.* 8.

VIuunt & fplendidè ultra opifices pannorum, ex pannorum quæftu mercatores,dehinc fartores,farcinatrices,caligarum opifices; qui cum folis forficibus,acu & filo,ingenio ueftimenta corpori præparant: quemadmodum & qui lectorum hodie ornamenta confuunt, quibus fubminiftrat acicularis, qui futoribus, vt pellionibus & pingentibus acu operam cum aliquo uiuendi ingenio, labore proprio fubferuit & opē fert.Viuunt quoq; ex lanificio hoc pileari j,qui pilea,galeros, petafos,infulas,tiaras,diademata,& fimilia contexunt,uel lana indurata formant. Item tapetiarij, qui tapetibus ex uarijs coloribus effigies texendo, uel acu pingendo, uarias imponunt ei formas,quiq; lodices & puluinatia,& fimilia exornāt. In fumma opifices multi uiuunt ex lana, utilitas ex ea maxima,maximus lanæ ufus humano generi, ut utrunque probatur & conftat ex togis, tunicis,palliolis,ftragulis,amphitapis, fagis,chlamydibus,prætextis,ftolis,capitijs, zonis, mitris,plagulis,penulis,tegumentis,tapetibus, & alijs,quæ infterni,uel inijci folent, & in coactis ueftimentis, quę hodie feultre uocamus.

Multæ fraudes in pannis committuntur a mercatoribus; nam interdum trochlea extenduntur,ut plurium fint ulnarū: & premuntur, ut appareant melioris lanæ, alij alios pro alijs

ueneunt

ueneunt, colore fictitio aspergunt. Sunt & mangones uestiũ detritarum, & ueterum, qui illas interpollant, fucant, desquamaut. & ij quęstum, sed improbè ex lana & pannis adaugent.

De telæ opificio. *Cap.* 9.

EX lino & canabe herbis, maximum quoque capitur lucrum & utilitas, unde crasles, re tia, funes, tela; ex telis, uela & uestes parantur, ut latè docet Plin. per singula lib. 19. in princ. & capit. 1 & 9. necessitatis uestitus inuentum noluit Vitruuius, libr. 10. capit. 1. Fiunt & ceruicalia culcitre, quarum gloriam maiorem tribuit in d. cap. 1. Plin. Cadurcis, unde & cadurci culcitræ dictę, & in Cadurcis lanificinas artes uigere quoque dixit Strabo in 4. gorg. Labor in linificio ingẽs certe antequam tela facta sit; siquidem herba euulsa a semine purgatur, in aquam mergitur pondere aliquo, & maceratur: ab aliis sub dio exponitur; & dum membrana laxior sufficientis marcerationis indicium, inuertitur, postea siccatur, arida saxo & instrumento proprio tunditur, nempe stupario malleo. Cortici proximũ stupa est, hæc pectitur a lino hamis ferreis ex quib. cortices decidunt & stupa; colo & fuso trahitur; a fuso in cruciatum baculum ducitur, postea in rhombũ seu girgillum, unde glomus, dicitur, hinc ad textorem defertur, qui post stamina & subtramina texit. Eadem in canabe cogita obseruanda.

De opificio, ex aliarum plantarum pilis, & de uellere animalium, uel opera. *cap.* 10.

EAdẽ quæ dicta sunt de lino, & de bysso dicta puta: byssũ enim, lini speciem apud indos & Ægyptios, tradit Iul. Pollux lib. 7. cap. 17. sola densitate excepta. Eadem & de bombycis textura, quæ a bombycibus uermiculis ducitur ueluti ab araneis, apud Seretes & alios, ut ait eodem loco Pollux, quorum tellas redordiri, rursusque texere, docuit in Ceo mulier Pamphila Latoi filia, quomodo autem texantur, parentur, carminentur horum lanificia, quę uocantur Gallis *soyes*, docet Plinius lib. 11. cap. 22. & 23. Arist. 5. de histo. animal. cap. 19. Tamen obseruandum uermiculos, qui tale operantur p[illegible]nsum inter se differre. nam apud Seretes sir, uel

bombix,ut putant fericum,quod nobis *soye* producunt ; at bō bices alij in Cò infula,uidentur fpeciem telæ proferre, quæ ita lucida eft,ut ueftitus ea,potius nudus uideatur. Vocamus hanc, *du cresþe*, ni fallor. Sed de iftis abunde Bayfius de re ueftiaria, ubi & de holoferica contextura, & de fubtegmine tantum ferico,deque auro textili Attalico, & fimilibus, ad quem te remitto.Fiunt & ex pilis caprarum texturæ, fic.n.& canit li.3.Georg.Verg.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cyniphij tondent hirci fetasque comantes
Vfum in caftrorum,& miferis uelamina nautis.

Meminit,& M.Tertius Varro,libro fecundo, de re rufti.ca pitu.undecimo, ex uellis hircorum, & capratum,fieri cilicia, quæ hodie Gallicæ nomem retinet cilice,ad ufum nauicum, & ueftitum,ad bellica tormenta,ficut & Vegitius tradit,&ad fabrilia uafa,fiuntque,& his nunc fecernicula. Dicta autem contendit Varro cilicia,a Cilicia phrygiæ, ubi primum inuē tum prodiit.

Refert Strabo li.15.Geographiæ, in India lanigerarū arbo rum florem nucleum habere,quo detracto reli- quum,ut lana carmine- tur.

SYNTAXEΩN

ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXV.

Vbi agitur de militia.

De nomine militis. *Cap.* 1.

NOn ſatis conſtat, unde hoc nomen militis declinauit; alij namque a duritia, alij a multitudine, alij a malo, alij per contrarium a mollitie, alij a mille trahunt. Quamobrem in eo perſcrutando non immorabimur, numue a malitia miles, an potius a milite militia. conſtat enim id de quo agitur.

De diuiſione militiæ. *Cap.* 2.

MIlitia, alia inermis, alia armata eſt; inermis, dicitur palatina, aduocatorum, apparitorum, literaria, eccleſiaſtica ſeu cœleſtis: armata, quæ armis utitur. De armata hic tantum agetur.

De militiæ arte. *Cap.* 3.

INter acquiſititias artes, militia erat: hac namque & Romani, & aliæ nationes, regna ſibi, oppida, ciuitates, & prouincias compararunt. diuitias, & gloriam. Hanc neceſſariam ci

mancipia & cupiditatũ,& qui seruili sunt ingenio,cuiusmodi homines liberi mercede seruientes, ita & domini natura: qui præstant animo. Lege serui, qui uel captiuitate uel uenũdatione,propria uolũtate cõsẽtiẽte, facti tales sunt, uel quia ex seruis nati sunt:Domini quoq; lege,qui eos emerunt, & patrẽ matrẽmue eorũ iure possident, uel qui imperãt, ut ait Aristot. 1.polit.c.5.qui ratione familiæ & imperiũ,esse,ratione subditorũ aliorũ,gubernationẽ tradit. Leges dominicas quasdã in seruos,tradit Aristot. 1.œcono.cap. 5. ne superbos uel abiectos esse sinat,opificibus cibũ abundè, paululũ autẽ uini tribuat.Tria quæ debet præstet,cibum,opus, castigationẽ:panis & disciplina,& opus seruo.Ecclesi.c.33.castigatio tẽperata sit,uerbo & facto.Caueat, ne plures sint præter necessitatem eiusdẽ officij,se enim mutuò præpediunt, & segnius operantur,dum alter alteri fidit,& si neuter fecerit opus, alter in alterum culpam reijcit.Sic qui unum famulum habet, integrum habet:qui duos,dimidiatum,qui tres,nullum.Cõuenit quoq; domino & bono patrifamilias, sibi subditos beneuolos habere,bonos præmijs continere, malos pœna bonos reddere, sic utrosque auxiliares & custodes rerum suarũ reddet.Nunquam patiatur esse otiosos,ornet satis eleganter pro modo officij,caueant ab insolentia:contemnetur enim ab stultitia, euitet tamen crudelitatem,quæ tyrannicæ potestatis est signum.In oneribus imponendis & iniuriando, recordetur seruum quoque uel famulum, esse hominem, & Christianum, anima ornatum, & rationis capacem seruum sensatum diligendum,eccles.c.7.docet & Seneca lib.2.quemadmodum damnum fit beneficium: Nutriat & curet ægrotos,pariter ac sanos:nam alioquin famulitio indigni sunt, si cut & olim domini seruos ægrotos domo extrudentes, ex lege Claudiani,sanati liberi erant,ut ait Dion.Cass. lib.60. histo.Roma.leges autem seruorum & famulorum hæ sunt:Subditi sint dominis & obedientes, ad Colossen. 3. ad Ephes.4. sit illis rostrum suillum,id est, non sint fastidiosi palati, sed quouis cibo contenti sint.Habeant aures asininas,id est,patulas non ægrè ferentes iras domini, si quid loquatur forte durius. sit dextra explanata,id est,non furentur, sintque fideles:Habeant pedes ceruinos, id est,celeriter exequantur mãdata,& ad obediendum aduolent,nec semper expectent domini manum.

De

De pater na in liberos œconomia. *Cap. 6.*

PAterna hæc œconomia,conſtat ex patre & filij. Pater filios exemplo & opere,& aliorum diſciplina, ſi ipſe incapax ſit,uel non potuerit ſatisfacere,inſtituat.Plut.de lib. edu can.Caſtiget errata nec cōniueat,qui enim parcit uirgę,odit filiū ſuū,qui aūt diligit,inſtanter erudit. Prouerb.13.rurſum Eccleſ.30.Qui diligit filiū ſuū,aſſiduat illi flagella,&c. Alia etiam lex literis aureis ſcribenda,quia uerisſima & quotidiano euentu approbata,Eccleſ.33.Filio,mulieri,fratri, & amico,ne des poteſtatem ſuper te in uita tua, & ne dederis alij poſſesſionem tuam,ne fortè pœniteat te,ne fortè depreceris loco quo ipſi te deprecari deberent. Melius eſt enim ut filij tui te rogent, quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum. Filiæ tibi ſunt, cuſtodi corpus illarum, & ne oſtendas hilarē faciem tuam illis nec filijs. Trade in matrimonium filiam tuam, & grande opus feceris, homini ſenſato da illam. Eccleſiaſt.capit.ſeptimo. Sunt, & alia leges circa filiam eccle.c.26.Alia lex D.Paul.ad Ephe.ſ 6.ad coloſ.3.Patres,nolite prouocare ad iracundiam filios ueſtros,ne illi fiant puſillanimes In ſumma patris in filios regium debet eſſe imperiū, non tyrannicum,quale erat inter Perſas,qui filijs ut ſeruis utebantur,utait Ariſto.8 Ethic.c 8. Potisſima eruditionis filiorum pars & fundamentum, ut patres dent operam filios probè inſtitui puré & ſine hæreſi in religione catholica,& in cultu & timore Dei,ut Tobias exemplo eſt.Tūc enim iuueni timenti Deum omnia ex uoto ſuccedent, & patri, qui uicarius Dei eſt, qui pater omnium eſt, tunc tales in ſenecta patres experientur in ſenecta quales ſibi anteà formauerint.Filiorum autem leges erga parentes,ut omnino obediant, nō ſuccenſeant, ſed iras & maledicta,ut pro eorum emendatione prolata,& bono animo ferant,ut dicebat Socra.apud Xenoph.lib.2.de dict & fact Socrat.ſenectutem & canitiem patris ſuſpiciant,honeſtè, patienter reuereantur & obſeruent, rependentes quoad poterunt,beneficia ſuſcepta. Non enim patres cùm filij paruuli eſſent & infantes iraſcebantur, dum deſipiebant iuueniliter & ſtolidè loquebantur, uel agebant ut repueraſcentibus quoque patribus, ipſi filij reſtituere non grauentur, & antipelargein, ſeuerum & malè moratum patrem

trem uenerentur & obseruent. Non enim Deus & natura bonos uel malos coniunxit, sed patres fecit. Sed de his hactenus & breuiter dicta sufficiant: etenim in iurisprudentiæ epitome late pertractamus, quæ ad leges uxorias, dominicas, & parentum, & liberorum pertinent, dum post nuptias de horum agimus potestate.

De œconomia acquisititia. Cap. 7.

IN omnibus, non progredi regredi est, quamobrem citò in paupertatem uel insignem diminutionem labuntur patrimonia, ubi acquirendi nullus est modus. Modi porrò sunt plures per diuersas scientias & artes mechanicas oblati, quamobrem & illa pars reijcitur tractanda in sequentem librum, ubi de artibus factitijs & mechanicis agitur: iam enim de artibus alijs liberalibus & mathematicis dictum, ex quibus quis uiuendi & acquirendi rationem instituere sibi potest. Plato in Sophista uel de ente, acquisitionis duas dicit esse species, unam inter uolentes, quæ est commutatio, dono, emptione, mercede. Alteram mancipatione, uel opere, uel sermone factam. Mancipatio duplex, alia qua aperte capit, alia quæ uenando secundum diuersitatem animalium, quadrupedum, reptilium, aquatilium, uolatilium. De lucris Iurisconsultorum & medicorum dicitur, Dat Galenus opes & sanctio Iustiniana. Ex alijs paleas, ex istis collige grana. Sunt cognita stipendia quàm maximè fuerint uiris literatis indulta tum docentibus, tum magistratibus, tum professoribus & bene de repub. meritis, ut non opus sit me in illis immorari quantum rei familiari commodi ex probis studijs accedere possit. Nec enim magnum est ut qui spiritualia seminant & colunt, temporalia metant. Prodicus sapiens nullum gratis erudiuit, sed habebat semper in ore Epicharmi illud, Manus manum lauat, dans aliquid, aliquid accipe, ut ait Xenocrates libr. de morte.

Finis 23. Libri.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER XXIIII.

In quo agitur de factiuis artibus, & mechanicis.

Quare artes factiuæ. *Cap.* I.

ABominandę necessitatis, amarissimæ leges, & truculentissima imperia, gentes non intellectu tantum, sed etiam auditu grauia pati coegerunt, ut ait Valer. Max. lib. 7 c 6. hinc commerciorum in longinquas regiones per tot pericula peregrinatio, per maris discrimina: cui accessit habendi libido, a necessario uictu, facto in auaritiam gradu. unde, numi & cibi extorquendi causa, tot artes, & tam uariæ factiuæ, ut ait Persius in princ. *Quis*

Picasq; docuit nostra uerba conari?
Magister artis ingeniiq; largitor
Venter, negatas artifex sequi uoces
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Coruos poetas, & poetridas picas,
Cantare credas pegaseium melos.

Sine arte uix quis uiuere saltem honestè uel ali nō potest. Vnde Thespienses, quibus turpe erat artem discere, uel agriculturę operam dare, pauperes erant, uel plurimum, & Thebanis multa debebant: ut tradit Heraclides in politijs, & eorū rep. Ars una omnibus communis apud aliquas nationes, agricultura apud Vtopienses insulanos, extra quam adhuc unusquisque propriam eligit, prout est habilis, ut tradit Thomas Morus lib. 2. Vtop. Apud Phœnices Tyrios multitudo

commo-

commorabatur artificum omnium, ut ait Diod. Sicul. libr. 17 Biblio in anno 4. Alexan. Iuuat artes & auget hominis industria, quę nunquam quiescit, quin quicquam uel pulchri uel quod ex usu sit, non excogitet, quin inuentis non addat, multaq; perficiat. nulla quippe est disciplina uel ars, quę singulari fuerit simul consummata ingenio, ut ait Colu. libro. 1. cap. 5. de re rust. fuerunt q; artium principia exigua, teste Arist. 1. Elechio. nec statim ad consummationem producta. At earum inuentio, ex seminibus hominibus inditis, & eductæ artes paulatim in actum uel disquisitione, uel fortuito, prout necessitas uel utilitas, uel uoluptas sese obtulit, & suasit.

De Mechanicis. Cap. 1.

Mχανὴν Græci, machinationem, excogitationem soler tem dixerunt. Illud autem idem est, quod multum per tingere & ascendere, compositum ex μῆκος, id est. longe & multum & ἄγειν, id est, ascendere, pertingere, & penetrare se cundum Plato. in Cratylo. μηχανικὸς, mechanicus, est, opifex eorum, quæ simul ingenio & manu perficiuntur; unde non quęlibet artificia protrita & uulgaria, mechanica dicenda sunt proprie, sed ea tãtum quę ingenio succurrunt difficultatibus contingentibus pręter naturam, & subueniunt utilitati, ut ait Aristo. in princ. quæstio. mechanic. unde Hieron. & Papus numerant inter mechanicas manganariam, per quã pondera immania minima ui tollũtur in altum. item mechanicho pœiticen, per quam facile aqua anthliis extrahitur, & quæ instrumenta bellis accommoda facit, ueluti arietes, testudines, turres ambullatorias, helepoles, sambucas, exostras tollenones, & similia, quęque hydraulica per se resonantia facit uentorum flatu organa, pilas sponte saltantes, lucernas mirabiles, & similia neruis, funibus, æquilibris, & reliqua pneumatica, adhibita ratione numerorum, naturæ, syderum & & aliorum. uerum mechanicę arti mult ũ prosunt artes aliæ utæraria, ædificatoria, materia, pictoria, &c.

De lanificio. Cap. 3.

LAnificij nomine, cõtinetur omne studium & opus, quod circa lanam uel ex lana fit. parum autem interesse arbitror

tror scire quis hanc artẽ inuexerit, nũ ut Ou. 1. de ar. Pall. ibi. Quid facit Aeacide, &c. Tribuenda ne Atheniensibus, ut Iustinus in 2. & alii aliis. De his enim & de lanarum differentiis, & inuentione fullonię artis & contextus, Plinius tradit li. 8. cap. 48. & lib. 7 c. 56. Polyd. Vergil. lib. 3. c. 6. inde & Lilium Gregorium syntagma. 11. de historia Deo. Magna utilitas opificij huius, & negotiationis splendidum lucrum; quamobrem & olim, maxima fuit controuersia inter Brugenses & Erancónates de lanificio faciundo, anno domini 1407. de qua uidendus Meierus lib. 15. histo. Flandricæ.

De diuisione lanificij. Cap. 4.

PLato libro ciuili in duas partes lanificij diuidit artem, in discretoriam & concretoriam. Discretoria est, carminatio. carminatio in longum latumq; protractio seu diductio: inde stamen, penso fuso retorto, uel ut nunc, rota. Concretoria, texturę opus habet, implicatione staminis & subtegminis. Textrina ars, quæ subtegmen & stamen implicat, dicũt Galli stamen, *l'ordissement*: fila autem subtegminis licia dicuntur, inde pluribus liciis texta lana, & diuersis polymita dicta & prætexta si nobilis sit: sin autem ignobilis, prætexta linea Gallis *droguet*, apud nos *turaitaine*. Hebræ. prohibita Exod. ca. 22. Alexandriæ dicit inuentum pluribus texere liciis, Plin. lib. 8. c. 48. At instrumentum quo stamen & subtegmen iunguntur apud nostros Tholosatas dicitur lapigine, Latinis radius, Gręcis κερκίτιμον: addetur trama qua filia trãsferuntur & spatha, ad condensandam texturam, antiqui quoque duos lapides a stamine dependentes habebant, dictos Agnythen & Lean, apud Iul. Pollucem. lib. 7. cap 10. ubi & de antio, id est regula textorum, & uiuerra meminit.

De prisca ouium sollicitudine, ob lanam, & de aliis. Cap. 5.

QVæstum hunc, uellera ouium præbere nemo est qui ambigat, ut non immerito dicere possimus, hunc pro uẽtum fabulorum illud fuisse uellus aureum Colchicum: multi namq; hoc uellere pascuntur, & repente fere ditantur: neq; ubi

ubi lanificium exercetur, uix conspices ociosum uel mendicantem ualidum, ni insigniter improbus & deses sit: tantam enim exigit curam & tam uariam, ut nullus cuiusque ætatis uel sexus, uir aut mulier sit, qui non possit operam suam ei præbere: ut desinam mirari, cur antiquis patrimonium omne, a pecudibus, peculium & pecuniam dixerint, ut ait Plin. lib.33.cap.3. & lib.18.cap.3. Iurisconsult. ll. 5. 88. 97. 178. 222. de uerbor. signifi. lib. 50. ff. Erat enim in pecudibus potissimum patrimonium, tanquam in rebus naturæ humanæ omni ex parte necessariis. Nam caseo & lacte illi pascebantur, & lana uel pellibus uestiebantur. Et deus ipse primis parẽtibus fecit uestes pelliceas, Genes.3. neque ullũ aliud fuit animal, cuius similitudine se magis uoluerit Deus Dominus noster I E S V S Christus hominibus rudibus declarare, quã arietis & ouis; legimus enim de eo, tanquam ouis ad occisionem ductus, non aperiens os suum, nec coram tondente, nec coram lanione; & agnus Dei qui tollit peccata mundi, D. Iohan. cap. 3. agnus occisus ab origine mundi, Apocalip. capitu. 13. Cuius mysterium in illis primis tunicis pelliceis, quibus induit priores parentes, erat, nam in Genesi mundi cap.3. sic scribitur, ויעש יהוה לאדם ולאשתו כתנות עור וילבשם, sic lege, uaiaguas iehoua, elohim leadam ul eistho cotenot gnor, vaialbiscem, i. & fecit dominus Deus Adamo, & uxori eius, uestes corij, uel cutis, id est, pelliceas, & si alii legant honoris, ויל בשם & induit eos: quę literę, si inuertantur, faciunt ישו לבם isu libam, id est, Iesus in corde eorũ, ut annotauit etiam Francis. Venetus lib. 1. prolem. sectio. 1. problem. 59. Quare & forsan sancti patres, ob mysterium & utilitatem se pastores ouium dicebant, & erant Genes. 4. & 46. 29. 30. Exod. 3. pastores & reges alij fuere, qui uel armentis patrimonium auxerunt, ut Mesa rex moab 3.4. Rag.3. uel ipsimet nutriebant. Sic referunt Apollinem nutrisse pecora. & pastorem, ut Phornutus ait lib. περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως, Ouid. Metam. 2. Horat. lib. 1. car. od. 10. Erat pastor Alexander Priami regis filius, ut scribit Homerus & Lucia. in dialog. Helenæ, & reliqui poetæ similis argumenti belli Troiani. Quamobrem & Philo Iudæ. lib. de uita Mosis. tradit pastoralem artem esse præludium ad regnum, id est, ad gubernationem hominum, ad regimen gregis mansuetissimi. Quemadmodum bellicosa ingenia præexercent se in uenationibus.

Plato

Plato quoque in lib. ciuili olim quoque dęmones, seu felices animas fuisse pastores animalium: & sunt, inquit, hodie quorum natura diuinior est, pastores brutorum.

De lana, seu uellere ouium. Cap. 6.

Vellus ouium, multitudo pilorum est, quia oues meatus habent tenuiores, & ideo pili eorum quoq. tenuiores, ut ait Arist lib. 5. de gen. ani. c. 3. Ouibus expilatis, molior pilus subnascitur, suntq; duriores quo prolixiores pili, ut idem author ait, prob. sect. 10. q. 24. & 25. Sic quadrupedum uelli lanę que prolixius adueniente senectute augētur, uerum rarescunt fiuntq. pauciores, eodem authore, lib. 4. de hist. ani. c. 11. molle uellus erat in agro Mutinensi. Strabo in 5. hirtum in Ligúria, & Mediolano: mediocre Patauinum. Lana, est uel succida, uel elota: succida, plura habet salutis remedia, apud Pli. li. 29. c. 2. Elota, quæ a fæcibus, & pinguedine lauatur: Hispania habet & pollentia oues præcipue nigri uelleris: fuluas Tarentũ lanas, albas Apulia.

De progressu lanificij usque ad pannum. Cap. 7.

Primum detonsa lana succida, lauatur, dehinc siccatur, carminatur; dehinc tingitur, seu coloribus inficitur, uel helxine, apud Pli. li. 22. c. 17. uel anchusa Pli. li 10. c. 20. & alijs. Tincta, iterum lauatur, & siccatur, & carminatur ruditer; postea suauiori pectine, addito oleo; dehinc penso admota trahitur, tenditur, netur, uel deducitur, uel colo & fuso, uel rota fit filum, uel stamen, politum, tenue planum. Texitur, pannusq. fit ex ramæ iniectione, perductione, & traductione; dum texitur feritur, præmitur, & condensatur subtegmen, spathæ ictibus, interim pendentibus ad latus lapidibus inter texendum pannum, concluduntur per ora fimbriæ, ex quadam fili crassioris lanæ specie, quem uocant Ma iric Vascones. Pannus dehinc ut corpulentior euadat, apud Lutetianos defertur, ut olim in aliis nationibus, ad fullones, qui pedib. conculcant & terunt, & reuoluunt; apud nos autem & reliquos Tectosages, & Aquitanos fere, malleis in molendinis fullonũ more tũditur. Additur tũc sapo Lutetię, apud alios batyrũ; uel pinguedo, ut apud

Lemonices,dum pannos uulgares faciũt:A fullone & malleis dehinc exsiccatus pannus, ad concinnatorem (quem uocant apparatorem) defertur, qui ei a pertica pendenti pilum extrahit & explicat carduo, crebris pectinationibus leuiter polliẽdo, pro carduo quoque, sed rudiori opificio, in istis conciratio nibus pilorum utuntur pectine carminatoria. Ex officina con cinnatoris postmodum, ad tonsorem transfertur, qui æquat, & deprimit pilum panni, ideo dicunt eum, baissaire, nostri, quod æquando lanuginem eam deprimat. Ab hoc iterum ad apparatorem redit, qui uolsella uocant(*pinsette*) palearum festucas inhęrentes detrahit punctim. Postmodum ad baiulos, seu præfectos operi lanificij defertur, qui si pannum probè no uerint consummatum, sigillo ciuitatis, ubi pannus fuit factus, consignant.

Ex pannorum pertractatione quot speciei hominum uiuant.
Cap. 8.

VIuunt & splendidè ultra opifices pannorum, ex pannorum quęstu mercatores, dehinc sartores, sarcinatrices, ca ligarum opifices; qui cum solis forficibus, acu & filo, ingenio uestimenta corpori præparant: quemadmodum & qui lectorum hodie ornamenta consuunt, quibus subministrat acicularis, qui sutoribus, vt pellionibus & pingentibus acu operam cum aliquo uiuendi ingenio, labore proprio subseruit & opẽ fert. Viuunt quoq; ex lanificio hoc pileari j, qui pilea, galeros, petasos, infulas, tiaras, diademata, & similia contexunt, uel lana indurata formant. Item tapetiarij, qui tapetibus ex uarijs coloribus effigies texendo, uel acu pingendo, uarias imponunt ei formas, quiq; lodices & puluinaria, & similia exornãt. In summa opifices multi uiuunt ex lana, utilitas ex ea maxima, maximus lanæ usus humano generi, ut utrunque probatur & constat ex togis, tunicis, palliolis, stragulis, amphitapis, sagis, chlamydibus, prætextis, stolis, capitijs, zonis, mitris, plagulis, penulis, tegumentis, tapetibus, & alijs, quæ insterni, uel inijci solent, & in coactis uestimentis, quę hodie feultre uocamus.

Multæ fraudes in pannis committuntur a mercatoribus; nam interdum trochlea extenduntur, ut plurium sint ulnarũ: & premuntur, ut appareant melioris lanæ, alij alios pro alijs

ueneunt

ueneunt, colore fictitio aspergunt. Sunt & mangones uestiũ detritarum, & ueterum, qui illas interpollant, fucant, desqua mant. & ij quęstum, sed improbè ex lana & pannis adaugent.

De telæ opificio. *Cap.* 9.

EX lino & canabe herbis, maximum quoque capitur lucrum & utilitas, unde crasses, retia, funes, tela; ex telis, uela & uestes parantur, ut latè docet Plin. per singula lib. 19. in princ. & capit. 1 & 9. necessitatis uestitus inuentum noluit Vi truuius, libr. 10. capit. 1. Fiunt & ceruicalia culcitre, quarum gloriam maiorem tribuit in d. cap. 1. Plin. Cadurcis, unde & cadurci culcitræ dictę, & in Cadurcis lanificinas artes uigere quoque dixit Strabo in 4. gorg. Labor in linificio ingẽs certe antequam tela facta sit; siquidem herba euulsa a semine pur gatur, in aquam mergitur pondere aliquo, & maceratur: ab aliis sub dio exponitur; & dum membrana laxior sufficientis marcerationis indicium, inuertitur, postea siccatur, arida saxo & instrumento proprio tunditur, nempe stupario malleo. Cortici proximũ stupa est, hæc pectitur a lino hamis ferreis ex quib. cortices decidunt & stupa; colo & fuso trahitur; a fuso in cruciatum baculum ducitur, postea in rhombũ seu girgillum, unde glomus, dicitur, hinc ad textorem defertur, qui post stamina & subtramina texit. Eadem in canabe cogi ta obseruanda.

De opificio, ex aliarum plantarum pilis, & de uellere animalium, uel opera. *cap.* 10.

EAdẽ quæ dicta sunt de lino, & de bysso dicta puta: bysũ enim, lini speciem apud indos & Ægyptios, tradit Iul. Pol lux lib. 7. cap. 17. sola densitate excepta. Eadem & de bombycis textura, quæ a bombycibus uermiculis ducitur ueluti ab araneis, apud Seretes & alios, ut ait eodem loco Pollux, quorum tellas redordiri, rursusque texere, docuit in Ceo mulier Pamphila Latoi filia, quomodo autem texantur, parentur, carminentur horum lanificia, quę uocantur Gallis *Joyes*, docet Plinius lib. 11. cap. 22. & 23. Arist. 5. de histo. ani mal. cap. 19. Tamen obseruandum uermiculos, qui tale operantur pensum inter se differre. nam apud Seretes sir, uel

bombix,ut putant sericum,quod nobis *soye* producunt; at bõ
bices alij in Cò insula,uidentur speciem telæ proferre, quæ
ita lucida est,ut uestitus ea,potius nudus uideatur. Vocamus
hanc, *du cresþe*, ni fallor. Sed de istis abunde Baysius de re
uestiaria, ubi & de holoserica contextura, & de subtegmine
tantum serico,deque auro textili Attalico, & similibus, ad
quem te remitto.Fiunt & ex pilis caprarum texturæ, sic.n.&
canit li.3.Georg.Verg.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cyniphij tondent hirci,setasque comantes
Vsum in castrorum,& miseris uelamina nautis.

Meminit,& M.Tertius Varro,libro secundo, de re rusti.ca
pitu.undecimo, ex uellis hircorum, & caprarum,fieri cilicia,
quæ hodie Gallicæ nomem retinet cilice,ad usum nauicum,
& uestitum,ad bellica tormenta,sicut & Vegitius tradit,&ad
fabrilia uasa,fiuntque,& his nunc secernicula. Dicta autem
contendit Varro cilicia,a Cilicia phrygiæ, ubi primum inuẽ
tum prodiit.

Refert Strabo li.15.Geographiæ, in India lanigerarũ arbo
rum florem nucleum habere,quo detracto reli-
quum,ut lana carmine-
tur.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXV.

Vbi agitur de militia.

De nomine militis. Cap. 1.

NOn satis constat, unde hoc nomen militis declinauit; alij namque a duritia, alij a multitudine, alij a malo, alij per contrarium a mollitie, alij a mille trahunt. Quamobrem in eo perscrutando non immorabimur, numue a malitia miles, an potius a milite militia. constat enim id de quo agitur.

De diuisione militiæ. Cap. 2.

MIlitia, alia inermis, alia armata est; inermis, dicitur palatina, aduocatorum, apparitorum, literaria, ecclesiastica seu cœlestis: armata, quæ armis utitur. De armata hic tantum agetur.

De militiæ arte. Cap. 3.

INter acquisititias artes, militia erat: hac namque & Romani, & aliæ nationes, regna sibi, oppida, ciuitates, & prouincias compararunt, diuitias, & gloriam. Hanc necessariam ci

uitati Arist.ratus est 4.pol.cap 4.uanum namque,imo noxiũ & molestum ferestē,& arare,si sata non defenditur,ut ait Xe noph.in œconom. Tradit & Plutar. in uita Galbæ,Iphycratē Atheniensem dixisse, stipendiarium militem, cupidum esse debere uoluptatum,& diuitiarum, ut dum hæc cupit acquire re,uersutius,& ardentius periculis se obijciat. Sine arte olim militiam fuisse ait Arist.lib.4.polit.c.13. neque armis ab ini tio,sed fustibus,fundis,& pugnis,unde pugna,decertatum,sic que Herod.in 4.& Lucr.

Arma antiqua manus,ungues,dentesq; fuerunt.

Tradunt autem armasse se primum Martem,& Vulcanum arma fabricasse,Diod.Sicu.in 6.Virg.in prin. Æn.& alii my-thologi:uerum & hæc parui momenti est nosse.Successit tan dem ars, & electio militis, atque disciplina Romana miles hoc ordine tantùm fieri cœpit,ut euocaretur,deligeretur,ad dictus diceretur, describeretur, adhortatione ducis quid faciendum ei esset,moneretur,sacramento adigeretur, & prin cipi tandem recenseretur. Cæterùm, ut aliquantum sibi cu riosi satisfaciant,legant Polyd.Verg.lib.2.de inuent.rer.cap. 11.& 12.

De diuisione militię armatæ, & partibus eius. Cap. 4.

MIlitia,alia terrestris,alia naualis:alia in terra,hæc in flu minibus,uel mari geritur,utraque constat uiris,armis, disciplina;uiri,aut duces,aut milites,& alij imperant,alij obe diunt, alij horum causa sunt. Principales personæ in militia, magister equitum olim post dictatorem maior Romę in bel lo:sub regib.dictus Tribunus celerũ: tempore imperatorum, primum idẽ quod præfectus prætorio:dehinc crescente impe rio,in prouinciales prætores diuisum officium. Sunt itaque maiores præfecti prætorio,proconsules,prætores,consulares, legati,correctores,duces,tribuni,senatores,procuratores,quę stores, præfecti frumenti,& annonæ. Milites, uel equites, uel pedites uel illis administri:equites,in multiplici differen-

tia;

tia:legitimi qui quadraginta haberent in censu, ducennarij, celites, antiquorũ troſſuli, legionarij, alares, prætoriani. Augustales, cẽturiari, turmati, auxiliares, ſupernumerarij, promoti, tertiati, ſine frenis, cũ frenis: cataphractarij, clibanarij, ſeu ſcuticarij, nunc baliſtarij, iaculatores, hippotoxotæ, uelites, curſatores, diſcurſatores, pabulatores, eſſedarij, uaſtai, extraordinarij, gyneciarij, armigeri. De quibus omnibus Vuolphan. Lazius lib. 6. cõmentar. Reip. c. 4. horum, leuis armaturæ uelites, expediti ſine ocreis, ſine lorica, clypeo graui, cum ſagittis, lapidibus, haſtis, iaculis: alij contra. Pedites erant quoque leuis armaturæ: ferẽtarij, ſagittarij, funditores ante exercitum, hoſtes prouocantes. Adminiſtri horum, medici, chirurgi, mercatores, caupones, lixę, calones, ſpeculatores, itinerum directores, famuli, agazones, meretrices ut plurimum: & uxores Germanis & Perſis: tubicines, lituicines & præcones, quorum munus, & ſilentium in certaminibus pronuntiare, & ſacrificijs, fœdera annunciare, inducias indicere, certatores deſignare, ut ait Iul. Pollux. lib. 4. cap. 12. Nomina porrò generalia militaris exercitus erunt, ut milites in metarione dicantur caſtrorum, teſſerarij, alij angariati, parangariati, qui uigilias, ſtationes, geſtationes, in uſum belli obibant: alij cõmentarienſes, centuriati ſiue phygiones, & polymitarij bini in qualibet cẽturia; beneficiarij, ordinarij, extraordinarij, uoluntarij, conſiſtoriani, cornicines, tibicines, claſſici, buccinatores, ęneatores. In militia legionarij, uexillarij, claſſiarij ſubſidiarij, præſidiarij, ſcholares. Horum gradus, anteſignani, poſtſignani, lorarij, triarij, inter ordinarios ſeu ordinatos. Polyb. in 6. ait Romanos ex conuocatis omnibus in unum militibus, deligere in pilanos minimos ætate & tenuis fortunæ: adultiores, in haſtatos: ætate & robore ualentes in principes: natu maximos, in triarios. Minimorũ arma, gladius, pilũ, parma rotunda, tripedalis: haſtati ferre armaturã debebant: armaturam autem primum clipeus, enſis, anceps, mucro, ueruta, caſſis ærea, crurum tegmen ocrea. Legiones ex iſtis omnibus perficiebãtur, quæ aut ordinariæ aut extraordinariæ erant: ordinariæ perfectæ dictæ, expeditæ, & quadratæ, conſtantes 6000. peditibus, & 730. equitibus. Extraordinariæ ſeu imperfectę, 5000. peditum & 400. equitum erant, unde duæ gemellæ proceſſerunt, altera 4000. ped. & 300. equitum, altera 400. ped. & 200. equi. Legiones, diſtinctæ apud Romanos, uel a nomini-

bus prouinciarum ad quas mittebantur,ut Macedonicæ,Pontícæ, Gallicæ &c.uel a tempore,antiquitate scilicet,ut uetera næ;uel a loco,ut prætorianæ:uel a personis,quibus constaban tur, ut libertinæ, seruorum, uernaculæ, domesticæ, gentiles, coloniares, agrestes, urbanæ, palatinæ, comitatenses; uel ab insignibus illarum, & ab imaginibus suorum uexillorum, ut paladiæ, mineruiæ, martiæ, Iouiæ, Herculeæ, solenses, cornutæ,laureatæ,siue prætextatæ,& augustæ;uel a ducibus illarum,ut Tyberiana,Traiana,Flauia,Constantiaca,&c.& si unius nominis plures essent, addito numero dicebantur prima,secunda,tertia,quarta,&c. In legione, pedites sunt in cohortes distributi,equites in turmas, cohors certa quædam militum distinctio.Inter cohortes præstantissimæ habitæ,prætoriæ,urbanę,millenarię, ueteranæ.illis ipsis copiæ,seu multitudines militum latius patent, nam illæ sunt quidem legionariæ,sed ultra & auxiliares,& uoluntariæ, centenariæ; & inclinante imperio cohortes tyronum libertinorum tumultuariæ,euocatæ,repentinæ,auxiliares,stipendiariæ ex prouinciis dictę;ut Germanorum,Timbrorum, Sicambrorum,&c.uel a munere illis iniuncto,ut stationarię, speculatorię,protectorum,stipatorum.Turma ex triginta duobus equitibus constabat,quasi terdena dicta;interdum maior,ex 300. ea quæ singulis cohortibus adiiciebatur, & dicebatur legionaria:At a forma,si in ouis formam,oualis:& ab alijs formis, ut & homœostomus siue laterculum. Tertiaca, quę accedebat post acies lassas,eas redintegrans. Ex ijs decuriati equites, si decem:globus equitum in excursionibus;cumulus equitum, si in formam pyramidis.Turmis pręfecti erant dicti capitularii,cingebant cohortes,equites ex aliqua parte uexilli,alę modo,unde ea turma ala dicta,Macedonibus agema,uel dextra, uel sinistra,uel trecenaria,subsidiaria,reducta,quadrata, amphistomus,rhombus,& Macedonibus sacra. Equitum hodie alij, alterius nominis sunt societatis cuiusdam particularis, quales equites torquati sancti Michaelis, ex societate regis Galliæ, alij uelleris aurei a Philippo Burgundione duce introducti decima Ianuarij 1429. ut late tractat Meyerus libro 16.annal.Fland. alij Rhodienses,Theutonici, Templariorum,&c.

De armis militaribus. Cap. 5.

ARma ab armis, id est, humeris, ex quibus pendent, a Festo dicuntur, a Varrone ab arcendo hoste, quod magis placet, arcemus autem in uadendo, & propellendo. Armatura Romanæ Reipub. uaria est, alia ad protegendũ corpus, alia ad feriendum uel defendendum. Ad tegumentum pertinent corporis, Thorax, coriaceus, bubulus, scammatus ferro, a Cilicibus cilicius dictus: pectorale uocant plastre: subarmale, lorica cassis, capitis tegumentum silus apud Valturi. lib. 10. cap. 3. habens nasum seu rostrum summum sursum. Galea cristata iuxta conum; Buccula, hodie, la bauiere de la salade. Et ad tegendum utrinque omne corpus, clypeus, parma, pelta, scutũ lunatum, clypeocentrus, in libro utriusque imperij, in rebus bellicis, umbones, scutum, cætra, paruus clypeus Hispanicus, ancile, forsan rondelle, sarissa ænea tegumentum hominum ad obsidionem euntium ciuitatis, testudines, cochleæ, currus tecti, turres ligneæ, loricę. Ad pugnam pertinent, quibus pungitur, feritur, iacitur, hastæ, gladij, iacula. Hastilia diuersi sunt generis, quædam iaciuntur, quædam perpetuo tenentur & feriunt, quædam iaciuntur & retrahuntur. Iaciuntur ueruta plumbatæ, tribolatæ, plumbatæ mamillatæ equestre pilũ, pedestreve, spicula phalarita, hasta breuis, qua ignis ligatur, & ea iactata machinis subijcitur, cuius generis, breuiores tamẽ, iacula sunt, malleoli concaui. Quæ tenentur nec iaciuntur, hasta gallica, uelitaris λογχὴ lãcea uel gesa, sudes nostris, Rõphæa, quæ Thracica hasta, uostris pigne, furcæ, framea hasta, uel gladius longus rotundus, interdum in hostes proiectus, graues hastæ, conti perches longuesfans ferbami, crocz, possunt & annumerari clauæ, olim frequentis usus, masses d'armes, fustes, nunc pauli, baculi, hastę iactiles, quarũ quę retrahi possunt, dicuntur tragulæ, hastilia Hispanorũ, est & Catheia apud Valturinum lib. 10. cap. 4. eius generis. Equorum tegumenta, ephippia chalybea uel ferrea, & phalerę quas uocãt Bardes, capitalia quæ uocant caparassons, Gladius a clade Plinio mutata g in c. litera. Gladiorum uariæ formæ & nomina, machæra Gręcis, sica Latinis a secando, Gallis coutelas, & secespita etiam ensis alius, harpe falcatus & incurrus gladius, quo erat utrinque armatus currodrepanus, ut

patet ex figura eius in imperio utriusque orbis & apud Vegetium. Parazonium, gladius qui pendet à zona ut a clauibus clunadium, quia ibi pendet lingula, gladius uenatorius pertuisane:pugio,un poignard,a pungendo. Dolones sunt flagella,intra quorũ uirgas gladij,a dolo ita dicti:dolones quoque dici possunt enses longi & rotundi, nunc dicti Stoes, ut innuit Valturinus lib. 10.c.4. gopides,cultri recurui. Sunt & dolabrę,secures,acinacis,Persicus gladius, Curtio ĩ 6.de gest. Alexand.Cæterum ensis,mucro,spatha, pro eodem: etsi mucro aliàs sit summitas. Bipennis,utrinque scindens:utebantur quoque scalpris,ad occidendos Elephantes,ictibus inter collum & caput adactis:erant & Danicæ,coigenees longues,acutæ & scindentes: item & falces. Sunt & cuspides pieux Gallis. Arma quæ percutiunt eminus & iaciuntur sunt, cesti, fundarum lapides,acsides,claui genus,apud Virgi.7.æneid.Cestrophendo, sagitta missiis, spicula, sagittæ maioros cum ferro triangulari:sparus, telum recuruum minimum,rusticorũ. Rumex simile iaculum proximo, sed quod capitum, quòdque Gallis massue:erat & soliferreum omnino ferreum:arcus, balistæ:scorpiones,nunc arbalestes,quibus & tela,sagittas spiculatas & alias,& lapides mittimus: fundæ, quibus proiiciebant lapides & glandes,id est,plombees. Substernebantur & itineribus ad prohibendum equitatum, uel transitum uadi fluminis,taleæ, hamis ferreis transfixæ, stipites teretes, pręacuti & præusti,liliæ dicta murices, seu celca trapes & similia. In murorum porro expugnatione, instrumentis aliis fortioribus & armis usi,catapultis,balistis,trifacibus,uectibus,tolonibus,scalis,scambutis,pontibus,bombardis,cuniculis, arietibus, scorpionibus:addit Vuespergensis abbas in chronico, in secunda Mediolansium obsidione, mangos & cattos, adde & musculos ad deiiciendos & suffodiendos muros. At defendunt uineæ,ualli,plutei, loricæ ex cratibus, fossæ, stipites ex truncis arborum storiæ,nunc gabions,cerui,pinnę,aggeres,furcę ferreę ad deiiciendos muris conscendentes hostes. In portis cataractę,portes collices,treillisses,hersses,pontes pensilees, iique uarij,& tractiles. Contra impetum bombardarum & machinarum ignearum in muris,uel ponè muros,aggeres obijciuntur terræ, fimi, maximè culcitrarum, lanæ, & deiectis muris, sarissarij, grauisque armaturæ milites, scopetarij, dolia terra impleta, succedunt.

De signis militaribus. *Cap. 6.*

Signa in exercitu triplicia, uocalia, semiuocalia, muta. Vocalia sunt, uerba uel nomina, quibus utuntur qui circuunt excubias noctu, ut internoscantur, uel in prælio milites, dicimus, mot du guet. Semiuocalia sunt classicum, receptus. Muta sunt, uexilla, ueluti dracones, aquilæ, flammulæ, manipuli, &c. Item tesseræ. Atque in distantibus locis ignis accensus & lucernæ. Nam belli præsertim tempore, qui occanum accolunt, in uicinis tumulis lucernas pilis affixas locant, ac ubi ex hostis aduentu maior illustriorque res accidit, subito lucernas accendunt, clamoreque per agros & regiones significāt, hinc alii deinceps excipiunt, proximisque eodem modo signum edunt, atque sic celeriter ad omnes uicos & urbes fama perfertur, & agrestes, ciuesque aduersus hostem se armāt. Polydor. Virgil. lib. 25. histor. Angli. Scribit Liuius in 1. cum filius Tarquinius mandasset Romæ patri quid de Gabiis facturus esset, respondisse patrem non uoce, sed signo, pater namque nuncio, quia dubiæ fidei uidebatur, nihil uoce respōdit, sed ueluti deliberabundus in hortum ædium transit sequente nuncio, ibique inambulans, summa papauerum capita baculo decussit & interrogando expectandoque nuncium defessum, rediisse, & quæ uidisset narrasse, non latuisse autē filium consilium datum de præcipuis Gabinorum detruncandis. Signa muta militaria, pro nutu insignia habebant sculpta uel picta, qualia animalia, imagines, circuli. Congregationis autem signa, literaria, cohortium, aquilæ, equitum, dracones. Apud signa, erat asylum sacrum, ibi depositio fiebat partis dimidiæ rerum a militibus comparatarum, quæ omnibus debebatur, ut alacres uelut pro rebus suis, saltem signa tuerentur, ibi quoque decem folles uel marsupia, in quæ contribuebat tota legio, sepulturæ causa.

Vestimenta quædam castrensia. *Cap. 7.*

Paludamentum, chlamis, sagum, macrochæra, paragauda, campestre, lacerna, penula, ocreæ, perones, cingulum, baltheus.

De castrorum dispositione. *Cap.* 9.

IN castris,uallum,lorica duplex, in interiori, erant castrorũ munitiones,fossa,uestibulum,portę,una prętoria,uersus ca stra hostilia,ubi prętorium, quęstoria alia a dextris, exercitui hostili opposita,quintiana alia & decumana.In castris taber- nacula & tentoria distincta, sed ducum erant insigniora, uel tapetibus,uel sculpturis,picturis,tensionibus,pellibus, &c. In medio seu umbilico, signorum receptaculum, ubi tentoria erant ducum. Erat in castris prętorium, ubi pręcipuus militię degebat.Quęstorium ubi quęstoris tabernaculum,& pecunia rationalis:ubi & subadiuuę, actuarij, chartularij, exceptores. Erat & forum uenale in medio castrorum,sine tentorijs.Erat & templum castrorum,de quo & Herodia.in 5.meminit:sem per enim omnes nationes, aliquod numẽ in bellorum discri minibus adorarũt, & cultum aliquem religionis obseruarũt.

Munera quæ erant in castris. *Cap.* 9.

PRęfectus castrorum, Quæstor castrorum,metatores,meta rici,episcopi,stratores,magistrani,armaturarum pręfecti, tribuni,rectores, magister & pręfectus uehiculorũ, pręfectus sarcinalium iumentorum prępositi bastagiarum, officinato res, fabricenses armorum, lignatores, pabulatores, frumen tatores,aquatores: machinarij machinarum, scilicet obsidio nalium,scorpionum,onagrorum,arietum, heleopoleos. Erãt uigiles & custodes prętorij, quęstorij, ualli portarum. Tribu ni militaris officium, sacramento militari suas cohortes adi gere,illis iura reddere,exercere tyrones suos, suam cohortem in aciem educere, & statuere certo loco, uigilias & stationes curare,missionem suis dare,& sacramento soluere, carcerum custodiam habere, mitti a principibus cum suis ad aliquos ca piendos,exequi alias a principe impositas legationes,destina tos morti a principe occidere, dare symbolum uel tesseram militarem militibus suis, legatos extraneos in castra uenien tes ad principem deducere,in exequijs, & funere principis & imperatoris cineres ad tumulum deferre, uigilias circuire.

De instructa acie. Cap. 10.

EX militibus equites maxime usui sunt in planis, & unde quaque patentibus locis; pedites, in præruptis, montanis, & syluestribus, & custodia ciuitatum, oppidorum, & castellorum. Conueniunt autem interdum cum prælium cõferendum est, & instruendæ acies, quarum ordines uarij sunt & nomina, & formæ ex regionum uaria obseruatione, & pro locorum in quibus pugnandum est, commoditate uel incommoditate. Habet ut plerunq. exercitus tũc, ordines, principia & globos militares, acies duas antesignanorum & postsignanorum, ibi semper duces primi meliores: qui secundi, ultimi & postites: illi ut probe ducant, isti a tergo ut contineant milites in ordine. Constitutio totius multitudinis, phalanx, dicitur uel acies, cuius in seriem instructio, longitudo est. Prima pars uocatur facies, frons, os, iugum: posterior, latitudo: duarum partiũ quæ in fronte aciei, altera dicitur dextrũ, altera sinistrũ cornu, inter has & cauda. Ibi, post milites grauis armaturæ, pedites, statim uelites ordinantur: post uelites equites grauis armaturæ: uariantur tamen interdum, si necessitas exigat. Fortissimus omnium, est in dextro cornu: illi uirtute secundus, in sinistro. tertius in medio aciei, si per conua acies ita distinguatur. Siquidem alio modo cornu disponitur, ideo aliud cornu dicitur extremum, abruptum, circundãs, & acies alterius formæ esse potest, scilicet formæ cunei, forficis, rostri equini, serræ, testudinis, uel acies quadrata, orbiculata, directa execta, explicata, extensa, extenuata, obuersa, auersa, stataria, detracta loco, curuata, duplicata, attenuata, densata, constipata, oblonga, triangularis, linearis, comprehensa, arrecta, deducta, duplicis frontis, duplaris, antistomos, peristomos, inflexa, implexa, incurua & ita iuga & series uarient eius. Turbanturque hæ formæ quoque inter præliandum, pro occasione instantis uel fugientis, uel decedentis hostis, non secus ac in duello: quammobrem fiunt in ea declinationes, mutationes ordinum grauis armaturæ & uelitum & equitum, prout hosti ob sistendum; sic oportet duces sæpe iubere declinare milites, uel hastam uersus, id est, ad dexteram, uel in clypeum, id est, læuam. Et mutatur sæpe frons in tergum, & contra. Quod si condensata sit acies, & uiritim fieri mutatio

tio non possit, fit, conuersio, & tota acies simul se uertit, ut in naui fit; fiunt & ita uariæ euolutiones, ut Laconica, Macedonica, Chorica, uel Persica. Interdum enim mutant locū; interdum tantum uersa facie in tergum, tenent eundem locum; & interdum ordines mutant. Et quemadmodum sunt uariæ aciei in istis facies, sic & signorum uariæ nomenclaturæ, ut alia prima, secunda, postrema; in exercitu laureata, fixa, non fixu, euulsa, elata, promota, illata, ablata, conuersa, collata, recepta, expedita, turbata, infrequentia.

De acie iter agente. Cap. 11.

AVt exercitus alio pergit inter inimicos, uel pugnare expectat. In utroq; primum Deo hter & sacra peragat, ut ait in Hipparcho Xenoph. Si iter agat, deligat itinera suis copiis aptiora, optimos & fidos & peritos itinerumduces. semper ante præmittāt antesignanos, expeditos, exploratores, qui præuideant num insidiæ lateant. Dux, non omnibus, quādo, quo, & qua profecturus sit, explicet: sed insinuet secreto uel per se uel per præconem, centurionibus & decurionibus: recordetur in syluis & præruptis. pedites, equites superare posse, in planitie, pedites ab equitibus superari. Si uictui hostes, poterit uti stratagemate, uel eos allicere, Si caute ita ambulet ut pauciores sui uideantur quam sint, quod fiet si constipati incedant si ex equitibus pauci hastas tollant. Videbuntur autem plures esse, si ut palantes eant, si se diffundant, si hastas tollant, omnes: & noctu plures uidebuntur scopetarii, si restes in pergulas incensas ordine inserant, & ita unus quilibet instar multorum.

De exercitu pugnaturo. Cap. 12.

VBicunque exercitus sit, summopere uigiliæ & exploratores requiruntur, ne improuide ab hostibus circumueniatur. Ordinaturus aciem, ut monet Vegetius bro 3. capit. 14 obseruat solem, puluerem, uentum, sol ante eripit uisum, puluis oculos implet, uentus contrarius tua inflectit & deprimit tela, hostium adiuuat: nocet etiam pulueri pyrio uentus, & pluuia. Antequam in hostes milites dux educat, orationem ad filos habeat, de morte contemnenda, de præmio & ho-

honore uictoriæ, de officio in rempublicã. de principis bonitate, de iusta causa belli, de hostium iniuria, imbecillitate, timore, diuitiis conquirendis. Nõ prius pugnent milites, quã signum a duce acceperint. Signum hoc uel uocale, uel semiuocale, uel mutum ut diximus. Mutum fuit in pugna Macedonum & Achæorum, Illyriis certaminis inchoandi, cum primum ex locis quæ circa Olympum montem erant, ostensum linteum prospicerent. Magaloplitanis quoque atque equitibus signum ineundi prælij erat, cum primum a rege purpuream uestem erectam conspexissent. Polybius 2. histor.

De exercitu classico et armamentis eius. Cap. 13.

CLassis nautica uel in mari uel fluminibus ad tuendos limites, uel ad expugnãdos hostes; uel in statione, uel hyematione. In classe nauali, uiri necessarij, Præfectus seu Prætor, Trerarchi, Centuriones, Classiarij, Limenophylaces, dicetarci, id est, solo uictu contenti, naues custodientes, urinatores, scrutatores, utrarii, ductores triremium, remiges, socij nauales, decuriones remigum, uectores detorsores, & qui erant in collegio fabrorum. dendrophori, centonarij, dolabrarij, scalarii. Instrumenta & armamenta nauium, anchoræ, antennæ, uela, remulcus, hasta hamata ad trahendas naues, harpagones. scalæ, manicæ ferreæ, trullæ ferreæ, pontes, sublicìæ, cataractæ, lupis naualis, securis ad rumpendos rudentes & funes secreto nauium hostilium, sartagines, quibus ignis continebatur, alueoli, & rutra, quibus & alia arma addi possunt terrestrium militum, cum ad manus uenitur, uel iaculis pugnatur. Vtuntur autem potissimum nauales concertationes ignium artificialium ope & dolis; oleo incendiario, stupa, sulphure, bitumine, ardentibus sagittis seu ignitis additis, resina, pice, cera, pinguedine, nitro, camphora, & aliis ignis fomentis. Naues autem nauali bello deseruientes, prætoriæ ubi princeps: rostratæ, tectæ & non tectæ, longæ cum suis discriminibus, scilicet biremes, triremes, quadriremes &c. Liburnæ, celoces actuariæ, cursoriæ, speculatoriæ, tabellariæ, onerariæ, frumentariç, piscatoriæ, synedriç, schediæ, sublicìæ, epibates, myoparones. In pugna nauali instructa, rostratę fortioresq; naues opponuntur, aduersarius cingitur, uentus obseruatur ne contrarius, pellitur hostis alto mari ad litus, ne motus sit

celeri-

celeritas: utuntur assere uice arietis, trabe scilicet utrinque ferrata ad similitudinem antennę pendentis in malo nauis; utuntur & falcibus longissimis contis præfixis, quibus aduersariorum nauium funes colatorios, & suspensoria antennarum perfringunt: Bipennibus quoque, quibus dum immodico ardore pugnatur, interim nautæ, tacite aduersariorum nauium gubernacula scindunt, & inutiles naues reddunt, sicut & dolose interim urinatores sub aquis perforant easdem.

De cura & disciplina militari. Cap. 14.

QVatuor exercitui maxime necessaria, commeatus, bona ualetudo, scientia rei militaris, obediētia. Xenoph. lib. 1. Cyripęd. Commeatus respicit curam alimentorum, ut eorum gratia sint armenta, greges boum, arietum, panis, & similia, & ut in tuto impedimenta & sarcinæ sint militares. Sanitas optimis medicis & chirurgis conseruatur & habetur, & ex electione salubrium locorum in castris metandis. Scientia exercitio & disciplina comparatur: obedientia legibus retinetur.

De ducis optimi disciplina. Cap. 15.

DVx bonus, debet potissimum esse optimus miles, peritus in omnibus, potissimum in mathematicis disciplinis, saltem arithmetices, ut acies disponere possit, ut ait Plato li. 7. de repub. sine ordine & disciplina quoque, inutilis pedita tus apud Arist. 4. polit. cap. 13. maxime ad regionum inter stitia. Requiritur & in eo geometria, cosmographia, astrologia, ad magnitudinem dierum & noctium, solstitiaque internoscenda, & eclipses quę aliquando inscios exercitus perdiderunt & terruerunt, utque possit temporum qualitates, pluuias, serenitatem, lunę splendorem uel silentium eligere, quantum appareat eius lux, scire. Polybus in epito. libro. 9. in duce seu imperatore primum requirit, ut silentium seruet eorum que facturus est, consultet cum quib. oportet. 2. teneat diurna & nocturna itinera, terrestria & marina. 3. oportunitatem temporis ex circunstantiis cognoscat. 4. modos exequendi faciliores non contemnat; adde ut noscat hostis ingeniū, arma, indolem, modum pugnandi eius. Dehinc nihil in bel-

lo contemnendum, non fidendum vnquam. Diffidẽtia vrbes conseruat, confidentia perdit. Fortunæ quoque plurimũ tribuerunt in bellis antiqui ethnici, ut Aemilius Probus in Trasybulo, Cæsar lib.3. de bello gallico, Isocrates in Archidamo, Aeschinesoratio. παραφρεσβ Nos Deo, & diligentiæ, & prudẽtiæ. Prætor militaris operam nõ ludet, sed ei erit maximo cõmodo, si iubeat tubarum similes per omnes turmas esse uoces, si ictus quoq; tympanorum pares inter pedites, ne confusio oriatur: si enim omnes in acie æquè ordinem & discrimẽ uocum intelligant, consensu una pugnabunt, una mouebuntur & desistent, ut in remigando remiges obseruant, uoces gubernatoris.

De disciplina & exercitijs militaribus. *Cap. 16.*

MIlitem ita censet educandum Plato 2. & 3. de repud. ut canem, qui sit erga domesticos mitis, in extraneos ferox & atrox, illi gymnastica & musica arte utendum, ut musica efferatos animos temperet: gymnastica exercitatione, coroboret corpus: cursui exerceatur, ut in saliendo alacrior, & in alijs agilis: ut robur sibi acciat. consuescat uibrationi manuali lapidũ, iaculorum, ferri, luctæ. Sic armorum pondera facilius feret, & acrius feriet: assuescat ferendis dorso maximis ponderibus, ut discat dum opus erit longius iter protrahere, cõmeatũ secum deferre: natare quoque discat. Hoc enim illi maximè ex usu erit: discat arma quibus utatur pertractare, palestramque & gladiatoriã & hastariam artẽ: commodũ quoq; exercitium, assuscere ferre arma quibus uti debet, scopetarij, balistarij, & funditores, discant ad uocem ducis uel manipularij, omnes se in proprios ordines digerere, discant scopum securè pertingere, discant & uoces tubarum & tympani ictus. & seruare ordines. Polyenus lib.3. stratag. ait quòd Iphicrates suos milites exercebat, falsa cõsilia excogitans, falsas insidias, falsas proditiones, falsa ad hostes transfugia, falsas hostiũ irruptiones, falsos terrores panicos: ut semper aliquando si quid tale accideret, parati essent, nec ullo pacto permouerentur. Nunquam sinebat eos otiari aut cessare: sed etiam si bellum non esset, iubebat eos aliquid fodere, aut fossas ducere, aut arbores cædere, aut castra mouere, aut uasa colligere & trãsferre, tanquam in otio homines studere rebus nouis forè uelint.

diſciplina,& leges militares præcipue ſunt,quæ ad tria capita iuris referuntur,honeſte uiuere,alterum non lædere ſine iuſſu ducis præcipui,ius ſuum cuique conſeruare, & potiſſimum regi cui fidem ſuam obſtringunt,& ducibus ab eo propoſitis, quibus omnino obedire debent.Si quidem præcipuam partē militiæ in obediendo Plato ponebat,ut ait Plutar.in uitaGalbæ:alioquin nocerent ſibiip ſis milites,diuerſitate conſiliorū ut ſcribit Lact.de falſa relig.cap.3. atque hoc nominatim de obediendo ſacramento annexum militari, tradit Polyb.libr. 6.hiſt.ſicut & alia quoque iurabant ſacramento militari milites,quæ latius explicantur in ſacramenti formula,quam exigebat a ſuis militibus Carol.V.Imp.Maxim.in eius politia,apud Iuſti.Goblerium Guarinum in ca.5.& 6.politiæ, quæ ibi uideto, de quibus etiam forſan,ſi Deus uoluerit, in epitome noſtra iuris,dum agemus de re militari explicabimus, ne ſyntaxes ultra quam par ſit,in commentaria conuertamus. Atq; interim de legibus militaribus quibuſdam,legendus Guil.Bellaius eques torquatus,lib.3.*des inſtructions de la guerre*.c.3.De quibuſdam alijs.Aurel. Imp.apud Flauium Vopiſcum in eius uita.Sunt & aliæ latius,apud Iuſtin.in lib.de legib. militarib. græce ſcripto.

De muneribus militum ſtrenuorum. Cap. 17.

FVerunt militibus datæ coronæ caſtrēſes,ciuicæ, murales, obſidionales,ouales,nauales, aureæ, de quibus uidendus Pli.li.21.c.3.& li.16.c.4.Aul.Gel.lib.5.ca.5. Flauius Blondus de Roma triumph.li.6.Volaterr.li.26.philolog.Polyd.Verg. li.2.de inuento.rer.c.17.Volphangus Lazius li.9.comm.reip. Rom.c.19.Claud.in panegyr.Olibrij.Demoſth.paſſim contra Creſiphontem,& de corona.donabantur cornibus argenteis, unde cornicularij dicti:torque,unde torquati:rude, ſeu bacnlo,unde rutharii:baltheo,monozonij dicti:immunitate vnde ueterani.

De triumphis. Cap. 18.

TRiumphaſſe primum traditur Dionyſius, Liber pater dictus,Diodor. in 5.& 6 plin.li.7.c.56.Triumphus duplex olim,magnus,& oualis,magnus fiebat ingrediente ciuitatē ui-

uictore,hostib. profligatis ut & manu,perlatis nominib.& simulachris urbium,& castellorum subactorum,concom taute præda,& captiuis,designante senatu,cum magno sacrificio. Ouationis autem cum tantum lætitia publica excipiebatur, qui uicerat hostes,sine sanguine. De utroque Plutarc. late in vita Marcel.uidendus,& Pli. lib 5.c.5.Liu.libr.1.decad.4.Magnus quoque & postea decretus uictoribus sine sanguine,á senatu P.Cornelio,& M.Bæbio Coss Liu.li. 10.decad. 4.Lata dehinc& lex triumphalis,ut non triumpharet nisi qui quinque milia hostium una acie cecidisset: huic accessit firma alia lex M.Catonis,& Lxl.Marij,de quibus Val.Max.lib.2.c.3. de prima quoque Paul,Orosius,lib.5.c. 2. Triumphatum postea ob ciues seruatos,coronaq. triumphalis primum laurea, dehinc aurea illis data,unde aurum coronarium.Gel.li.5.c.6.Diony. Halic.in 3 porro ordinem, & modum triumphantiũ describit Alex.ab Alex.li 6.genial.dierum,c.6.Cęsaris triumphum, unde alios colligere licet,depingit Dion.Cassius li.43. & 37. Alia plura Polyd.Verg.lib.de inuent.rer.c.16:

De pœnis militaribus. *Cap.* 19.

POenæ militares,maiores,& minores erant;Maiores, ut decumatio,uicesimatio militum. Cũ plures.n.deliquissent, propriam pœnam militarem esse, per subsortitionem in paucos animaduertere,tradit Cic.pro Aul.Cluent. quod nõ porrigendum ad urbicas castigationes docet. Erat & securis percussio,sureptio ad crucem,& ad palum,hodie inter hastas trãsitio,scopetatio,exposito delinquente pro scopo militũ ictib. manuum & olim abscissio, fustigatio usque ad interitum, e rupib.præcipitatio,membrorum in partes distractio,ut inMetio Suffetio,capitis detruncatio, & similes pro modo delictorum pœnæ.Minores & his leuiores,exauthoratio,cinguli adẽptio,admonitio per pugillares,mutatio ordinis,aut tentorij, ab hybernis exclusio,cibum stando capere,hastæ,equi,tunicæ ademptio,distinctio,seu exauthoratio, stando ante prætoriũ, cespitem ferre.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXV.

In quo agitur de nauigatione.

De nauigandi inuentione. *Cap.* I.

NAuigare nihil aliud est, quam nauem agere.i. arte nauem regere, inter aquarum fluctus. Materia circa quam uersatur ars, est aqua, & nauis: forma aut modus nauigandi, præcepta continet bene ducendi, & conseruandi naues & bene, & sine periculo nauigandi. Nō.n.a nauigio nauta, uel gubernator dicitur, sed ab ipsa arte gubernādi, ut ait Plat.1.de repub. Quæ quidem ex obseruatione, & cōplurium iactura, & damno, tandem a rudib.initiis, ad artē peruenit. Nam ut ut ait Max. Tyrius ser.40. nauticæ artis inuentio hunc progressum habuit, & initium. Homines, qui nunquam uiderant nauem, externa commercia adamantes, utilitatis, interdum necessitatis stimulis acti, cum circūscriptos se crederent a mari, anatem uiderunt auem ex aere delapsam: uiderunt præterea ponderosum aliquod corpus leniter super aquas deferri: aut arborē quam fluuius traxisset. Forte etiam aut aliquis, ut fert casus, cum mergeretur inuitus, ac cogeretur membra iactare, eorū artificio enatauit, aut etiā libens ludensq. natationem ipsam tentauit: hos singulos casus peritia colligens, atque horum collectione qui nauigationem meditatus, primum ineptum aliquod atque informe uehiculū cōstruxit, e materia leui, ut est ratium forma, ex colligatis permultis lignis rudibus compactum. Paulo post sensus adaucta

ratiocinatione procedens, ac sapientior effectus, uehiculum cauuum inuenit, quod impelleretur a remis, uelisque suspensum ferretur a uentis, temone ad rectitudinem cursus regeretur: atq; huic uitam, & salutem suam commisit gubernatoris scientiæ duntaxat confisus. Impulit animum ad nauigandum & nauigationem instituendam uidendi, & habendi libido: ad cautionem autem, periculorũ quotidiana exempla. Prior causa curiositatis plena est, altera potuit & necessitatis, & utilitatis, & commerciorum occasio, ut quibus egeremus cũ ijs quibus abundamus, permutatio fieret. Sine commerciis.n. uix potest esse, uel subsistere ciuitas, uel respublica, ut ait Plat. li. 2 de repub. Alber. lib. 5. de re ædific. c. 12. Sic ut ait Hor. i. epist. epist. 1.

Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Et ita inter spem lucri, & metum periculi nauis agitur. Quod exprimit idem Hor. li. i. car. i. od. i.

Luctantem Icareis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & opidi
Laudat rura sui, mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

Quamobrem qui nauigãt, ut dicebat Bias, nec inter uiuos, nec inter mortuos annumerandi sunt, tanquam dubiæ uitæ, ut refert Xenocrates Platonicus lib. de morte. Nam spes quidem, uiuendi quandam umbram conseruat, at metus proximior morti est uita ipsa: quanta enim, ut dicebat Anacharsis, spissitudo tabularum nauis, tantum distat solummodo a morte, qui ibi est, nempe quatuor digitorum gradu. Et Horatius rursum, ode 3. lib. i. uidetur hos, ut desperatæ salutis, notare, dum ait,

Ille robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem,
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus;

Nec tristes Hyadas,nec rabiem Noti,
Maior,tollere.seu ponere uult freta;
Quem mortis timuit gradum,&c.

Pli.quoque li.19.in proœ. summam dixit audaciam nauigationem,& iniuriam humanæ,naturæ, quo peruenire nulla execratio sufficiat contra inuentorem.cui non fuerit satis hominem in terra mori,nisi periret,& insepultus.Nauiũ sic primarius usus est,ut te tuaque transuehant: Proximus ut bello subministrent opem; tertius ut uoluptatis illecebras communicent,quartus ut citius mori possis, uel de uitæ salutæ desperare lubentius.

De aqua nauigabili. Cap. 1.

NOn omnes aquę nauigiis idoneæ sunt,alię propterea q̃d nimium rapido impetu ferantur,quo naues in scopulos inuitę ferrentur;alię,quę uorticibus plenę, turbine deglutiũt nauigia,in abyssum quandam omnia conuoluentes, & deturbantes:alię,quia palustres sunt,usque adeo ut herbis implexis & arenulis,limosisque aggeribus,& palis, & tumulis,retia trãseuntibus nauibus obiiciant.inhabiles item illę quæ non nisi solius hominis pondus nauigio ferant, ut in Æthiopia circa capita Nili fluminis contingere tradit Sen.6.nat. quęst. Nec fluminum limpidorum undę,tum quia tenues, tum etiã quia non profundos habeant alueos,patiuntur onerari sese ponderibus magnarum nauium,quemadmodum marinæ, quę crassæ & densę,onera maiora perferunt.Neque etiam aquę, quæ per se sunt nauigabiles,omni tempore tutam præbent nauigationem.Nam quædam flumina,quidam sinus & tractus, certis quibusdam proprijs tempestatibus infestantur,& statis tẽporibus sæuiunt,ut tunc naues sine ingenti periculo non admittant.Sic & Vegetius lib.4.de re mil.ca.39. Ex die,inquit, tertio iduum Nouembris,usque ad diem sextum iduum Martii,maria clauduntur;Nam lux minima,noxque prolixa, nubium densitas,aeris obscuritas,uentorum,imbrium,uel niuiũ geminata sæuitia,non solum classes a pelago, sed etiam commeantes a terrestri itinere deturbant, &c. Refert Damianus Goes,eques Lusitanus,lib.de moribus, fide, & religione Aethiopum,portum esse quem dicunt Aquaticum, sub ditione preciosi Iohannis,quem dicunt presbyterum Iohannem,qui

agitetur cum plaga illa tota, uentorum ualde graui tempesta te per sex menses ex uno cæli climate, illis ipsis per alios sex menses ex aduerso spirantibus, miro naturæ arcano. Gelātur & flumina, quo tempore non patet in illa aditus nauibus, qui nimo si delegante glacie intercipiantur, arietantibus frustis ui ponderis impacti naues quatiuntur, soluunturq; & allidun tur. Est & mare concretum aliquando, ut ea parte qua naui- gatur à Nerigo in Thulem insulam. Plin. lib. 4. cap. 16.

De periculis nauigationum. Cap. 3.

QVi nauigant mare, enarrant eius pericula, Eccle. c. 43. Et qui descendunt mare in nauibus, & faciunt operationes in aquis, multis, ipsi uiderunt opera Domini, & mirabilia quæ facit in profundo, &c. psal. 106. Contingunt autem pe ricula uel uoluntate diuina, uel ratione loci, uel repētina cau sa, uel ui cęli, uel imperitia naucleri. Voluntate Dei, ueluti nt cōstans elt opinio, si cum impijs nauigatio fit. Videtur enim mare, quod quotidie quisquilias & sordes à se ad littus pellit, quodammodo & impiorum impatiens, uomitionibus illis monere impietatem hominum nauigantium, ut temerariā, displicere Deo. Ideo & Lucretius lib. 2. de rer. natu. naufragia sectari in litus credit, quòd nulla sit conciliatio homini cum tam terribili motu, atque ut uideantur & iudicium mortalibus edant, infidi maris insidias, uiresq;, dolumque, ut uita re uelint: nec ullo tempore credant, subdola cum ridet palli- di pellatia ponti. Deus quoque maris potestati dominatus, & motus eius mitigat, ponit & tollit pro nutu, & conturbat, & feruere facit fundum eius, ueluti ollam. Iob 41. psal. 64. & 88. Isaiæ 51. Ierem. 31. Aggæi 2. Matth. 4. Lucæ 8. Legimus celebre exemplum Ionæ c. 2. Ion. dum ob eius contumaciam & fugam, cum relicta iniuncta Niniuitarum prædicatione, nauigaret in Tharsim, periclitatam totam nauim sublatis in cæ lum undis, & commotis undequaque procellis, quæ nō quieuerunt, donec peccatore detecto, is a naui tanquam malum, proiectus in mare fuit. Innuit & Xenophon libr. 8. Cyripæ. non esse nauigandum cum impijs, dum ait, At Cyrus suorum pietatem sibi conducere arbitrabatur: quippè qui putaret, quemadmodum qui nauigationem eligunt, cum pijs potius eligere solent, quàm cum his hominibus, qui impie uideren-

tur perpetrasse. Sic barbari Melitenses, postquam ad eos naufragus D. Paulus appulit, ut uiderant uiperã pendentẽ de manu eius, adinuicem dicebãt, utique homicida est homo, quẽ, hic cum euaserit de mari, ultio non sinit uiuere. Et ille quidẽ excutiens bestiam in ignem nihil mali passus est, actuũ Apostol. c. 28. Quod certè obseruandum esset, si electio nauigantium bonorùm & malorum offerretur: at cũ rara sit auis nauta bonus, nisi quando instat tempestas, si quidem, ut Plato in Phædro, in nauibus educati illiberales & mali: si necessitas impellat, non ualde timenda in urgentibus malorum societas si boni simus: ut enim mali iram Dei concitant, sic & unus bonus potest esse pluribus causa salutis, iram Dei placando. Ratione autẽ loci offeruntur plura pericula, quæ peritus gubernator satagit deuitare, ut cautes, silices, montes, arenæ, scyllæ, charybdes, sunt uertigines quæ repanda trahunt & absorbẽt mari quieto nauigia subitò, cuius rei uidebis rationẽ apud Aristotel. proble. sect. 23. q. 5. Alia pericula pleraque numerat Pollux lib. 1. c. 9. quædam Rauisius Textor in officina c. de periculis marinis. Repentina pericula, prestes, ecnephias, typhõ seu turbo, uenti repentini & ualidi, Plin. lib. 2. c. 8. Irẽ quando echeneis pisciculus nauẽ remoratur, dictus ideo remora: reddit enim immobilẽ, ut allidi possit fluctibus, de cuius pisciculi ui Plin. li. 9. c. 25. & lib. 32. c. 1. Arist. lib. 2. de histor. animal. c. 14. Carda. lib. 7. de rer. uariet. ca. 37. Belonus de piscibus, Occurrunt & interdũ subuertunt nauigia, balenæ: & in glaciali mari circa Islandiã insulã, animalia ex Physatorum genere, aquas fistula quasi tuba supra se eiaculantia, nisi terreãtur bõbardis & tubis, uel illis illudatur doliis uacuis in mare missis. Vi cęli, uentorũ impetus emergunt, tempestates, maris sęuitia, si in scopulos feratur nauis. Ex imperitia, si ignoret nauta locorũ itinera, pericula mariũ, naturã, æstus, & alia quæ artis sunt. Si nimium oneret nauem quæ ideo submergatur, si one retur nec uelis sustineatur nauis. Ex segnitia, si rima, obducta casu uel tẽpestate, admittens aquã, cito non occurrant nautę stupa, xylo, seu cotto, aliisque romentis. Nauis uetusta dignoscitur stridore, pice, lignisq; cariosis, si aquæ nõ exhauriantur immissæ. In summa pericula sunt aut ipsa ex naui, aut extrinsecus importabuntur. Extrinseca sunt, undarũ uis, uẽtorũ moles, scopuli, syrtisq; incursus. Quæ oĩa rerũ maritimarũ & locorum, uentorumque cognitione & peritia satis maturè uitabuntur.

tabuntur. Innata uitia facient, aut lineamenta, aut materia, quibus & prouidendũ est. Leo Bap. Alb. lib. 5. c. 12.

De nauibus. *Cap.* 4.

NAuigatur ratibus, & nauibus. In initio tantum ratibus, idest connexis trabibus, ut dixi iam ex Maximo Tyrio, & docet Plin. lib. 7. c. 56. ubi de inuentione longæ nauis, bire mis, triremis, quadriremis, quinqueremis, & sex ordinũ, & decem, & duodecim, quindecim, triginta, quinquaginta. De oneraria, cymba, celoci, cercuro. Et de inuentione uelorũ, mali, antennę, de tectis longis, de rostratis, anchora, bidente, har pagone, manu & alijs adminiculis. Nauium materia ligna, ut plerunque, sed deformationis alterius quam ratibus conueniat. Fuerunt & olim naues ex corio constructæ, & ex ligno, ut Pli. refert li. 4. c. 16. Britannos utilibus nauigiis corio circunsutis, nauigare ad insulam Mictim, sex dierum nauigatione distantem, in qua candidum plumbum prouenit. Repetit li. 7. c. 56. ubi addit, & in Nilo fieri ex papyro scilicet arbore, scripto, & arundine. Herodotus quoque in 1. tradit nauigia eorum qui per flumen commeant Babylonem, esse orbiculata & coriacea, quæ pecuarii Armenii qui supra Assyrios incolunt, ex cæsis salicibus faciunt, instruuntq. pellibus, nudo illatum extrinsecus posito in modum soli: neque puppe discreta, neque prora acuminata, sed in speciem clypei magis orbiculata. Materia expetita nauigijs diuersa, sed maxime abies: quare & illa ueluti materia fugiens uidetur, montes altos incolere, ut ait Pli. li. 16. c. 10. In Ægypto & Syria, reges abietis inopia, cedro feruntur usi, Pli. li. 16. c. 30. uerum circa Nilum, spino arbore ad naues usos, docet Herod. li. 2. ubi de more, & arte nauigandi eorum. In Tylo insula, comites Alexandri Magni prodiderunt, arbores esse ex quibus naues fierent, quæ du centis annis, etsi mergerentur, durant & incorruptæ. Pl. li. 17. c. 41. At si credamus Pli. li. 9. c. 10. in insulis circa mare rubrũ in India nauigatur cymbis, ex singulis testudinum superficie bus. Asseres lignei, clauis compingũtur, pice, resina, & cera, ne commissuræ admittant aquam. Cæterũ nauis aliquãdo unius arboris corpore constat excauato; ut in Germania, prædones singulis arboribus cauatis nauigant. Plinius li. 16. cap. 40. Leo Baptista Albertus lib. 5. de re ædific. c. 12. nauium fabricandarum

rum rationem & liniamenta a piscibus, architectos antiquos sumpsisse tradit, ut quod in pisce dorsum sit, in nauim sit carina: quod illi caput, huic prora: tum & pro cauda, temon: & pro remis brancæ & aliculæ. Refert & Plinius libr. 19. capitulo 29. inter præcipua miracula esse, quod piscis qui uocatur Namtilos, ab aliis Pompilos, supinus in summa æquorum peruenit, ita se paulatim subrigens, ut emissa omni per fistulam aqua, uelut exoneratus sentina, facilè nauiget, postea prima duo brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit. Qua uelificante in aura, cæteris subremigans bracchijs, media cauda ut gubernaculo, se regit: ita uadit alto liburnicarum ludens imagine: & si quid pauoris interueniat, hausta se mergens aqua.

De nauium distinctionibus. *Cap. 5.*

IVlius Pollux lib. 1. onomasti. c. 9. uarias adfert nauium species & nomina. Marcellus Iurisc. libr. 49 ff. titulo de captiuis, & postliminio, reuersis ab hostibus, l. 2. naues diuidit in longas & onerarias propter belli usum paratas, piscatorias, actuarias. Leo baptista lib. 5. de re ædifica. c. 12. in duo diuidit genera, in onerarias & fugaces, & ibi de ratione componendarum nauium longarum & onerariarum, & in lib. proprio eiusdem, qui nauis inscribitur. Phocenses primi longis nauibus usi feruntur apud Herodotum in 1. uerum ad Iasonem refert Philostephanus apud Plin. in 7. Diodor. Siculus in 5. Sed & alij inuentores aliarum feruntur, quod non magni interest præscire. Longæ naues egent remis, uel pluribus uel paucioribus: horum diuersi ordines, inde biremes, liburnicæ erant, triremes, quinqueremes &c. Inter maxima nauigia Ptolemæi Philadel. Athenæus lib. 5. c. 5. memorat & trigintiremes, & c. 6. meminit de quadragintaremi naue, Philopatris, longitudinis 280. cubitorum, altitudinis 40. cum quatuor gubernaculis, triginta cubitorum, cum duabus proris & duabus puppibus &c. Meminit & de thalamago fluuiali nauigio, cuius longitudo dimidij stadij, latitudo triginta cubitis amplior, altitudo ferè 50. cubitorum. & c. 7. describit nauē Hieronis. Illæque erant tectæ uel constratæ, & militares rostratæ turritę &c. Onerarię naues Polybio in 1. φορτηγοί. Appianus 1 5. de bellis ciuilib. uocat ὁλκάδας & itē σκευοφόρυς γαυλέυς

Iulius

Iulius Cęsar graues, nempe quòd oneribus ferendis idoneę sint. sine remis, tot nominibus ferè distinctę, quod sunt earũ diuersa onera: ita quę frumenta gerunt, frumentarię σιτηγοὶ: nauis uini, uinaria: Venetijs aquaria. Sunt itaque lignarię, arenarię, lateritię, farinarię, carbonarię, fenarię, alięque id genus ab eo dictę quod ferunt. Piscatorię naues erunt, quę capiendorum piscium causa parantur, tales nauicellę, cymba, lenunculi piscatorij, Marcellino lib. 14. & 16. Cęsari commẽtario. libr. 2. ubi & pro scaphis nauium. actuariæ ideo dictæ, quod remis agerentur, non tamen ideo inter longas numerantur. Erant & uectoriæ, grauiaque nauigia, exercitoria, ad onera inhabilia, fluminibus traiiciendis conuenientia, non mari idonea, ut longæ naues. Erant hę ἐπιβάδες erant acatia, leuia nauigia, quæ uix uiginti quinque recipiant uectores. Inter fluuiales naues, lembus qui non plus, quàm sexdecim remis agitur. Erant & maiores lembi ad usum belli non inutiles. huius generis quoque exploratoriæ naues, catascopia, celetes, uel celoces, naues uno remige motæ. Referimus huc ἁλιάδα, nauiculã paruam, talis enim est ἁλιάς. Fluuiales quoque erant monoxylę seu unius ligni excauati, lintres, scapha seu nunc batelet, bac. Cymba, rates, schedia. Sunt nauium & & genera dicta κοντωτά quod cõtis propellerentur. Diod. Siculo lib. 19. Nauigiolum duorum scalmorum. Veneti gondulam dicunt. Alia nauium nomina, quæ ad superiores pertinẽt species, refert Gellius lib. 10. cap. 25. pręter ea quæ retulimus coruitas, caudicas, hippagines, cercuros, oxias, remunculos, prosumias uel gesoretas, orioles, cattas, pontones, mictirias, medias, phaselos, parones, myoparones, capulica, maraplacidas, cidara, ratarias, alia quoque nauigiorum genera explicat Ioan. Rauisius Textor in offici. cap. de nauigio. diuerso. generibus.

Nauium partes. Cap. 6.

SCalmus, circa quem alligantur remi hyposcalmos scalmi basis, latera seu pleuræ nauis dextrum, sinistrumque nauis. Iulius Pollux. Cariua seu δρόφις fundamentũ & nauis alueus, δρύοχον Venetis la colombe. Carina quo latior erit, eo põderum erit tolerantior. Carina extenuata & reducta, uelocior. Sed nisi indideris plurimum saburrę uacillabit: ampla, aptior

ua-

uadosis : gracili alto mari securior. Costa nauis, dicitur nobis les courbes . Sentina, ubi congregantur aquæ Fori seu ἐδώλια, tabulata quibus circa nauem feruntur nautæ. Puppis pars posterior nauis, quam Græci dicunt ωρύμναν, ubi sedet qui clauũ tenet, qui regit & inhibet remiges, in ea parte ponebant λαχνῆρα, lumina, uocant nunc, phanon Qui huic parti imperabat, Iulio. Polluci gubernator. Prora opposita puppi, anterior nauis pars: prora & latura celsa. aduersus impetentes fluctus peruicacia, sed uentis ualidiorib. perninc ũtur. Qui ibi imperat, πρωράτης Iulio Polluci, & Xenophõti πρωρεύς, & qui sociis naualibus impetat, κελουσις; qui lateri, τοίχαρχος, & foro, ἐσχαρους. Crostolia, extreme nauis partes, quæ facile euellebantur, dum collibitum esset. Antennæ, κεραία, antẽnarũ extremæ partes cornua, quib. uela suspensa. Malus, Græcis ἱςὺς, cuius partes ex Macrobio in 5. Saturnal. Is inferiorẽ eius mali partem, pternam dicit, mediam τράχηλον, summam uero carchesium, inde mali utrunque latus cornua. Est & in malo corbis. Sunt aliquibus nauibus, & duo & tres mali, uela autem magnitudine malis respondent. Artemon uelum malis maius, uulgo quoque artimon. Minus uelum, dolo. Græcis δόλων. Velum a tergo existens quod ἐπίδρομος, pars ueli quæ pendens in naues alligatur, & relaxatur quando oportet, dicitur pes, Græcis πούς. Transtra, in naui sedilia, ubi sedebant remiges, ἐπωτὶς, pars proræ quæ utrinq; stat ad latus rostri Erat & in liburnica θρᾶνος, unde θρανῖται, ζυγὸς, unde ζυγῖται remiges: Talamus in altera parte nauis. Pertinet ad naues deinceps calos, rudentes, seu funes, quib. uela suspenduntur ora, prymnesia, parasemon, signũ uel infinita alicuius Dei uel turres, rostrum, simplex uel trideni in prora: clauus, gubernacula, anchora.

De instrumentis nauticis. *Cap. 7.*

INstrumenta nautica enumerat Iulius Pollux lib.10.c.30 & sunt ueluti remi, conti, remiges, anchora, urinatores, rudẽtes, rostra, pali tonsillę, turres, pontes, aliaque armamenta.

De preceptis optime nauigandi generaliter. *Cap. 8.*

PRimum, naucleus cognoscat marium locorumq; quæ nauigare decreuit, diuersitatem, eorumq; itinera, & situs ex

qua-

quadrato nautico 2. nouerit tempestatum præcognitionem: 3. uentorum discrimina. 4. nouerit Solis & Lunæ uarios cursus, & aspectus, & quarundam stellarum ortus & occasus.

De marium natura & itineribus. Cap. 9.

DE marium distinctione, & reciprocatione & æstu diximus in li. de elementis, c. 38. Quamobrem nec plura addam, prȩterquam consulendum esse nautis libellū Petri Garciæ Ferrandi, qui cōposuit librū uulgari sermone Gallico impressum Pictuarij per Ioanē Marnef olim, *le grande routier, pilotage & anchrage demer.* In quo itinera, interstitia, portus, pericula, cautes, arenas, æstus & recessus separatim tractat maris, fluminum, portuum, Alemanię, Galliæ, Britanniæ, Anglię, Hispaniæ, & a quibus quisque naucletus cauere debeat, & ubi diligentius sibi prospiciendum sit. Opē ferent, in aliis cognitio geographiæ, ex tabulis Ptolomæi, ex libris Dionysij de situ orbis, Strabonis, Pomponii Melę, Pij pōtif. Max. Solini, & aliorum. iuuabit & potissimum globus Orontij Finei, Petierii, & charta dicta nautica, itinerarium Antonini. Videndus & P. de Medino li. 3 de arte nauigandi, ubi & uentos explicat chartæ marinæ, usumque eius, modum eligendi & annotandi loca, a quibus subdicenda nauis nauclero, & in quæ ire decreuit itineris intercapedinem, & alia necessaria.

De pyxide nautica seu uersoria. Cap. 10.

PRæcipuum quod obseruant nautæ, uersoria est, ad quam nauigationem instituunt, ac longa maris spatia, locorūq; situm ac distantiā dimetiuntur, quantumq; uię peractū quantumue peragendum; ut explicat Leuinius Lemnius li. 3. de occult. rer. mirac. cap. 4. huius uersoriæ, hæc sit descriptio. primū ē pyxidula bene æquata, & excauata. Subest huic pyxidulæ, rotula quædā uersatilis papyracea, plana circinnatæ rotūditatis, tenui ac bipartito ferramento suffulta, in cuius centro seu medio, curricula ænea acuminata (nam ferrum rei eff &t m eo loco impediret) affixa est, quæ stilo aut cuspidi acutissimæ insidet, eo quæ hinc inde in æquilibro uoluitur, atque ubi conquiescit pars ea quæ lilii imagine inscripta est, & in qua ferramentum magnete confricatum desinit, stabiliter Septen-

ptentrioni obuoluitur, polumq; arcticum spectat, quocunq; etiam contorto clauo nauis impellitur, producuntur autem in huius rotulæ circulo a centro ad circumferentiam æquali distantia duæ ac triginta lineę, quæ & uentos & cæli cardines designant, terræq; ac maris spatia portubus distincta cōmonstrant, si ad gradus ad quos terminant: recurras, prout in figura quadrati nautici c 25. libri nostri de elementis uidebis; atque numeratis reuolutisq; clepsydris, aut ut nunc usus est defluente arena, clepsammis, quantum itineris emensum est, & quid emetiendum, quantoque interuallo a loco quo psoperant, absint, exactissime dinumerant ac metiuntur. Quod regit, in hoc utilissimo instrumento quadratone nautico, acus est seu lingua tacta a magnete, qui eam dirigit ad polum arcticum, tantæ subtilitatis & industriæ, ut summa cura sit ibi adhibenda, ne fallamur ob errorem eius. Error autem circa uersoriam sex modis accidere potest, & totidem emēdari potest. Docet Petrus de Medino in 6, libr. art. nauigatorię cap. 1 In summa prospiciendum ut index cynosuræ, uel lingua, sit satis adfricata magneti, ne uirtus difflata sit, cui uitio lapidis magnetis admotio remedium adfert, ideoq; magnetē nauita deferre secum debet optimum. Secundo cauendum ne mucro uel hastula lingulam deferens tortuosa sit, aciesue obtusa, sed recta & optime quadrato consentiens. Item ne pyxis admittat aerem, rimisue scateat, ne exhaletur uis magnetis, addendum ne allio cæpisue proximetur, hæc enim magnetis uim cohibent, ut ait Ptolo. li. 1. operis quadripartiti: cap. 4.

De nauium gubernaculo. *Cap.* 11.

GVbernaculum paruum, in extremo nauis seu in puppi, tantas habet uires, ut ab exiguo temone tanta nauigii agatur moles: cuius rationem adfert Aristoteles in quæstio. mechani. q. 5, atque quæst. 6. & de remorum ui, & cur palmulę remorum, nauem ita impellunt, & cur remiges qui in medio sunt, eam mouent maxime.

De tempestatum præcognitione & sedatione. *Cap.* 12.

LAudat Typhin percelebrem argo nauis nauclerum Apollonius Rhodius libr. 1. Argonautic. quod prænosceret tem-

tempeſtates maris & itinera, hoc modo.

Τῖφυς δ᾽ Ἀγνιάδης, Σιφαέα κάλλιπε δῆμον
Θεσπιέων, ἐσθλὸς μὲν ὀρινόμενον προδαῆναι
Κῦμ᾽ ἁλὸς εὐρείης, ἐσθλὸς δ᾽ ἀνέμοιο θυέλλας
Καὶ πλόον ἠελίῳ τε καὶ ἀστέρι τεκμήρασθαι.

Id eſt, Tiphys autem Agniades, Siphæum reliquit populum Theſpienſium, egregius quidem turbatum prouidere fluctum malis lati, adeoque uenti procellas, ſimul nauigationē a Sole & aſtris coniectare. Pluuiarum quædam præſagia & tēpeſtatum, ex nubibus dum ageremus de aere in lib. de elementis tradidimus: item & terræmotus prognoſtica. dum de terra. Et plura apud Aratum in Phænomenis, Virgilium in Georgicis, & Plinium. Præſagiunt item maris ſeuitiam, echini, Plinius lib 9. c. 30. pluuias, tempeſtates aere ſereno ſtellæ ſcintillantes, & ſi illarum lumen ſubito obnubiletur, & arcus duplices cæli potiſſimum a meridie apparentes; nam ſi ab occidente, præſagiunt tonitrua cum leui pluuia; ſi ab oriente; ſerenum tempus. Luna recta quarto die, magnam tempeſtatē indicat mari: ſi coronam circa ſe habeat, ſerenitatem: in plenilunio pura, ſerenum; rutila, uentos. nigra, imbres, in quinta luna, cornua obtuſa pluuiam: erecta, uentos: Septentrionales cornu acuminatum, ex ea parte uentum prēſangiunt, &c. ut apud Plin. lib. 18. c. 35. Mare turbatum tranquillari putant oleo. Plin. lib. 2. c. 103. Narrat idem lib. 37. c. 10. Chelonitidē gemmam, quæ ſit aureis guttis, cum ſcarabeo dictam in aquam feruentem, tempeſtates auertere, & alia quæ gloſſopetra dicitur, uentos comprimi. Item tempeſtates abigi, muliere uel menſtruoſa uel ſine menſtruis connudata, Plin. lib. 28. c. 7. Si quando tempeſtas exiſtit, imperiti nauigationū iubent ad terram curſum dirigere, at gubernator quam longiſſime in altum refugit. Nam in alto nauem periiſſe cognitu rariſſimum eſt, uerum iuxta littora quæ ſub promontoriis ſunt, naufragia cernuntur. Dion Pruſæus Sophiſta lib.

De uentorum obſeruatione. Cap. 13.

De uentorum diuerſitate & naturis, diximus etiam libr. de elementis a capite 24. uſque ad c. 32. Contra uentorum impetum, uel a deprimuntur, quia quanto antenna ſublimior fuerit ab hypomochlio qui ſedes mali eſt, celerius feruntur

guntur nauigia, secundum Aristot. in quęst. mechani. q. 6. ut periculum immineat concitatis uentis, ne præceps feratur nauis in scopulos, uel subuertatur a uẽtis, aliter enim ars nautæ nihil potest contra hanc uim cęlestem, ut explicat Plutar. de tranquillia ani.

De obseruandis in Sole, Luna, stellis, & cælo. Cap. 14.

HÆc nauta scire quoq; si peritus in arte esse uelit nauigatoria, ubi sit linea ęquinoctialis, Solis declinationes ab æquinoctiali, meridiani altitudines & gradus, circulũ zodiaci, horizontem, tropicos cancri & capricorni, polum arcticum, seu septentrionalem, polum antarticum, seu meridionalem, longitudinem & latitudinem cęli & terrę parallelos. hemisphærium, zenith, centrum. quę omnia explicata inuenies in lib. nostro de cælo & mundo. ut de Lunæ cõiunctione cum Sole, oppositione, quadratis, Triangulis, & de cælo, & aureo numero. Debet etiam præcipue Septentriones ursæ, id est. stellas septem quæ in polo arctico, cognoscere. Circa enim polum antarcticum, ille intra 24. horas mouentur, inter has illa quę proximior polo est, ex qua cum aliis duabus quę in capite ursæ sunt, colligunt nautæ & poli & horizontis altitudinẽ, & horam noctis, prout praxis per pulchra eius est apud Petrum Garciam in li. qui, *le pilotage*, dicitur, & apud Perr. de Medino lib. 5. de arte nauigat. c. 4. 5. 6. debet cognoscere & alias stellas quę pluuias suo ortu, & sæuitiam hyemis indicant, hyadas & arcturum & similes apud Aratum in Phæuo menis.

De legibus nauticis. *Cap.* 15.

DE illis non adam cum in iuris tractatione late de illis dicturi, si Deus uoluerit, sumus.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXVII.

In quo agitur de agricultura.

De agriculturæ origine, & honore. Cap. I.

PRimum opus, cui homo addictus fuit post peccatum, terræ cultura fuit. Gen. 3. ut qui noluisset cælo potiri, terram in pœnam tribulos, & spinas producentem, excoleret, ut uesceretur pane suo in sudore uultu sui. unde agricola sẽper ut sibi consulat, in suis laborat: aliena nõ appetit, lucrum magis, quam honores sequitur, teste Aristo. 7. Polit. c. 4. Isque tradit lib. i. Polit. c. 5. hanc speciem acquisitionis uideri a natura datam, uos a Deo impositam diximus, & creatã, Eccle. c. 7. Sic Plato in epinomide hanc in œconomia retinet, laudatque maxime Xenophon. in œconom. Cic. quoque 1. Offic. atque in Cato. nihil uberius homineque libero dignius, agricultara dixit, iustissima acquisitio Arist. i. œcon. c. i. ut a matre omnium magna, & uolente petitis alimentis, & quæsitis, non ab inuitis, ut per bellum: nec a nolente, ut per cauponariam, & mercatoriam. Neque enim alia intentio agricolæ uidetur, quam alimentorum, quę satis sint a terra accipiendi, ut not. Pla. in Euryphrone, & in Euryдemo, ut non mirum, si plures præstãtiorum ad agriculturam, ueluti ad por

tum tranquillitatis, semotum ab omni ambitione,& cupiditate,sese receperint, ut Genes.quarto, Esau, Genes.uigintiquinque. Adam,Zacharias,& alij,Zacha.capitu. 13. Plinius libro 18.capitu.tertio,ubertatis priscæ causam reddens ait, tūc manibus ipsorum imperatorum colebantur agri, ut fas est credere,gaudente terra uomere laureato, & triumphali aratore: siue illi eadem cura semina tractabant, qua bella; eademque diligentia arua disponebant, qua castra: siue honestis manibus omnia lætius proueniunt, quoniam & curiosius fiunt. Sic primo Regum libro c.undecimo. Saul rex sequebatur boues ueniens de agro. Dixit agricolam Deum patrem Deus filius, Ioan.capitu.15. Erat & Ozias rex uictoriis celeberrimus,agriculturæ deditus,secundo Paralyp.capitu. 26. Antiquis in summa,agrum male colere, censorium proprum erat atque, ut refert Cato, quem uirum, bonum colonum dixissent,amplissime eum laudasse existimabant; hinc & locupletes dicebant,loci,hoc est,agri plenos,teste Plinio in prædicto lib.18.c.3.

Quod agricultura sit ars, quid, & eius principia.
Cap. 2.

PLato in Epinomide,artem non putat humanam agriculturam,sed eam sine arte,ab initio beneficio Dei fuisse aggressos homines: Xenophon autem in Oeconomi. artem artium uocat, omniumque nutricem. Dixit, & artem Philo quoque iudæus li.quod deterius potio,insidie.& M. Varro,libro primo,de re rusti.capitu.tertio,Non modo, inquit,agricultura est ars, sed etiam necessaria ac magna; eaque est scientia, quæ docet, quæ sint in quoquo agro serenda,facienda,quæque terra perpetuo maximos reddat fructus. Eius principia, sunt eadem quę mundi,secundum Ennium,aqua,terra, aer,Sol, ut idem Varro libro primo,cap. quarto.

Præ

Praecepta istius artis. *Cap.* 3.

PRaecepta agriculturæ hæc erunt:bene colere,agri,aeris,aquæ,terræ,& industriæ habere rationem. Pallad.i. de re rust. adiungat prudentiam rei,facultatem impendendi,uoluntatem agendi.Columella i.de re rust.c.i.ut cognoscat agri uel loci qualitatem,quo idonea illi committat,ne impensam,& operam aliter ludat;num ad uillam,stabula,sationem,uineas idoneus;num calidus,frigidus,tepidus. Segetes meliores campestres,uineæ collinæ,sylnæ montanæ. Quædam pinguem glebam,quædam macram,quędam uliginosam, alia alterius generis solum desiderant. Modus in ædificando,ne fundus villam quærat,neque uilla fundum.Plin.lib.18.ca.6. non est uerrendum,sed arandum;unumquodque opus rusticum, suo tempore faciendum,singula suo tempore præparentur,serantur,colligantur;huicq. parti maximo erit iuuamento palladi opus,quo distinguuntur,quæ singulis mensib. facienda sunt. item Verg.Georg.li.i.ubi,

Quid faciat lætas segetes,quæ sydera seruet
Agricola,ut facilem terram proscindat aratris,
Semina quo iacienda modo,cultusq. locorum, Edocuit.

Et in 2.de uitibus,& oleis,& alijs arboribus.In 3.de anim. rei rust.idoneis.& in 4.de apibus. De pecuaria etiam re late Var.li.2.de re rust.

De agri cognitione. *Cap.* 4.

TErra agri,in triplici differentia;macra pinguis,communis,Var.i.c.9.apud pallad.lib.i.c.5.fæcunda,uel infæcunda.Fęcundæ notę,gleba putris,fere nigra,rara,glutinosa; infęcundæ signa,alba,nuda gleba,macer,sabulosa, sine admixtione terreni,creta sola,arenæ scalentes,ieiuna glarea aurosi pulueris,macies lapidosa,gustu salsa & amara,uliginosa, tophus arenosus,uallis nimium opaca,& solida. Frumẽtosæ terrę notę,quando nascitur ibi ebulum,prunus syluestris,rubus, bulb. minutus,trifolium,herba pratensis,quercus, syluestris pyrus, malusq.Pli.li.18.c.6.

De tribus generibus instrumentorum agriculturæ necessarijs.
Cap. 5.

INstrumenta rei rusticæ, uocalia, semiuocalia, muta: uocalia, operarij, qui laborem ferre possint: Semiuocalia boues aratorij, non trimis minores, uiribus magnis, latæ frōtis, amplis cornibus, & si fieri possit nigris, naribus simis, la o pectore, latis coxendicibus: sunt & asini, & equi ad arandum, ubi leuior terra, uel ad fimum, & onus gerendum: oues stercorandi causa. Canes noctu uigiles, die clausi, & dormire assueti. Muta instrumenta, corbulæ, corbes, dolia, fiscinæ, tribula, funes, tegetes: aratrum, quod constat stiua, ligno in qua concauitas ansa, ἐλύμ, cui stiua infigitur, furca cui iugum aptatur, uomere. i. ferro, quod scindit terram, cuius summitas nymphe: furca, incurua pars, cui subtenditur clauis & dentale, histoboo. i. ligno quod ad boues peruenit, cuius apex circa iugum κορώνη, lorolato iugum continente, quo utuntur cum in iugi foramen palum, aut paxillum immittunt. Dehinc, sunt crates stercorariç, clitellæ, sarcula, bidens, tridens, securis, palæ, rastrum, rastella, bipalia, pastina, ligones, falces, torcular, culei, uentilabrum, seu uannum, occa, malleus, mortarium, pistillum, storea, cophinique corbes, & similia, quæ uillicum oportet habere certo suo loco quæque ruri disposita. Sunt & plaustra, constantia axibus, roris, scalis, quibus tabulata, dehinc utrinque prominentibus alis, siue palis fixis.

SYNTAXEΩN

ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXVIII.

In quo agitur de medicina.

Medicina quid, & morbus. Cap. I.

MEdicina a medio dicta est. medium autem est, inter excessum, & defectum. unde apud Hippocratem dicitur deficientis adiectio, & ablatio superantis. atque in summa ea est, ad temperamentum deducens extrema excedentia, uel medium illud conseruans. Sic duo scopi medicinæ, curare, & sanitatem tueri Galeno de sectis, & Aristot. lib. de iuuentu. & senectu. nec opus ualentibus medico, Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. hoc dum agit, ad morbum respicit, uel ut illum iuguletur, & arceat omnino, uel ut leniat, aut iter ei intercipiat. Morbus, est contra propriam cuiusque naturam medij, & temperamenti salubris, accidens, quod functionem naturalem prohibet. Fere morbus a morte, quod is sit monitor futuræ aliquando mortis, & interitus, cum uidemus corpus hoc obnoxium tot corruptionibus, & alterationibus. Max. Tyrio etiam, sermo. 23. Morbus nihil aliud est, quam dissolutio quædam ac perturbatio fœderis, existens in corpore: sicut & sanitas est consentientis bene corporis consumatio quædam.

De distinctione medicinæ, & medicorum.
Cap. 2.

QVia medicatio & hominum & animalium est aliorum, sic in medicina & medici distinguuntur, ut aliqui propriè ratione nobilioris subiecti medici dicantur, nempe qui subiectum habent hominem: alij autem qui curant animalia alia, ueterinarij, & ueterinaria medicina, quæ propriè de iumentis & mulis & alijs maioribus animalibus ad uehenda onera idoneis: quàm & ad pecora extendit Colum. lib. 7. ca. 3. & nos etiam ad alia animantia, ut ad canes, aues &c. Cęterū in corpore humano, cùm & anima insit, morbi seu uitia in anima sicut in corpore, esse dicuntur, interdū in sola anima, interdum in corpore solo, interdū in utroque ex cōpassione. Proinde medici quidam animæ, quidā corporis, quidā utriusque partis erant: diuersiq; istis modi curandi, sicut obiectum diuersum. Spiritales spiritualibus pharmacis, ut plerunque & uerbis, medentur animæ uitijs & passionibus: corporum medici, corporalibus: utriusque partis utrisque.

De medicina pure spirituali, & eius speciebus. Cap. 3.

MEdicina spiritualis, est quæ animi morbos emēdat, cū illa obsessa uitiis, nō potest fungi naturali sua proprietate, nempe rationali, uel est quę conseruat animam ne uitijs aut delictis, quæ morbi sunt, inficiatur. Huius medici sunt plures: in primis Deus optimus maximus, pater, filius, & spiritus sanctus. Diuinam medicinam exhibuit Deus dominus noster Iesus Christus. Sunt & legislatores seu nomothetę: atq; præceptores seu philosophi, & admonitores, & consolatores medici. De medico illo summo, non est quod multis agam: nam nomen ipsum, Iesus, nihil aliud est, quàm salus: quia ipse saluum fecit populum suum a peccatis. Matth. 1. Esa. 12. 17. 43. 62. Daniel. 6. Mich. ca. 7. Zachar. 9. Luc. 2. Ioan. 3. 1. Tim. 4. & 1. Ioan. 4, &c. Et Domini est salus psal. 3. Esa. 49. Hierem. 3. Atque finis fidei nostræ, hæc salus animarum nostrarum. 1. Petri 1. uirtus nobis salutis, egressa ab illo torrente Dei, & ab aquis sacta mentalibus & arboris fructu, qui in salutem omnium nationum, per agnum & dominum crucifixū,

omni-

omnibus datus est, iuxta prophetiam Ezech. cap. 47. explicatam, cap. 22. Apocal. unde D. Aug. contra 5. hæreses. Fusus est sanguis medici, & factus est medicamentum frenetici. Sic Clemens Alexand. lib. 1. pædagogiæ, cap. 2. Est pædagogus, inquit, noster uerbum, scilicet filius Dei, qui præter naturales animæ affectiones, curat per admonitiones. Morborũ enim corporis auxilium propriè uocatur medicina: quæ docetur, humana sapientia: uerbum autem paternum, solus est humanarum ægritudinum, Pæonius medicus, & sanctus ægrotæ animæ incantator. Omitto referre reliqua quibus a sanctis patribus Deus dominus noster Iesus Christus, medicus dicitur. Satis enim constat, ipsum languores nostros tulisse, Esaiæ 53. & peccata multorum. Esa. cap. 25. Sicut per vnius hominis primi peccatum, mors, & morbi, & ut ait Horat. 1. carm. od. 3.

Post ignem æthereâ domo
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors:
Semotiq; prius tarda necessitas
Lethi, corripuit gradum.

Ita per unum hominem & uerum Deum, uita, & a morbis animæ & corporis curatio & salus, ut docet D. Paulus ad Ro. 5. & 8. Et uirtus peccati, gratia Dei, 2. Colos. 15. Atque p eius meritum, per sacrosancta mysteria & sacramenta, ueluti per medicinas, morbi ex peccatis contracti, ipsa scilicet peccata, remittuntur nobis reuelatis peccatorum ulceribus, & confessis, Matth. 3. & 26. Lucæ 7. & 24. Ioan. 1. ad Hebr. 1. & 10. Iac. 5. & 1. Ioan. epist. 2. Apocal. 1. &c. Huius sacrosanctæ medicinæ mysteria dispensant presbyteri & aliȩ ecclesiasticæ personæ, prout cuique ordini tributum est: qui ut periti medici, pro modo uulneris, morbi, & peccati detecti, medicinam applicãt. Itaque, aliquando ut in corporali medicina mordicat & incidit remedium, timore & contritione. aliquãdo resoluit, per lacrymas & admissi pœnitentiam: interdum macerat, ieiunijs, uigilijs, & similibus: aliquando iubet euomere & uacuare per confessionem, restitutionem, satisfactionẽ, &c. aliquando impinguat, clementia, dulcedine, benignitate, consolatione: aliquando abstergit: & corrodit, correctione, & afflictione. Atque quod ualde timendũ est, aliquãdo inefficax est & impotens medicina, non ratione suiipsius, siquidem meritum passionis Christi per se efficax est, non ad redemptionẽ

quidem tantum istius mundi uniuersi, sed & ad aliorum infinitorum salutem, si plures essent: uerum inefficacia ex parte ęgroti & peccantis est Cuiusmodi morbi sunt, animæ desperatio, præsumptio, obstinatio, & similia: ut recte de his Hieremias dixerit, cap. 46. Frustra multiplicabis medicamina, sanitas non erit tibi. Et D. Ioan. 1. epist. c. 5. est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Verum ut ait Ouid. 1. Metamor. Tunc.

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus.
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Quamobrem & incorrigibiles excommunicationis postremo mucrone feriuntur, ne alios inficiant tabe. Neque tamē quia omnes ęgri non conualescunt, idcirco nulla medicina est, Cic. 2. de natu. Deo.

De Medicis alijs pathematum & morum. Cap. 4.

OMnes perturbationes animi graues sunt, concitantes eū, dimouentesq; ab ingenio sanitateq; pristina, ut ait Philo Iudæus, li. de Decalog. Et Phallaris grauissimas ægritudines animi dixit, ut non nisi morte curari possent. Sic enim scribit Archiboō epist. 1. σώματος ἀῤῥωστίαν θεραπεύει τέχνη, ψυχῆς δὲ νόσον ἰατρὸς ἰᾶται θάνατος, id est, corporis ægritudinem curat ars: at animæ morbum, medicus mors curat. Cęterū non omnes eadē senserunt, sed mederi morbis animę philosophia probarunt. Atque ideo medicinæ soror dicitur philosophia à Q. Sept. Tertull. lib. de anima, in princ. a præceptoribus itaque & ipsa philosophia, animi puerorum & hominum curantur a uitiis, quæ impediunt rationis & ueri hominis functiones, ueluti, ut Horatianis uersibus loquar, lib. 1. Epistol.

Feruet auaritia, miseraq; cupidine pectus.
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem.
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator:
Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem præbeat aurem.

Plato in Phædro, medēdi artis atque dicendi, eandē fere esse rationem tradit, & animę per rationes, legitimasq; institutiones,

tiones, persuasionem affatim uirtutemq; adhiberi, Cic. 3. Tusculа. Philosophi e remediū aduersus uitia, medicinæ facit simile, dicitq; uitia ęgritudinē. Sic Philipp. 2. ut quiddā, inquit, morbo aliquo & sensus stupore suauitatē cibi nō sentiunt, sic libidinosi, fascinorosi, auari, uerę laudis gustum nō sentiūt. Max. Tyrius sermo. 12. epulas dixit sermonū sanioru, eatūdē; salubritatē, a quibus Socrates, Plato, Xenophon. Æschines sanitatem, acceperunt: timere animū hominis, inuidere, dolere, & alijs multis affectionibus urgeri, ut necesse sit recurrere ad animi medicū, quē Deū præcipuum ponit. & serm. 28. in hac uita, animū multis morbis ex ingurgitatione terrenorū affici docet. Et Æschylus ī Promet. uincto, scribit, quod λόγοι dicuntur ἰατροὶ ὀργῆς νοσούσης, Morbi iracūdiæ, sermones medici. Menander quoq; λύπης ἰατρός ἐστιν ἀνθρώποις λόγος, id est, ægræ medela mētis, est oratio. Et Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 2. Medicina, ut ait Democritus, medetur morbis corporis, sapientia autem liberat animam a perturbationibus.

De legislatoribus. *Cap. 5.*

CIc. Philip. 8. & in Vatinium, a medicina arguit ad administrationem Reip. ut sicut illa, membra putrida alijs nōcentia tollit, ne aliis noceant sanis: sic & mali tollendi sint, si rempub. saluam esse uelimus. Et respub. certe omnis, & ciuitas, instar corporis humani est, sicut docuit populū Agrippa Menenius apud Diony. Halicar. lib. 6. Magnus quoque Tyrius, sermone philosophico 37. docet animi morbos, difficulter a lege sanari, quod per eos ad legis contemptum perueniatur: quamobrem legib. Deum suppetias ferre, & ideo illum animum, odiose repellere.

De medicina corporis humani, eiusq; arsi & de tribus gradibus eius, & medicorum. *Cap. 6.*

MEdicina cuiuscūq; ordinis sit, siue præseruatrix, siue cōseruatrix, siue restauratrix sanitatis, duplici modo inuēta, experiētia & ratione. Galen. in 1. aphoris. Experiētia tamē præcipuū principiū, ut idem ait in introductorio c. 2. additæ sunt postea ꝓpositiones ex philosophia, & aliud ex alio ratiocinatione erutum, factaque ars præceptis ex obseruationibus

compositis,cum legitima rationis inquisitione.Sicque ars di ĉta ab Hippocrate,in prin.dier.decreto.de natura homi.& alibi a Gale.lib.de arte medici ab Auerroe in 1. eius lib. contento.& lib.1.collectaneo.& 2.collect c.3. Disputat & Card. lib.1.contradic.medico.tract.5.contradictio.5. & Aurel.Cornel.Celsus in prologo medicinæ. Et quia non statim, ars cuiuscunq; generis sit, perfecta fuit, neq; omnes quãuis eiusdẽ artis, perfecte candẽ tenent; idcirco & artificij eiusdẽ cõtigit semper diuersos esse gradus artificum,& inter illos quandam esse differentiam. Quamobrẽ & in medicina tres gradus cõstituemus cognitionis, in primo & inferiore ponemus scilicet quos uocant empeiricos, qui ab experientia ad similia curanda ducuntur,citra morbi & causæ eius notitiã, nec medicaminis quod iuuat ratiocinationẽ habentes, similibus similia conferentes,ex particularibus experimentis, regulã constituũt curationis generalẽ. Meminit de his Celsus in prologo. Galen.lib.7.& 13.meden. Ex quibus nati uidentur dogmatici seu methodici dicti,quos in secundo gradu ponimus, ex effectibus regulas constituentes generales, non ab experimẽtis singularibus,ut empeirici,sed ex communi indicatione principij.In tertio gradu autem ponimus perfectos medicos, nẽpe rationales seu logicos, qui quidem nec experimenta, nec methodum contemnunt,imo ualde amplectuntur, sed ea ad rationem & causas unde procedant, trahunt,& ex causis & ratiocinatione & experientia aliorum, ad aliorum morborum cognitionem & curam perueniũt. Et de illis pauca dicamus.

Quæ debeat præscire optimus medicus. Cap. 7.

QVia ubi desinit physicus,ibi medicus incipit,& coniunctio physices & medicinæ erit necessaria.Proinde medicus antequam ab subiectam sibi materiã, corpus & temperamentum scilicet hominis,ueniat,cogitur præscire cũ physico elementa esse quatuor, ex quibus omnia perfecta corpora, quale hominis, componuntur; ignem calidum & siccum, aerem humidum & calidum, duo leuia; aquam humidam & frigidam,terram frigidam & siccam,alia duo grauia. De hinc ex illis fieri quatuor qualitates tãgibiles, calidum quod eiusdem naturæ congregat,& diuersæ segregat; frigidum, quod dissimilia congregat;humidum & siccum. Tertiò, hinc progreditur

greditur ad mixtionem eorum, unde temperamentum quali tatum fit in aliqua specie, uel in toto eius corpore, uel in aliqua parte, & hinc facile ad temperatũ descēdet si compositio lædatur, si soluatur, si corp⁹ uel pars, uel membrũ calidius, siccius, humidius, frigidius solito, uel præter naturã cõpositi, tũc enim quandam in elementis cognoscit seditionē; quæ si non cõponatur aut refrenetur, conijcit ad fore corporis detrimẽtum, uel magnum uel minus, prout a pace & concordia & ab imposita tẽperati lege recesserint, & ex prædominãti & dissidente qualitate, iam præuidet utcunque causam dissidij. adijcit postea cõsideratione quatuor humorũ, qui in corpore humano sunt, quique nisi ex prædictorum elemẽtorũ qualitatibus dignosci possent: nam bilis flaua, igni, calida & humida, sanguis aeris respondet, pituita aquæ, atra bilis terræ. Quos postea considerat ut naturales & non naturales, per se & per accidens, & alios similes excremẽtorũ loco, foras extra corp⁹ mittendos, quales, pituita narium, aquosa, mucosa, uitrea, gypsea, urinã, sudores, deiectiones, excrementa cutis. Deinceps cõsiderat per partes corpus, & per membra facultates, actiones, spiritus. Atque ita suo subiecto corporis cognito, transfert cogitationē ad ea quæ hoc corpus conseruare sanum, quæue lædere possunt extrinsecus, & aliunde, quã ex harmonia & dissidentia intrinseca. considerat itaque earem ambientē, cibum, potum, quietem, somnum, uigiliã, repletionem, inanitionem animi affectus, quę nos in quinque contraximus morborum causas; nam eadem considerantur & pro sanitate confirmanda, & pro morborum causis dignoscendis. Quarto postquam hec nouit generaliter peruenit ad rem proprius, nempe ad indiuiduum considerandum, in quo obseruat morbum cuiuſmodi sit, causas, & symptomata. Et ita 5. ratiocinatur apud se, ex præteritorum cognitione, præsentium inspectione, futurorumq; præsagio, quid sibi de hoc morbo uel corpore præsenti conseruando, uideatur, hic crises, & dies decretorios obseruat, si curabilem ęgritudinem uideat, postremo loco, a ratiocinatione ad factum uenit, & incipit opem adferre, uel ex uictus præscriptione seu dieta, uel pharmacis, uel manu ipsa; in dieta, habet ministros coquos; in pharmacis, seplasiarios, herbarios pharmacopolas; in manu, chirurgos: si mortē inferat, uespillones. Mallem ego expertis credere, quam bene ratiocinantibus. Neque satis laudare possum institutũ Ba-

bylo-

byloniorũ, qui nullos habebãt professione medicos, sed suos ægrotos in forum efferebant, ut uiri qui eos adirent consiliũ darent, hortarenturque ad ea, quæ ipsi faciendo effugissent similem morbũ, aut aliũ nouissent effugisse, nec fas erat, quẽ quam ægrotum silentio præterire, ut ait Herodo. in 1. Strabo in 16. Atque eundem morem seruatũ in Hispania apud Basteianos, & apud Ægyptios, idem Strabo tradit li. 3. quamuis postea Ægyptiis singulorum morborum facti fuerint singuli medici, teste Herodo. in 2. Refert autem Suidas, dum de Ezechia agit olim fuisse in uestibulo templi Salomonis librũ remidiorum cuiusuis morbi, incissum, quẽ reuulsit Ezechias rex Hierosolymorum, quod populis neglecto Deo, nec inuocato, sanationem maiorum inde peteret.

Partes corporis humani, & morbi earum, & primum de capite. *Cap.* 8.

PRima & nobilior pars corporis humani, caput est, in eo exteriores & interiores partes; exteriores,

Frons quæ sola hominis est, ut facies, de quibus Aristot. 1. de histor. anim. c. 8. 9. 10. 11.

Cranium cutis, cuius morbi furfures, fissuræ acrocores. De capite luxato Celsus li. 8. c. 12. Sunt & morbi in capite, tubercula, ganglia, meliceride, atheromata, steatoma, de quorum cura Celsus lib. 7. cap 6 & de caluariæ & maxillarum curatione. lib. 8 c. 4. & 7. porrigo seu squamulæ capitis, de quib. Celsus lib. 6. c. 2.

Syncipur,

Tempora,

Vertex,

Occiputi

Ceruix & eius tendones, collum enim & ceruicem, capitis partes dicit Arist. 4. de parti. anima. c. 10.

Pili, quorum morbi alopecia, ex uitio cutis, casus capillorũ caluitium, de quorum cura Celsus lib. 6. c. 1. 2. 3. 4.

Interiores capitis partes,

Cerebrum, habens & nates, neruem, infrundibilium. Sine uena & sanguine, frigidum & humidum. Aristotile. de histor. anim. c. 16. & Galen. lib. 8. de usu par. c. 10. & 11. & seq.

Meninx pia mater χοροειδὴς, uelum uniuersi celebri.

Meninx crassa, uelans piam.

Peri-

Pericranion, membrana caluariam contegens.

Rete mirabile.

Morbi ex cerebro, soda frigida & calida, dolor capitis, usq; ad tempora, uide Galen. 3. de locis affect. c. 9. & lib. 2. de compositione pharm. secundum locos, uocatq; cephalalgiam & cephaleam, accidit & hemicrania, scoromia, seu uertigo, uigilia nimia, quæ tendit ad phrenesim: phrenesis, quæ mentis læsio, uide Gale. 5. interiorum c. 4. lethargia, epilesia, apoplexia, paralysis, spasmus, stupor, de quibus Galen. 5. de accidentib. c. 2. & de tortura Auicen. 2. par. tertii c. de tortula. Melancholia sanguinea. Mania, diminutio memoriæ: in qua pulchræ sunt quæstiones, num cerebrum apostema recipiat, apud Rasim 1. commentario. apud Serapionem in Breuiario 1. conciliatorē differēt. 161. Galen. in Therapeutica c. de apostemate capitis, de phlegmone & herysipela. Sunt & capitis defluxiones, catarrhus, unde decidēte in stomachum fluxione, nausea, tussis: si in pulmonē, raucedo cum tussi: si in guttur, corriza: si in colatorium, brācus, de quibus Auicen. in 5. parte tertii, in principio c. de catarrho. De morbis his & cura Galen. propriis lib. Hippocra. lib de passionib. interioribus. Iason Prattēsis, Zirizous medicus. uolumine proprio de cerebri morbis. Ant. Gaynerius Papiensis, in sua practica Mesue partit. 1. sectio. primæ, de cura morbor. Valescus de Tharanta, li. 1. paract. medicinæ, quę Philonium dicitur: Almansor in nono, & commentarii eiusdem Marci Gattinariæ, Ioannis Matthæi de Gradibus, Ioan. Arculani. Qui & de sequentib. morbis, ne repetere citationes opporteat, tractant de quibusdam & Celsus li. 3. c. pen. & fin. & de tribus insaniæ generibus lib. 3. c. 18.

De oculo. *Cap.* 9.

IN facie, oculus: in oculo, album, iris: intra, pupilla palpebris tegitur, palpebræ iuxta frontem habent supercilia. Fimbriant palpebras tharsi, os cilia. Iuxta nasum, anguli duo oculorum, hirci, & alii iuxta tempora, sunt oculis tunicæ: anteriores, coniunctiua, cornea, uuea, aranea: posteriores, scliroticā, secundina, tertina humores inter has tunicas, uitreus, crystallinus, albugineus. De quib. tunicis & humoribus, late Mat. de Gradibus, in nonum Almansoris, ca. 15. Hippocrates libr. de locis in homine ponit tunicas tres; Galenus in medico 4.

co.4. Sed in 10 de usu partium, septem & enumerat.ca. 2. In loide. Oculorum morbi, opthalmia, lippitudo, dolores, uulnera, ulcera, scabres, ungula, lacrymæ, apostema fistulosum in angulo oculi, pupillæ dilatio, nyctilopa, cum post Solis occasum non uident: debilitas uisus, casus palpebrarum, hordeolum, seu chrithe, in pupillis palpebrarū, pediculi: chalasia enchantis, tuberculum, ancyloblepharos, ægylopa, fistula, pili irritantes oculum, lagophthamos, ectropion, staphyloma, claui oculorum, suffusio, paralysis, caligatio, pustulæ, carbunculi scabrities. De mortalis oculorum & medicamine ultra prædictos authores classicos, in Rasim ad Almansorem, Celsus li.6. cap.6 & sequent. Gale. toto lib.4. de compo. medic. secundum locos. Celsus li.6. cap.7. sequentibus. Quintus Serenus in medica. Extat & liber eximus Galeni, de oculis, tomo 6. vbi & de artificio eorum, morbis, & cura.

De auribus, & earum morbis & cura. Cap. 10.

AVres a temporibus, habent extra alas, est poxyster, semicirculus, conchula, cauum auris foramen auditorium, in medio conchulæ; morbi harum, dolor, bother, apostema, sonitus, tinnitus, tonitru, debilitas auditus, ulcera, uermes, ingressio alicuius in aurem, parotides. De aurium & narium morbis Galen. li.3. de compo. secundum locos. Celsus lib.8. c.6. & lib.6. cap.7. & 16. Q. Serenus.

De nazo, & morbis eius. Cap. 11.

NAsus habet nares, pinnulas seu alas, interseptum quod eas discriminat. Morbi, fætor narium: fluxus sanguinis, debilitas uel permutatio odoratus, apostemata, uulnera, polypus, sternutamentum, de quibus proxime citati authores. Et Celsus lib. cap. 8.

De ore, Cap. 12.

OS habet labia extra; intra, lingum, palatum, gingiuas dentes. Morbi, distorsio, scissura labiorum: dolor, agitatio, tremor, commotio, corrotio, congelatio, perforatio, uermes, coloris corruptio, generatio dentium, apostemata, uulnera,

ra, & ulcera gingiuarum, tonsillæ, inflammationes, aphthæ, parodontides, tubercula, apostemata & ulcera linguæ, mollificatio, spasmus eiusdem, alcola uel prauæ pustulę oris, fætor, dolor eiusdem, cancer, uua. De dentium morbis Galen lib. 8. de compos. med. secund. loc. Cels. lib. 6. c. 9. 10. 11. 12. 13, De morbis oris Galen. lib. 6. de compos. med. sec. loc.

De guttere & collo. *Cap.* 13.

EOrum partes sunt, tonsillæ circa radicos linguæ: epiglottis qua tegitur aspera & reseratur arteria: uua seu gurgulio; columella in extremitate palati super fauces pendens; hyoideum os, forma V. ex radice linguæ fauces, seu φάρυξ, seu fistula spiritualis, & alteria postrema. Trachea arteria seu cana pulmonis, cuius capnt λάρυγξ οἰσόφαγος, meatus quo cibus in stomachum descendit, Aphris meli: iugulum. Ægritudines horum, strangulatio, apostema: uuæ ægritudines, apostema duarum amygdalarum, schinatia gutturis, raucedo uocis. De quibus Auicenna 9. parte tertii. Gale. 4. Interio. c. 3. de iuguli curatione, Celsus lib. 8. c. 8. de uua lib. 7. c. 14. de ceruicis & faucium morbis, lib. 4. c. 3. & 4.

De facie. *Cap.* 14.

FAcies, superiores partes frontis, nasi, oris, maxillarum, aurium, menti complectitur. Morbi illius uariis, tumores in cute, & sicosi, & in mento uua, impetigo, furunculi, quæ & in aliis corporis in cute partibus oriri possunt. De his Galenus lib. 5. de compos. secun. loc.

De cutis morbis. *Cap.* 16.

CArbunculus, carcinoma, thereoma, sacer ignis chironeũ ulcus, struma; furunculus, phygethlon, fistulæ, melicera, uerrucæ, acrocordones, clauus, thymia, mirmecia, genera, pustularum, ut exanthemata, liuida, pallida, nigra, plyctæna, epinyctides; scabiei species, serpens, cum sanie, cum pruritu. scabies agria; quatuor species impetiginis, scabiosa, bullulata, rennuicens, squammulata, nigra: item papulæ; uitiliginis quoque species, alphos seu alba, mela seu umbrosa, & leuca albida.

da. De quorum cura Celſus lib. 5. c. fi. de hinc uari, lenticulæ, ephelides, de quorum cura Celſ. lib. 6. c. 5.

Thoracis partes externæ. Cap. 26.

PArtes externæ thoracis ſunt humeri, clauiculæ, iuguli, coſtæ, latus, pectus, dimidium eius pectoris, os ſterno: ſubtus abdomẽ, hipochondria, ſeu ſubcartilagia, ilia: ſub laterius inania, umbilicus, ſumen, pubes. Intra thoracem, mediaſtinum, membrana pectus diſcriminans, regio coſtarum, latera, pulmo ſeu uentilabrum, tracheæ arteriæ coniuncta particula: cor ſeu καρδία in medio pectore, apſula cordis, ſeu περικάρδιον: ſeptum tranſuerſum, diaphragma ſeu membrana dura, ſpiritalia membra a nutritiuis diuidens, Pulmonis morbi, aſthma, tuſſis ſicca, & humida: fluxus ſanguinis, pleureſis, ex phlegmate putrefacto contra extremitates coſtarum terminatarum in pectore: phthiſis. Cordis morbis, debilitas, pulſus, tremor, ſyncopis, de quibus Francis. Pedemontius in primum Meſuæ.

De uentre. Cap. 27.

PArtes eius, uentriculus, ubi continentur & concoquuntur cibi ſiue ſtomachus, hoſtiolum eius ad inteſtine, piloron: hepar, in dextro latere, fel, ſacculus bilis concauo hepatis annexus, ſplen, a ſiniſtris uentriculo adhærens, ſanguinis omentum, ſeu epiploon, & Arabis zirbus, pingue inuoluens inteſtina & uentriculum, meſenterion, glandulosa caro, inteſtina ſub uentriculo ſeu ſtomacho, hoc ordine ſunt, primum a uentriculo emphyſis, ſecundum ieiunium, 3. tenue, 4. cæcum, 5. col. 6. rectum ad anũ deſcendens unico contextu, ſequitur peritonæũ, pellicula uentrem uniuerſum inuoluens, Arabib. ſipahch, de hinc renes, in utroq; latere lumbis adherentes, ueſica ſacculus urinã excernens, per mediũ ureti carũ uenarũ a renib. in ueſicã permeãtiũ. P. Aponus cõmentator Meſuæ. mẽbrorũ nutritionis morbos ait, dolorẽ, ſtomachi indigeſtionẽ, quæ eſt mater cõmunis omniũ ægritudinũ, uomitũ ex uberãtia in quãtitate uel qualitate cibi: ſingulum, uel ab ſtomacho ex nimio flegmate, uel ab hepate, ex morbo ueſicę & renũ. ſitim, appetitus deiectionẽ, appetitũ caninũ ſeu inſatiabilẽ, opilatio-

lationem hepatis, opilationem plenis:hydropisim, seu aquā intercutem ex indigestione sanguinis ab hepate, dolorē uentris. De quib. morbis, & de cura meri, uidendus Pedemontanus in Mesuē 3. parte sectionis 1. Rasis li. 9. & eius cōmentarii Celsus li. 8. de stomachi affectio. Gale. li. 8. de cōposi. med. sec. loc. & des plene li. 9. & ibi de colicis, iliacis, dysentericis, lientericis, & Intestinorum morbi, iliaca, colica, uermes, ascarides lūbrici, de quib. Hierony. Gabuncinus li. de lumbricis aluum occupantib. & Arist de uermibus his li. 5. de natur. anim. c. 9.

De pudendis. Cap. 18.

Coles, eius partes, glās, præputiū, sutura, taurus, testes, & quod eos continet scrotū, sinus in mulierū pudēdis, pilosa pars; uulua, alæ quæ sinū ambiunt, colliculū seu νυμφὸ carūcula inter alas, anus, annulus seu fibula qua fæces eiiciuntur. morbi pudendorū mulierū, exitus matricis, fluxus, & retensio menstruorū, ragadiæ, seu scissuræ matricis, apostemata, cācri, præfocatio matricis, mola. Exterius, herniarum species, rupturæ inguinorum, ramex, priapismus, glandulæ, de quibus Celsus lib. 7. & 6. in fine. De morbis pudendorum, urinæ, sedis, natium Gale, lib. 10. de compos. sec. loc.

Dorsi partes. Cap. 19.

Scapulę, spina, lumbi, extat liber Galeni de rerum dignotione & medicatione, tomo 6. operum.

Manuum partes. Cap. 20.

Brachium, cubitus, brachiale, metacarpū, summa manus, uola, hypothenar, pecten, palpa: digiti, pollex, index, medius, medicus, minimus. Sunt his chiragræ, articulares morbi, inflationes, tubera & similia cuti accidentia.

Partes coxarum, crurum, & pedum. Cap. 21.

Coxis, utraque sacris ossis parte ischios, coxarū cōpago, σφαιρώματα ossiū coxarū cōuexitates, nates carnoſę in

coxis,postea femora, a coxis;crura a coxis, ad extremas partes genua, ubi femora committuntur cruribus poplices genibus opponuntur. Tibia; in anteriori parte crea,in posteriori sura:talus,postrema tibiæ pars; pes sub talo,cuius partes, calx, talsos, pedion, seu planities, concauum sub planitie, planta qua solum contingimus, pectem post concauum assurgens iuxta digitos; digiti. In manibus chiragrę, in coxis ischiases: in pedibus, potissimum in calcaneo & plantapedis, podagra, in articulis arthetica, serpigo & reliqui morbi, de quibus Vitalis de Furno lib. de diuers. re. medic. capit. 188. & 187.& alibi. Potest & in his, sicut in aliis partibus ossis, lnxatio esse & fractio,de quibus Celsus lib.final.Gale.in Chrirurgicis.

De alijs partibus. Cap. 22.

OMitto hic recensere alias quodam modo partes, neruos, musculos, uenas, arterias, spiritus, quæ omnia medico cognita esse debent; de quibus alibi dum de animalibus.

De morborum causis. Cap. 23.

PRobus medicus, qui ex arte curat,maximum fecerit,si possit consequi morborum causas & origines,ut eo restituat naturam,quam lęsam uidet,unde recessit, & remedia conuenientia adferat. Itaque mihi uidentur quinque causę morborum in summa esse. prima, Dei uoluntas, secunda, animus 3. aer, 4. alimenta: 5. motus. Nec sum ignatus alio modo medicos tradere sex causas,alterare corpus nostrum extrinsecus, apud Gale. in isagogicis, & libr. de salubribus, & comment.2.in Hippocratem de humana natura; eas tamen & ad has cōtraxi, & alia,& addidi. Diuinitus & supernaturali causa ob peccata & scelera hominum a Deo in uindictam immittuntur morbi, quorum ignorantur a medicis sępius cura & causa medica. Qui delinquit in cōspectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici. Eccles. ca.38. Et dominus noster IESVS Christus in Euang. D.Ioan.c.5. ecce sanus factus es, iam noli peccare,ne peius tibi contingat. Misit dominus ulcera & uesicas turgentes in Ægyptios contumaces, Exo dic.

9. &

9. & 1. Reg. 5. percussit dominus Philisthęos detinentes arcam fœderis, in secretioae parte natium. & Herodem phtiriasi, cum non daret gloriam Deo, actuum 12. Immisit Deus pestem ob peccatum Dauid, quod numerasset populum 2. Reg. 24. Sic dextera Hieroboam subito exaruit, quod Dei prophetam iussisset apprehendi, 3. Reg. 13. Nepra Naami adhęsit Giezi, ob eius peccatum & posteris eius 4. Reg. 5. Oziæ regi statim orta lepra in fronte, quod sibi usurpasset officium sacerdotis in adolendo incenso 2. Paralip. capit. 26. & Maria soror Mosis apparuit e uestigio leprosa, ob murmurationem in Mosen, Numeri 12. unde factus mutus & paralyticus Æeliodorus expolians templum sanctum 2. Machabæo. cap. 3. quam a Deo; ab eodem & squamę oculis D. Pauli, actuum cap. 9. & cęcitas Elimę magi, actuum 13. hinc mutus Zacharias cap. 1. Lucę. Mittuntur & ęgritudines in probationem piorum & ad exemplum aliorum, sicuti percussus Iob plaga magna, ut testa raderet saniem, Iob. capit. 2. Tobias cæcus factus capitulo 2. Tobias datus stimulus carnis D. Paulo qui illum colaphizaret 2. Corinthio. capitulo 12. Sed hoc confessi sunt princeps medicinę a Deo (uocabant ipsi deos) immitti morbos, nec ab aliis quam ab iisdem petenda auxilia, ut Hippocrates libro de in som. libro. de probitate honestate ue. Celsus in prologo suæ medicinæ, & Homerus de peste in 1. Iliade. Quamobrem & medicinam a Deo pendere & salutis potestatem, ut quando illi libuerit, possit conferre, nemo ambiget. Sicut ex prædictis sacris exemplis, Maria soror Mosis. Hieroboam. Heliodorus, Paulus, Zacharias conuersi ad dominum, sanati sunt, & Tobias & Iob, & Ezechias 4. Reg. 20. capit. & Esaię 38. D. Iacobus hunc modum medicinæ, orationem ad Deum dicit, ut oratio fidei sanet infirmum. Epist. cap. 5. Exhibuitq; sufficiens Deus dominus documentum, cum nobiscum conuersatus, tot ęgros sanauit, mortuos suscitauit, & incurabiles morbos uerbo solo curauit, ut passim in libris Euangelij legitur, sicut & dedit potestatem curandi omnes infirmitates apostolis, fidelibusquæ Christianis in nomine suo, Matth. 10. Mar. 3. & 16. actuum 5. & cap. 28. Lucę 10.

Immitti morbos permissiue a Deo per angelos malos, & de cura eorum, & cautione Christiana, & incantationibus. Cap. 24.

MOrbos quoque immitti posse a dæmonibus, nemo ambigit ex Dei permissione, uel iussu: Sunt enim satellites & carnifices uindictæ iustæ Dei, ut Psal. 77. Misit Deus, inquit, in eos irã indignationis suæ, indignationẽ & irã & tribulationẽ, immissiones per angelos malos: & angeli mali Iob affligebãt, & colaphizabãt D. Paulũ, diuexabãt lunaticos, & furiosũ, quos curauit Deus Mat. 4. & 8. Luc. 4. & 11. Refert & D. Lucas c. 13. liberatã ab infirmitatis spiritu per Deũ, quã Satanas retinuisset ligatã illa infirmitate 18. annos. Omitto quomodo turbare possit spiritus nequã crasim corporis suggerere imahinationi tristitiã, uel passiones, ex quib. corpus immutatur: omitto excãtationes, ueneficia, maleficia, de quib. in magia, & similia: exploratum enim puto, nisi Deo quis se commiserit, semper insidias quemlibet dæmonum experiri, utpote hostium humanæ naturæ. Non tamen ad eorundem dæmonum opem recurrendum, nec maleficiis maleficia soluenda, si quidẽ hoc esset maiorem potestatem dæmonibus in se tribuere, & uiam ad maiora audenda illis sternere: sed succidenda causa morbi, nempe peccatum, & recurrẽdum ad Deũ optimũ maximum, ut reconciliati illius misericordiæ, ipse potestatem, quam sathanæ dedit, reuocet, & eũ longius religet: non secus ac Asmodæum, quem post fusam & exauditam orationem Saræ uxoris Tobiæ iunioris, religauit in deserto per angelum Raphaelem, Tob. 3. & 8. Sicut religionem dæmonum a dæmonico expulsam, in porcos relegauit, Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. prohibet Deus huiusmodi magorum superstitiones, characteres, & consultationes diuinorum, Leuit. c. 18. & 19. & 20. & Deuteronom. cap. 18. grauiterq; iratus refertur aduersus Ochosiã, quod misisset consultum Beelzebub idolum Accaron, num de infirmitate sua conualescere posset & ideo mortuum. Sũt remedia ecclesiastica, quæ aduersus dæmonum imposturas, Dei auxilio pollent, & dæmones fugant, multaq; magis & eorum opera dissoluunt; Sunt exorcistæ, de quibus in personis ecclesiasticis Deo fauente in cõpendio iuris dicemus, prodest sola inuocatio nominis IESV CHRI-

STI. quam dæmones,ut uictoris recordationē timent, teste Iustino in 1.Tripho.& Apoll.1.Orig.1.contra Cels.Tertullia in apolo.c.37.li.de anima,lib. de specta.li. de idolo.uanit. & alibi.Lactan.li.2.c.6.lib.4.cap.27.& alibi Athanas.li.de incar nat.uerb.& ali i.E & signum crucis impositum amuletum cōtra dæmones,ut ait Cyprian.lib de passio.Dom.D.Martial. epist.ad Burdig.c.8. D.Athanas lib.de diuers. quæst. q. 15. & 16.ubi ratio, & alia apud D. August. in sermo, 1. in uigil. pen tecost.Extat integra homilia D.Chrisost. in 1. tomo.De ui si gni crucis in exercitu & malorum & morborum,Orig.li.6.in epist.ad Roma Et rursum Origen.lib.3. in Iob scribit, primā ecclesiam aduersus uenena, feras,bestias, monstra, & cætera pericula hac crucis armatura usus,expresse D.Athanasius li.de humanitate uerbi. c.5.& contra magica & dęmones,& mor bos signi crucis impressionem,mirificam uim habere, tradit: ita illo usus Gregorius Neocesariensis, ut scriptū in eius uita: ita D. Antonius,teste Athanasio:Hilario teste Hierony. Iose phus cōfessor,teste Epiphanio lib. 1.tom.2. hære .30. Marcel lus Appamiensis,teste Theodori.li.5.c.2. uterque Macharius teste Palladio.Omitto Donatum in Epiro episcopum,qui dra conē ingentem, signo crucis ei opposito in aere, occidit, ut narrat Necepho.lib.12.cap.45.Sozomenes lib.9.c.46. Mater quoque Macrinæ sororis Basilii,tumores pectoris in ea, hoc signo dispulit, ut testis Gregorius Nissenus,in uita Macrinæ. Prætereo reliqua singularia exempla.redeo ad consensum omnium piorum patrum, fugare crucis signum dæmones, & morbos, & actiones illorum & ueneficia testisq; erit D.Cyril lus Hierosol.archiepiscopus catech. 4. & 13. & 15. atque D. Amb.sermo.55.tomo.3.Crucem similem dixit malo nauis, cui se alligari iussit Vlysses,ne syrenes in illum aliquid molirentur,quę illiciebāt nautas cū magno uitæ periculo ad se de clinare.Crucis quoq; mysterium,expressum in serpente Mosaico æneo & in eius ligno, in quē aspicientes, curabantur à morbis & ictibus uenenatis,Num.21.& Ioa.c.3.Quamobrem Tertullia.grauissimus author.lib. de coron.milit.iisdem uerbis sic ait,Ad omnē progressum ex cōsuetudine ecclesiæ atq; promotum, ad omnem aditum,exitum,uestitum,& calceatū ad lauacra, ad mensas, ad limina, ad cubilia,ad sedelia,quæ cunquæ nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Sunt alia cum istis remedia Christiana,ut aqua lu-

ſtralis,de cuius in dæmones ui,Epiphan.hæreſ.30.tom 1.li.2. Micepho Caliſt.li.12.c.27.& li.9.Tripart.hiſtor.c.34.Sanctiſſima Euchariſtia.cum digna præparatione recepta, quæ authorem totius ſalutis exhibet. Tunc enim tunc fortior arma tus ſpolia cepit hoſtis,& ligauit inimicum, in pace ſunt omnia. Mat.c.12.Mar.3.Obijciebant & morbis exorciſtæ, uerba quædã ſacra,ut ſymbolum fidei & ſimilia,quæ ſuperſtitione poſtea & obſeruationib. cæleſtibus & characteriſticis, & inuocationib. inanibus polluta ſunt,& ita damnata, exceptis quę ſancta retinet eccleſiaſtica diſciplina:refertq; huiuſmodi quaſdã adiurationes ſerio,Nicolaus Myrepſius Alexand.medicus,ut in ſectione de antidotis.antido.405.& alibi. Ammianus quoque Marcelli.li.16.hiſtoriæ Romanæ tradit, medicinæ authoritatẽ permittere anilia incantamenta; & Pindarus in pithiis, ode 3.ſtrophæ 3.inter tres ſpecies medicinæ & curæ adhibitę per Chironem morbis, incancationem annumerat,dum ait,

τοὺς μὲν μαλακαῖς
ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,
τοὺς δὲ προσανέα πίνοντας,
ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν
φάρμακα, τοὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς, idest,

quoſdam mollibus incantationibus tractans, quoſdam uero lenia bibentes,aut membris circumponens undique pharmaca,quoſdam autem ſectionibus ſtare fecit rectos.

De morbis a cauſa animi, & adhuc de excantatione.
Cap. 25.

EXtant inter Galeni libros,etſi illius non ſit,de incãtatione,& alius proprius,an anima ſequa.tẽper.corpo.ubi aſſeritur corporis cõplexionẽ,animi ſequi uirtutẽ, quę ſi fuerit temperata & corporis fore perfectam,& ideo ex animi intentione,incantationes quoq; iuuare,quia id ſperat animus qualiſcũque fit excantatio.Probant quotidiana exempla, ex timore,triſtitia,lætitia,ſtupore mẽtis,corporis colorẽ immutari,Galenus & immutari humores corporis tradit in li.Hip.de humorib. Pleriq; præ gaudio mortui ſũt,ut Sophocles,& Dionyſ.tyran.Siciliæ. Plin.lib.7.ca.37. Diagoras Rhodius Cicer. 1.Tuſcul.

1.Tuscul.Gallius li.3.M.Iuuenius Thalna consul,Valer. li.9. c.12.tit.de mor. non uulgar.& alii.In lætitia quippe fit motus non quidem ualidus in corpore, nec feruidus, resoluitur tamen spiritu,& dissipatur animalis facultatis robur.In mœro re autem spiritus coarctantur: ut in iracundia, sese foras impellunt,incedũt,& consummunt.Mærore quoque laborantes sine colore,ut qui amãt, refrigerantur & rigore concutiũtur Iracundia febrem generat & spiritus inceduntur qui totum corpus inflammant,spiritus tristis exiccat ossa,Prouerb.c. 17. Inuidi timent & tabescunt.Sed nec in his immorabor; sunt enim in ea re conuenientiæ medici,inter causas alterãtes cor pus,esse affectus animi,Galen.in isagog.in li.de salubr.lib.5, de decreto.Hippocr.& Plat.Hippocrates li.de insomniis.Red dit rationem Galenus 1.de tuen.sanit·ὑγεία inquit seu sanitas non solius corporis,sed uiuẽtis est,unde & animũ respicit & mali mores illã offendunt, atque ideo is edidit lib.de animi peccatorum notitia,& medela. Hinc quibusdam persuasum est, uerba posse lenire effectus animi, & incantationib. morbos posse sopiri & corporis, quod animus mutatur & im pressione. Sic tradit Strabo lib.15. Geogra.referri in India incantatores, qui medicari crederentur, & solam eam apud illos esse medicinam.Dixit Homerus, profluuium sanguinis uulnerato femine,Vlyssem inhibuisse carmine. Theoprastus ischiadicos,sanari:Cato prodidit luxatis membris carnem au xiliari,M.Varro podagris,Plinius li.28. cap.2. ubi disputant, an sit in medendo uerbis aliqua uis.Serenus Hemitritidi.

De aere,tertia causa morborum. Cap. 26.

AEr ambiẽs,si uel impurus sit, uel temperamento nostro aduersarius,morbos generat.Hic nãque omnes qualitates recipit,& mixtiones delatas retinet,demũ uel ambitu suo partes corporis immutat, uel in nostra euentatione interiorũ,seu respiratione,interiores partes suis qualitatibus partici pes facit.Sic cum calidus nimiũ,soluit,lauat,dissoluiturq; spiritus. Quamobrem stomachi uim depopulatur,attrahẽs calorem similem:hincq; sequitur uirtutis deiectio & cõcoctionis impedimentum, a centro ad circumferentiam ui pertracta, quod docẽt sudores,& urinæ minutio,hinc tot morbi. Sed &

calor naturalis,cum prȩter naturam ignescit & accenditur in corpore generat febres,uel simplices uel compositas.Siquidē cum accenditur in spiritibus, fit simplex ephemeris,id est. unius diei uel plurium,quȩ febres habent inducias & intermittuntur, quia extra uenas humor consistit, atque a corde est remotior: si in uasis, synochus, uel non putrida uel putrida imflammato sanguine,quia ad hepar peruenit, si in partibus solidis peruenit. Hectica uel marasmus, ex quibus interdum composita peior, ut continua cum continuis, intermittens cum continua , tertiana cum tertiana ,tertiana cum quotidiana &c.Hinc anticipantes febres accessionem cum humor augetur, retardantes cum minuitur,instabiles,errabundæ,cū ex una specie in alteram trāseunt;intermittentes,&c. ut apud Gale.de different. feb.lib.2.cap. 2.& de crisib.2. capitulo 7. Quod si frigidior aer mortificat imbecilla corpora,fluxiones excitat,& neruos lȩdit,& tracheiam arteriam. Si humidior, corpus humectat, cutem, lenit,ad putria sternit.Siccior denigrat,exsiccat & incinerat. Quod si impurus,infecto corde gignit morbos pestilentes,uomitus prouocat, iuncturas laxat, spiritus deiicit, ut notat Paulus Ægineta,libro 1. capit. 49. Auicen.lib.11 Galen.1.de tuen.bon. ualetud. Hinc tempora anni,quia diuersa sunt, & aer diuersas capit impresiones qualitatum, proprios morbos habent, ut tradit Galenus, & Hippocrates in Aphorismo 3.Auicen.in 11. Hæc eadem,ad aeris commotiones, ad uentos scilicet,transferre facile est, qui ex Auicenna 1. Fen prima, prout regionis unde flant imittātur naturam,& morbos gignunt,ut septentrionales frigidi & sicci,neruorum dolores,horripilationes,pleuritim:peripneumoniam, &c. Meripionales calidi & humidi,somnum,febres putridas &c.Sic de orientalib. calidis & siccis,occidentalib. frigidis & humidis coniice, & de locis earundem regionum.At quæ sint ea quæ hæc recipiunt, & unde morbi subrepant, Hippocrates,libro de passionibus, siue de morbis quæ extra, (quem Galen.Polubio abscribit)dixit esse bilem, & pituitam, quæ corpori morbos præbent, cum nimis in corpore siccescunt,humescunt, calescunt,frigescuntq;: quod his aduenit, cibo, potu, labore, uulnere,odore,auditu, uisu, calore,frigore, uenere.

De

De causis ab alimentis. Cap. 27.

ALimenta, non omnia omnibus temperamentis conuenientia sunt, propter diuersos corporis humores, uel abundantes uel deficientes. Impura corpora quanto magis nutrias, tanto magis lædes: putrescit enim alimentū ac corrumpitur, uitiosis humoribus admixtum, ut ait Hippocra. lib. 2. aphorism. 10. Item uel propter quantitatē uel qualitatē ciborum, nimiam repletionem, uel defectum, seu exinanitionem. De potu eadē dicenda. Nec perpetuo facultates animalis corporis respondēt, nec patiuntur semper ciborum confectionē, uel in sanguificationem & nutricationem peruenire: interdum rationali nimium cogitationibus intenta, ut in studiosis accidit, quæ deuorant omnes spiritus: non uitalis animosa semper in corde disposita, nec conueniens calor, non naturalis nutritia idonea in suis partibus & functionibus, népe in at tractrice, alteratrice, retentrice, expultrice. Huc pertinent libri de alimento. facultatib. Galen. & 5. de tuend. sanit. & de simpli. med. facul. ad has causas referri possunt alimētorum lædentes excrementorum retentiones, uel quātitate uel qualitate, ut scribit Galen. lib. 1. de opt. nostri corp. constitutio.

De causa morborum a motu, & quiete, & somno, & uigilia, & continui solutione. Cap. 28.

VT motus tēperati & conuenientes, unde exercitatio, sanitatē tuentur: secundū Galen. 2. de sani. tuen. de retiū medica. & 1. & 2. aphorismorum, siue a nobis ipsis, siue ab aliis, siue a medicamentis, siue ex passionibus animæ, siue ex extrinsecis fiant. Sic illi qui excedunt, nocent pro diuersitate excessus: ut ira, perturbatio, pudor: intra & extra exercitatio acuta attenuat: lenta, crassum reddit: multa, siccat: mediocris, obesum præstat corpus: Gal. 2. & 5. de sanit tuen. Excedēs facit biliosū, febres, phrenesim, erysipelas, &c. Subsistens intra modū, pituitosum, iocinoris, uiscerum obstructiones, epilepsiam, apoplexiam, fluxiones. Neq; omnibus eadem conueniēs exercitatio, sed alia pueros, alia iuuenes, alia senes alia rusticos;

ſticos, alia litteratos, alia athletas decet. Exercitationi quies uidetur aduerſa, quæ deſides pituitoſosq; facit, ſi nimia, ſed & ſpecies quietis, ſomnus, motus, uigilia. In ſomno quieſcunt animales actiones. At ut ex ſomno oportuno, plura ad ſanitatē conueniunt; ſic ex importuno, plures morborū ſpecies, ut pituita, corporis infrigidatio, caloris innati extinctio, memoriæ deſtructio, nauſea, malus corporis habitus. Paulus Ægin. lib. 1. Auicen. 3. 1. Galen. de uictus ratione in morb. acut. probatur nocturnus, nō a cibo; reprobatur inanitis, repletis, poſt exercitationem, uacuationē, balneū, a cibo, meridianus, inquietus; ut uigilia, quæ intentio animæ mota in omnes corporis partes, ſi tēperata, bona eſt; excedens, morbos gignit acutos, delirium, maciem, adurit humores, cerebri temperaturam corrumpit, & concoctricem uim reddit imbecillem. Spiritus reſoluit, caput uaporibus replet, bilem & febrem accēdit ex perpetuo motu &c. Galen. lib. medic. finit. & lib. 12. meth. meden. lib. 3. de ſanitate tuenda, lib. 2. & 3. aphoriſmorū Auicen. 3. 1, & Galen. lib. 2. de differ. feb. Ad motum referre poſſum extrinſecè unitatis ſolutionem, uulnus, ulcera, fracturas, luxationes, confuſiones, rupturas, & id genus ſimilia.

De ſymptomatibus. Cap. 29.

SYmptomata eſt affectus proprius, ſequens morbum proprium, non aliter, quàm umbra corpus; illud autem, ſecundum Galenum de ſympto. different. c. 2. 3. 4. 5. eſt, quando apparet lædi functiones ſenſibiles, aliquo ex quinque ſenſibus, ut uiſu, auditu, &c. debilitato, aut deprauato, aut abolito, aut dolente; ſic de motu corporis abolito in parte, uel reſolutione neruorum uel muſculorum, uel debilitato, ſtupore; uel deprauato, conuulſione, id eſt, retractione muſculorum, tremore, horrore, rigore, ſternutatione, tuſſi, pandiculatione, oſcitatione, &c. uel debilitatis, abolitis, deprauatis, cogitatione, imaginatione, memoria, pulſu, attractione, retentione, alteratione, expulſione, excrementis, ſudore, uomitu, urina, ſtercore, menſibus, goorrhæa, quorum cauſas inquirit & rationes optimus medicus, ut eis ſubuenire poſſit.

De signis triplicibus, & signis temperamenti & morbi. *Cap.* 30.

HAbebit curam signorum temperamenti corporis, morbi, & sanitatis, uel maioris morbi medicus: ut ait Gale. lib. de arte medica c. j. & in c. 10. 11. & sequentib. docet signa tẽperamenti capitis, cerebri, oculorũ, & aliarũ partium princi paliũ: uocatq; signa salubria. At signa insalubria scilicet morborum, docet Gale. lib. 1. de loc. affect. c. 6. & considerat num pars afficiatur ex affectu proprio, uel per consensum: & c. 1. & 5. lib. 1. de locis affect. dat signa ægrotantiũ internarũ partiũ, ab actionib. læsis, animalibus sensibilibus, motorijs, a principi bus, a uitalibus, ab excrementis, & in his contentis: ab acciden tibus cuique parti affectę proprijs. Eadẽ Hippocrates aphoris. 2. lib. 1. aphoris. Signa autem cuiusq; ægritudinis propria collegit diligentissime & ordinate Ioan. Iacobus Vuetzer, Syntaxeũ medices parte 4. quę σημειωτικὴ dicitur. quaobrem & tam bene ab illo concinnata non retractabo. Adsunt & libri Hippoc. Prorhet. & in eos commẽtaria Galeni doctissima, & vberrima, de signis salubribus & malis ægritudinum. Deteguntur & morbi, ut plerunq;, per pulsus, & vrinæ inspectionem. in pulsu obseruant naturalem, cordis inquam, arteriarumque motũ, natiui caloris moderatorẽ; ex diastole & systole constantem, qui motibus contrariis, refert cordis & arteriarũ; & corporis dispositionẽ, in quo & obseruant habitum corporis, ætatem, animi affectus, somnium, uigilias, anni tempora; sexum, exercitium, otium: quantitatem, nũ longus, latus, altus, humilis, magnus, paruus, mediocris, frequens, rarus: qualitatẽ, nũ celer, tardus, mediocris, ualidus, imbecillis, mollis, durus: ordinem, num æqualis in uno pulsu, uel pluribus pulsationibus, nũ in æqualis in uno pulsu, scilicet an in una arteria diuersus initio, medio, fine: an intercidens, recurrens, seu bis feriens: num serratus, uibrans, conuulsiuus, undosus, uermiculans, formicans, de quibus Galen. lib. de differ. puls. & alij. In urina autem, seu, excremento secundæ concoctionis, totã vrinã excretam semel inspiciunt, frigidam in initio fine colore, habita ratione temperaturæ, ætatis, sexus, affectionum, passionũ, exercitij, tẽporis, somni, uigiliarũ, regionis, temporis, anni: & in ea cõsiderãt, substantiã, crassam, tenuem, turbidam: quantitatem,

tem,paucam,multam:qualitatem coloris,odoris:& contenta in extima superficie,nũ spuma,pinguedo,circulus: quę in media,quæ in infima sunt,& in sedimento, de quibus & iudicijs urinarũ extant libri accurati in fasciculo medicinæ P.de Mõtagna,sed longè uberior de urinis apud Gale. tom.4. Adiiciã tamen signa morborum uniuersalium: in morbo, principiũ, augmentum,statum & declinationem considerari. principij signum,cruditatem esse:augmenti, anticipationem accessionis,longiorē accessionem,symptomata uehementiora,intermissionis & declinationis tempus breuius. Porro status morbi quæritur uel pręsentis uel futuri tẽporis:status præsentis signa,accessio non anticipans nec retardans, sed æqualis:accessio neque longior neque breuior,sed ęqualis;morbus & symptomata neque uehementiora, neque mitiora; intermissionis ac declinationis tempus ęquale;Signa futuri status sumũtur, ab accidentibus extrinsecis & intrinsecis ; ab intrinsecis uel a morbi natura,ut sit tertiana uel erysipelas,quæ citius ad statũ perueniunt; si quotidiana uel œdema &c. quæ tardius, uel ab incrementis circuituum;quæ si magna,manifestum est morbi augmentũ;si parua, longius distare morbi statum ; uel a temperatura ægrotantis,si frigidior,siccior, calidior,humidior; uel a mox apparentibus, siue ab urinis siue sputis, siue excrementis alui coctis uel crudis. Ab extrinsecis futuris status quoq; colligitur,ab ætate,anni tempore, regione,constitutione aeris, uictus ratione. Porrò declinationis morbi signa,accessio tardior,longitudo accessionis breuior, morbus & symptomata mitiora & simpliciora,intermissionis ac declinationis tempus longius.

De signis prognosticis in mutatione morbi,vitæ,& mortis,seu de crisibus. Cap. 31.

CRisis Latinis iudicium, dicitur subita ac repentina, potissimum in morbis acutis mutatio: qua infirmus uel ad mortem deducitur. Gale.aphoris. 2. com. 13. uel ut ait Hippocr. 1.epidim. fit inclinatio ad melius uel peius. Dico potissimum in morbis acutis;quia in chronicis seu diuturnis morbis,crisis raro reperta est, sed paulatim fit resolutio ; in acutis uerò semper. unde dicemus cuiuslibet morbi interitum, esse uel resolutiuo,uel critico motu acuti,a sanguine ferè, & flaua

bili,

bili, longi a pituita & atrabile; acuti, phrenitis, febris ardens seu causos, synanche, pleuritis, peripneumonia, cardiacus, regius morbus, cholera, uoluulus, cholicus dolor, apoplexia, tetanus, opisthotonus, emprosthotonus, Galen. in introduct. seu medico. Verùm acutorũ, quidã simpliciter acuti, qui in 14. diebus iudicantur, alij acuti cũ decidẽtia, qui in 40. diebus. Hippocra. lib. 2. aphoris. ap. 23. & ibi Galen. & Hippoc. in prognosti. ubi uiolentia morbi maior, ibi necesse est uel cito prosterni uires corporis & mori, uel excitatos malos humores propelli & uicini morbũ, & ita citas fieri, & a centro trahi malis ad circũferentias excretiones & iudicia uel crises breuioris tpis. In tẽporibus, si principiũ morbus præterierit, aliaque tẽpora usq; ad declinationẽ uel uehemẽtia fuerint, acutus erit morbus; cõtra uerò chronicus. Crisim excretiones quędã subsequuntur, ut sudores, fluxio sanguinis a naribus uel ab alijs partibus, alui, & urinarũ proflunia, uomitiones, cũ quibus & malũ propellitur & corporis eiiturae. Sed & ante hæc præcedere solent indicia mala, ut dũ æger difficulter trahit spiritũ, delirat, caliginẽ uel splendorẽ sibi ante oculos uersari putat, uel lacrymatur, uel rubent oculi, aut tẽpora aut totum caput, aut ceruix dolore afficiuntur, aut rigor adest, aut dolet stomachus, inferiusq; labrũ tremit, ut scribit Blasius Hollerius lib. 2. Theoricę medic. c. 1. sed latius Galen. 1. de crisibus 1. aphoris. c. 12. & 13. de morbis uulgarib. ubi illa signa ad malum tendere tradit; ad bonũ aũt, mente constare, facilẽ habere anhelitum, facile tolerare morbũ, pulsuum bonitatẽ, decubitũ decentem, faciẽ sanis simillimã, corporis totius ęqualitatem, & similia quę tradit quoque Hippocra. in prognosticis. Duplex crisis in medicina, perfecta & imperfecta; siue crisis expulsionis & permutationis. in diebus quietis & tẽporis, hora crisis perfecta nunquã, sed in exacerbationũ diebus, fortiorumque paroxysmorum, semper. Conditiones bonæ crisis, hæ; Prima ut sit completa, 2. certa, 3. salua, 4. manifesta, 5. iudicata, 6. ad benignũ mutata. Crisis melior noctiũ quàm dierũ: qnia uirtus nocte unita & in quiete, quæ die fuerat disgregata, & mouet humores fortius Luna noctu. Critici dies sumunt principiũ a primo die notabilis læsionis, uel ab ęgritudinis puncto, a quo 24. horę faciũt unũ diẽ. At de numero dierũ dissidẽt aliquãtulũ medici. q̃ in diebus paribus iudicãtur, sunt discreta apta cõuersioni: quę uerò imparibus cõtra. Initium morbi est

insultus

insultus primus, huic cognitioni obseruatio horarum diei, & naturæ humorum, opem fert perpulchram. Pituita ab hora noctis tertia, hoc est, a nona post meridiem, usque ad tertiam post mediam noctem, uiget: & phlegma stomacho innatat, somnumq; conciliat; a tertia autem hora noctis, usque ad nonam antemeridianam, concoquitur sanguis, atque ab hepate elaboratur: unde mens exorto Sole alacrior, sani & ęgri erectiores, ob suauem effluxum, gratumque sanguinis habitum. Deinde ab hora 9. antemeridiana, usque ad horam tertiã pro meridianã, bilis flaua suas uices obit, quo tempore naturę uis secernit a sanguine choleram, eamq; ad fellis folliculum dirigit: unde tunc temporis facilis ad choleram & iram homo: at ab hora tertia, usque ad nonam ante medium noctis bilis atra seu succus melancholicus, clauum in corpore regit: quo temporis curriculo, ut ait Soranus, hepar desecatur, eluiturq; a sordido excremento, idque natura spleni destinat: unde tũc mens hominis obnubilatur, & ex atra densaque fuligine, animus mærore contrahitur. Quibus notatis, obserua quatuor quadrantes fieri 24. horarum diei, & singulis humoribus distribui sex horas, in quibus singulis senariis nota principium incipiens, medium pro robore, & finem pro declinatione cognosces insultus primos morbi, adnotatis naturis morborũ, atque uidebis plerunque morbos ex humoribus, si illi nuper mixti sint, incipere, & incrementum habere & intermitti cũ tempore sui humoris: sic febres continentes & quæ ex sanguine ortum habent, manè hora tertia ingruunt: tertianæ, sub meridiem hora 12. quartanæ, hora tertia promeridiana: quotidianæ ex phlegmate, circa primas noctis excubias. Quòd si humores redundent, aut inter se connexi, implicatiq; sint, ut fieri solet, non seruant legitimum suum tempus, sed sunt insultus acriores & productiores & diuturniores. In criticis itaque diebus a principio morbi, augmentum est dies tertius: siquidem expleto duarum & septuaginta horarum curriculo, id est, tertio die, humores sisti contigit, mouerique desinunt: quòd Luna eo temporis spatio, unum zodiaci signum peregerit, cuius ui humorũ decursus in corporibus perficitur. Quãobrem quarta dies erit critica, indicatiua septimi: quamuis aliquando, sed rarò, ipsa sit critica, ut apud Auicen. Synochus dicitur quarto die terminatus, unde critica sed rarò. Crisis 7. diei fortior erit crisi diei 14. ut autem intelligantur dierum

& tum-

& temporum morbi indices & decretorij, datur hæc tabella,

Dies

Indices	decretorij	indices	decret.	indi.	decret.
4	7	11	14	17	20
24	27	31	34	37	40
44	47	51	54	57	60
64	67	71	74	77	80
84	87	91	94	97	100

Hebdomadæ tres diebus 20. constitutæ.

Indi.1	decret.	indi.2	decret.	indi.3	decret.
4.	3.	4.	3.	3,	3.

Qui plura desiderauerit consulat Galeni libros, de diebus decretorijs, & de crisibus, & prognostica Hippocra,

De practica medices & diæta. *Cap.* 32.

SVperioribus præcognitis, medicus ad curationem uenit & auxilia, quibus uel conseruet, uel restituat sanitatem, & morbum expugnet. itaque confugit, uel ad uictus rationem, uel ad pharmaca, uel ad opem manuum chirurgi. In uictu ciborum considerat qualitatem, uel aduersariam morbo, uel conuenientem sanitati; item quantitatem, pro modo uirium robustarum & imbecillium, & morbi, & temporum, principij, augmenti, status, & declinationis eiusdem, ætatis, & anni partium; interdum tollit, dum oportet morborum naturam cōcoquere, ut ait Auicen. in 4. primi. Interdum minuit quantitatem, qualitatem uel utramque; interdum æquat, auget. Succum & naturam considerat cibi & potus, ex quibus animalibus, plantis, & aliis generibus escarum,

De medicamentis. *Cap.* 33.

PHarmaca & medicamenta medicus adhibet, simplicia, composita, quæ naturam alterare ac mutare possint, quia frigida, humida, calida, sicca in 1.2.3. uel 4. gradu, uel ex illis composita; & horum quædam indurant, quædam emolliunt, quæ relaxant, quæ rarefaciunt, obturant, condēsant, aperiūt, claudunt, adurunt, repellunt, attrahunt, purgant, uel media-

te,

te,uel immediate,per se,per accidens,a tota sub stãtia;ex qualitate,uel pura uel correcta, & emendata per alia. In promptu sunt libri de simpli.medicament.facultatib.nempe,Galeni,Dioscoridis,Æginetæ, Mesues, & aliorum, qui de plantis, & aliorum simplicium medicamentorum & compositorum loquuntur facultatibus. Habent autem medicamentorum propinationes suam methodum, dosim & cautiones; doses per grana,scrupulos,drachmas,uncias, libras,pugillos, manipulos, cochlearia & alia pondera & mensuras, de quibus Gale.lib.de method. meden. & de ponderibus. Obseruant per quas uias immittantur in corpus, num per palatum, uterum, anum,nares, oculos &c. Ante pharmaci exhibitionem, nauseam prohibent aceto rosaceo, aqua rosacea, apio, cotoneo, menta,myrto,pyrethro manso, ut stupeat os; poculi illitione dulci &c.uomitum arcent,extremis partibus corporis fibullis alligatis, astringentia dantes,post potum medicinæ,ut mala, mespila,sorbas &c.& post pharmacum pulticulã hordei dant, inhibent cibum statim, nidorem & odorem medicinæ hordeacea aqua pota submouent;dolorem ex ea,aqua calida pota,leuant;inhibent somnum,nisi fluxum sistere uelint,

De chirurgia. *Cap.* 34.

MEdicos Homerus in Iliad. 1. appellat Machaonẽ & Podalyrium, qui potius erãt chirurgi;nam & illi propriis manibus sanabant. Hippocra. in officinam medici, medicamentorum nullam fecit mentionem,dum institueret eũ qui manu medetur; unde prorsus medicinæ pars hæc ab alia separata. Versatur autem in diuisione & in compositione continui,in superflui sublatione, in uulnerum & ulcerum curatione. Diuisiones continui, simplex incisio,præcisio, hypospachismus,quando incisio fit nouaçula tribus lineis,ut in fronte cum oculi fluunt; periscytismus, cum per transuersales lineas fit sectio, ut in syncipite & collis particula nigricante, quæ præputium dicitur;angeologia uasis latentibus a tempore ad tempus in profundum diuisis;excisio,adustio,limitatio, sectio per serram. Compositio diuisi fit, infractorum ossium coniunctione,ligatura,luxatorum repositione, intestinorum procidentium collocatione, uuluæ quoque & intestini in abdomine,incisis auribus,labijs,naribus applicandis & suendis.

Sunt

Sunt & alia quæ ad chirurgum & manus medelam pertinẽt, enumerata in introductorio Galeni seu medico, cum de chirurgia agit. At ad chirurgiam requirit lib. de officina medi. Hippocra. ut sit ægrotans, agens, ministri, machinamenta, lumen, ubi, quomodo, quando, corpus, instrumẽta, tempus, modus, locus. Instrumenta chirurgorum plura sunt, ut spathomela, scapellum, specillulum, forfex, rasorium, euedium, acus, mele, & alia quæ apud Pollucem li. 4. Onomast. c. 25. fistula, cathera, cauteria. Marianus Sanctibarolitanus lib. de lapide renum & lib. de lapide in uesica, ad morbum illũ necessaria depingit instrumenta, rostrum, acuatum uel tertinum, syringã, tentatiuã, itinerariũ, nouaculã, exploratoriũ, ductores duos, aperiens, forcipem, duos lateres, uerriculum seu buctonẽ, abstergens, cochlear: exigo & fascias. Fasciæ autem quæ distant inter se, materia, habitu, longitudine, structura parari debent, lenes, tenues, molles, mundæ, latæ, sine suturis, sine eminẽtijs, ualentes ne rumpantur; nec minima artis pars, probè ligare fascias: uariæ enim sunt pro diuersitate membrorũ formæ ligãdi, ut laquei uarij quibus utũtur, epãgylotus, auriculæ, chiastus, strãgularis hyperbatus. Sunt & alia uincula per funes, lora, &c. Organa: & sunt aut machinamẽta, tractoria, erecta, cõstãtia, uasi, cruribus trãsuersarijs, cubitis, axibus, regulis, testudinibus, obicibus, cuneis, lunatis lignis, orbiculis, trochleis, fossis, operculis, uertebris, fibulis, radicibus, uncis, catenis, forficib⁹, sedilibus priapiscis, cochlea, cuneolis, chimiscis colũbarijs, ergata. Gale. de machinamentis in reponendis articulis, scãnũ Hippocratis dicit sufficere: meminit de polyspasto machinamento, orbiculis multis constante, & de Fabri & Andreæ organo, est & glossocomon, ad crus comminutum restituendũ, & Milei plinthiũ. Scripsit Hippo. libros de ulcerib. de fistulis, de uulneribus capitis, quos cõmentarijs illustrauit Vidus Vidius Florentinus. Scripsit & de fracturis, de articulis & de officina medici, in quos lib. amplissima edidit Gale. cõmẽtaria. Scripsit & Gale. de fascijs, quibus alligant chirurgij. Et Oribasius de laqueis & machinamentis, quibus in suos ægrotos cõmodè uti debẽt chirurgi. Extãt de re chirurgica, ꝑtiti ĩ tõstrinis Alãfrãcius, & alij, ut nõ op⁹ sit ĩ his me operã luderẽ.

De pharmacopolis & seplasiarijs. Cap. 35.

PHarmacopolæ seu apotecharij, & qui plãtas colligunt & pharmaca seruãt & uẽdũt, administri sũt medicorũ quo-

quoque. Hi medicamenta colligunt, reseruant, præparant, corrigunt, terunt, infundunt, miscent: hi colligunt medicamenta, ex lapidibus, mineralibus, ex plantis, radicibus, ex mucillaginibus, corticibus, seminibus, medullis, ex animalibus cuiuscunque generis, suis temporibus: seruant autem in apothecis, conuenientibus uasis & cellulis, & pixidibus debito loco. Eaque præparant, adustione & ablutione, combustione, putrefactione, colatione, distillatione, succi expressione, decoctione, mixtione aliorum, torrefactione, assatione, desiccatione, dealbatione, liquefactione, despumatione. Præparationẽ & correctionem medicamentorum docet Mesue. Debet autẽ ualde peritus in simplicium medicamentorum cognitione esse pharmacopola, & cuius sint gustus & saporis, num amara, dulcia, acetosa, pontica, insipida, saporis alicuius: si in uiribus dignoscendis polleat optimum: cui opem ferent Galen. lib. de simpl. medicam. faculta. de simplicib. Auicenna, Serapio Bulcasij seruitor, de historia plantarum libri Dioscoridis, Amati Lusitani, Ruellij, Matheoli, Fuchsij, Leoniceni, & aliorum similium. sic non incidet in errores quos dicunt, ut quid pro quo, hoc est, ut speciem alienam pro alia, subiiciat: in miscendo, debet põderum præscripta & simplicium adiectiones obseruare, & in ea miscendi arte præsciat, quòd electuarium sit electũ ex uariis: opiatæ ab opio, condita præparata: lohóc, syrupus inspissatus ad modum electuarij: confectio, quæ lambendo deglutiẽda; iulep, clarificata potio; syrupus, liquor potabilis ex succis uel seminibus uel herbis cum melle & saccharo, &c. qui coctus dicitur dũ inter digitos uiscosus, uel si coaguletur super marmore; ut sapa uinum est coctum ad spissitudinem ex musto; rob, succus inspissatus ad modum mellis, trochiscus, aggregatio specierum in modum rotulæ cum aliquo liquore, pilula a rotunditate in modum pilæ. Emplastrum respectu unguenti dura confectio, sine oleis; unguentum, mollis confectio cum oleo uel adipe & cera & aliis, unctio, omnibus liquidior, cum oleis sine cera uel cũ ea modica, cataplasma ex succo & herbis solum. Epithema, de succis unctio solũ; sacellus, uel sacculus, cum in sacco medicina ponitur, fumigatio uel suffitus, fumo recepto. De quorum omnium commixtione & operatione, tractat Mesue in 2. parte, & sequentib. Nicolaus, & Platearius & Ioannes de sancto Amando, in antidotarijs, liber seruitoris; extat & liber apothecis protritum,

Dispen-

Dispensarium dictum, quem Ioannes du Boys pharmacopola Parisiensis, nuperrimè scholijs illustrauit, libro inscripto In methodum miscendorum. Ad mediastinos hos medicos, referendos puto Iatraleiptas, id est, reunctores, qui unctionibus utuntur, unde professio Iatraleiptica, a Prodico inuenta, apud Plinium lib.29.cap.1.

De coquo Cap. 36.

REmedia uera morborum paupetrimus quisque cœnat: Nam si ex horto petatur aut herba, aut frutex quæratur, nulla artium uilior fiet medicina: & naturæ placuit uulgo esse remedia parata quæ paratu facilia, & sine impēdio, ex quibus uiuimus; malitia autem hominum simplicium compositiones & externorum medicamentorum inuentiones inuenit, ut ait Plin.lib.24.cap.1.sicuti & uoluptatis ministros coquos, quos tamen aliquantum necessarios ducunt & medici. Nam sicut pædotriba est gymnastæ minister, ita & medici coquus, ut ait Gale.de sanit.tuend. Et Athenæus lib.7.gymnosophi.c.14.bonus coquus, inquit, bonus debet esse medicus, ut noscat ciborum uires; geometra quoq;, ut disponat bene suis partibus cœnam; & plura de coquis lib.9.c.5.& 8. Platina lib.1. de honesta disciplina exigit coquum longa arte & experientia doctum, patientem laboris, sine squalore & spurcitia, qui noscat carnium, piscium, olerumq; uim & naturam; ut quid assum, frictum, elixumve fieri debeat; gustu ualeat, ne salita nimis uel fatua apponat; ne sit gulosus, edax, ne domini cibos intercipiat; ad domini palatum respiciat. nam, ut ait Martialis lib.14.epigram.220.

Non satis est ars sola coquo, seruire palato.
Namque coquus domini debet habere gulam.

Et certè sanis & ualentibus, sicuti nec de medico cura est, neq; illi cōdimentis & appatatu uel delectu ciborū egent melius q; ut sit illis optimū condimentū, & pro coquo fames & labor, & necessitas; sic ægris & malè se habētibus, & medicus & ciborū distinctio exigitur; aliis enim fricta, aliis assa, aliis elixa nocent, aliis salita, aliis pisces, aliis alij cibi uel prosunt uel officiunt. Sic de male coctis, de crudis, de oleribus dicendum, & quosdā nausea uexat, quosdā cruditas stomachi, quosdā orexis, quosdā deiectio appetitus, quibus omnibus instar medici coquus erit. Is enim sua opera consulet accendendo, inflammando, purgando, scindendo, lixando, frigendo, assan-

do,abstergendo,torrendo,macerando,distillando, cribrãdo, pinsendo,condiendo, saliendo, & alio modo aromatibus tẽperando,olla,patina,cultro,ueru,toryna,cochleari,lebete,clĩbano,fornace, & similibus instrumentis, de quibus apud Iuliũ Pollucem lib.6. Onomast.cap.11. potissimum si norit ab idibus Februarij usq; ad 8. idus Maij, quo tpe sanguis augetur,bonis & temperatis cibis utendum, addendũ potioni,diminuendũ cibum,utendum carne & oleribus,paulatim ad assa ab elixis transeundum : dehinc ab 8.iduum Maij usque ad 8.id.Augusti, quo tpe cholera uiget, utendum frigidis & humidis,carne assa,potione dilutissima;& ab 8.id. Aug. usq; ad 8.id.Nouembris,quo tpe dominatur malancholia, utendum acidis,acribus;deinceps ab 8.idus Nouẽ.usq; ad 8.Febru.quo tempore pituita dominatur,utendum abundantiori cibo,carnibus elixis, oleribus modice. Prodest & coquũ qui disponit epulas,nosse quæ duræ,quæ facilioris concoctionis, quæ boni malive succi,qui fructus horarij, qui potius in mensa præponendi cibi, qui in finem & pro bellarijs reseruandi ; & sic maximam opẽ sanitati adfert;alioquin autem, si tãtum ad uoluptatem & proritandam gastrimargiam & edacitatem, uel ad fastũ,ut solet,coquus adhibeatur, uelut instrumentũ decoctionis patrimonij, administrum Veneris, inuerecundiæ, & perniciem corporis cum ferculorũ uarietate & condimentis, ut portas inferni abominor,cęnasq; eorũ & dominos dignos cruce opinor,ut prodigos & decoctores iudico, & pauperũ fures,qui una cęna tot epulas perdant, quæ fame pereuntes possent abunde reficere, & pecunias ad uehenda gulæ proritamenta perdãt,quæ aliter plurib. sufficerẽt:quare hic leges cẽsorias reuiuiscere exoptẽ,ut M. Scauri consulatu latam, quæ glites cœnis & conchylia & ex alio orbe conuectas aues ademit;ut ait Plin.lib.8. cap.56.& lib.36. cap.1. Et eam per quã erat & in antiquis cænarum interdictis a C. Fannio consule statutum ne quid uolucrum poneretur præter unam gallinã, quæ non esset altilis,teste Plinio, lib. 10.c. 50. & eas quibus cænis interdicta abdomina,glãdia,testiculi, uuluæ, syncipita uerrina, quæ ganeæ in quinquaginta fere sapores, ut suũ carnes cõuertebant,ut ait Plin. lib.8. c. 51. Vellem & legem obseruari Romuli,ne pp pretij summã magnã, quis maiores sed minores emeret pisces,quam idẽ Plin. refert, lib.32. cap.2.ut Adrianus Cæsar diligentia iudicum,sumptus conuiuij consti
tuit,

tuit,ut ait Spartianus in eius uita. Sed de coquo hactenus. De arte coquinaria scripsit Platina, lib. de honesta uolupt.

De veterinaria medicina. Cap. 37.

SVb hac comprehendimus, ut monui, non tantum ea quæ pertinent ad curanda animalia quæ uehendis rebus inseruint, ueluti ad iumenta, equos, mulos pertinentia, sed & per similitudinē remediorum & morborū, ea quę armētalia sunt, & pecoris, & canum, & auiū, & aliorū animalium: hæc enim omnia in usum hominum quoque à Deo concessa sunt, & id circo cura indigent & sollicitudine. Extāt, τῶν ἱππιατρικῶν, id est, de equorum morbis, Græci libri duo, ubi ueterinaria absoluta de morbis & eorū cura. agitur quippè ibi, in primo de febre equi, de malide, de peste, de pulmone, & de corrupto, & eius morbis, de hordeatione, de sanguinis missione, de oculorum morbis, de admissura & perferendo uentre, de parotidibus, ulceribus, tonsillis, angina, strumis, de ceruicis morbis, maxillarum, cardiaco, de nephritide, cū equus posteriore parte tractim progreditur, & uacillans inter incedendum parietes ambit: de dolore uētris, iocinoris, urinæ, de eius suppressione, stillicidio: opisthotono, rigore neruorū, intestinis, aqua intercute, sanguinis profusionibus, obstrusionibus, torminibus, inflammatione iliorum, genuum defluxionibus, suffarginosis, tuberculis ungularū, podagra, pilorū marcore, de liquido stercore laborantibus, serpentibus, ulceribus, rigore pilorum. Et in 2. tractatur de ulcerato ore, de fatigatis, distentis, spiritu & agitatione uexatis, de æstuatione a uia, de rupta arteria, de cōbustis a calce, de fame cruciatis, de strigiosibus & extenuatis, de scabie, de uulneribus cauium locorum, de deuolutis in foueas, de cohibendis calcitratibus, de fractis, de cholera humida & sicca, de carcinomate, abscessu, furunculis, marisca, fisco, uerrucis pedum, neruorum uulneribus, de ictis a serpentibus & scorpionibus & alijs uenenatis. de hirudinib. de prouenientibus ex gallina ueniente ad præsepia, brassica cum freno depasta, seu aconito, cicuta uel erucis. De pediculosis animalimalibus, de cruditate, oppletione, castratione, fractione, furore, defluxionibus a capite, pedūm mollitie, sideratione, lęsis strigili, de topaceis callis, de proterentibus cornua ambulādo: tractatur etiā de armentitijs pecoribus, quomodo alui directionē mollire oporteat, & de media laborātibus, de exerci-

tijs equorum, domitura, cornus incremento, de rimis seu ragalibus, de glacie ambustis, de fistulis, & diuersis malagmatũ speciebus. De equorum morbis, & Virg. l. 3. Geor. ibi.

Labitur infœlix studiorum atque immemor herbæ, &c.

Non omiserunt rusticæ rei authores curam aliorũ animalium tradere. De ouium cura, Columella lib 8. cap. 2. 3. 4. 5. & 7. Et Virg. lib. 3 Georg. De caprarum cura, Varro de re rustica, lib. 2. cap. 2. & de alijs animalibus rusticis, sequentibus cc. De cura apum & morbis, Virgil. 4 Georg. & alij rei rusticæ authores. Prodita remedia de auibus, potissimum de his, quibus ad uenationẽ utimur, contra pẽnas uel ruptas uel dissipatas, cõtra earum sitim, cruditates, & alias ægritudines, & de cauum morbis & remedijs. Estque liber editus ab authore, qui uulgari Gallica lingua scripsit, Gulielmo Tardit, *de l'art de faulconnerie et deduict de la chasse*, & a Iacobo Phouilloux, li. *de la uenerie.*

Quare animalibus medicina conueniat. Cap. 38.

NEc mirum uideatur, si & animalibus medicinę attribuatur, cum ferè pars maior medicinæ & remediorũ ab eorũ cura ortũ habuerit, ut docuit Plin. li. 8. cap. 27. Monstrauit Ibis Ægyptia auis uomendi modum. Ceru dictamnum pro extrahendis sagittis, docuit & per cancrorum pastum contra morsus uenenatos auxiliũ, ut & apri iisdẽ cõtra ederam esam utuntur; chelidoniam uisui salubrem, hirundines; testudo cunilæ contra serpentis usum; mustella, econtra uenena rutã; ciconia origani uim; anguis fœniculum exuuias relinquens, & marathrum contra defectum uisus; draco contra uetnam nauseam, syluestrem lactucam; panthera contra uenenum aconitum. pardaliancheῖ; elephas, chameleonte deuorato, oleastrũ; ursi contra mandragoras deuoratas, formicas; palumbes, graculi, merulæ, perdices, cõtra annuum fastidium, lauri folium; contra eundẽ, columbæ, turtures, gallinacei, elxinem; anates, anseres, & aliæ aquaticæ sideritem; grues iuncum palustrẽ; corui contra uirus chameleontis, laurũ. Refert quoque Basilius Magnus homil. 9. exameron, ursam sauciã uulneribus, uerbasco sibi mederi; testitudinem contra uenenum uiperæ morsus, origano pasto; uulpes laricis lacryma uulnera sibi medicari; anguem fœniculo lippitudinem tollere.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXIX.

Vbi agitur de venatione.

De vtilitate & causis venationis. **Cap. I.**

SVnt plura adiaphora, quibus quis uti uel abuti potest, quorum ex numero maxime uidetur esse uenatio: ea quippe si licitè exerceatur, uenatio artificium uel officium est & exercitiũ utile & honestum: si illicite, summæ lenitatis & maleficij erit. Iulius Pollux Commodo imperatori scribens li. 5. Onomasti. in principio, vt studiosus fit uenationis admonet, quòd hoc studium sit heroicum, conferens ad corporis animiq; bonam constitutionem, sitque militaris audaciæ specimen: quæ exercitatione efficiat robustum, celerem, laboriosum, idcirco ualdè celebre apud Persas, ut scribit Xenophon lib. 1. Cyripæd. & Atheneæ. lib. 1. dipnosoph capit. 20. utuntur, inquit, apud Homerum uenationibus iuuenes, ad bellica pericula deuitanda, & omnibus indagationibus, quibus robustiores salnioresq; efficiantur. Manet namq; ut ait Horat. ode 1. lib. 1. carmi. sub Ioue frigido uenator, teneræ coniugis immemor &c. Præludium ad militiam dicit quoque Philo Iudæus uenationẽ lib. de uita Mosis. multa de iisdem & Xenophon lib. de uenatio. Cicero pariter illud exercitiũ li. 2. de natura Deorum, putat ad similitudinem disciplinæ militaris pertinere. uerum iẽ proprius attigit, dũ & ad uictum facere subiecit. Iam uerò, inquit, immanes feras & belluas nanciscimur uenando, ut & vescamur his, & ut exerceamur in

mur in uenãdo, ad similitudinẽ disciplinæ bellicæ, & utamur domitis & condocefactis, ut elephantis, multaq; ex eorũ corporibus remedia morbis & uulneribus eligamus &c. Arbitror autẽ ego primã causam uenationis ferarũ fuisse, ut ab earum iniuriis se expedirent homines: deinde uictum: neque enim animalibus ab initio seculi uictitatum fuit, ut plures ferequè omnes probant, sed glandibus & terræ frugibus tantùm: quin & erant domestica semper animalia, armentalia, & pecora, quibus sine uenatione uti potuissent, si uoluissent in cibum homines, ut ait Genesis cap. 4. Postmodũ opinor illud quod primum necessitate fiebat, transiisse in uoluptatem, gula ad electionem ciborũ proritante, uel animo in sæuitiam ab humanitate degenerante, ut a ferarum morte quotidiana, in homines quoque sæuire ausi fuerint postmodũ: non secus ac initium bellorum Romani in urbe faciebant a gladiatorũ crudelissimis spectaculis, ut ait Iulianus Capitolin⁹. Sic Nẽbroth ille primus, ut fertur a Iosepho & alijs, tyrãnus, robustus erat uenator, Genesis 10. multas enim nouerit insidiarũ oportet species uenator, qui feras persequitur, quibus animus semel imbutus, uix ab insidijs proximorum se potest temperare, ut non immerito fuerit rusticis, regiis constitutionibus Gallicis uenationis usus interdictus, qui deinceps nequirent ob syluestrem naturam a consuetudine uenandi feras cõtinere, quin ad uenationem hominum & latrocinia transirent, uel saltẽ cultum agrorum relinquerent, & persequendo lepusculo, tẽpus culturæ destinatum contererent. Refert & Gaguinus libro decimo, in Ludouico 11. Ludouicum 11. initio regni, omnem propè uenationis consuetudinem prohibuisse, ita ut esset piaculum aues aut canes alere, cassibus uti, insidiari feris animalibus, nisi quoad ipse permitteret. Inhibuerunt & sacri canones uenationem clericis & antistitibus. Non coniiciam hunc in locum, tumultuosam & inquietam uenatorum uitam, iniurias quas irrogant agrorum & syluarũ dominis, uinearum fructibus, satis & nouellis plantis, non temporis iacturam, qua nulla maior: non hominum, canũ & auium aucupantium, & uenantium expensas, quæ sæpe dominos deuorant, ut Actæon ita præda suis canibus dicatur fuisse, hoc est, omnem illius substantiam illis fuisse consumptam. Omittam & abusum per quam maximum, ut mulieres etiam nunc in uenationem pergant: uelit Deus ne illa ars illis uelamen-

tum sit turpitudinis & prostratę castitatis, ut fuit Didoni & Æneæ, teste Virgil. lib. 4. Æneid.

Venatum Æneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant,&c.

Et Daphnæ,& Leucippo apud Parthenium in Eroti.ca.15. Diodotum elactem in elegiis, & Philarch.lib. 15. Agathoni & Rheso apud eundem Parthe.Erotic.c.36. Transeo pericula mortis quibus se obiiciunt, uel quæ inquirũt uenatores pertinaces, ut uenandi studio usq; ad insaniam Adrianum detineri & ad uitæ periculum usque, ut ait Dion in Adria. quare Borisţheni equo, quo utebatur ut plurimum mortuo, sepulchrum fecisse & columnam & epigramma, meminit Ælius Spartia. Possem hic plurimos recensere mortuos uel acriter uulneratos a feris, uel excusos equis, uel occursionibus arborum, uel fame, uel temporum tempestatibus enecatos, quos classici describunt authores. & Ioan. Salesberiensis in Polycratico li.1.c.4. Nolim tamen quis mihi succenseat, ueluti prohibenti omnino uenationem, non enim prohibendam censeo temperatã & necessariã; Nam & aliquando M. Antonius Philosophus imperator, etsi studiosus, a grauiorib. reipubli. curis animum remittens in uenationem pergebat, ut scribit Iulius Capitolinus in eius uita, interdum piscãdo se oblectabat. Venabatur & piscabatur non nũquam Alex. Seuerus, alioquin reipub. intentus, teste Lampridio in eius uita. ualdeq; necessarii sunt qui animalia fera, nocẽtia capiant & exterminent. Sic enim Orion ob prædam magnam captam ferarum, Helicen insulam cicurem reddidit, antea incultam, ut author Parthenius in Eroticis. Sic cantico. 2. capite, uulpes paruulas, quę demoliuntur uineas,&c. Sic de apris, ceruis, leonibus, & similib. dicendũ, quos expedit a satis & frugibus abigi & capi: minus quoque reiicio uenationem ferarum & animaliũ, quæ uictui necessaria uel conducentia sunt, cum Deus animalia omnia in uictũ homini concesserit, Gen. 9. probo etiam ualde eã otiosis, ne nihil agentes male agere discant. Dummodo sine iniuria & damno alterius fiat, & leges seruentur. Plat. li. 7. de Legib. dum præscribit, uenatorẽ nocturnũ, retibus & canib. suis fidẽtem, nemo uspiã sinat uenari, Anceps per incultos agros montesq; uagari permittatur. A cultis locis, sacrisq; incultis, a quocũnq; pellatur. Piscator nec in portubus, nec sacris fluuiis, paludibus, stagnisq; uenetur: in aliis liceat, dummodo

modo succorum non utatur permixtione.

Quid & quotuplex uenatio. Cap. 2.

VEnationem Varro, in 4. de ling. Lati. ab aduentu uel euentu dici ait, quod non certa præda est: multi quippe uenantur, sed non omnes prædam consequi euenit. Græci a feris ipsis uenationem dicunt θηρεύμα uel θηράγραν, ut uenatio sit ferarum uel animaliũ indagatio uel persequutio. Plato in sophista capturam, uenationẽ esse animaliũ dixit, ego quoque uenationem dici capturã fateor, at non perpetuo in uenatione esse capturam. Quamobrem cum genera diuersa sint animalium, saltem tria, quorum cibo utimur, neque quadrupedia, alia uolatilia, alia natantia uel aquatica, ideo tot species uenationis cõstituemus, nempe uenationem aucupiũ, & piscationem, non enim loquemur de uenatione cicadarũ, que puerorum, de qua Theocri. sic ait, εἰδυλλίῳ primo, αὐτὰρ ὅγ' ἀνθερίκεσσι καλὰν πλέκει ἀκριδοθήραν σχοίνῳ ἐφαρμόσδων, id est, seu ille, scilicet puer, ex culmis pulchram cicadis capiendis decipulam iunco concinnans, &c. neque etiam loquemur de specie uenatoria quam Plato in Sophista, & 7. de legibus dixit animalium mansuetorum scilicet, & ommittimus prædatoriam hominum, & tyrannidem, dum homines in seruitutem rediguntur, captiuitatem militarem, priuatam persuasionem, amatorum uenationem; captiones hominum per gratiam, per uoluptatis illecebras, adulationem, pyratica, latrocinia & alia quæ uenationes hominum dicit, quæ certe ueræ sunt inescationes, ut uerbo Terentiano utar, dum ait, abi, nescis inescare homines, Omittemus etiam uenationem illam ferarum, quæ a damnatis in ludum uenatorium, intra cancellos & continentes parietes fiebat, & ad quam rei tantum criminum damnabantur, ut ait Vlpia. in l. aut damnum, l. 8. de pœn. lib. 48 ff. tit. 19. In omni autem uenatione, consideramus in summa, animalia ipsa, loca ubi capienda, personas quæ uenantur, & instrumenta, ad capturam.

De uenatione animalium quadrupedum. Cap. 3.

IN hac feræ maiores & minores sunt distinguæ; maiores trimali ceruі, apri, leones, pardi, lynces, pantheræ, ursi: minores,

res,uulpes,taxi, cuniculi,lepores,in his omnib., personæ quæ ueua tur officium est,ut ait Plato in Lache,explorãdo disquirere, sagaciter insequi,neque ignaue desistere.&,ut ait Iulius Pollux li.5.c.1.uestigia animalium, siue signa terræ impressa considerare, recta,directa,confusa,abscondita, uelocia,acuta;der syluas,saltus,lucos,montes,antra,dumenta,lustra, paludes,inculta,campestria,agros & sata,cubilia,&c.quæ persequitur per capita quæ sequuntur. De uestigiis etiam & quod hyeme multum lepores procedant,parum ęstate,tractat etiã Xenophon de uenatio Venator quoque optimus ferarum, annos coniicit ex uestigio & excrementis, in ceruis, ex attritu contra arbores facto,ex uoce.Capiuntur animalia magna. tẽdiculis, laqueis ualidis,machinis,fossis,leui calamo,copertis, seu foueis,canibus ualidis,quibus milas uel collare acuminatum pro armatura imponitur,lora & facie,cassibus,retentib, iaculis,uenabulis,lanceis,hastis dentalibus,& leones aconito ueneno. Venantur Indi simias,calceis,speculis, & unctionib, nam illę imitari cupientes uenantium factum, qui se speculo apparatunt,ungentes oculos melle, & calceos inducentes,illæ calceis,laqueo,uel unguentis irretiuntur. ut ait Diod. Sic. li.17.Biblioth.in anno 9. Alexan.eadem imitatione capiuntur ottides,ut scribit Athenæus li 9.c.14.in canibus, in robore,in odoratu, in leuitate est electio facienda pro ferarum diuersitate & modo uenandi. Dum uestigiis inhærendum,maxime odoratu ualere debent, quo aliquando destituuntur, si enim gelu sit, torpent naribus canes,nisi dies & Sol resoluat.Deletque uestigia leporũ ros multus,australis imber.retinet septentrionalis:in plenilunio uestigia incertissima,quod Luna extenuet halitum.Perturbantur etiam uestigia,si uulpes antea pertrãsierit,florum quoque odores in uere.ante flores certa,æstate,exilia,quia terra feruens abolet quicquid est halitus,cuius rei rationem tradit Theophrastus li.6.de caus.plãta.c.29.unde uera uenatio leporis,a medio Septembri usque ad medium Aprilem.Ex agris subduci debent in lepores canes cursores, indagatores secus lenem uenti auram, nã si uentus acer & ualidus, dissipatur odoratus, quod & in uenatione cothurnicum & perdicum seruatur. Omitto reliqua, quæ lãcius quis uidere poterit apud citatos authores, & apud Iacobum Phouilloux qui ex illis nuperrime Gallice edidit librum de uenatione.

De

De aucupio. *Cap.* 4.

AVcupium, dicitur auium uenatio, uel per aues aliorum animalium, ut leporum. Capiuntur aues retibus, reticulis tendiculis, laqueis, plagis; ut ait Aristopha. in auib. decipulis, pergulis, uiſco, & bubone, uolati auium prædatoriarum, canibus, iaculis, & quolibet telo, ineſcatione, cãtu fiſtulæ, ut in muſicæ effectib. diximus. Prædatoriarum uel rapatium auiũ plures ſunt ſpecis, quarũ tibi nomina Gallica ex Bellone li. 2. de auibus ca. 14. & ſequentibus recenſebo, a quo uel melius a Plinio & Ariſtot. libris de hiſtoria animariũ naturas hauries, Oſſifragus, uaultour Giapetus. un buſard: Buteo ſeu triorchis, le ſacre; Æſalo, lanier; Circus, le fau perdrieux: Stellaris, l'autour; Accipiter palũbarius, le faucon. Pernes Subuteo, le hobreau. Percus aut ſpiza, l'eſperuier; Phrino locos, le goiran; Leues, l'eſmerillon. Chalcis, bondree. Sunt & aliæ quarum inſigne, roſtrum incuruum eſt.

De piſcatione. *Cap.* 5.

QVando animantia aquatilia uenamur piſcari dicimus: eam Plato in ſophiſta uel de ente, in duo membra diducit: aut enim retinaculis, in quit, aut percutiendo piſcamur; reticula, retia, naſſa, laquæi, uerriculum, & noctu ad lumẽ, & interdiu. Ad percuſſionem pertinere putat hamos, quib. ore capiuntur piſces, trahẽte uirga & calamo ſubſidente ſubere. Nero piſcatus eſt rete aurato, purpura, cocco que funib. nexis, ut ait Suetoni. in Nerone c. 30. Anguillæ turbata prius aqua, a piſcatorib, capiuntur: quia illę puriſſima aqua delectantur, nam turbida ſuffocantur, habent enim branchias tenues, quæ facile turbida aqua obturantur, ideo aqua turbidata, ex fundo emergunt, ut ait Athenæus li. 7. cap. 17. Manu cancri ex foueis educuntur, & lumine & conceſſione aquæ, in modum tonitrui, ſub cuius tempus abditis cuniculis exeunt. Forſan hæc uenatio inutilis erit Pythagoreis. qui nunquam piſces guſtabãt, cum alia animalia mediocriter attingerent, ut ait Athenę. li. 7. c. 25. Item in Syria, olim in ciuitate Aſcalone: ubi adorabãt idolum quoddã ſuę deæ Dereetæ ſemipiſcis, & piſces pro diis habebant, ut ait Diod. Siculus lib. 3. c. 16. hanc uocat Gatidẽ, & erroris afert cauſam Athenæus lib. 8. c. 8. c. 6. Atque etiam Ægyptiis ſacerdotibus nephas olim de piſcibus guſtare, ut ait Herodo. lib. 2. Sed non particularibus. uel regionibus, ſed utilitati omnium publicæ hæc ſcripta ſunt.

SYN-

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER XXX.

Vbi agitur de artibus fabrilibus.

De fabrilium ærtium genere. Cap. 1.

FAbrilis artis species uariæ sunt: cum hoc nomē sit generale ad omnes, qui operantur in materia aliqua dura, seu lapidea, lignaria, ferraria, aurea, argentea, & ad similes pertineat, a quibus fabri cum additione materiæ, in qua operantur, dicuntur.

De architectura. Cap. 2.

QVi ædificant domos, & faciunt statuas, fabri dicuntur a Vitruuio lib. 2 de archit. c. 1. Atque inter fabrilia in artem transit præstantem secundum Vitruuium in 1. c. 1. Architectura, ars, inquam, bene ędificandi: sub cuius uexillo symbolum dant fabri lignarii petrarii, ædificatores & cæmentarii, & opificij desig natores, ædium compositores cum symmetria & proportione. Vitru. lib. 3. Nam hāc artem ratiocinatione & fabrica constare uoluit: Et Leo Baptista in proœ. de re. ædificato. fabricam usus manus exequitur. ratiocinatio demōstrat proportiones, & qui cognuscit materiā qua utitur, architectus quodamodo est, ut ait Aristo. 2. Phys. c. 2. Et cuius præscriplio faber ædificat, architectus, & minister quoque. Aristot. 1 magno. Moral. c. fin. differre tamen possunt, quod architectus

chitectus intelligit quæ facit: faber tamen solus non intelligit semper quæ agit. 1. Metaph. c. 1. Ita Plato intelligendus est, dum in li. ciuili uel de regno ait, architectum nullum manuum ministerio uti, sed utentib. præsidere, id est, architectura sit magis speculationis, quam ministerii. Sic in Clitiphone Plato, ab architectura, inquit, duo fiunt, ædificiũ uidelicet, & architectura: illud quidem opus, hæc autem doctrina. Cõstat autem ea, ut idem ait c. 3. li. 1. ædificatione gnomonica, obseruatione, & machinatione. Ædificatio duplex, publici & priuati operis. Publici operis est uel causa defensionis, uel causa religionis, uel causa oportunitatis. Defensio habet muros, turres, propugnacula, aggeres, portas, & alia, de quib. Alber. Duretus lib. edidit, & Vitruuius in 5. Religionis ædificationes, ædes sacræ, templa &c. de quibus ædificandis Vitruuius lib. 3. & Baptista li. 6. & 7. & Sebastianus Serlio li. 5. de architect. Opportunitatis sunt, ut portus, fora, porticus, balnea, theatra, in ambulationes, & similia, in quibus & habetur ratio firmitatis, ut ad solidum usque, quod uocãt, baume, fiat fundamentorũ depressio & materiæ sine auaritia bonę electio. Item utilitatis, simul uẽtorũ, regionũ & Solis, sed & ex usu locorũ, & uenustate depromitur consideratio, quæ Vitruuius li. 6. 7. & 8. absoluit. Et hæc quoque in priuatis consideranda ædificandis; nam & domus quælibet ex philosophorũ sententia, minima est ciuitas: ibi atrium, xystus, cœnaculũ, porticus & huiusmodi in apta regione situq;, habita ratione firmitatis, utilitatis, honestatis, dignitatis, amœninatis, temporis hyberni & æstiui, ędificabũtur. Necessitas primum uideatur, ad quem usum ędificatur, deinde sequatur commoditas, postea si possit uoluptas. Ibi fenestræ, scale, spatia, putei, cloacæ, præurnia, focigula &c. probe disponantur.

De partibus architecturæ. Cap. 3.

IN summa, architecturæ partes sex erunt: ordinatio, dispositio, eurythmia, summetria, decor, distributio. Ordinatio, est summaria cõprehensio eorũ quę facienda sunt. Dispositio, apta faciendorũ in partes distinctio, idea operis & figuratio, quę triplex, ichnographia, leuis scilicet in solo operis effiguratio, uocant, le palu, Galli; orthographia, erecta frontis operisque imago, adũbrata maiorib. partibus, modelle imparfaicte Gallis:

lis:Scænographia,omnium laterũ & partiũ,in figura constructio,est quod dicũt,modelle esteuee,interdum lignea, interdũ pictura adumbrata.Eurythmia est, operis uenusta species. Symmetria,partiũ inter se conuenientia & proportio conueniens.Decor,operis emendatus aspectus. Distributio,est copiarũ lociq;commoda dispensatio,habita ratione facultatũ ædificãtis,materiæ,quæ inueniri potest,rei ædificãdę;aliter enim urbana,aliter rustica ædificantur,aliter diuitum, aliter pauperũ ædes,aliter parietes firmiores qui duas uel plures cõtignationes ferre debent,quam qui unam:illi enim uel diplinthij, id est,quorũ laterũ,uel triplinthii esse debẽt:isto esquipedales esse sufficit:aliter ædificatur paries reticulatus, aliter imbriacus,aliter cratitius, aliter formaceus,aliter cratricius, aliter isodomus,& pseudiso domus &c. de quibus Vitru. li.2.archit.c.8.& ibi Philander,Plin.li.36.c.22.& li.35.c.14.

De gnomonices parte. Cap. 4.

GNomonicę architecturæ pars uersatur in geometriæ principiis, & mensuris,quibus architectus areas possit complecti mente,& metiri per lineas,& figuras quadratas, trigonas,& similes,de quibus in Geometria dictum est.Tractat & de rationibus umbrarũ per stylum horologiorũ:& idcirco annexã habet Astrologiæ ea in parte cognitionem,de qua iam proprio lib,diximus.Explicat autem hanc gnomonicæ partẽ Vitru.lib.9.archit.

De machinatione. Cap. 5.

DE machinatione quædam etiam tractauimus initio mechanicarum:hic tamẽ machinatio ad fabrilẽ fere lignariã operam pertinet,uel ad aliam potius quam cæmentariam quã explicat Vitru.li.10.in qua agitur de arrectariorũ uel transuersariorum dispositione,clatratione,reticulatione, de quibus & Vitru.lib.7.cap.3.in fine & lib. 2. c. 8. in fine. Machina portio est continens ex materia coniunctio, maximas ad onerũ motus habens uires.Machinatio autem quæ arte mouetur circulorum rotundationib.,triplex genus;scansoriũ pneumaticon seu spirituale,cum spiritus expressionib. impulsus,& plagæ uocesq; organice exprimũtur: tractorium, cum

nera

onera machinis trahũtur, aut in altum ducuntur, Inter machinationes quotidianas numerantur rotæ, folles fabrorum, rhedæ, cisia, torni, ficculę, prœla, uectes. Tractorię machinationes ædificationis templorum canstant tribus tignis, trochlea, orbiculis duobus, axibus, fucculis, forficibus accedũt machina trispastos colosicotera, artemon, tollones. Inter machinas ad hauriendã aquam, tympanũ, folles, cochlea, ctesibica, hydraulicaq; alia organa. Sunt & aliæ figendis palis uel subliciis pronis uel directis, & lapidibus accõmodæ fistucæ maiores & minores. Sunt & ad molendum rotæ & tympana. Ad præsidia, scorpiones, catapultæ balistæ. Ad expugnationem continendam machinæ aries, turres ambulatoriæ, testudines arietariæ, epibathra seu, ascendẽs machina, coruus demolitor, uel grus, sambucha, exostrum, criodoce, uel arietaria trabs, testudines, oryges ad fodiendum idoneæ. capreoli, plutei, pinnæ, & ex illis cõtabulata, aliaq; id genus, de quib. in re militari iã dictũ.

De fabris ministris architecti. Cap. 6.

MInistri architecti, & cæmentarij, sunt & qui ex lapidicinis exerunt lapides, marmora, quiq; scindũt & poliunt & columnis, figuris, imaginibus distingunt, pauimentis, ædificiis, tectis in ferunt, ad libellam nornam & perpẽdiculum, & qui pinsant, fingunt, formãt & decoquunt lateres, ex terra, affines figulis, qui ex terra, quoq; uasa ad rotam componunt, & fingunt. Adsunt eisdẽ architectis fabri lignarii, qui trabes rudebant, poliunt, dolant, disponunt, & cõtabulant: scalas componunt, uel recti itineris, uel cochlides. Fenestras, ianuas, cancellos, asseres, reticulatas uel spicatas colligationes, ut terra commixta fæno repleantur, parant. Subseruiunt etiam fabri ferrarii, qui clauos, uirgas ferreas, pessulos, clathra, uectes, serras, claues suggerunt, cancellos, aliaque instrumenta contribuunt fabris aliis, ut malleos pinalleolosue, dolabras, secures, scalpra, trullas, rutabula ferrea, serras, cultros, ascias forcipes, terebras terebella, & similia. Et quia ornatur ædes simulachris & imaginibus, statuis diuersarum materiarum, diuersorumque fabrorum, de pictura, de statuaria arte & plastica & aliis agendum erit, & de imaginum opificibus.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER XXXI.

In quo agitur de pictura.

De picturæ exercitio. Cap. 1.

AD uenustatem operum, & ædificiorum pertinet, sicut tectoria opera, & incrustationes, inductiones, uel calcis, & arenæ, uel gypsi, uel marmoris, ita & picturæ, de quibus Vitr. li. 7. Eruntq. picturæ interdum megalographiæ, & magnarum impensarum, aliquando thyparographiæ uilium. Cæterũ picturæ ars non tantum ad fabros, uel architectos, & sedentarios opifices pertinet, sed & ad uoluptatem animi, & uirorum præstantiorum quorundam aliquando laudabile exercitium: ut Fabio nobilissimo homini datum est laudi, quod pingeret, ut ait Ci. i. Tusc. Et Adrianus genere Apher Imp. pinxit uenustissime, atque etiam effigies e cera, & creta formauit, ut ait Diõ in Andriano. M. quoque Antoninus philosophus dictus Aurelius, operam pingendo sub magistro Diogeneto dedit, teste Iulio Capit. in eius uita.

Quid pictura, & quibus utatur. Cap. 2.

PIctura secundum eundem Vitr. li. 1. c. 5. fit imago eius, quod est, seu potest esse, ut hominis, nauis, &c. certis corporum finibus figurata similitudine. Explicat Hor. initio epi. ad Pisones, seu de arte poe. ibi, *pictoribus, atq. poetis quidlibet audendi sẽ*

per fuit æqua poteſtas, &c. Plato in phædro, picturæ opera tãquã uiuentia extant: ſi quid uero rogaueris, uerecunde admodum ſilent. Pictura utitur optica ratiocinatione, manu, & colorib. in optica conſiderat, quomodo quæ longius diſtant, minora uidentur, & quę ſupra caput picti, quę infra minora: incurua, quæ ſupra diſtantia, eleuata, quæ infra oculum, & quadrata, quomodo uiſum decipiant: conſiderat umbras, lucem, radios ut diximus in optica. A Geometra habet regulam, circinum, lineas, & id genus, & proportiones; ut in pingendis quibuſq. ſymmetriam conſeruet, ueluti in homine, quantum os a naſo, oculus ab oculo, & reliqua membra inter ſe differre, & cõuenire debeant. Scripſit de proportionibus hominum, & de illa ſymmetria corporis humani, proprium uolumen Alb. Durerus pictor Germanus inſignis, Vitru. lib. 3. c. 1. Pompo. Gauricus lib. de ſculptura. Dimenſiones autem in reliquis animalibus ſex conſtituunt, quibus ſuapte natura diſtingui poſſunt; ſummum, infimum, ante, pone, dextrum, ſiniſtrum, infima, & ſuprema pars. Idemque & locum habet in ſtirpibus, ut tradit Ariſt. li. de com. anim. greſſu.

De progreſſu picturæ. Cap. 3.

ARiſt. libro ſecundo, de gen. anima. c. 3. de generatione loquens, naturæ opificia cum pictura conferi; omnia de lineamentis, inquit, primum deſcribuntur, deinde colores recipiunt, & mollitiem, & duritiem, quaſi pictoris officio fungatur natura cum condit, & creat. Pictor. n. ubi primũ lineas deſcripſerit animãtium, mox uario illinit colore, ac perficit. hæc Ariſt. pictoris itaque eũ, leui linearum ductione, primũ opus conficere, ſed antea adhuc graphydis conceptione quaſdam rudiores ducit notas, antequam ad lineamenta ueniat, uel animo lineas ducendo conceptas, ſequitur; atque Pli. lib. 35. c. 3. tradit, picturam primum inuentam, hominis umbra circunducta; deinde umbram fuiſſe coloribus inductam, & poſtmodum linearem ſine coloribus. Accedit his ars, cum ſolidam picturam uideri nolunt, circa prominentias in tabula umbris. n. & lineis, & comminutis angulis, eas monſtrare laborant; umbris quomodo fiat, docet Pli. li. 35. c. 1. Omnes, inquit, qui uolunt eminentias uideri, candicantia faciunt, colorémq. condiunt nigro. Magna prorſus ars in æquo extantia oſten-

ostendere,& in confracto solida omnia. Meminit, & Plato lib.10.de rep. Sunt de umbris nonnulla scripta a Leone Baptista lib. de pictura. Sunt & catagrapha, quæ inuenta ferũtur a Cimone Cleonæo.i.obliquæ imagines, & uariæ formationes uultus,respicientium,suscipientiumve, & despicientium. Accedunt distinctiones membrorum,articulorum,uenarum prolationes,in ueste rugæ,& sinus,& in hominis, & animalium corporibus,potissimum in cute,situs,rugę,cauitates,magnitudines,lituræ,formæ,& alia innumera minuta, quæ artificem commendant,addita successu temporis, & incremẽto artis,ut mobilior sit,& longe, lateque differat nunc hæc opera ab inuentione prima eorum, qui monochromata pinxissent.nam nunc pictores ut splendidiora, & illustriora reddãt opera,addunt in propinquo umbrosa quædam,& obscura,ut scribit quoque Plut.de discrimine adulatoris,& amici. Atq. cæruleum mare,flumina pallida,lacum candidum, non inepte pingunt,ut tradit Arist.probl.sect.23.q.6.

De diuisione picturæ. *Cap.* 4.

PIctura utuntur hodie empirici, irregulari formula, oculo,& pro nutu,sine regula,& circinio, quo fit prope infinitos errores in illorum proportionibus irrumpere. Sunt tamen in ea hæresi,ut illis utendum non sit, quod potius ex ignorantia,quam ab arte persuasum est, ut si quid in pictura ualeant,potius ex imitatione,& longo usu,quam ab arte nouerint. At qui picturæ præstantia,non lucro delectantur sordido,circini,& regulæ utuntur legibus,quibus symmetria seruanda æquatur,quamque seruare expedit, ut olim postquam inuenta sint a parrhasio Ephesio teste Pli.li.35.c.10. Alia autem quæ encaustica dicitur;notat quoque Plin.li.25.c.11.encausto,pingendi olim duo fuisse genera,cera,& in ebore cestro.i.ueriiculo; tertiumque accessisse resolutis ignis ceri penicillo urendi;ideo inter instrumenta pictoris Mart. iurisc.lib. 33.ff.ti.7.de fun.instl.17.pictoris instrumento,&c.annumerat ceras,colores,penicillos, cauteria,conchas.

De quibusdam preceptis pingendi alijs. *Cap.* 5.

QVi fingunt,cælant,aut pingunt,debent primum mente formam rei cuius similitudinem referre uolunt,cõcipe

re,& sibi primum typum effingere:inde delineare subtilius. Secundo qui uoluerit quæ longius uidentur describere,com mode id fecerit,uel per fenestram domus,uel per aliud instru mentum quod fenestræ apertionis habeat similitudinem, in qua certas habebit dimensiones notatas,& certam oculi notam,ad quam a delineatione ad aspectum reuolutus, semper æquali intuitu redeat,ne declinet pictura a primo obtuitu. Idipsum fieri potest obiecto speculo, ad cuius inspectionem repræsentata commodius pinguntur,obseruatis,ut dixi,notis altitudinis,& notis cancellorum speculi,ut fenestrarum: immo poterit ad speculum suam quoque imaginem in tabula pingere,uel penicillo,uel stillo,seu cestro,sicut fecit Lala Cyzicena authore Plinio libro 35.cap.11.Tertio in flexuris, & obliquationibus,seu retractionibus membrorum,leges Dureri libro quarto,de symmetria partium seruanda; primum ut sciamus flexum dici sex modis:nempe curuatum, uersum,implexum,directum,contortum,dimotum. Secundo memores flecti corpora,per spinam dorsi, & a ceruice usque ad coxam intra,& extra:digitos,per articulos; rachium,iunctura, manus quoque,& cubitos:directio extenuat,& graciliora membra reddit,contor[ti]o inspissat. Quarto qui faciem totam pingit,uel cælat,uel obliquam & flexam,partium inuicem ex utroque nasi latere repræsentare cogitur proportionem, pro modo flexionis,& gestus faciei, quod in dimidia tam laboriosum non est.Quinto,ut solida referas,obserua quatuor. Primo formam rei ex radiis oculorum sumptam. Secundo, umbram eius ex radiis lucis qua uerberatur. Tertio colorem qui alius non debet esse,quam eius corporis, quando est sub ea luce,& situ collocatum:alius enim eiusdem rei uidetur color sub Sole,quam sub linea:alius narantis,sub aqua,alia alterius loci:aer comminus spectatus,nullum nobis certum ostẽdit colorem:eminus, ubi densior,cæruleus uidetur:si in aquã densetur aer,eminus candidissimus. Quarto situm cõgtuum tabellæ aduerte depictæ,ad depicti rationem,cuius uertex in directo tuorum oculorum sit ponendus.In coloribus locandis cauendum,ne candido multum in picturis utaris. Est.n. uelum illarum uenenum,nam splendore suo aliis adimit uenustatem,grauitatem,umbras ueras.Est obseruanda prima,secunda,tertia lux,& lumen rerum.Poterit & pictor ad speculũ opus conferre,& probare:detegit enim errata facile. Verni-

cc

ce poterit lucem picturis,& coloribus præbere,qui fit puluiſculo gummi iuniperi,& aloe,cum oleo nucum iuglandium aut lini.

Alia præcepta pingendi ratione diuersæ materiæ. Cap. 6.

Pinguntur muri,chartæ,tabulæ,lintea. In omnibus illud obſeruandum,ut ſuperficies cui pictura plana inducenda eſt,ſit optime a rimis,& commiſſuris liberata: idcirco oblinunt parietes,primo gypſo, uel argilla cum penecillatione rudiori calcis,& glutinis. Tabulas autem colorum fragmentis;lintea uel cum creta alba,uel glutino,uel diluta farina. Charta autem ſi papyracea,qua ſolent pictores,qui aduiuum exprimunt vultuum imagines prototypum delineare,uel graphidem,exprimere,primum perfricatur certa e paſtilis leniter trita marmore;in membranis non ea obſeruatio,quia naturæ politæ ſunt. Pingitur autem coloribus corporatis, ut diximus,& dilutis;dilutis utimur admodum ſcripturæ,uel cum penna,aut penicillo. Corporati autem colores uel miſcentur glutini in parietibus depingendis,& linteis, & tabulatis quoque,ſed pictura ea ditior,& præſtantior eſt, cuius colores oleo imbuũtur,uel gummi,poſtquam marmore ualde triti, & colliſi ſunt,ut uix tactum effugiant. Componuntur & ex coloribus,uel ſimplicibus,uel mixtis, ueluti ſtyli cetacei longiuſculi, quibus pictores ichnographias uultuum pennæ modo in papxro deſcribunt,prius,ut dixi,charta creta alba illita,& leniter cnm xylo,ſeu goſſippio confricata. Deſcribunt quoque maiores lineas,lapide nigro fabrili,uel creta rubea,interdum & plumbo,quorum maculas,plumbi inquam, panis mica fricatas,aliorum autem xylo demunt,poſtquam lineamenta iuſta,inducta aliis coloribus ſunt. Condenſant autem & cylinduli formula,rotant ſtylos illos colorum,pictores,alij glutine piſcium,alij cum gummi Arabico; alii cum lacte ficus arboris;alij,& illi,ut arbitror,dulcius cum ſero lactis; cum hoc .n.molliores ſunt ſtyli quos uocant croyons;alij.n.duriores, & qui chartam incidant. At obſeruandum in iſtis ſtylis miſceri colores,& ita hos referre colores ex ceruſa, uel creta cum alijs mixta,& in omnibus antequam cogantur, & rotentur in modum pennæ,uel ſtyli,optime colores conteri, & miſceri ſupra marmoreum lapidem.

De coloribus. *Cap.* 7.

MEmorant præstantes pictores ex solis quatuor colorib. diuina sua opera perfecisse, albis, melino; silaceis, seu iãthino Attico; ex rubris, sinopide pontica; ex nigris, attramento. Cæterum colorum, alij natiui sunt, seu minerales, ut loquuntur pictores; alij ex alijs rebus, tractationibus, aut mixtionibus, seu temperamentis compositi, Vitru. li.7.c.7. de mineralib. Pli. lib.35.c.6. Diosc. li. 5. adiiciam hic uerba græca, latina, & gallica.

Natiui colores, sinopis, uel rubrica, sinopis, græcis μίλτος, iocinoris colore, inde *couleur de sinople.* De hac Pli. li. 35. cap. 6. Diosc. li. 5. c. 61. Stra. li. 1ũ ὤχρα græcis, latinis & gallis, terra rubea est, qua pictores, & sarcinatores utuntur pro signandis pannorum incisionibus, inquit Amatus in Diosco. libr. 5. enarr. 98. ubi tamen falsus est in colore. Nam illius proprius natiuus color, luteus est, dilutus aureus, *iaune*, Gallis; sed cũ vritur fit rubra, restincta autem aceto, purpurea. fitque rubrica fabrilis ex ochra, non ochra ex rubrica Theophrasto lib. de lapid. Et Diosc. li. 5. c. 62. Cum autem lutheo ochræ colore sileni esse arbitrantur, ut plurimum alij ad purpureum colorem referunt, quod explicat phil. in Vitr. c. 7. lib. 7. & diuersas species enumerat pli. li. 33. c. fi. Creta viridis, Venetis terra viridis. Melinum seu melia, colores lutei oui, Latinis giluus, de quo pli. li. 35. c. 6. & 7. & Theoph. Gel. li. 13. c. fi. Auripigmen ἀρσένικον, grçcis, *orpin.* gallis, de quo pl. li. 33. c. 4. Dios. in 5. c. 71. aurei coloris est, & est coctum arsenicum. Est arsenicũ crystallinum fossile dictum *realgar.* Est & sandaracha græcorum arsenicum rubeum, dictum *Gallis massicot, & arsenic rouge.* Hisp. *fezes de oro*, Germanis, *reusch geel.* Minium uocasse græcos, μίλτον, tradit pli. li. 33. c. 7. minium officinarum, esse Galeni, & Dios. sandicem ait phil. in lib. 9. Vitr. c. 3. Sandix cerussa usta est, gallice nomen retinet, *du mini.* Cinnabrium, eũ & fossile, & artificiale, gallis *uermillon, cinabre*, & Hisp. & Ita. *minio.* Aliud cinnabrium latine cinnabaris, officinis, sanguis draconis, *sang de dragon*; qui rubei, sed non ut prius cinnabrium, intensi coloris, germanice, *bluotfarb.* De istis cinnabaris speciebus tractat Amatus in 5, Diosc. enarr 69. Sunt etiam diuersæ species cretæ, nigra, alba candicans, crocea, &c.

De

De alijs coloribus non mineralibus, simplicibus & compositis. Cap. 8.

LAccam habent pictores uinaceam & rubicundiorem, aliqui concauium dixerunt, sed falsò, ut docet Amatus Lusita. li. 1. in Diosc. enarrat. 23. ubi duplicem laccam demonstrat: unam quæ est formicarũ alatarum stercus, uelut cera fanagago est apum, ab Indorum regno Pegu delata. Alterã laccam artificialẽ dicit, quæ ex fęce brasilij uirsinij dicti, & cocco resultat, quo pictores pro conficiendo colore rubro oscuro, maximè utuntur. Firmat Cõstantinus in additionibus ad Amatum in Diosc. comment. lib. 5. enarrat. 51. in fine. Cerussa, Græcis ψιμμύθιον, Hispan. *aluayalde*, Itali. *biacca*. Gallicè *ceruse*, Germanicè, *pleuineisſ*. Est albi coloris, quæ ubique paratur ex lamina plumbea, & aceto, de cuius opificio, Plin. li 34. c. fi. Vitru. 7. c. 12. Diosc. lib. 5. ca. 53. Color uiridis æris, Latinè æruca. Diosc ἰὸν, Plinio Erugo, Gallis *verdet*, parandi modũ ex laminis æreis cum uinaceis, docet Plin. lib. 34. c. 11. Vitru. li. 7. c. 12. Carda 5. de subtilit. Atramentum pictorium & tectoriũ seu librarium, *du noir*, tripliciter fit apud Vitru. lib. 7. c. 10. Pli. lib. 35. c. 6. Diosc. li. 5. c. fin. fit primum ex fuligine exustionis resinæ & picis Iuxta officinas quæ excipiunt, adulteratur fornacium & balnearum fuligine, adhibito glutiue dicunt & fieri ex vini optimi fæce exsiccata, & excocta: fit & ex carbonibus sarmentorum, & schidijs tedarum pistorum. Fit etiã ex collectione fumi per operculũ olei nucũ, postea fuligini adita aqua glutinata. Deinde & alius color atrior, si comburas in olla ossa seu nucleos persicorum, aut cortices iuglandiũ, & carbones teras marmore cum aqua glutinata, aut si glastum seu *floree*, aqua eadem dissoluas. Glastum herbam, postquam trita, siccata, & in puluerem redacta est. uocant *floree*. Isatidis succus dicitur, & Indicus lapis quem dissoluunt urina lanarum potissimum infectores. Amatus in lib. 5. Dioscor. enarrat 67. & in lib. 2 enarrat. 182. & ibi Constant. in additionibus. Lazuli lapis Græcis κυανὸς λίθος, uel azulũ, nostris *azur*. Cyanei cærulei uel cælestis coloris est, cuius olim tria fuisse genera scribit Plin. lib. 33. c. fin. & Theophil. lib. de lapid. Ægyptium meliorem, Scythicum, Cyprium: accesserunt postea puteolanum & Hispaniense. Et factitij etiã nunc multæ sunt species. Fit &

uiridis color ex lazulo alurgus, *vert d'azur*, quod & adiecta urina fiet citius dicto. Ostrum dicitur, *prourpre*, estq́; purpurarum seu conchyliorum uel muricum cruor. de quatuor differentijs eius, pro regionis uarietate, Vitru. lib. 7. c. 17. Plin. lib. 9. c. 36. & 38 & li. 21. c. 8. Iul. Pollux. lib. 4. ca. 1. Eo cruore trito in mortario, pictores inficiunt cretã argentariam, quæ nitorẽ argenteũ reddit, ut ait Plin. lib. 35. cap. 6. & c. 17. & li. 17. c. 8. inficiuntur & lanæ. Coccinũ est, quod nostri, scarlatã uocant, Itali granã & chermesinũ, ut notat Hermo. Barba. ca. de saxifrag. & coco baphica. Est autẽ κόκκος βαφικὴ granũ infectorium, herba Gallicè, *graine, vermillon, ou escarlate*, Hispan. & Italic. *grana da tingere*, Arabice *harmen & kermes*, de qua Plin. lib. 9. c. 41. & li. 22. c. 2. Dioscor. lib. 4. c. 48. Coccineas tamen esse arbores in nouo orbe in Hispaniola, & apud Cannibales anthropophagos, quas Hispani dicunt Brasilium, Itali uerzinũ. Dixit P. Martir lib. 4. & lib. 9. decad. 1. & li. 10. deca. 3. de rebus Oceanicis & orbe nouo. Rubia tinctorũ, diciturGræcis ἐρυθρόδανον, Gallice *garance*, de qua Plin. lib. 19. c. 3. & li. 24. c. 11. Diosc. lib. 3. cap. 60. ex radice aũt color colligitur, qui cũ creta eretria, uel setinusia, id est, candida mixtus in corpore excipitur, ut cęteri liquidi colores. Brasilij lignũ rasum & decoctũ. colorẽ rubeũ, quẽ rosetam dicunt, constituit. Si lacti fuliginẽ camini misceas, fit rubeus color. Quo tenuius teres marmore miniũ, eo plus habebis: aurantij malilorẽ, dicunt, *orangeat*. Inter colores qui obscurant luteum, est fuligo, unde color *de tane*: si ochræ iunxeris, erit obscurior, *tane obscur*. Cæruleus quẽ dicimus, *coleur perse*, cum glasto seu *floree*, & creta alba uel calce uiua mixtis, & simul tritis marmore, redditur: postea si penicillo uti uelis, misce ut in cæteris uel gluten, uel gummi, uel oleũ. Si uelis colorẽ carnis imitari, uocamus *incarnat*, tere laccam rotundam marmore, & misce cretam albam uel cerusam, pro modulo repręsentandi coloris: uel loco laccę, adde rosetam. Reddes colorẽ splendidũ, si laccam aut sanguinẽ draconis prius madefacias aqua uitæ, seu *ardente*, postea teras & misceas cũ cerussa. Roseta fit, si sumas cretę albæ diu & bene trite, libras duas, unam aũt brasilij, & quadrantem aluminis, ita ut prius bulliant simul alumẽ & brasilliũ cum lixiuio, donec alumen fundatur, postea autem addatur, creta, & inde siccari permittes. Fit ex fructu nigro ligustri, baccæ effigie, nato ex ceruina spina (secũdum Amatum Lusitanum in 1. Dioscorid.

ſcorid.enarrat. 109. quam existimat Thamni ſpeciem Ruellius libro 1.de ſtirpib. cap. 124.) perfectiſſimus uiridis color, uocāt Galli neprum & burgam ſpinam, Itali merlam uel ceruinam, Hiſpani aluarem. uocant etiam hunc colorem librarij, ſeu bibliopolæ. *vert, de veſcie*, quia ſic eum tēperant ut grana ſeu prædictum fructum capiant, & relinquant in uaſe per ſeptem, aut octo dies, cui aquam aluminatam iniiciunt, ſex libris granorum addentes unam aluminis, & excoquunt bullitione ad conſummationem ferè mediæ partis aquæ, hancq. poſtea infrigidatam capiunt & colant, uel exprimunt linteo, & intra ueſicam porci poſtea condunt, & exponunt Soli uel fumo ſiccandam.

Colorum quorundam affinitas. *Cap.* 9.

ALbus color, nineus ut niuis recentis, candidus ut calcis recentis, ubi ſplendor, lacteus ſine ſplendore, aqueus albus ualde dilutus, ut & ſeri; cæruleus candido dilutus, ut aeris color, uocamus *pers*, argentinus, plumbeus a ſimilitudine plūbi, albo nigricante cum ſplendore. liuidus illi ſimilis, ſed con ſplendet: cinereus, ut cineris eſt: & nigricans albus, nobis *clair brun*, fit iniecta ceruſa nigro. Viridis, uarius, primum ut in pratis antequā floreāt: ſmaragdinus, ut gemmis eius nominis: color uiridis ad ſatietatē ex chryſocolla uel ærugine: praſinus, porri foliis ſimilis, non ita intenſus: citreus, qualis in cortice mali medici, ex uiridi & paleari mixtus. Varius & rubeus primum ut ſanguis: purpureus clarior rubeo. Flammeus, ſplendidior purpureo, ut flamma, ferrugineus, ferro ſimilis æruginē contrahenti. Roſeus albus cum rubore mixtus, nos *incarnat.* Puniceus, roſeo pallidior: uinoſus, acinis uuæ ſimilis: glaucus, præter uirorem flauum quoque continet. Luteus, *iaune*, ut luteus oui: uiuacior, croceus: ſplendidior & rubicundior, aureus, ab auro ſplendens: paleatis aureus, non ſplendens, ut tritici palea: flauus qualis præmaturis ariſtis; æneus, *roux*, unde ænobarbi *barbes rouſſes*, fuluus, coloris caſtaneæ uel leonis, ſed caſtaneus obſcurior fuluo, balius ſcilicet color quem badium dicunt, *bay* Gallice, ruſticis apud nos *fauué*. ſpadix Græcis idem quod rutilus cum luteo. *rougiſſant*; qui autem aureus pallet ut aurum, antequā colorē excoquat, giluus dicitur, inde Gallis, *gris*, quaſi chryſeus.

Niger,

Niger, luridus ut in serpentis dorso: pullus obscurior ferrugineo cum aliquo rubore: Plautus uocat morulũ, nos more obscur, prannius niger est, sed splendidus: rauus, niger, cum fuluo colore: ut raua lupa: niger cum candore, fuscus est, uocamus *brun*, qualis color maurorum. Sunt alij colores ab animaliũ colore nominati, pantherinus, camelinus, pardalis, &c.

Desociandorum colorum arte, quam vocant adumbrationem. *Cap.* 10.

REgula generalis est, splendidos colores splẽdidis esse sociandos, id est, adumbrandos: obscuris autem & obscuros: adumbratio itaque azuri, fit aqua cæruli Flandriæ, id est, *de pers de Flandres*. Adumbratio cinnabrij, seu *vermillon*, est ex lacca trochiscata uel rotunda, aut aqua brasili cocti sine alumine cum aqua glutinata. Adumbratio auri pigmenti, seu *orpin*. est uarium colorem inducere, *couleurchangeante*: quod fit aut cum cinnabari, aut roseta, aut lapide lazuli seu *azur*, aut ut plerunque cum fuligine camini, uocant *vistre*. Ad cerussæ adumbrationem quilibet alius color commodus, excepto autipigmento, quod eam reddit atram. Adumbratio sandarachæ Græcorum, seu nobis *massicot*, fit cum fuligine in aqua bresilij: eminentias autem recipit, uocant *releuement*, cũ sandaracha Grecorum seu *massicot*, aut auripigmento, quę reddent colorem uariantem seu incertum. Obscurum autẽ adũbratur cum fructu ceruinæ spinæ, seu, ut diximus, *vert de vessie*, aut fuligine Adumbratio coloris carnis, uocant *incarnat*, est cerussa mixta cum modico cinnabari, & duplici eius partis cretę seu ochrę luteæ, *d'ocre iaune* adumbratur ochra cum fuligine trita & dissoluta aqua.

De coloribus dilutis ad scribendum. *Cap.* 11.

VT pares colorem roseum, Rec. uiridis succi solani seu solatri hortensis, uocant Galli, *morelle*, acc ti gummati parum, coque & tere & scribe. idem præstat succus granorũ burgæ spinæ, seu negrapum cum alumine. Color smaragdi pulcherrimus, recipe uiride æris, parum lithargyrij, incorpora cũ urina pueri, scribe. Cinnabaris ad scribendum, accipe cinnabarim, tere supra marmor cum aqua, sicca, & postea cum uoluerit

luerit operari, dissolue cum albumine oui, quod fuerit multa agitatione liquidum, uel addito ficus lacte: citius enim dissol uitur, & gummi instar est, & utere. Viridis color sic fit: accipe uiride ęris, tere optime, postea infundatur in optimum acetũ, ubi resideat per duos aut tres dies, acetum postea inde extrahe, & illud super aliud uiride æris bene ut supra tritum infun de, inibi per alios duos dies moras trahat, deinde extrahe liquidum relicta fęce uiridis ęris, & in ampullam repone, & iniice modicum croci, & utere. Auro & argento scribere ut possis, accipe bracteas auri uel argenti, tere supra marmor cũ sale, postea pone in aqua lucida & nitida in uase uel cratere uitreo, postquam sal fusum erit & aurum subsidebit fundo, ca pe & dissolue cum aqua gummata, scribe: moneo tamen literam subnigram futuram, uerum siccatam, si dente canis, aut apri poliatur, pulchram fore. Attramentum promptuarium, sic conficitur: cape gallarum optimarum, solidarum scilicet & crisparum uncias 3. tere, infundantur in libram & semissem aquæ pluuiæ, & in uase uitreo madescant simul per 2. dies: inde addantur chalcanthi bene splendentis, & tenuissime puluerisati unciæ duæ, & misceantur ligno ficus; relinquantur in Sole duobus alijs diebus, adde deinceps lachrymæ arabicæ in puluerem redactæ, & corticorum malorum punicorũ in frustra singulorum unciam unam; post unum demum diem coquantur, ita tamen ut leuiter tantum fuerant igne lento, cola & in uase plumbeo aut uitreo recondito. In attramento fluxio ex aqua est, corpulentia a lacryma, nigredo a chalcantho, quam iuuat galla, splendor a cortice uel ab alumine.

De baphicis infectoribus pannorum. *Cap.* 12.

DE baphis plura habeo dicere, sed quia tinctoriæ ubique obuiam sunt & patent, omittam, dum monuero eos dilutis coloribus uti, maxime calce, alumine, bresillio, rubia, gal lis, chalcantho, urina, acceto, lixiuio, temperatis: eadem de co riariis, qui coria & pelles tingunt, cogita; permulta floribus, corticibus, lignis, inficiuntur. multa quoque terra, spuma, attra mento, animalium sanie, uino, fumo, lixiuio, mari etiam ut fulua, luto ipso, herbaceo & calloso, nucum iuglandium cortice, cum rhu, erythro gal, dicto sumach. officinis, calycibus glandium apud Italos.

De imbuenda cera coloribus, ad subtilia opera quædam peragenda. *Cap.* 13.

SOlent qui fingunt miras imagines,& eas phialis uel ampullis angusti orificij immittunt & implantant cum forcipulis uel aliis instrumentis,calente 7ase & solo intra ad recipiendas imagunculas idoneo.cera operari quā uocant,uulgo gommisse.Quam ita temperare par est,ut colorem habeat & ductilis reddatur,non friabilis.Quamobrem ductilem faciūt & dulcem,ut dicunt,addendo & miscendo paululum terebēthinę abietis.Colorant autem additis coloribus,ut si uelis albam ceram,cum cerussa trita marmore addito paululo terebinthinæ misceto:si luteam,albam uel nouam ceram capiūt & miscent probe,cum bene trito in marmore auripigmento, addita quoque terebinthina.Si uiridem,misce ceram al bam cum uiridi æris,trito, & terebin. Si coloris aurei (uocant orā geat) misce cum minio (uocant mini) trito , & tereb. Si nigram,misce eandem cum cinnabri trito & tereb. si incarnatā ut dicunt, misce cum lacca rotunda, & cerussa tritis cum terebentina. Sic de similibus coloribus , quos tritos miscebis , cum cera alba & terebinthina.

De scultoribus seu anaglyptis & cælatoribus. *Cap.* 14.

PIcturæ partem sine coloribus,exercēt anaglyptæ & cælatores,& prius lineamentis in buxo uel ære, uel alia materia ductis,illa graphio uel stylo uel uiriculo,uel celte exarant; in buxo potissimum & alia materia lignea & unionum seu lapidum;at in alia materia ærea,uel ferrea,prius uernice illinū, laminas liquida & tenaci,uel ex cera noua cum cerussa & mastice temperata,uel alio modo,cum pice & oleis,cui postmodum graphio uel stylo imprimunt figuras,quas aqua forti replent & excauant,aut sine uernice uiriculo utuntur.Inter sculpturam & cælaturam,hoc interest: quod cęlare est,cauam facere imaginem ut in sigillis, ex quorum impressione postea surgit prominens imago : at sculpere, est statuas imitari , & prominentes imagines reddere.Anaglyptica hæc opera,dicūtur,œuures de relief.

De

De statuarijs. Cap. 15.

STatuæ, cum ex præſcriptis iam ſymmetria & præceptis aliis conſtet, non habent propriam conſiderationem, ſed pro modo materiæ ex quibus fient, diſtinguentur, ut ſequitur.

De plaſtica. Cap. 16.

PLaſtices eſt, ex terra, ex argilacea terra fingere ſimilitudines, uel ex gypſo, cera, ſulphure, uel ſimili materia. Praxiteles plaſticem dicebat matrē ſculpturæ, cælaturęq; De hac Plin. li 35.c.12. Pictura ſolis coloribus conſtat, attamē alia quam plaſtices ars illa efficit, umbrarum demonſtrans affectū, ut ait Philoſtr. lib. 1. de Iconibus Plaſtes faciunt interdum ſtatuas ſolidas, interdum concauas. Ars certe per pulchra, in formandis imaginib. per fuſionem metallorum, uel aliorum liquidorum, quæ poſtea indurantur. Fiunt autem pro minoribus, arculæ quędam & cancelli, quibus pulueres tenuiſſimi uel ſmiridis, tripolis, pumicis, lapillorum, antiquorum laterū, ſepiæ, teſtium, hirci j cūbuſtis oſſibus ferri rubigine, cineris ſacramentorum, cineri lixiuii domeſtici, arenæ ex cerniculo poſt trituram elaboratā extractæ ſubiicientur. Poſtea typus imitandus ſeu proplaſtice, uocant Galli le moule, includitur & premitur: ſubinde eo extracto, infunditur p notatos canales uel ſpiramenta in uacuum illud typi concluſi, materia quæ referat propotypi imaginem. Interdum cera, maiorum imaginum formatur typus, poſtea ungitur pinguedine, & illinitur terra argilacea, uel glutine uel papyro trita, uel gypſo, uel aliis reb. ſimilibus quæ indureſcunt, quibus inſiccatis igni exponitur typus, ita inuolutus, & cera ab igne per ſpiramenta euacuatur, & per eadem poſtea intra typi uacuum, materia infunditur, quæ ceræ & eius typi formam refert, excisa incruſtatione. Et de hac arte perpulchre docet Pyrotechnia Vanochii Biringucci Senenſ. li. 8. apud quem reliqua ſi te hæc delectant, uidebis. Tractat etiam de typis formandis bombardarum, & cāpanarum, de fundendiſque metallis illis idoneis, & de formatione earum lib. 6. & 7. quæ hic non repeto.

De

De aurificibus & arte eorum. Cap. 17.

OMissis fabris illis,qui in mineriis glebas metallicas inquirunt,purgant,& excoquunt,qui miscent æs, qui chalybẽ perficiunt,de quib. Vanochius in 1. ad alia progredior. Ex 9.itaque libro Vanochij c.4.ubi ars aurificum tractatur, circa auri & argenti opera formanda, in artificibus exigitur ut nouerint aurum & argentũ distinguere,probare,cælare, & sculpere,fundere,formare,coucoquere,ductile reddere,ferruminare,tingere,encaustum ponere,seu esmailler. Probatur argentum & aurum lapide lydio,igne,cineratione,fusione &c. Fusio in uasculo fit,quod crusibulũ uocant, quia profundius quam latius, in fornaculo ope follium:funditur autem citius aurum & argentum,si superponatur nitrum tritum, uel cera, uel sal halcali,aut quatuor frustula sublimati tristi, addito uehementi igne. Formant per proiectionem fusionis in pulnere, de quibus in plastice dictum,postea malleolo accudunt uel uiriculo prosequuntur, & polliunt & distinguunt. Quod si aurum crudum sit, & friabile, ductile reddunt per cineritium, id est, par la coupere, ou cendree, uel fundeneo cum sale citri, aut tartaro,aut uitro trito,aut halkali:ferruminatio siue souldure,dulcior debet re compaginãda esse auri & argẽti optimi; ferruminatio facile fit, per uiride æris & chysocolla quæ artificibus Gallis borrax, Hispanis & Arabibus attincar.Alia difficilior est quæ componitur æquali pondere argẽti boni & æris, & quarta parte cupri contriti, cum paululio chrysocollæ,Tingitur aurum pallidũ,uel colorẽ accipit,si unguatur dissolutione uiridi æris.salis ammoniaci facta cũ urina aut aceto,postea enim supra prunas ignis positum splẽdet, & in urinam immersum fricatur ut color inspiciantur.Argentũ,aurum inauratum,etsi uelis aurum item, lauatur cũ aqua bulliente cum sulphule trito,uel tingitur aurũ, fumo cornuũ arietis,uel aqua decoctionis eorum. Encaustum siue esmail, imponitur facile spatella.Encausta autem diuersorum colorum facta parãtur,quæ dum imponuntur auro uel argento,oportet prius quæ non uis encausto inurere, xysto dessiccare. Quod si uellis inaurare, & argenti colorẽ inducere,non aureis & argenteis,duplex uia:altera,accipe bracteas uel folia auri uel argenti, inunge argento uino,postea operi impone, & igni

igni obiice, euanescit mercurius, & hæret bractea rei. Altera, cape aurum purum cum mercurio, & extēde cum uirgula cuperi, supra opus, tunc ignis resoluet in fumum mercurium; & si aurum sit, pingitur urina: si argentum impositum æri aut cupro, proiicitur in oleum.

De fabris monetarijs. *Cap.* 18.

QVi huic opificio monetæ uacant, primum aurũ uel argẽtum uel aliam materiam quam uocant, carath, ligne remede, ad eam mixtionem reducant quam princeps statuit: fundant, de hinc in uirgas extendãt per tabulata ferrea prius in uncta cũ stercore bouino dissoluto cum forti lixiuio pannorum lineorum, sapone communi, seuo antiquo, aut pinguedine dilatent, inde scindant in quadratulas partes iuxta pondus, aut paulo amplius excudendæ monetæ. Recoquant in patinis, dent percussoribus; adsint custodes, qui pondus iustũ exigant, rotundent, colorent, inalbent tartare, sale, alumine.

De fabris æris, & æris cyprij uel cupri. *Cap.* 19.

AEris fabri, & imagines & uasa quoq; conficiunt & conflant: sed labore maximo qui ex ære Cypria, quia ei⁹ æris Cyprii materia, ægre ductilis, & tamen malleationibus crebis extendi debeat, intus & extra. Durius tractatur ęs quod uócant lationem, tornationib. tamen politur. Iuuantur horum fussiones, si dum fundi desideras, adiicias uel stannum, uel arsenicum uel sublimatũ, aut alia unctuosa, ut oleũ commune, aut pinguedinẽ. Ferruminatio æris Cyprii, est composita argẽto impuro, siue argent bas, cupro usto, mixta chrysocolla seu borrace. Sępe etiam ex stanno & plũbo, cũ pice Gręca mixtis. Inducunt autẽ uasa Cypria intra pellicula stannea, ne cupiũ prauum odorem contẽtis & decoctis suggerat, cum eadẽ ferruminatione, ebullita prius cum aceto & parum salis, & quarta parte plumbi, & aliquantulum pulueris picis Græcæ. Ferruminatio æris, uel latoni fit duabus unciis stanni puri, & una plumbi simul fusis & mixtis. Si uelis æs ferruminare, prius sal pe, uel lima frica locum ferruminandum: calefac latonem loco, ei postea iniice puluerẽ thuris & resinæ, postea ferro candido ex prædicta ferruminatione impone & consolidabitur:

ne

ne autem ferruminatio aliud quam ferruminandum locum occupet, uicina inunge aqua, in qua creta sit dissoluta ferruminatio ibi nulla inhærebit.

De fabri ferrarijs. *Cap.* 20.

MOlliunt ferratii artifices ignibus ferrum, & malleorum ictibus incude extendunt, crebisque immersionibus obdurant. Cum chalibe iungunt, bullicionibus; inde instrumenta & utilia & nocentia parant, ruderant, perficiũt, & poliunt. Colores aut ferro dant, album seu argenteũ, seu aureum lazuli, quem uocant uiolaceum, uiolet, & cineritium. Vtũtur ad id sapone ungue bouis, nitro trito, sale cõmuni dissolutis accето; dum ferrum cãdens est restinguunt: splendorem ei addũt per decoctionem uel extinctionẽ factum in aqua composita ex uirido ære, tartaro & sale cõmuni, & uino albo cuius decoctione bene politum antea ferrum, ad cypri æris redigũt similitudinem. Quod & si aureũ uelint, inũgunt mercurio, in quo dissoluitur aurum, postea igne mercurium fugere cogunt. Emolliunt ferrum unguibus equorum, item si bulliat cum corticibus oui, aut pulueris calcis uiuæ, & mollius adhuc fiet, si unctum cum oleo amygdalarum amararũ inuoluant cera im mixta cum assa ferida, & deinde superimponant inuolucrũ ex terra argillacea composita cum uitro trito, & feruori ignis cõmittant, in fornace, per integram noctem, & quousque ignis eius extinguatur. Durant cum extinctione in succo raphani: addit Orrontius in propositione 11. de speculo ustorio, succo raphani lumbricos terræ, expressis succis postea per pannũ, in quos extinctum sæpe chalybem. & ferrum & lapides scindere ut plumbum, ait, Sculpunt autem aqua forti, ex sale ammoniaco, sublimato mercurio, uiridi ęris, & pauculo gallæ nucis, cũ aceto composita, qua mixtura impletur, locus stylo exaratus post erasam uernicẽ, ut dixi. Fit uernix, qua illinitur ferrum ab aliquibus, pice, oleo lini, thuris modico, concoctis & inspissatis. Fiunt ex chalybe specula, diuersæ sectionis & parabolæ, quæ postea poliunt.

De alijs fabris metallarijs & lignarijs. *Cap.* 21.

SVnt ex metallis innumeri fere alii artifices, stanni, plumbi & auri, & argenti, & ligni. aliqui enim inde uasa, alii organa

organa componunt alij tornāt, alij bracteas ex ſtanno tenuant, & penicillo colore aureo inducunt, uel argenteo, uel etiā uitrum in ſpeculum obſcurant bracteolis impo tis, uel ſtibio, & ſtanno confuſo, & limato conflant: alij fila ex auro, & ære trahunt, unde chordæ inſtrumentorum fiunt: alij filū auro inueſtiunt, quod poſtea intexitur; alij mercurio, a rebus inauratis aurum extorquent, & ebibunt, quem tamen deinde mercurium in coriacea crumena, quod acceperat, euomere cogunt, & igne exſufflant, atque tantum ualuit habendi, uel uiuendi cupido, ut nihil intentatum reliquerit, ex quo uictū, uel quæſtum comparari poſſe arbitraretur.

De fabris, uel opificibus uitri. *Cap.* 22.

VItri inuentio, & opificium apud Pli. eſt li. 36. c. 26. apud Cardanum lib. 5. de ſubtilit. in fine, & lib. 10. de rerum uariet. c. 52. apud Vannoccium lib. 3. pyrotechniæ c. 14. Amatum in 4. Dioſc. 54. enarrat. Et quomodo ex uitro adulterentur gemmæ, & ex cryſtallo, tractat Io. Bap. a Porta li. 4. magię natur. c. 16. & 17. Aliiq. plures ex uitro prodierunt artifices, ut qui ſpecula apparant, qui ſpecilla ſummo uſui, & utilitati uiſus poliunt, qui uſtoria ſpecula tornant, qui cathenulas, & anulos ex uitreis uirgulis torquent. Quibus accedunt ij, qui cryſtallum fundunt, & eximia opera in uſum, & uoluptatem hominum communicant.

SYNTAXEΩN

ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXXII.

In quo agitur de anima rationali.

De distinctione animæ. *Cap.* 1.

OMne animal ab anima dictum uidetur, ut animatum: dixerunt & in plantis animam uegetabilem; & sicuti triplicem uitam constituũt, plantæ animalium, & hominis, ita & tot distinctiones animæ; uerum plantæ improprie anima dicitur, minus proprie de brutis: proprie autem anima est rationalis. Sicut & animal proprie hõ, præcedens omnia animalia animæ immortalitate, & corporis præstantia, ut ait Gal. li. 17. de usu part. c. 3. intelligentia sciẽtia, ratione, & animo a cæteris distinctum, ut no. Gal. ora. ad art. & in finitio. med. ut not. docte Bessario li. 2. in calumnia. Pla. c. 7. hocq. modo absolute animas dixit immortales Pla. in Timęo, eas. s. quæ hominum sunt. Stoici quoque, animam plantæ, naturam dixerunt, hominis immortalem; animalium autem, aere & alimento egentem, ut scribit Gal. li. 5. de morb. uulgarib.

Quid anima brutorum. *Cap.* 2.

ANima dicitur in brutis, id quod animat corpus ad uiuẽdum, sentiendum, uel uiuificandum, ut ait D. Aug. de ecclesi. dogm. c. 2. Io. Damasce. lib. de decretis, & placi. & primis inst.

inst. sic anima pro uita, ut Gen. 1. producat terra omnem animam uiuentem, &c. Exod. 4. mortui sunt qui quærebant animam Mosis; & Mat. 2. Quid autē sit brutorum anima, docet Simp. in proœ. in lib. Arist. esse facultatem illorum, & formā. Verum hoc dixisse non satisfacit ijs, qui res intelligere satagunt. Quocirca finitio Aristo. adhuc dissidij maioris cā fuit, dum dixit hanc animam esse ἐντελέχειαν, corporis physici organici habentis uitam, potentia 2. de ani. c. 1. Entelechię illi motio, perfectio formę animalis; atque ut pupilla, & uisus oculus est, sic anima & corpus in animante, sed gubernat anima, obedit corpus. Longa autem de hac entelecheia cōtrouersia inter Plu:. Cic Bud. Ludouicum Viuem, quam agitat Melanchthon i. de ani. & Them. in 3. phys. Arist. nos interim ἐντελέχειαν continuam agitationem explicamus, quam ex uoluntate, & uerbo Dei inditam, credimus; dixit. n. & facta sunt, mandauit uerbis conceptis, ut fierent bruta in animam uiuentem, & mouentem, & ita facta sunt, Gene. i. Forsan non longe aberrauit a uero Arist. dum ait hanc animam esse substantiam corporis animalis, li. 2. de gen. ani. c. 4 Rursum substantiam formam, & animam, & actum corporis uiuentis, ratione cuius corpus est, li. 2. de an. c. 4. atque ita animal sua natura indita, uiuit, & mouetur ex tota substantia, ut alimenta leuia secundum Arist. lib. 8 phys. & 4. de cœlo, sursum mouētur, & grauia deorsum, idq. a principio intrinseco, & propria forma. Neq. mea sententia alia dari potest huius ratio, quā uoluntatis, & legis præscriptæ Dei, quæ ordinem rebus, & naturas constituit ut ait etiam Philo iudæ. lib. de mundi opific. Gal. item ratus est, animam (vt opinantur animalem) esse uel temperamentum actiuarum qualitatum, aut quod ex ipso tēperamento permutatur lib. 3. de loc. affect. c. 6. Quę tamen finitio potius ad plantarum uitam, quam animalium pertinere uidetur. Nam de iis quæ sanguine constant lib. 2. de sym pto. cau. non ausus est animam finire, sed dixit eam uti, uelut instrumentis, calore & sanguine, uel in his esse; quod neque uerum perpetuo, ut in insectis, quæ sanguine carent, & tamē uiuunt; nisi quid dicamus in istis loco sanguinis. Sic uerum erit quoque, sanguinem esse uehiculum animę, & animā esse in sanguine, ut dicitur Leu. 17. sed sanguis tamen anima non est, & corrupto sanguine corrumpitur quidem corpus animale, ut ait Arist. lib. 3. de hist. ani c. 19. Sed non animal iō mi-

nus animal,etsi qualitatis quædam aliæ ex sanguine sint, ex calore qui a corde ortum trahit,ut ait Gal.li.i.de temp. hinc quæ sanguine multo abundant bene calido,uiuaciora sunt, & iracundiora cæteris animalibus,ut ait Pli.li.11.c.38. Nam animositas a calore,ut metus a refrigeratione sanguinis, ut ait Arist lib.probl.sect. 10 q 59. At non hoc ex sanguine,sed ui animati. Nam quandiu corpus animatur,sanguis animatur & feruet, & qui plus uiui sanguinis habent, plus uiuere dicuntur,Arist. lib.3 de histor. animal.c.19.& de generat. animal.cap 10. Verum si refrigeratur nimium,etsi sanguis adsit, tamen non uita adest animalis, exemplo morientium, qui quia calore destituuntur,isq. per meatus,& oculos exit,oculos sursum attollunt qua parte exit calor; cum autem per sōnum calor intra se colligit deorsum, & deorsum oculos conuertunt,ut idem Arist.an probl.sect 32.q.i. quin & ad vitam animalem retinendam ultra sanguinem,& calorem est respiratio necessaria,& inspiratio, quæ innatum calorem conseruant,ut ait Gal.lib.de caus.respir & Arist.lib.de respir.exēplo autem est,quod animalia morientia expirant,nec amplius respirant. Quamobrem etsi sanguis dicatur materia corporum animalium,ut ait Arist.lib.3.de gen.ani.& alibi sæpe,tamen nec sanguinem,neq; quippiam aliud nobis cognitū constat esse animam,sed certam mortalem ex tota substantia animati compositionem,& naturam a Dei lege constitutam.

Quid anima rationalis. Cap. 3.

DIuus Aug.lib.de spiri.& ani.c.8. Anima, inquit,est substantia rationalis,intellectualis a Deo facta,spiritalis,nō ex Dei natura, sed potius creatura,ex nihilo facta,in bonum malumque conuertibilis. Et aliam finitionem adfert libr. de cognit.ueræ uitæ c.5.refert & lib. de spir.& ani.c.6.finitionē philosophorum,qui animam dixerunt omnium rerum similitudinem.Anima itaque est ille homo interior: hæc cum uiuificat corpus,anima est: cum uult,animus:dum recolit, memoria:dum iudicat,ratio:dum spirat & contemplatur, spiritus;dum sentit, sensus; unde & sententia nomen accepit D. Aug.lib.de spir.& ani.c.54.Tert.quoque libr. de ani. probat mentem seu animum,quem græci uocant νοῦν, idem esse cum anima,& νοῦν,esse suggestum animæ insitum,natiuum, & proprium,

prium,quo agit,sapit ex semetipsa,& se communicat in seme tipsa,&c Max.Tyrius serm.i. animam duobus instrumentis uti ad intelligendum, mente & sensu Gregor.Nicenus in disputatione de anima & resurrectione,cum sorore Macrina: Anima, inquit,est essentia facta,essentia per se uiuens,intellectualis, corporeis sensum instrumentis uiuendi, atque ea, quæ cadunt sub sensus percipiendi, facultatem ac uim per se se suggerens,ac immittens,quandiu earum rerum natura capax esse uideatur.

Quid spiritalis anima. Cap. 4.

ANima rationalis,nec corpus est,nec ex corporibus constat,sed est spiritus,& incorporalis.Sic Euseb. libro 6 de præparatio.euangel.cap.5.incorporalem esse animam docet pluribus Claudia.Mamertius libro primo,de sta.anim.cap.4. Ploti.libro 7.Ennead.4.cap.2.& 6 D.Augus.libr.i. de origi. animæ ad Hieronym.cap.3 Quamobrem falsa, & a christiana sententia aliena assertio philosophorum, quorum alij ex igne factam dicunt,ut Hiepar.& Heracli. ut & Phornutus li. περὶ τῆς τῶ θεῶν φύσεως.in Ioue.Alii ex aqua, ut Hippon & Tales Aristo.i.de anim.capit.2.alii ex sanguine,ut Empedocles,& Critias:alij ex quinta essentia,ut Critolaus, & Peripatetici:alij spiritum scilicet uentum,ut Stoici.Plotinus libr 7. Ennead.4 cap 4.alij ex atomis,ut Epicurus,& Lucretius; alii crasim,& temperaturam cuiusque animalis, ut quidam medici;alij aerem;alii excellentius quid,ut Timæus apud Plato.in Tim.Pythagoras,& Xenocrates, numerum seipsum mouentem.Clearchus harmoniam quatuor elementorum; Anaximenes,Anaximander,Anaxagoras,& Archelaus,aeriū quid, alii alia quædam,ut tradit Theodor lib. quinto.cont. infid. Arist.i.de anima c 2.Cice.4.Academ.quæst.Grego. Nicenus lib 2.de philoso.de anim.c i. uidetur quoque certasse in hoc Tert.lib. de anima;quia nulla materia corporali,uel mixtione constant animæ,sed in sua propria substantia spiritali creatæ,quanquam comparatione simplicitatis spiritualis Dei,omnia composita & materiata uideantur,ut diximus in Angelis & materia.

A solo Deo animam creatam cum corpore. Cap. 3.

ANima non nascitur,sed fit,ut ait Tertullia.libr.de testimon.anim.sibi contrarius postea.Plato innatã & infectam animam esse uoluit:nos autem innatam & factam docemus ex initij constitutione, quod ex Dei flatu facta sit, Tertullia.libr.de anima, ubi de eius substantia agit. Verum facta est a solo Deo,& ex nihilo. D.August. episto.7. de origine animæ ad Hieronym.D. Thomas 2.aduer.gen.cap.88. Leo.1. episto.71.uel 91.in tomo 2.concilio.Irenæus 2,contra hæret. cap.63.& 65.Gregor. Nazianze. in apologet. Lactan. lib. de opifi.Dei c.19 non tamen ex substantia Dei Non enim sunt conuulsiones Dei,uel eius particulæ animæ,ut putat Plato in Timæo, Macrob.lib.1.in som. Scip. cap.22. Arianus Stoicus, & Mercur.Trimegistus. & ita decretum in cõcil.Braccharẽsi. 1.cap.5.Epipha.lib.1 contr.hæres. cap.2 lib. 2.c. 27.probat & D.Chrysost.homil.13. in Genes. ut contra hæreticos diuersũ sentientes docet Irenæus lib.1.aduers. hæres.c.24.Concilium Bracchar.1.c.5.Leo primus epist.91.c.5.Quamobrẽ alienũ a ueritate, ab angelis fuisse animas factas, sicut falso putabant Luciferiani.Augusti.lib.de hære.81.sicut & Auicen. ex igne, aere & angelis,ut a causis efficientibus authore Philastio,quẽ Seleucus & Hermias hæretici sequuti. D.August.de hæresi.ad quod uult Deum hær.59. falsum quoque a propagatione parentum animam traduci per generationem, ut quidam tradunt; sicuti in ea sententia palpat & mutat Aristot. lib.2. de generat.anima.cap.1.Galen.Tertullian. de anima, quem refellit Augustin. lib. de hæres. ad quod uult Deum hæres.86. cuius erroris & Apollinaris Alex. ut refert Gregorius Nisseu. lib.2.de anima cap.6.& in hist.Tripar.lib.5.cap.44.D. Hieronim.tomo 7. in cap. 12. Ecclesiast. Porro animæ separatim creatæ a Deo non ab initio mundi, uel ab æterno simul, ut quidam omnes falso creatas putant,& alibi custoditas,donec immittantur in corpora, ut putarunt Plato in Epinomide & libr.10.de legib. Macrob.teste Cælio Rhodig. libr.10. capit. 16 Et Orig. contra quem disputat D.Thomas 2. contra gentil.cap.83.& 84. D.Chrysost.tractat.in 2.cap.Gen. D. August. de eccl.dogmat.ca.14. Non enim anima creata ante corpus, sed simul a Deo creatur & corpori infunditur, ut ait Leo 1. epist.

epist.71.& epist.91.tomo 2.concilio. Gregor. Nazianz.orat. 30. Gregor.Nissen lib.de creat.homil.capit.29.Vt facessat lõge falsa opinio illorũ, qui rati in corpora missas animas pro earũ castigatione; inde animã dicentes ψυχὴν frigidam, ut corporis consortio frigescentem, & corpus δέμας quasi uinculũ,& σῶμα quasi σῆμα sepulchrũ animæ,apud Plato.in Cratylo. quæ sententia & fuit Origen. ut ait Epipha. epist.missa ad Ioan. Hierosol.& Theophilus Alex.lib.1.oper.pasca.in uolumine antido.hæreseon. D.August.lib.10.de ciuit. Dei cap. 23.& de orig.animæ lib.1.c.19. D.Hieron. epist. ad Pammachium, tomo 2.& epist. Marcellino Anapsychiæ; & tomo 9 in ca.1.ad Ephesios.Refert Nicepho.lib.17. histor. cap.27. & 28 hanc hæres.Orig.damnatam synodo 5. Constantinopoli,tempore Iustiniani.Hinc& tollitur error Pythagoræorum, qui metempsychosim posuerunt, & animas ex corporibus in alia corpora transmigrantes, non tantum hominum, sed & brutorum,de qua meminit Max. Tyrius sermo.28. Diog.Laert.in Pythago.lib.8.Ouid.lib.15.Metam.ibi.

Morte carent animæ, semperq; priore relicta
Sede,nouis domibus uiuunt,habitantq; receptæ.

Quam sententiam irridet merito Lucia.in Gallo. Hunc porro errorem sentit Iamblichus, ab Ægyptiis in Græcos & Pythagoram manasse.Idipsum etiam Herodot.atque euolutionem quandam tannorum Plato, circa hanc peregrinationem animarum ad expiationem scelerum adiungit. Homerus tamen contra non reuerti animam semel separatam, uoluit Iliade 9.dum ait.

ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λῃιστὴ,
οὔθ' ἑλετὴ, ἐπεὶ ἄρκεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων
Anima autem hominis rursum trahi nequit neq; est prædabilis.
Neque trahibilis,postquam pertransierit septa dentium.

Atque plures sententias de origine animæ refert D. Aug. epist.157.August.Eugubinus lib.9.de peren. philoso.

De animarum nobilitate. Cap. 6.

Magna animarum dignitas,quę ab ortu hominis cuiuslibet habet suum angelum custodem,Matth.18.angeli illorum &c. unde mira creationis humanæ exprimitur solemnitas Genes. 1.ibi, Faciamus hominem &c. Et insufflauit &c.Nec tamen ignorandum, pulchritudinem eius deturpatam

pa-am per peccatũ prioris hominis Adami, unde & corpora nostra laboribus addicta sunt,& anima morti, quæ est priuatio cælestis gloriæ: Genes. cap. 3. quod ex parte intellectũ ab Ethnicis, præbuit ansam errandi,ut dũ Carneas, Euxitus, & Pythagoras dixerunt,huic corpori uitæq; nostræ animas fuisse castigationis gratia alligatas,ut ait Athenæ. li.4. dipnosop. c.18.& Cice. 1.Tuscula. hoc etiã sensisse uidetur Plinius libr. 10.cap.63.dũ ait,homini tantum primi coitus esse pœnitentiam,augurium scilicet uitæ a pęnitenda origine: ideo forsan &Cic.in somnio Scip.diuersorium animæ corpus dixit,& hospitiũ,nõ habitaculũ,& ibi latè Macrob.lib.1.in som.Scipio. c.7.ex Plotini & Plat.sententia. Quamobrẽ & post lapsum illum primi parentis, anima omniscia quæ imposuerat antea omnibus rebus conuenientia nomina,tenebris ignorãtiæ repleta est.uerũ restituta est suo candori gratia Dei, & redẽpta a seruitute cui erat addicta per Domini nostri Iesu Christi pretiosissimum proprium sanguinem:nõ corruptibilibus,uel auro,quia de immortali anima redimenda agebatur, & ob quã pretium eximiũ soluendum erat,quod in aere & bonis humanæ pure naturæ non erat,nec creaturæ cuiusuis, & nisi in solius Dei potestate:quo factũ, ut expedierit unũ uerũ hominẽ mori pro toto populo,qui tamen etiam uerus Deus esset, sed immortalis & impassibilis in quantũ Deus, qualis fuit dominus noster Iesus Christus,qui nobis,si uelimus,dedit potestatem filios Dei fieri, Ioan.1.per eius sanctissimæ & efficacissimæ solutionis & redemptionis applicationem,per baptismũ, & alia sacramenta.In parte intelligentiæ animæ,sunt notitię animales,actiones,habitus. Naturales notitiæ quæ de natura sunt,ut physica,& quæ ex natura contingunt, mathematicæ. Actionum intellectus gradus plures, ut simplicium agnotio, connectio,diuisio,iudicium,ratiocinatio, consensus: habitus est promptitudo quædam accommoda, qua eæ actiones intellectus discernuntur & percipiuntur.

Animam unam cuique & propriam. Cap. 7.

ANima rationalis & intellectualis, unum non est omnibus numero,nec communis,nec una omnibus hominiqus:sed cuilibet homini in indiuiduo una propria est, & singularis:quũ tamẽ aliqui contrariũ ausi fuerint affirmare, sed falso.

falso. Aduersus quos, Albert. Mag. disputat, libro de unita. intell. & D. Thomas li. 2. contra gentes c. 73. Neq; ē plures animas, sed unā tantū quilibet haber, ut docet D. Aug. lib. de ecclesi. dogmat. c. 15. D. Anselmus 2. de fide, c. 13. in 8. synodo generali, actio 10. c. 11. Vnde lapsi qui asserunt triplicē in homine animā, uegetatiuā, sensitiuam, rationalē, quemadmodum Manichęi, quibus obsistit D. Aug. lib. 10. super Genes. ad lit. c. 14. In quo & Didymus, Scotus, Paulus Venetus & alij errauerunt, ignorantes uel obliti, animā rationalē has omnes facultates corpori distribuere. Est enim secundum se & suā substantiam, corporis forma informans materiam: quæ sententia est concilij Viennensis, ex quo desumpta clem. 1. de summa trinit. in clem. & concil. Lateran. 10. sessio. 8. quāuis Plato reclamet, dū tantum uult animam assistere materiæ, ut nautā naui, & Philopo. lib 2. de anima c. 1. & Gregor. Nicæus 2. de anima c. 2. post cuius tamen seculum, contrariū decretum est.

De sede animæ in corpore. Cap. 8.

MIhi breuiter probatur, animā totā esse in toto corpore, & totam in qualibet eius parte, ut & ait D. Aug. li. de cognit. ueræ uitæ c. 33. uerum, alicubi maiores effectus exhibere & actiones, uel ob uoluntatem, quæ eo robur mittit, uel ob instrumēta accōmoda actioni. Philo Iudæus lib. allegoria. legis, rationalem facultatē eius, seu partem, ut ipse loquitur, ponit in capite, irascibilem in corde, concupiscibilem in inguinibus. Christiani principatū animæ ponūt in corde, unde bonæ & malæ cogitationes: Heraclitus, in extrinseca agitatione: Moschion, per totū corpus: Plato in capite, Xenocrates in uertice, Hippocrates in cerebro: sicut & Aben Ezras in comment. ad 2. c. Gen. Hierophilus circa cerebri fundamentum: Strato & Erasistrastus, in membranulis: Strato physicus, in superciliorum meditulio: Epicuri & Ægyptij, in tota lorica pectoris: item Orpheus & Empedocles, Tertullia. lib. de anima.

De statu animæ post mortem. Cap. 9.

ANima rationalis non corrumpitur corrupto corpore, anima animalium aliorum contra. D. August. de eccles. dogmat. *cap. 16. & 17. & 18.* quamobrem cum immortalis

sit

sit extra corpus & sine corpore mortali, proprijs suis utitur functionibus, sicuti & in corpore quiescentibus organis eius, ipsa eadẽ intelligit: ut ait Mohemmius lib. de anima c. 18 unde & Aristot. fassus est, propriã quandam esse intelligentiæ & rationi naturam, quę non sit immixta corpori alicui lib. 3. de anima cap. 4. & Senec. lib. 7. epist. capit. 58. animam hominis sine corporis instrumentis, optime uires suas exercere docet. Visi sunt homines oculis insipientiũ mori, ipsi sunt in pace, Sap. 3. Ibunt boni in uitã æternã, mali in ignẽ æternũ, Matth. 25. Ioan. 5. Arabũ ut & Sadducæorũ contraria erat tamẽ, sed falsa opinio apud Matth. 22. Marci 12. Lucæ 20. Actorũ 23. & 24. Hic locus postulat, ut de immortalitate diceretur animæ: uerũ quia tres uere diligẽtes habemus ea de re libros paratos ad manũ, ad illos remittã lectores, si Deus eos uoluerit prodire in lucẽ, in quorũ primo probamus immortalitatẽ ab omniũ authorum & nationũ consensu, ultra sacras literas. in secũdo per rationes idipsum cõfirmamus: in tertio argumẽta quæcunque inuenta fuerunt in eam immortalitatem, refellimus. Porro de statu harum post mortẽ, Proclus in commentario in Alcibiadẽ primum Platonis, sicut in cęlo omnes bonæ sunt animæ, ita & in tartaro omnes esse improbas, tradit. Repræhendit autem D. August. lib. de hæres. ad quod uult Deũ, hęres. 86. Tertullianũ, quòd dixerit animas hominũ pessimas in dæmones uerti: quæ ẽt fuit sententia Hesiodi in operibus.

Sexus nullus animæ. *Cap.* 10.

ANimarũ per sexum nulla distinctio: quia spiritus, nec angeli hoc modo distinguuntur. Matth. 19. membra enim corporis hoc discrimẽ faciunt, Cyrillus Hierosolym. catech. 2. Illuminat D. August. li. 1. de orig. ani. cap. 18. Ideo contrarium ratus Apelles hæreticus, persuasus a sua Philomela errauit, quem reiicit Tertull. li. de anima.

De loco animæ post mortem, sententia gentilium. *Cap.* 11.

PLato & alij antiquorũ, animarũ philosophorũ & bonorũ solutarum a corpore locum dixerunt esse aerem. Stoici sub Lunam: improborũ autẽ ad inferos reiiciũt. Cic. in som. Scip. & ibi Macrob. Tertull. tamẽ in lib. de anima, sequestrari

apud

apud inferos animas ait, usq; in diem domini, aliaq; ridicula inibi refert. Hesiod. 1. ope.& dierum, animos hominũ post mortem aliquorum, euasisse in deos tutelares, alios in tartara missos, alios in aëra. Et diog. Laer, lib. 8. in Pythago. totum aera plenum animis uult, uide Lacta n. li. 2. cap. 15. Cæl. Rho dig. li. 1. c. 23. & 24. & seq. Homer. in Odissea 10. in princ. tradit, Mercurium stridentes animas procorum Penelopes deduxisse apud Oceani fluxus, & albam petram, apud Solis animæ simulachra laborãtiũ. Apud inferos bonarũ & malarũ animarũ locũ Sibylla duplicis uiæ esse tradit li. 6. Æneid. apud Virg.

Hic locus est, inquit, *partes ubi se uia findit in ambas.*
Dextera quæ Ditis magni sub mœnia tendit,
Hac iter Elysium nobis; at læua, malorum
Exercet pœnas & ad impia tartara mittit.

Et paulo post describit tartari & malorũ carceres, pœnas, phlegethontem, turrim æneam, Erebi amnes, & Rhadamanthi durissima regna: qui

Castigat auditque dolos, subigitque fateri
Quæ quis apud superos (scilicet in uia)
furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Eadẽ recte describit Lucia. dialogo de luctu. latius Plutar. ora. ad Apollonium. Atq; quomodo bonorum animæ, locis amœnis, malorum pœnis detineãtur post uitã hãc, Plato 10. de rep. & in Gorgia. Theodore. li. 10. contra infid. Xenocr. Plato li. de morte. Aristoph. in Nebulis, dum de descẽsu ad inferos Eurip. agit. Mercu. Trime. in Asclepio, mortuorum animas ait rapi a dæmone, & examinari: si malæ reperiantur & maculatæ de super ad ima deturbari, & tradit procellis turbinibusq; aeris, ignis, & aquæ sæpe discordiantibus, ut inter cælum & terrã mundanis fluctibus, in diuersa semper sempiternis pœnis agitatæ rapiantur, ut in hoc obsit animæ æternitas, quod sit immortali sententia, æternoq; supplicio, subiugata. Existimarunt, inquit Macrob. Satur. 1. c. 10. antiqui animas a Ioue dari, & eidem reddi. Meminit Saxo Grãmat. in suæ Daniæ præfatione, & Olaus Gottus, in partiũ septentr. descriptione. & P. Appian. in abaco orbis, in regno Noruegiæ in Islãdiæ insula, montem Hecla esse, cuius flãma nec stupam lucernarum adurit, neq; aqua extinguit, inde lapides maiori quã machinarum bellicarũ impetu, proiici, & inibi hiatum maximũ terræ,

cuius fundum nec lyncæus oculus poſſet aſſequi; ibi mortuo rum ſimulachra uideri, dicentium ſe ad montem Hecla pergere: ibi miſerum & in glacie maris eiulatum exaudiri, ut nō i nmerito uulgus uideatur ibi inferorum deſcenſum eſſe, opi nari. Et Ga par Peucerus in cōmēt. de diuinat. gener dū agit de magia, tradit hāc opinionem uulgi, ex antiqua obſeruatio ne natam, cum prælia cōmittuntur alibi in quacūq; orbis par te, aut cædes fiunt cruentæ, ibi comoueantur horrendi circū quaq; tumultus, clamores excitātur & eiulatus. Homerus pro fundiorem locum inferis ipſis ſub terra, proclauſtris animarum poſuit, inferos, locum ſe ſe purgantium animarū: inferio rem autem earum, de quarū ſalute deſperatū eſt, ponēs, dum ita 8. Illa. uerſ. 13. inducit Iouem minantē flagra cuiq; ex dei culis, ſi opem ferrent Troianis, & dicentem ſe plagis unum quemq; eorum affecturum,

> ἤ μιν ἑλὼν, ῥίψω ἐν τάρταρον ἠερόεντα,
> Τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονὸς ἐστι βάραθρον·
> ἔντα σιδήρειαι καὶ πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδος,
> τόσσον ἔνερθ' αἴδεω, ὅσον οὐρανός ἐς' ἀπὸ γαίης, id eſt,
> *Aut ipſum rapiens, proyciam in tartarum obſcurum.*
> *Procul ualde, ubi profundiſſimum ſub terra eſt barathrum.*
> *Vbi ferræque portæ & æreum pauimentum,*
> *Tantum ſub inferno quantum cælum eſt a terra.*

Sed & catholicis theologis ex ſacroſancta fide ſunt, qua m repetere oporteat.

De tribus locis quibus detinentur animæ ex ueritate Chriſtiana, primumque de paradiſo. Cap. 12.

D. Aug. in enchiridio ad Laurentiū c. 109. tempus quod inter hominis mortem & ultimā reſurrectionem inter poſitum eſt, animas abditis receptaculis cōtinet, ſicut unaque que digna eſt uel requie, uel ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne dum uiueret. D. Hierony. tomo. 2. epiſt. contra Vigilantium, meminit locorum quibus detineri poſſunt animæ, ſi nus Abrahæ, loci refrigerii, ſubter aram Dei, ut uirgines cum Deo, & ſequantur agnum quocunq; ierit. Apoc. 14. in orbeque toto poſſunt eſſe, non incluſæ, ſicut & demones ubiq; uagantur. Paradiſus eſt uoce ſua, locus uoluptatis, hortus uariis conſitus & cultus, quam tamen dictionē Græcā non eſſe, ſed barbarū dixit Iulius Pollux li. 9 Onomaſt. c. 1. οἱ δὲ παραδεισι, inquit, βαρβαρικὸν εἶναι δοκεῖν τοὔνομα. uerum hoc nomine

& in hac significatione utũtur, Xenophon in Oecono micis, Plutar. in Sympos.3. & in Artoxerxe: & pro uinariis amœnibus feris conclusis accipi Græcis, docet Gellius li.2.c.19. hinc amœnus ille locus uersus orientem, in quem translatus fuit a Deo homo creatus, hortus uoluptatis dictus fuit, seu paradisus, a quo ob peccatum rursus extrusus est, nec patuit regressus, Cherubino cum flammeo gladio constituto in otio ianitore uigilantissimo, Genes.1. hunc adhuc quidam in terra esse autumant, alii diluuii aquis deletum, alii aliter sentiũt, quorum sententias proprio libro August. Eugubi. colligit de paradiso, ad quem te remitto. uerum futurum speramus meliorẽ illo paradiso terrestri, scilicet æternã beatitudinẽ, quæ habet ultimum & supremum fælicitatis gradũ, in uisione & cõtemplatione Dei, ideo uocatur paradisus, & rẽgnũ cælorũ regnũ patris Dei: ibi beatis preparata meliora, quæ oculus nunquã uidit, quę auris non audiuit, quæ in cor hominis non ascenderunt 1. Corinth. 2. quæ autem sit illa gloria & in quibus consistat, explicat late liber finalis retributionis, in postrema parte. Nõ autem hic decipiatur Christianus, Agarenorũ seu Turcarum paradiso, cuius uoluptatem Mahomet corruptibilem & animalẽ cõstituit, in opiparis & lautis cibis, in ambrosia & nectare, fictitiis ethnicorum, in concubitu impudico, & oblectatione pretiosarum mulierũ & similibus, quæ fæcem istius seculi retinent, non ueram & insatiabilem & continuatam uoluptatem, quam consequemur, si Deus dignetur nos illius beatitudinis participes facere: ibi enim in se solo, Deus. qui uoluptas diuina, & animi & corporis perpetua est fælicitas, notã certã cõstituit indubitabilem uoluptatũ, cum seculi uoluptates imperfectas cognoscamus, quod in illis satietas sit & postea fastidiũ, unde & ridicula sententia eorũ, qui χιλιασαὶ dicti sunt, qui post resurrectionem mortuorũ per mille annos Christi regnũ in hac terrena habitatione producendũ dixerint non satis mysteria sacra scrutati, ut tradit Nicepho. Cal. li.3. histor. eccles. c.20. Eusebius Pamph. li.2. histor. c.22. D. Hiero. in c.36. Ezechielis: quãuis aliqui insignes uiri hanc fuerint sequuti sententiã, ut Tertulli. li.3. aduersus Marcionẽ. Lactãt. Victorinus, Seuerus, ex Græcis Irenæus. Appollinarius, Papias Hieropolitanus D. Ioan. apostoli auditor, Impiũ & Cherinti dogma, ex quo prodiit error Mahometicus, quo putabat regnum Christi terrenũ futurũ, ut ait Nicepho. Calist. li.6.c.2.

cum

cum tamen ipſe dixerit, regnum meum non eſt ex hoc mundo.

De inferno. *Cap.* 13.

INfernum dicimus ſcelerum carcerem perpetuum, inferiorem locum, ſicuti & Tertullia. lib. de anima, ubi de receptu agit, ſic ſcribit. Plato inferos uelut gremium terrę, deſcribit in Phædro, quo omnes labes mundialium ſordium confluendo, & ibidem deſidendo, exhalent, & quaſi cœno immunditiarũ ſuarum craſſiorem hauſtum & priuatũ illic aerem ſtipent nobis inferi; non nuda cauoſitas, nec ſubdiualis aliqua mundi ſentina creduntur, ſed infoſſa terræ & in alto uaſtitas, & in ipſis uiſceribus eius abſtruſa profunditas &c. Cruciatum ignis ęternum ibi paratum eſſe malis, docent ſcripturæ: primũ quidem dęmonibus, & poſtea illis qui eis adhærent, Matthęi 15. & 25. ubi & fletus & ſtridor dentium Matth, 18. Ex quo accidit, cruciatu ignis pœna grauior & gehennæ gloriæ æternæ amiſſio, ut ait D. Chryſoſt. homil. 24. in Matth. in libro ערובין erubin. c. עושין פסין oſſim paſſim, dixit Rabi Iehoſſua, eſſe ſeptem nomina gehennæ inferni in ſacra pagina, quæ pęnas exprimunt. שול ſceol, infernus, pſal. 15. ibi quia non relinques &c. אבדון abadon, perditio, pſal. 88. בור שחת bor ſcachar, puteus ſeu lacus corruptionis, pſal. 55. בור שאון bor ſceon, puteus tumultus uel mugitus, pſal 40. ubi & טיט היון tit haiauen, lutũ fæcis. צל מות izel mauet, umbra mortis, pſal. 106. ארץ תחתית eretztechtit. terra conceſsionis dicitur & gehenna, tartarus. orcus, auernus, ade. De meditatione pœnarum inferni uide Maphæum Vegium lib. 7. de perſeueran. ca. 2. Eſaias inter pœnas eius, ponit uermen ſemper rodentem, ignem inextinguibilem capit. 66. & cap. 14. tineam, putredinem, & uermes & cap 32. ignem deuorantem. Sunt & querelæ, & luctus, pœnæ damnatorum, Sapient. 5. ibi, dicent intra ſe pœnitentiam agentes &c. Et Lucæ 23. Apocal. 6. Reliquas pœnas corporales & ſpirituales inferni non referam, cum eas late perſequatur P. Reginaldeti, in opere inſcripto ſpeculum finalis retributionis.

De purgatorio. *Cap.* 14.

PVrgari & alio ſeculo credidiſſe Ethnicos animas docuimus ex gentilium libris, potiſſimum ex Virgi in 6. & Plutar.

tar. de sera num. uind. Platone in 10. de repub. Cice. in som. Scipio. supra cap. 9. Et quidem sunt animę, quæ dum ex hoc corpore discedunt: non plane satisfecerunt suo officio, quas, nec misericordiæ Dei sine pœna aliqua & castigatione admittere inter sacra consortia placet, nec tamen iustitia ęternum damnare non uult. idcirco locum quẽdam illis assignari par est, causa sordium eluendarum in merito Christi: illum autẽ dicimus esse ubicunque Deo placuerit præfigere pœnarum luitionem: ideo pro huiusmodi oratur & salute earum, non autem pro fœlicibus; qui quod desiderent amplius non habent nisi ut corpore resurrecto plene gaudeant: nec pro æternum damnatis, quippe in inferno nulla est redemptio. Itaq. male dicti in ignem æternum iubetur eant, ad differentiam temporalis ignis & expiatiui. Matth. 25. Sic. 1. Corinth. 4. saluus quis dicitur, quasi per ignem. & Iob. cap. 14. quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei. Et sunt peccata, quæ nec in hoc, nec in alio remittuntur seculo, Matth. 12. proinde quædam esse demõstrantur quæ in alio remitti possunt, ut etiam apud D. Matthæ. cap. 15. non exibit e carcere, donec nouissimũ quadrantem exsoluerit, & in primitiua ecclesia baptizabantur pro mortuis baptismo pœnitentiæ, ut prodessent mortuis. D. Paul. 1. Corint. 15. Ea ratione orandum esse pro mortuis, sancte statuit Ecclesia catholica, iuxta Machabæorum de resurrectio. spe sententiam, 2. Machab. c. 12. Sic statuit D Dionys. Areopag. de ecclesiast. hierar. Tertullia de coro. mili. Hierony. in Ieremiam. c. 18. D. August. de uerb. apostol. c. 33. & lib. cõfessio. c. fin. De cura pro mortuis habe c. 4. in enchiri. c. 1. & 4. & c. 110. li. 2. in Genesim c. 20. & 16. sermo. de uerbis apostol. & tractat. 94. in Ioannem. D. Ambro. ad Faustinum, & orat. pro fratre suo, & lib. de excessu fra. & 2. orat. funebri Theodosii. Cypria. epist. 6. Ioan. Damasce. sermone de oratione pro mortuis. D. Athanasius lib. quæst. diuersarum. quæstio. 130. explicans illud primo. Corinth. tertio. 5. capit. cuius opus exustum fuerit &c. de igne purgatorii loquitur, saluus fiet, inquit, per ignem, hoc est, saluus & integer manebit in igne, nec uidebit mortem: sed opus eius solummodo comburetur & confundetur, ipse in æternum permanebit, Late Eusebius lib. 12. de præparat. Euang. c. 3. Sic Albinus Caroli magni præceptor in psalm. 1. septem pœnitentialium, uerba, in

quit,

quit,domine ne in furore tuo arguas me,neque in ira tua cor ripias me,per iram æternã impiorum pœnam significant: per furorem,ignem purgatorium.Repetit & in psalmum 3. septẽ pœniten.Tertulia.quoque lib de trinitate. Locus est,inquit quo piorũ animæ impiorumq; ducuntur,futuri iudicii præiu dicia sentientes,&c. Omitto reliqua cum Iohan. Ekius librã integrum ediderit,de purgatorio optimo ordine dispositum, & aduersariis & hostibus fidei, satisfaciens. Dicebãt & Erhui ci,qui immortalitatem animæ credebant,mortuos non tantum amandos,sed etiam iuuandos.ut ait Plutar.orat.cõsolat. ad Appolonium: hincque tot sacrificia & litationes,inferiæ manibus, de quibus Deo fauente in primo libro de immortalitate animæ.

De limbo. Cap. 15.

LImbus est extremum cuiusque rei:unde limbus,locus qui iam animarũ dicitur.Nã dicunt sancti patres,inter para disum & inferiorum locum,quendam locum fuisse uicinum inferno,sed sine pœna,ubi partes ante aduentum domini custoditi,expectantes aduentum domini nostri Iesu Christi, & redemptionem dixit sinum Abrahæ Deus, Luce 16.Ad illum locum;referũtur illa,psal.23. attolite portas principes uestras &c. & psal.106.contriuit portas ferreas,& uectes ferreos con fregit &c. & psal.39.expectans expectaui dominum,& eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis &c. & Zachar.c.9. tu quo que in sanguine testamenti tui aduxisti uinctos tuos de lacu, &c.Plura ad hanc sententiam abunde colligit Finus Hadria nus lib.7.flagelli Iudeo.c.3.Hunc limbum, locũ esse quo detineantur animæ paruulorum decendentium sine baptismo, rati sunt fere omnes theologi,paucis exceptis, qui eas æternis suppliciis adiudicant, cum tamen in hoc limbo nullæ pœ næ aliæ præter priuationem uisionis Dei. Hanc quæstionem autem disputat erudite Catharinus Politus, lib. de statu futuro puero. Et quamuis durius loquatur de hoc D. August.li.de fide ad Petrum, tamen scribens ad Renanam mediũ illis pueris locum assignauit inter gehenam & regnum cælorum; Et ad Iulia. uitam eorum mediam dixit, & lib. 3. de liber. arbit. c.3.

De anastasi, & coniunctione animarum cum suis corporibus. Cap. 16.

MAgnum,& admirabile hominum piorum solamen, resurrectio,& retributio mercedis beatitudinis, post hāc miseram uitæ decertationem. Nam, ut ait D. Paulus, primo ad Corinth. capitu. 15. si in hac uita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Siquidem reliqui qui futuram uitam non sperant, & qui cum Epicuro dicunt, Edamus,& bibamus, post mortem nulla uolu ptas, fœliciores essent, concupitis potiti, ut animalia, illecebris carnis saturati; cum christiani, & qui resurrectionem sperant, corpus illud, purum immaculatumque quoad fieri potest, ab illis spurcitijs, & a peccatis conseruent, emundentque inquinatum, ut sistant illud iudicio ultimo, & commitijs illis orbis generalibus, in quibus quilibet prout gessit in corpore, seu bonum, seu malum, recipiet, ut scribitur secundo Corinth quinto. Reseruant in id tempus uiri qui Dei iussis obtemperant, retributionem mercedis, sicut & Tobias senior docuit, cum proximi, & cognati eum irriderent, exprobrantes cæcitatem. Vbi est spes tua pro qua eleemosinas, & sepulturas faciebas. Tobias uero increpat eos dicens, Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, & uitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui nunquam fidem mutant ab eo. Tob. secundo, laborant pij in hac ueluti ephemeride uita, in laboribus, sudoribus multis, angustiati, afflicti, &c. ut æternam uitam beatorum consequantur. habent animæ suæ curam, non pro hac exigenda uita solum, in qua peregrinamur a Domino, sed ut in patria loco fœlici, & æterno recipiantur a Deo, hæc que uita potior uniuersi orbis lucro. Quid enim prodest homini, si uniuersum mūdum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur. aut quam commutationem dabit homo pro anima sua. Matthæi 16. Mar. octauo. Mallem ego certe computrescere in stercore,& incunditate porcina,& cum peccatoribus maioribus (sum etenim & talis) dies in bonis ducere & lætari, frænumque laxare cupiditatibus, quam uel studere, uel laboribus inseruire, si me non recrearet spes, & fides

istis exercitiis Deo placere, & mandata eius quatenus illius misericordia indulget, seruare, retributionem non qualem merear æternam (peccator enim sum ut cæteri, nihilque præter pœnas, & flagella meritus,) sed qualem promisit illis, qui ei deseruiunt, qua possunt pietate & obsequio, & qui ad illũ pia mente conuertuntur. Conuenit itaque Dei iustitiæ, pios ad recipiendam promissam mercedem, cum corpore, cum quo bene operati sunt, & quod in Deo in cultum exhibuerunt, resurgere; malos quoque, ad recipiendas pœnas in corpore, & anima, in quibus impia egerunt, minime uel non sufficienter in hoc seculo punitos. Sic enim nos monet sententia parabolæ diuitis, qui uiuebat delicatissime, & quotidie epulabatur splendide, & Lazari, qui in hoc seculo cum uariis conflictabatur ulceribus, & paupertate; Fili, inquit, Abraham ad diuitem. Lucæ capitu. decimosexto, recordare, quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris. Docet, & Iob capitu. uigesimoprimo, ut difficile non sit inde colligere resurrectionem, esse corporis proprij, & animæ iteratam coniunctionem; nam iudicio illud expedit adesse corpus, quo ut instrumento, in bonum, uel malum usa est anima; aliter aliud pro alio plecteretur, uel remuneraretur; proinde neque sola anima resurget, neque solum corpus sine anima; siquidem non illa solum, nec illud solum, sed homo peccauit, uel bene operatus est, qui anima, & corpore constat; neque proprie anima sola resurgere a morte corruptionis substantiæ dici potest: quia anima immortalis substantia est, & ita non moritur; ut ita improba, & hæretica remaneat Marcionis sententia, qua animas tantum resurrecturas, non corpora, dicebat; quam improbat Epiphanius tomo tertio, libro primo, contra hæres. hære. 42. tandiu autem resurrectio suspensa uniuersalis, quamdiu omnes præ destinari crediturі ad salutem compleantur, ut ait D. Ambro. super capitu. tertio, episto. prioris ad Timoth. tomo quarto. Neque quicquam mors est hæc, quam dormitio; unde resurrectio, est suscitari o, mortuosque obdormisse, occurrit tibi passim in sacra pagina. 2. Regum 7. 3. Regum 2. & 11. & 14. Daniel. 12. primo. Corinth. 12. & alibi. Nec est quod ualde inhæream probationibus ad docendam resurrectionem corporum, cum nec, ut opinor, Sadducæi hodie sint, qui eam nega-

negabant. Sicuti & Simoniani, ut ait Augustinus libro de hæres. ad Quod uult Deum, hære. primo, ut & Saturninus, & Basilides, & Valentinus, teste Tertullia. de præscriptio. aduer. hære. eiusdem carnis resurrectionem negarunt. Vel si sint, aut illis similes, legent comprobantem eandem Cyrillum Hieros. Catech. 4. illuminatorum, & 14. & 18. Theophilum theolo. libro primo, contra Autolicum calumniatorem religionis christianæ, Athenagoram Atheniensem, libr. περὶ τῆς ἀναστάσεως τῶ νεκρῶν, D. Ambros. tomo tertio, orato. de resurre. Tertullia. lib. de resurre. carnis; & concilium apostolicum apud D. Clementem lib. constitutio. apostolica. capit. octauo. Epipha contra hæres. libro primo, tomo primo, hęre. 9. Irenæus libro secundo, contra hære. capitu. 52. Arnobium libro octauo, contra gent. Legent & summa capita sacræ paginæ. quibus apertissime docetur, primum quomodo mortui quidam suscitati reuixerunt, Matth. undecimo. Filius Sunamitidis suscitatus ab Eliseo 4. Regum 4. filia uiduæ ab Helia. tertio Regum capitu. 17. mortuus suscitatus proiectus in sepulturam Elisæi 4. Regum 13. Suscitauit dominus noster Iesus Christus Lazarum. Ioan. capitu. undecimo. & filiū uiduæ, & alios Lucæ 6. Matth. 9. D. Paulus Eutycum, Actuum uiginti, & sic de aliis pluribus, ut D. Petrus Tabitham, actuū 9. &c. Secundo sunt textus expressi, & prophetiæ eandem resurrectionem tradentes, Ezechiel capitu. 37. hęc dicit dominus ossibus aridis, Ecce ego induco in uos spiritum uitæ, & dabo neruos, &c. Esaiæ capitu. 26. uiuent mortui tui, &c. Daniel capitu. 12. Ibi multi de his, qui dormierunt in puluere terræ euigilabunt, alij in uitam æternam, alii in opprobrium, ut uideant semper, &c. Iob quoque capitu. 14. & capitu. 17. omitto reliqua. Quia & hanc ex professo quoque D. Paulus tractat. primo Corinth. 15. Et ueniet hora, inquit Dominus Iesus, & nunc est, in qua qui in monumentis sunt, audient uocem filii Dei, &c. Ioann. quinto. Facit Apocalyp. c. uigesimo. in fine. Suggerunt & canddm quotidianæ rerum resurrectiones, & reparationes, quæ quia hominum gratia sunt, & multo magis hominem resurrecturum insinuant; nec fere aliquod genus rerum est, quod non exhibeat huius arhumentum. Occidit sol singulis dieb. & dies postea reuiuiscit; nox & imago mortis est, quæ postea illustratur. Luna menstruis incrementis restituitur splendori, quem amittit. Arbores & plantę, bruma

li tempore, ut siccæ, & emortuæ eo nas remittunt, postea verno reuiuiscunt, & folia recipiunt, & cutem, & medullas pariunt. Inter insecta muscæ suffocatæ aqua sæpe post resurgunt. Serpentum quædam genera, ut Cyril. Hierosol. ait, cathe. decimooctauo, hyeme immobilia sunt, uere autem surgunt. Semen seminatum putrescit, & interit, & nisi mortuum fuerit, non potest reuiuiscere, Ioann. capitu. duodecimo. Semina ex plantis surgunt, & rursum in plantas seminata resurgunt. Ex puluere quoque terræ semen primum hominum Genes. primo, & in puluerem reuertuntur. Iob capit. decimo, ut non mirum sit, si ex puluere iidem resurgant. Et sicut per unum hominem mors, nonne per Iesum Christum qui redemit, & saluum fecit, quod perierat, uita, & resurrectio. Ideo sicuti in Adamo omnes mortui, quia ipse mortuus, ita & in Christo resurrectio mortuorum, quia & ipse propria uirtute reuixit, & in ipso omnes uiuificabimur. Si Christus enim resurrexit, & nos quoque; nam si non resurrexisset, uana esset fides nostra, ut ait D Paulus, primo Corinth. 15. Sed & fœlicior anastasis satione: nam seminatur corpus in corruptione, resurget in incorruptione, in plenitudinem ætatis triginta annorum, ut ait Magist. sentent libro secundo, distinc. 30. litera o. Erecti, non rotunda figura, uel orbiculari, sicuti putabat Origenes, cuius sententia condemnata in synodo 5. Constantinop. ut ait Niceph. Cali. libro 17. capitu. 18 imo secundum Tertullia. lib. de resurrect. carnis, homines perfecti membris resurgent, non cæci, non claudi, neque manco, uel uitiato corpore. Sed & Ethnici quidam prudentiores, crediderunt reuicturos homines iuxta magorum sententiam, immortalesque futuros, ut scribit Theopom. libro octauo, Philippic Et Eudemius Rhodius, ut Diogenes ait Laer. in princi. libro primo, de uit. philoso. Arnob. libro secundo, contra gentes, pro parte resurrectionem credidisse Platonem in Politico tradit: item & Pythagoram per suam metempsychosim, item libro octauo. aduer. gen. Aperte autem de ultimo iudicio faciendo per Deum, & de resurrectione Sibylla loquitur lib. 2. oracu. Sibyl. incipitque ibi,

αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ θνητῶν ὁ δικασπόλος ἔσται, &c.

Credidit resurrectionem Seneca, libro quinto, epistol. epi

sto.

sto.36. Et Democritus, quem ideo, sed impie, irridet atheos Plinius lib.7.c.55 Is enim Plin & immortalitatem animę negauit lib. 2.c.7.& Deum in d.c.55. Eandem quoque adstruit Plato in Ero reuiuiscente, in 11. de rep. Nonne & Plutar. de sera num.uind.in Soleo, nonne & reliqui in alterna uita Pollucis & Castoris, in tot etiam animabus, quas dicunt reuixisse & tractas & liberatas ab inferis? Sic Philostra. lib.4. narrat, Appollonium Tyaneum, filiam suscitasse mortuam, sicuti & alias Herculem. Sed & Mahumetistæ fatentur in Alcorano, azoara 29.& 56.

De ultimo & magno Dei iudicio animarum & corporum. *Cap.* 17.

AVdient igitur mortui, qui in monumentis sunt, uocem filij Dei: tunc procedent qui bona fecerunt in resurrectionē uitę: qui uero mala, in resurrectionē iudicij, id est, ad condemnationē pœnę ęternę Ios. Matth. 25. Marc. 13. Secundum opera cuiusque iudiciū, ut docet quoque Cyrillus Hierosol. Careche. illumina. Sic Basil. Mag. in psal. 48. in die iudicij, inquit, ultimi nemo alius accusator sistetur, quàm propria facta, qua gesta sunt forma & circunstantia, fornicatio, furtū, luxuria &c. Hocq; cap. 14. Apocal. probatur & Daniel. 7. Hic dies, domini dicitur, quia iudicabit omnis generis homines, ad cōterendos peccatores, dies crudelis, indignationis, furoris, terribilis, Isaię 13. Sophon 1. Quando autem uenturus sit, nemo scit, quia repente ueniet, sicut fur nocte. Signa tamen relicta sunt, quę præcedent in stellis, in cęlo, in mari in pressura gentiū, in prodigijs Antichristi &c. Matth. 24. 2. Thes. 2. Malach. 4. Apocal. 11. Et Deus noster manifeste ueniet, & nō silebit; ignis in conspectu eius exardescet, & in conspectu eius tempestas ualida; aduocabit terram de sursum, & terrā discernere populū suum, psal. 49 & de separatione bonorū & malorū Matth. 23. Congregandos autem uniuersos ad id generale iudiciū, dicit Ioel c. 3. in ualle Iosaphat. Atque de iudicio animarum uniuersali, Plato uidetur aliqua sensisse, dū ait in Phędone, omnes animas hinc migrantes a dęmonibus curam illarum subeuntibus, in locū quendā duci ubi oporteat omnes una collectos iudicari; ac deinceps ad inferos proficisci, iisdem ducibus quib. mandatum est, ut hinc decedentes ad illa

loca traducant. Explicat latius Sibylla libro primo oraculo. his uersibus,

πλήσατε γαῖαν ἅπασαν
αὐξόμενοι, πληθυνόμενοι, τὰ δίκαια νέμοντα
ἀλλήλοις, γενεαῖς γενεῶν, ἄχρις οἷς κρίσιν ἥξει
πᾶν γένος ἀνθρώπων· ἐπὶ κρίσις ἔσσεται ἅπασιν,
ὣς ἔφατ᾽ ἀμβροσίῃ φωνῇ, idest,

Implete terram (scilicet qui cum Noacho estis egressi arcam) omnem, augeamini, impleamini iusta statuentes inuicē generationibus generationem, donec in iudicium ueniat omne genus hominum, postquam iudicium erit omnibus, ut loquutus est, scilicet Deus, diuina uoce. Et libro octauo, orac. *εἰς κρίσιν ἥξει· κρίνων εὐσεβίαν αἰ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν*, idest, in iudicium ueniet Deus iudicaturus uitam piorum, & impiorum hominum, sed & reliqua omitto, iacioque hic anchoram, ne si ulterius feratur nauis, incidam in uastum pelagus, quod sulcatur quotidie a peritissimis ecclesiasticis uiris, quibus prouincia hęc singulis annis tractationis aduentus utriusque domini, exequenda est; quibus etiam hęc & cętera omnia, quę iam dicta sunt suntque dicenda, ad fidei dogma pertinentia, corrigenda, si opus sit, subijcio; utpote qui decreuerim omnino sanę, & catholicę religioni per omnia, & in omnibus adstipulari.

SYN-

SYNTAXEΩN

ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXXIII.

In quo agitur de animalibus seu de vita sensuali.

Quid animal. *Cap.* 1.

POstquam loquuti sumus de anima rationali, intellectuali, & immortali, & quia ad inferiores descendimus iam gradus animæ, scilicet animæ mortalis, quæ animalium est, inseparabilis a uita eorum, de animalibus & corporiqus animatis ordine tractandum est: neque repetemus tamẽ, quæ in superiore libro dicta sunt de ea. Omne itaque animale corpus, habet tria: essentiam: uitam plãtę, qua crescit & uegetatur: & animalem uitam, qua mouetur. Sic Aristo. 1. de plantis monet uirtutes omnes quæ in plantis sunt, in animalibus reperiri, & multas insuper alias, quæ tamẽ in plantis nõ reperiuntur: quia opus animalis nobilius, distinctumq. a plantis, quod sensibus ornetur, non autẽ plantæ; ut idem author tradit lib. de iuuentu. & senect. indeq. dixit animalia animam habere sensualem li. 2. de generat. animal. c. 3. Proinde animal est, quod constat anima sensuali & corpore. li. 1. de part. animal. c. 1. & 2. de generat. animal. c. 4. Macrob. in somniũ Scipionis cap. 11. in idemq. recidit, quod Galen. li. an animal sit id quod in utero est, dixit, animam esse substantiam animæ participem, sensitiuam, quodq. genere de omnibus, quæ sub ipso sunt simpliciter dicitur, & lib. 1. de mot. muscul. assumptione sensus & motus uoluntarij, animal a non animali dissidere: eadem lib. 2. de method. med.

De animalium diuisione. Cap. 2.

ARistoteles lib. 1. de histor. animal. c. 1. & Galen. libr. 17. de usu part. c. 2. distinguunt animalia per mores, per uitas, per actiones. Quæ obseruauit Plin. in libris 8. 9. 10, 11. Et Ælia. in lib. 17. de animalib. Et Plutarch. libro an bruta rõne utantur. Nos aũt diuidemus animalia in gradientia, repẽtia, & uolantia. Gradientium alia sunt bipeda, alia quadrupeda, alia multipeda. Bipeda, ut homo: & hic præstãtissimũ omniũ animaliũ, & uere solũ dictũ, ob perfectã formã, animal, ut ait Galen. 17. de usu part. c. 2. Pronaq. cum spectent animãtia cętera terrã, Os homini sublime dedit, scilicet Deus, cęlumq; uidere Iussit, & erectos ad sydera tollere uultus. Ouid. 1. Metamor. eadem Cicero 1. de leg. & rursum 1. de Nat. deor. Vincit forma hominis omniũ animantiũ figuras. Et iterũ, de uniuersitate dixit, unũ animal inter omnia spectabile, atq; præstat cæteris ratione & sermone, Cic. 1. de legib. Arist. de part. animal. 5. cap. 7. Tradit & Plin. Solum animalium bipedum hominem, gignere animal, lib. 10. c. 63. Rursumq. idem Plin. lib. 15. cap. 26. uentri hominis nata esse omnia ait. Cic. quoq. 2. de Nat. deorum. Terra, inquit, animaliũ causa gignit, animãtes antẽ hominum, equum uehendi causa, bouem arandi, canes custodiendi & uenandi: homo autem mundũ contẽplandi & aliorum hominum causa, ut 1. & 2. Offic. ait. Quadrupedia equus, bos, & similia. Multipeda, ut insecta, quæ carent sanguine, ut musca, aranei &c. hæc enim insecta, quia carẽt sanguine, multum frigida sunt, ideo tardiora & egentia pluribus pedibus, ut ait Arist. 4. de part. anim. c. 6. Sicuti & ea quæ propter sui corporis longitudinem frigent, ut illis uermibus accidit, qui plures pedes habent, nempe quadraginta quatuor, habent & cancri, & erucæ, & alia plures. Sed non omnia animalia tot habent numero, nisi quę sunt eiusdem speciei. Notabile autem hoc in omnibus gressilibus, pares a Deo datos singulis pedes, nunquam impares: cum enim ob necessitatem subiectionis corporis, dati fuerint pedes animalibus, & non possit animal prosilire, nisi aliqua sui corporis parte cõsistat, totidem mouetur, quot quiescit, & contra: ut in bipedibus, unus pes mouetur, alius quiescit: in quadrupedibus, duo &c. Arist. lib. problem. sect. 10. q. 28 & 32. repentina animalia sunt, quæ corporis contractione, & extensione incuruãtur, & mouentur anterius: horũ quædam se ore trahunt, ut uermes

quædam

quædã cõstarũ ui,ut serpentia, quædam pedibus reptant,ut la certæ. Sub appellatione reptiliũ, possunt quoque cõtineri pisces, qui contractione quadã corporis ui pinnularũ & caudæ, natant & reptant. Sic Gen. 1. producant aquæ reptile, habens uitã Hæc tamen animalia, facilioris intellectus causa, natantia dixit Arist. lib. 1. de part. animal. cap. 1. Volantia animalia sunt, quæ alas habent: eas autem uel pẽnatas, ut aues, uel sine pennis, ut uespertiliones, muscæ, & id genus similia: uolant pennis aut cute, quę habent sanguinem. membranis uero siccis, quæ sanguine carent, ut insecta. At habentiũ alas, quædã plures habẽt quam duas, sicut ephemerum animal, quod uno tantum die uiuit, quatuor alas habet, & totidem pedes, & uolucre & animal quadrupes Aristoteli 1. de histor. animal. cap. 5. plures quàm duę etiam papilionibus & apibus, Plin. lib. 11. cap. 28. & locustis. Verum rursum uolantium, alia cũ pedibus, ut aues, muscę &c. alia sine pedibus, ut angues circa Æthiopiam, teste Arist. lib. 1. de histor. animal. cap. 5. Cardanus etiã lib. 10. de subtil. scribit, in Indico mari nuperrimè detecto & sulcato in Hispaniola, inueniri pisces uolantes & alatos, alas habentes circa branchas ęque ac pisces longas, quę quandiu hument piscem sustinent, dum siccantur decidunt. Meminit etiam Plinius de auib. apodibus lib. 10. cap. 39. quę alio nomine dicuntur Cypseles, quę toto mari cernuntur, quibus quies nulla nisi in nido, sed aut pendent aut iacent, nunquam aũt ambulant. Carda. item. lib. de subtilit. quandam speciem auis quam uocant manucodiatam in solo aere dicit habitare.

Animalium aliæ minus generales distinctiones.
Cap. 3.

ALijs etiam modis animalia distinguuntur: ut quędã exanguia, quędam sanguinem habentia: alia perfecta, alia imperfecta & annulata, quę insecta dicuntur, quorum corpora incisuris pręcinguntur, aut parte tantum prona aut supina, quę omnia potissimum sanguine carent. Aristot. lib. de respirat. de insectis tractat tantum Aristo. lib. 4. de histor. animal. cap. 7. & 4. de part. animal. cap. 6. & Plinius lib. 11. Insectis porro nihil fere, exceptis admodum paucis, intus inest, pręter rectum intestinum ab ore ad exitum protensum, in aliquibus uerò plicatum. Aristot. d. capi. 7. lib. 4. histor. animal. Plin. lib.
11. capit.

11.cap.4.Insecta,apes,fuci,crabrones,uespæ, bombyx,qui primum eruca,deinde bombylius; ex quo necydalius, & deinde in mensibus sex,bombyx,ex quo sericum,ut Plin.notat lib.11. cap.22.Aristot.5.de natu.animal.cap.19. Insecta & con, aranei,scorpiones,stelliones,cicadæ,scarabæi, locustæ,formicæ, hirudines, tineæ, culices, canthandes, pyrausta &c. Possunt quoque animalium differentiæ connotari ex partibus, mollitie,cartilagine,pede;sicut in piscibus obseruat Plin. libr. 11. cap.37.Item quod alia fera,'alia domestica, alia media inter placida feraq. alia quæ imperata faciunt discuntq. ut carduelis,psittacus,coruus,pica,uituli marini, elephantes, leones; & alia quæ nihil discant,ut mures & hirundines. alia astuta, ut cancri,Plinio lib.9.cap.31. Pinna, pinnophylax, torpedo,rana piscaria,rhombus,pastinaca,scolopendria, uulpes marina, Plin.lib.9.c.41 & ca.42.draco Plin. lib.8. cap. 12. Delphinus lib.8.ca.25.hiæna,crocuta,manticora,fibri. Plin.lib.8.c.30.& alia similia. Alia stolidissima,ut struthiocamelus, Plin.lib. 10. cap.1.ut & stultissima animalium lanata, Plin.li.8.c.49.&c.

De animalium ortu & origine. *Cap.* 4.

ANimalia,uel ex creatione, uel generatione animali seu seminali,uel ex corruptione, uel unius speciei in aliam transmutatione fiant.Creatio animalia perfecta edidit p uerbum Dei,& fuerunt prima animalia sine semine,& primę plātæ ita per Deū factæ; alioquin in infinitū originē generātiū oporteret exquirere.Genes.1.Macrob.lib.ult.Saturn.cap.fin. Iustinus Martyr in euersione falso. dogm. Arist. fuit autē lex creationi seu productioni primæ dicta, ut haberent semen in semetipsis omnia;itaque Theophrastus lib.1.de caus.plantar. cap.1.tradit,quædam ex semine, quædam sponte;& animalia quædam ex coitu uenereo, & ex terra posse procreari; sicuti etiam Diodor. Sicul.lib.1.Biblioth.c.1. Addit Theophrast.3. de causis cap.27.quòd natura ubique animal gignit,modo calor cum humiditate,ratione aliqua coeat. Et iterum lib.4.de caus.plant.capit. 3. in animalibus uis generandi exolescit. enimuero in his generandi principiū est, quod tanquam quis semen dixerit. Aristot.quoque lib. Problem. sectio. 10.q.64. quædā sponte naturæ, quædam ex coitu tantū prouenire ait. Rursum 3.de generat.animal. cap.11. generantur, inquit, in

terr

terra humoreq. animalia & plantę; quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in uniuerſo ineſt, ita ut quodãmodo plena ſint animæ omnia. Sic humoribus concaleſcentibus ſit ueluti bulla ſpumoſa, & generatur anim. Rurſum 5. de hiſtoria animal. cap. 1. commune inter animalia & ſtirpes eſſe dixit, quod alia ſemine, alia ſponte naturę oriãtur, & quæ ſponte, uel ex humo, uel ſtirpe putreſcente naſci.

De animalibus quæ ex ſemine naſcuntur. Cap. 5.

ANimalia quę ex ſemine naſcuntur, uel ſunt ex uiuiparis, uel ex ouis, uel ex uermibus, ut notat Claud. Ælian. lib. 2. hiſtor. animal. cap. 52. uiuos fœtus animalia pariunt, homo, & ea quę pilis integuntur; & ex marinis, delphinos; uerum uiuiparorũ alia perfecta, alia imperfecta animalia pariunt. Solipedes & biſulcæ animantes perfectum, multifidę cõplures, imperfectum, quia ſolipedes & biſulcę ſingulos pariunt, ideo catulos pariunt, ut uulpes, urſa, leæna; & aliæ nõnullæ & omnes ferè cæcos, ſolo autem inter multiparas, ſus parit perfectos, ut ait Ariſt. 4. de gener. animal. cap. 6. Alia porro animalia oua gignunt, ex quibus mox edunt animalia, ut aues, ſerpentes (excepta uipera) lacertæ, teſtudines, piſces, qui imperfecta tamen educunt oua. At exanguia & inſecta, uerniculum pariunt, ut notat Ariſtot. lib. 2. de generat. animal. cap. 1.

De animalibus ex corruptione vel putrefactione editis. Cap. 6.

QVia omnia putrefactioni obnoxia ſunt, & corruptio unius, eſt generationis alterius principium; idcirco nihil fere in rerum natura ſub hoc ſublunari habitaculo, quod aliquod animal ex putrefactione ſui non edat. Ex putrefactione itaque & limo, ex ſtirpibus, animalibus, uiuis & mortuis naſcuntur.

De natis ex putrefactione limi, & terræ & imbrium, & ariditate. Cap. 7.

EX limo & materia putreſcente, ferè generari uidentur, purpuræ, buccinæ, & omne genus animaliũ teſtaceorũ;

materia

materia autem illa ex illis decidit uerno tẽpore quæ uocatur fanago,quia exuuiæ illæ,in modum faui apũ est,teste Aristo. 5.de histor.animal.cap.15.Refert Plin.lib.9.c.51.ranas semestris una resolui in limũ,nullo cernente: Et rursum, uernis aquis renasci.Et Ælia.2.de animal.cap.56. tradit,in Thebaide mures & ranas semiperfectas nasci, & paulatim perfici: quod & firmat Orus Apollo in literis hieroglyphicis, & Diodor.in 1 c. 1. Nascitur & mugilus ex limo; apua quoq; spuma maris incalescente cũ admistus est imber. Arist.lib.6.de histor.animal.cap.15.Murices purpuræ salinario lentore. Generãtur ex imbre & terra in ligno arido,cossi,tabani, & id genus: & arescente humore,culices.Adde ex Plin.li.17.cap.41. teredines terrestres,tineas,thripas,cerastem, qui cum tãtum corroserit, ut circumagat se,aliũ generat.In uestibus tinea,alia in humido in cauernis uolucria.Plin.lib.11.c.33.puluis in lanis & ueste tineas generat, quæ & in chartis cũ natura arescit. nascitur & in ligno candidũ animal dictũ accarus, itẽ & xylophteros:nascitur & in ceris,Arist.5.de histor.animal.cap.33.Generantur in uiue uermiculi in medio rutuli, hirti cũ pilis grandiores,torpescenteśq; Plin.lib.11.c.35. Bombyces in Cô insula nascuntur terra halitu animante florem decussum imbribus,terebinthi,fraxini & quercus.Plinius lib.11.cap 23.Pulices,minima quadam putredine gignuntur,sedemq; sui ortus obtinent sordes aridas.Arist.5.de histor.animal.cap.31.ex pilis equinis uermes,ex pilis mulieris serpentes. Musciliones uino,uermes cœco,uere pectines,limaces,hirundines enascuntur,eodemq. tempore euanescunt.

De animalibus quæ innascuntur stirpibus & plantis. Cap. 8.

NVlla fere planta est, quæ non aliquod animal ex se gignat:gignunt & potissimum semina, ob alimẽti cęliq. intemperiem, cùm plus minusq. alimenti præbetur, aut immodice siccũ,humidumve est,uel etiam cum non tempestiue humescit.Sic uermes ciceri,pisoq. cicerulæ,innascuntur,& erucæ,cum sicertibus non reseccatis,interim dies feruidi accesserunt.Quippe,ubique natura animal gignit, modo calor cũ humiditate ratione aliqua coeat:humiditas seu materia,subiacet calori ad excoctionem conficiendam. sic flatibus austrinis,

nis, stirpes putrescunt & in radicibus generant uermes. Theophrast. de ca us. planta. 3. c. 27. uermiculantur quoque ex liti arbores. In u rib. uermes ipses nominati, in austro potisſimũ generantur: carpę in oleis: populatorq; ingentem farris aceruum Gurgulio, tritico & hordeo infeſtisſimũ animal, Virg. 1. Georg. & Theoph. de cauſ. plãt. 4. c. 16. ex pinu & pinea naſcũtur pytiocampæ, erucæ uirulẽtisſimę. Fa. æ generãt uermiculum mindain dictum. Sic aliç plantæ & fruges, ſuos hoſtes ex ſe natos gerunt, animalia, quæ tamen anonyma cum ſint, uerminum appellatione continentur, uel muſcarũ, ut illæ nigræ quæ ex ab ſynthio naſcũtur, dũ ſemẽ mittit. Immunes tamen ab hac peſte Hiero. Cardan. li. 7. de rer. uarietic 28. exiſtimat, buglosſũ ſeu bortaginẽ, & ſaluiã, & alias bene natas plantas.

De animalibus, ex aliorum animalium uiuorum corruptione natis. Cap. 9.

Animalibus uiuentibus inſunt animalia ex putrefatione nata, extra in cute, & intra corpus. Ex humore qui per ſumma corporis animalium exiſtit, naſcuntur cimices, item pediculi, humidis & corruptis uaporibus intercuantes reſudantibus generantur, & ideo color illorum imitatur colorẽ humoris, quo generantur: qui ex ſanguineo, rubei: qui ex phlegmatico molles, albi; ex cholerico, ueloces, acuti, longi, citrini: ex melancholico, cinerei, ſubnigri, macilenti, tardi; & ſi multitudo adſit pediculorum, ſignũ generalis corruptionis, ut morpheæ, lepræ &c. Eſtque inde morbus qui phthiriaſis Græcis, pedicularis, quo interiiſſe ferũt Acaſtum Peliæ filium, Alcmeonem, Pherecydem, Caliſthenem, Olynthum, Mutium iuriſconſultũ. Syllam dictatorem apud Plutar. in uit. Syllæ, Democritum teſte Reuchlino 1. de uerb. mirifi. Herodem regem, actuum 11. Theodoricum Vualdalorum regem, poſt ſuſceptam hæreſim Arrianorum, & alios plures, Atq; omnia fere animantia, pediculis ſui generis infeſtantur: potisſimum aues, phaſiani, & reliquæ omnes, quibus penna caule conſtat: item animalia, quibus pili, dempto aſino, qui & a pediculo & a ricino exemptus eſt. Canes autem ricino agitantur, quorum curam docet Varro 2. de re ruſt. ca. 9. Boues & ricinum & pediculum habent: oues & capræ, redinos, pediculis autem uacant. Canib. proprius ricinus in auribus, cy-

nora ista dictus. Sūt & piscibus, ueluti tunnis sub pinna, asilus oritur. Arist. 5. de histor. animal. c. 21. Plin. li. 11. c. 33. & 34. alia apud Bonifacium Simonetam Cornu abbatem li. 4. episto. 8. uide. Intra corpus, animalia nascuntur, ut in intestinis, uermes dicti Græcis Elmynthes, i. teretes lūbrici sunt etiā tineæ, lati uermes. Plinius quoq; ponit lūbricos uentris, li. 26. c. 8. & li. 28. c. 14. Sunt & ascarides uermes qui recto adhærēt intestino, & qui ima sede procreātur hæmorrhoides. De lumbricorum differentia uidendus Arist. li. 5. de histo. animal. c. 19. Hippocrates 3. aphorismo. aphoris. 26. Celsus li. 4. c. 17. Auicenna 16. parte tertii, tracta. 5. c. 2. & c. 26. Paul. Æginet. li. 4. c. 57. & 58. Ætius li. 9. c. 40. Hierony. Gabucinus Fauensis lib. de lumbri. aluum occupant. Galen. in medico. Refert Leuinius Lemni' li. 2. de occul. rer. natur. mira. c. 40. obseruatū fuisse sua memoria, dissecto alicuius mulieris corpore, bestiolas quasdā non absimiles muribus, soricibusq; exemptas, quas natura ex sordido aliquo excremento, quo alimenta erant imbuta, produxisse uidetur; atque posse generari in stomacho bestiolas, si excrementa, uel oua, uel seminale recrementum subetarum & bufonum edantur, ut sit aliquoties non repurgatis ab iis sordibus oleribus, uel dum a ueneficis propinantur impiissimis.

De animalibus quæ ex aliis animalibus mortuis nascuntur uel generantur. Cap. 10.

GEnerantur ex mortuis animalibus alia, ueluti ex iuuenti corpore exanimato, apes, ut describit modum Virgil. li. 4. Georg. incipiens ibi,

Tum uitulus, bima curuans iam cornua fronte, Quæritur, &c.

Constantinus quoque lib. 15. de agricult. c. 2. Plinius li. 11 c. 20. Ex uentre bubulo, & equinis carnibus, nascuntur uespę & crabrones, ex asininis, scarabei & locustæ: ex anatis elixatura sub dio exposita, bufones. Lancinius lib. 1. collectaneorum Chymico. c. 9. & Plut. in uita Cleomedis, tradūt, inquit, ex bob. apes, ex equis fucos, ex asinis craborones, generari: ita & humana corpora, pręsertim medullas humorēq; ex eis profluentem, serpentes producere. quod & firmat Plin. lib. 10, capit. 66. Meminit & Aristot. libr. 5. de histor. animal. cap. 20. uespas quas dicunt ichneumones, araneos quos dicunt

tha.

phalangia occidere, atque eos in ali quod foramen ponere, ibique illis incubare, & sic uespas alias producere.

De animalibus quæ transmutantur in aliam speciem.
Cap. 11.

Animalia etiam permutant speciem, & ita nasci & generati noua uidentur. Sic uermiculus limacis, detractus a cortice expirat, & transit in erucem immobilem, quam uocat Aristoteles. χρύσαλιν, Theodorus Gaza uertit aureliam. Quidam ex ea aliquid pennatum oriri aiunt. Caprificus primum suis pomis generat uermiculos, qui rupta cute postea generant culices ficarios, Plin. lib. 11. c. 22. Aristot. 5. de histor. animal. c. 19. Cantharides ex uermiculis ficuum, pyri, peuces, cynacanthæ & rosæ. Plinius li. 11. cap. 35. Ex phalangiis araneis bruci, locustæ, cicadæ, papiliones ex erucis, erucæ ex uirentib. foliis. Scarabei tauri, gignuntur ex uermibus, qui in tignis aridis nascuntur: Ex erucis pilosis sed paruis nicendulæ, quæ deinde fiunt pennigera animalia, cirri, Scarabei uirides, dicti galeruchæ, fiunt ex uermibus fimo bouis uel equi generatis, musculæ ex uermiculis, de quibus & aliis, Aristot. lib. 5. histor. animal. c. 19.

Nullum esse locum qui non habeat aliquod animal.
Cap. 12.

Vix aliquis in orbe locus reperitur, qui non habeat animal, neque elementum, in quo quoque non sint. Sub terra uiuunt talpæ, uermes, serpentes, & alia quædam, & intra saxa serpentes conclusi inueniũtur: effodiuntur & pisces uiui in Paphlagonia, ut scribit Pliu. li. 9. c. 7. & c. 57. Arist. 1. de histor. animal. c. 1. Alia in terra animalia quadrupedia, bipedia & homines &c. de quib. Plinius lib. 8. alia partim in terra, partis subtus terram degentia: ut quæ foueas habent, serpentes, uulpes, ursi, cuniculi, &c. Alia in igne, ut in fornacib. calcis in Cypro teste Arist. 5. de histo. animal. cap. 19. illud quod pyrigonon dicitur, quod in igne generetur, apud Ælianum li. 2. de animal. c. 2. & Plinium lib. 8. c. 36. Alia in aqua, ut pisces de quib. Rondeletius, Bellonus, Oppianus, Paulus Iou⁹. & alii libros

libros integros composuerunt, & Plin. lib.9.quædam etiam amphibia, quæ partim in aqua, partim in terra uiuũt, ut lutra, castrorum, de quo Galenus li.11.simpli.media. Dioscorid.li.2 c.26. Aristot. lib.8.de histor.animal.c.4. Plin.lib.8.c.30.con numerare illis licet uitulum marinum, satyrium, & satyrionẽ Alia uolantia in aere, quia ut potissimum in eo uiuunt. De quib. Plinius li.11.& Bellonus libros de auibus edidit. & alia inuisibilia in aere ali animalia defendit Philo Iud li. de som. Tradit & Diod. Sicul.li.4.c.4.in ea Libya quæ circa Syrtes est quieto a uentis tempore quãdoque in aere diuersorũ animã-tium formas apparere, quarum quædam quiescunt, quædam mouentur, aliquando fugiunt, aliquando insequuntur, cuius rei physici rationem dicũt aeris tranquillitatem, in qua simu lachra retinentur animalium nullo uel debili spirante aere: ut in nubibus æstiuo tempore, aliquando diuersas animan-tium species licet uidere, formam illis aere, quem leues & te nues auræ quandoque mouent, præbente, at dicunt illas quæ paulum moto aere in terram impulsæ, forma tamen quam sumpserint, cadere, eique, in quem forte inciderint, hærere.

De animalibus quibusdam partim plantis. *Cap.* 13.

Refert Surius li. commentario. in orbe gestarum suo tem pore, non longe a TartarisCazanensibus, in quadam in sula, a grauissimis uiris narrari, semen quoddam inueniri nõ absimile melonum semini, paulo tamẽ maius & rotũdius, ex quo in terram condito, quiddam agno similium enascatur quinque palmorũ altitudine, habens caput, aures oculos cæte raque omnia in formam agni recenter editi, pilum etiã subti lissimũ, quo permulti illis in locis ad capitum tegmina utun tur; carnem tamẽ nullam sed sanguinem habere, at carnis lo-co materiã carni cãcrorum similem; uulgas non carneas, sed pilis uestitas in cornu similitudinem: radicem huius esse in umbilico, tandiuque uiuere, quandiu illi herbæ uicinæ sunt ad pastum. Inter ζωόφυτα quoq; id est, quæ plantæ & anima lia sunt, quæ immobilia terræ affixa ut plantæ sunt, at sen-sum ut animalia habent, est spongia, quæ ad saxa quibus he-ret, contrahitur & dilatatur. Sunt huiusmodi spinnæ, & ur-ticæ marinæ, sentientes tamen, ut plantę in mari affixæ, &

testis

testis quasi ligneis circundatæ, ut scribit Nemesius lib. de natura homi. c. i.

De corpore animalium, & eius diuisione.
Cap. 14.

CORporis nomen trifariam accipitur; interdum non solũ animatum, sed & inanimatum, idque generaliter complectitur omne, quod tribus constat dimensionibus, latitudine, longitudine, & profunditate; & tunc in prædicamẽto est quantitat. s. Secundo, corpus in prædicamento substantiæ, ꝑ eo quod materia, & aliqua forma constat, sumitur; & ita corpus animale potest usurpari pro corpore cuiusque animalis separati ab anima, ueluti pro eo quod sua materia, & forma speciali constat, uidelicet ut asini, equi, & similium. Tertio uolunt accipi corpus pro parte una compositi, cum accedit forma integralis, & generica; & sic corpus est materia animę sensualis, materia disposita organicis suis instrumentis. Quamobrem ex his constat, corpus esse, aut organicum, aut non organicum: organicum est, quod habet diuersa instrumenta, & uarias partes ad uaria explicanda opera rei conuenientia; & ad eum modum, omnia omnium animantium sunt organica corpora, ut not. Gal. lib. 17. de usu par. corp. hum. c. 2. quid autem sit non organicum corpus, contraria significatione licet explicare, quod caret partibus, & instrumentis, ad diuersas operationes, quale lapidis, terræ, metalli, & similium corpus.

De partibus corporis animalis similaribus, & dissimilaribus.
Cap. 15.

IN uniuersum corpus animale diuiditur in partes similares, uel dissimilares, ut ait Aristo. i. de histo. anima. cap. i. Galen. lib. 8. de Hippo. & Plato. decre. Similares partes sunt, quæ iterum in sibi similes partes diuidi possunt, ut caro diuisa, diuidi dicitur in carnes, seu carneas partes; item similares, quæ habent alias partes in corpore eiusdem substantiæ sibi similes. Cuiusmodi sunt nerui ex triplici coniugatione, siue ex cerebro, dorsique medulla ortum ducant, dicti uoluntarij, uel alterius generis sint, item musculi, tendones, ligamentales

ex musculis ducentes originem, ut ait Gal. princi. de ossibus: cutis quæ neruis, & arterijs referta est, apud Gale. lib. an sanguis in arter. contineat. & lib. 3. de aliment. c. 4. item cartilago, quæ quamuis in multis dissideat ab ossium natura, tamẽ in multis conuenit, prout docet Arist. lib. 3. de h sto. anim. c. 8. Sunt quoque eius generis, uenæ & arteriæ, quarum illæ deferunt sanguinem, istæ spiritum nutriunt animalem, & calorem naturalem, ut tradit Gel. lib. i. de usu par. cap. 16. & breuiter etiam similares partes caro, os, pili, ligamen, sanguis, spiritus, tunicæ, adeps, medulla, partes ὁμοιομερῆ Galeno dictæ: quæ quidem non eodem modo, nec forsan omnes omnibus animalibus adsunt, excepto homine qui animal perfectum, alia autem imperfecta ab eo. De quibus omnibus partib. Gale. lib. 3. de differ. morb. lib. de inæquali temperie c. 2. Auicen. i. par. primi, doctrina 4. Dissimilares partes, uel instrumẽtariæ sunt, quæ ex simplicibus similaribusve constant, quæ si secantur, in dissimiles sibi non similes diuiduntur partes: nã facies eadem, in facies nõ diuiditur: nec manus una, in manus alias. Dicuntur quoq; hæ partes, compositæ, secundæ, dissimilares, diuersi generis: cuiusmodi sunt, caput, oculi, aures, manus, pes, &c. potissimum cor, iecur, cerebrum. pulmo Gal. lib. 8. de placit. Hipp. & Plato.

De carne animalium, & illi adiacentibus. Cap. 16.

CAro omnibus sanguineis, inter cutem & ossa, cũ animal extenuatur, & gracilescit, aboletur & in uenas fibrasque transit: uertitur autem in pinguedinem, quoties pabuli copia suppetit, Arist. lib. 3. de hist. anim. cap. 16. & lib. 4. c. 4. ostrea, & conchas & crustata, intus habere carnem dixit, exceptis echinis, quibus nullam esse dicit carnem: partim autem carne cõstare purpuras, buxinas, cochleas, terrestres limaces & cocalia, & reliqua turbinata. Caro hominum, omnium mollissima, iõ ualet maxime omnium animalium sensu tactus. Arist. libr. 2. de par. anim. c. 16. Caro a sanguine alitur, ut quidam contendunt, argumento quod ea icta sanguinem mittat. Carnis vna species est quidem, sed secundum sanguinis mixtionẽ, & exsiccationem diuersas figuras accipit, ac fibras contrahit. Atq; natura ex seminis synceriffima parte, carnem sensorium cor-

porum

porũ conficit, alias in excrementa, oſſa, neruos, pilos, ungues, ungulas, & reliqua id genus conijcit. Ariſt. lib. 2. de gener. anim. c. 4. ubi tractat de generatione omnium partiũ animalium. De carnis, ſanguinis, oſſium, membranæ, cartilaginis, tẽperamentis, Ariſt. 2. de par. anim. c. i. & 2. Gal. lib. 3. de partib. artis med. c. 3 Card. lib. i. contradicen. medico. tract. 6. cõtradictio. 5. Tunicæ his adduntur ſanguineorum uaſo rum, venarum, & arteriarum, exanguis & frigidæ naturæ, habẽtes fibras, & membranas.

De oſſibus quædam. Cap. 17.

Oſſium diſtinctiones in prin. libri Galeni de oſſibus; horum, alia caua, medulloſa: alia, ne quaquam, ſed ſolida. Componuntur oſſa naturaliter in corpore animali, uel per articulum: aut coniunguntur per ſymphyſim. Articulus dicitur extremum, quod immittitur in alteram partem oſſis. Articulatio diuerſa: nam uel diarthroſis, dearticulatio. ſ. osſium, quorum motio euidens: uel ſynarthroſis coarticulatio, quę obſcurum habet motum. Diarthroſeos triplex ſpecies rurſum, enarthroſis, cum os quod excipit canum eſt admodum, & quod ingreditur longum; arthrodia, cum cauum leuiter & in ſuperficie capitulum depreſſum habet; gynglynos, cum oſſa ſeſe inuicem mutuo ingreſſu iungunt. Os cauum quod recipit aliud dicitur acetabulum; quod ingreditur, cotyle & uertebra. Synarthroſeos quoque triplex ſpecies, ſutura, gomphoſis, harmonia. Sutura, coniunctio osſium in modum ſutura, ideſt in modum dẽticulatæ ſerrę. Gomphoſis, cum ad inſtar claui, os osſi adiungitur, ut dentium more. Harmonia, eſt osſium ſtructura per lineam ſimplicem, ut eſt in maxillis, & nonnullis capitis osſibus. Symphyſis porro, eſt cum oſſa ſibi inuicẽ ad naſcuntur, uel aliorum interuentũ, uel mediante cartilagine, & hęc dicta ſynchondroſis; uel neruis, quę dicta ſyneuroſis, uel carne, & dicta ſyſſarcoſis. Gal. lib. in proœ. de osſibus. In capite hominis, osſium partes ſeptem, una ſyncipitis, duę uerticis, duæ temporum, una occipitis, una palati. ſuturarum quinque, de quibus Gal. libro 8. 9. & 11. de uſu par. in auditus organo, duo osſicula Veſſalio, lib. i. c. 8. Sunt in auribus alia lapidoſa, mamillare, & iugale: in naribus cartilago, os, ſutura; at maxilla inferior vno tantum oſſe, conſtat homini. Veſſalius libro i.

cap. 10. Dentes 32. octo anteriores incisorij, quatuor canini, uiginti morales. Thoracis ossa anterius, clauiculæ, claues, iugula, os pectoris, sternon, Vess. l. libro 1. capit. 19. Posterioris autem partis ossa, colli 7. spina dorsi 24 uertebris, seu spondilijs constat. in spina hac colli prior est pars; pro secunda, metaphrenum, habens uertebras 12 postrema renum, & lumborum ὀσφύς, quæ pars habet quinque uertebras. Sunt costæ in quolibet latere 12. græcis πλευραί, uariæ dispositæ; Sunt enim nothæ quinque, quæ non ait ugunt pectus utriusque. Vess. l. libro i. c. 9. Sunt & scapulæ ossa, ceruicis, acetabulum, os sacrũ ex tribus ossibus in fine spinæ: postea coccygis, os caudę quod tribus construitur ossibus, uel ut Vessal. lib i cap. 18. 5. quodque ferunt prominere Anglis quibusdam. In brachio, os humeri, seu adiutorium, cubitus, radius; in manu rasceta, seu carpos constat 7. ossibus; post brachiale, seu palma ex 4. & dactyli seu digiti, constantes officulis, & internodijs. In cruribus, ossa anchæ 2. superiores partes ilia; pectinis ossa, cum acetabulo, ossis femorum; femur, os coxæ, rotula, seu patella; tibia, cãna maior; sura, os minus, quod genu non tangit, ut aliud malleoli; in pede talus, os nauiculare, calcis unum; rasceta pedis, seu tarsos, habens 4. ossa; planta ex ossibus 5. Digiti 5. cum internodijs. Os nullum in corde hominis, raro in animalibus, tamen in aliquibus, ut in corde bubulo aliquando, ut ait Arist. lib. 5. de gener. anim. cap. 7. in corde equi Plinius lib. 11. cap. 37. & in corde corui. In uentre autem nulli Arist. libro 3. de histo. anim. c. 7. Plura de ossibus apud Hippocratem, libro de locis in homine, & de ossium natura, & Gal. de ossibus, Arist. lib. 3. de histo. anim. c. 7. Et hæc de ossibus dicta sint præcipui animalis, nempe hominis; parum enim de alijs curandum, ne tempus in solo sterili conteramus. Tamen si quis anatomen uoluerit ossium auium uidere, consulat Bellonũ, qui eam explicat libro primo, de nat. auium capit. 12. ubi eã depingit, & confert eum ossibus humani corporis, notatque differentias.

De neruis pauca. Cap. 18.

NErui in corpore animali, motus sentiendique instrumẽta sunt, a cerebro, & spinali medulla, ut dicimus, orta. Et Gal. li. 7. decret. Hippoc. & Plato. tradit, & Cice. 2. de natu.

Deo. Sic rupti uulnere nerui, Deficiunt, motumque negant vi resque uolanti Ouid. 12. Metamor. & Gale. lib. 8. methodi me dendi cap. 10. anima ratiocinatrix, inquit, in cerebro domicilium habet, ea uoluntariis actionibus una cum sensibus præsi det; utitur & hęc particulis quibusdam, seu canalibus, nempe ipsis neruis; sensum motumque per hos in totum animal trāsmittens Et lib. de neruo. dissectio. circa finem, tradit esse unū neruum qui carotidibus adhæret arteriis, qui si laqueo intercipiatur, statim mutum animal reddat. Porro nerui in triplici differentia sunt: qui enim oriūtur ex cerebro & dorsi medulla, uoluntarij dicuntur, qui ex musculis, tendones, qui ex osū bus, ligamenta. Gale. in prolo. li. de ossib. in finitio. med. Hip po. lib. de locis in hom ait corpus totum neruorum plenum esse in homine, excepto uultu & capite, ubi nulli, sed tātum fibræ neruis similes, aitque neruos siccos, & cauos ossibus co hęrentes, maioremq. partem ab illis pasci, & aliquatenus a carne. placuit tamen Arist. li. 3. hist ani. c 5. neruorum originem, in corde esse, & c. 4. docet fibras inter neruos, & uenas, habere naturam quandam. Medici ponunt coniugationes neruorum a cerebro descendentium septem, de quib. Gal. li. 7. 8. 9. 16. de usurp. & lib. de neru. dissect Vessal. li. 4. anatomes c. 4. 6. & seq. Ex uertebris ceruicis, prosiliunt alia septē paria. De quibus Vessal. li. 4. c. 13. A uertebris lumborum paria quinque, Vess. li. 4. c. 15. Brachium, cubitum, radium, extremam ma num, & digitos mouent nerui sex, de quibus Vess. li. 4 c. 14. In femur, tibiam, pedem, & eius digitos quatuor nerui excurrūt, de quibus Vess. li. 4. c. 17. Sex paria a sacro osse exhibūt hominis in femur, clunes, abdomen, musculos, anum, u erū, & uesicam, ceruicem, pedem, dorsum, &c de quibus Vess. lib. 4. c. 16. ubi addit ex coccyge hominis nullum neruum oriri, & tamē in canibus, & simijs caudatis, ex huiusmodi osse, numerosa neruorum paria, prosiliant. Replentur nerui a frigidis, & glutinosis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, unde conuulsionem patiuntur, item & ex siccitate, unde malum pene insanabile, ut ait Gale. lib. 2. in aphor. 26. Hipp. Offenditur, & neruosa substantia nimio uino, & coitu, crapula, desidia. Gal. in libro 6. aphoris. Hippo. c. 28 nimia euacuatione, idem li. 5. apho aphoris 70. frigore durantur, ut pene conuulsi. Gale. in 6. apho. apho. 54. Nocet ualde abscisio, quia neruus abscissus non coalescit. Gale. in libro 7. aphoris. Hippo. aphori. 28.

Ex neruis ad arterias,& uenas,noxij humores ducuntur,& econtra,Gal.in li.6.Hipp.apho.16.partes neruosę communicant cum hepate,ideo si patiantur,singultus sequitur. Gal.in li.5.apho.Hipp.apho.58.

De uenis quædam,& de arteriis. Cap. 19.

SAnguinis riui,quibus irrigatur corpus,uenis continētur, sicut arterię sunt spiritus semitæ.Plin.li.11.c.37.in uenis, plus sanguinis,minus spiritus.Gel.lib.18 c.10.uenę exploran tur,ratione sanguinis mittendi:at arterię motu, & pulsu suo habitum,& modum febrium demonstrant;Non.n.pulsat uena,sed arteria quę ei adiacet,uel subiacet,nisi in dorso,ī quo magna arteria,quę tracheia dicta est,posita est supra uenam. quamquam pro arteria usurpetur nomen, & uenæ, ut apud Celsum lib.2.c.6.& apud Ouid.lib.10.Metamor. Saliunt ten tatę pollicę uenę.Gale.in finitio. medic.uena,inquit,est uas sanguinis,& sanguini contemperati spiritus natiui, neruosa, humida,& calida, sensum obtinens. Arteria uas sanguinis, paucioris puriorisque, & contemperati sanguini spiritus genuini copiosioris,ac tenuioris,magis sentiēs,quam uena,pulsandi motu prędita.Hęc spiritum uitalem suppeditat;excipit & purum aerem dum contrahitur;dum attollitur, fumosa ex cernit ac fuliginosa,& cor ac naturę calorem refrigerat.Quare autem non habent pulsum uenæ,scribit Gal.li.6. de placi. Hippo.& Platonis,quia originem non habent a corde,ut arteria,sed a iecinore. Vasa omnia pulsantiá,dicuntur arterię li.7.de anatom.administ.Galeno. Notandum autem unamquamque arteriam,esse uenę conuenientem,quam quodam modo ex sua spiritus attractione refrigerat,ut ait Arist. lib.de spirit.Nam osculo quodam sibi inuicem communicāt,ut ait Gale. lib. dę usu pulsuum. arterię porro circumiacentem aerem per poros trahunt; eoque corrupto inficiunt etiam sanguinem uicinum,& morbos generant,Gale.lib.i.de differēt. feb.c.4.Vna tantum uena quę caua dicitur & magna,ex gibbo iecoris exorta.Inde in utramque animalis partem tā superiorem,quam inferiorem recta protenditur. latissima tamen ea est pars,quę infra iecur; minus lata quę per uenas superius spargitur ac cordi applicatur; inde & alię uenulę, ut riuuli a fonte progrediuntur,Gale.lib.6.de placi.Hippoc. & Plato.&

com-

commenta. 2. in Hippocra. de huma. natu. de uenis & arterijs, Hippocra. de ossium natura & libello de corde, & de locis in homine, Arist. lib. 3. de histo. animal. c. 3. & 4. Vena porta, habet unã aliam breuẽ, cuius tres capillaturæ, ad ἔκφυσιν, ad pancreonem, & pylorum pergunt. Sunt & ex illa aliæ sex insigniores amplitudinis, uariæ, apud Galenũ de uena. dissect. & 4. de usu part. c. 13. & lib. 6. de anato. administra. de uena caua descẽdente, in iecinoris gibbo exorta, & de alijs quæ ex illa deriuãtur, Gale. lib. de uena. dissec. c. 8. Vessalius li. 3. c. 9. de uena caua ascendente, ex cõuexo hepatis orta, & de riuulis ab illa ortis, idẽ Galen. eod. lib. c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Vessal. lib. 3. c. 7. & 8. Et idẽ de uenis caluariã ingredientib. li. 3. c. 14. De arterijs quæ oriuntur in sinistro cordis uentriculo, & uitalẽ spiritum toti corpori subministrant, Galen. li. de dissect. arter. c. 9. & de usu part. lib. 6. & 16. Vessalius lib. 3. c. 12. & 13. De diuersitate sanguinis animaliũ, Plin. lib. 11. c. 38. & 39. Extat & libellus nuperrime editus per Martinũ Rullãdum de phlebotomia, morbisq; per eam curandis, ubi & de uenis, & de sanguinis missione per seriẽ literarum agitur. Extat & de pulsibus ex arterijs dignoscendis, singulare opus inscriptũ Sphigmica ars, editũ a Iosepho Struthio. Ex uena & arteria, duo etiam uasa composita inueniuntur: prius quod uena arterialis dicitur, eo quòd illud uas arteriali non uenali sit corpore conflatum, & sanguine, ut uena deferat, & hæc uena est ex clariori sede dextri cordis uentriculi, in pulmones numerosissima ramorum serie digesta, sanguinemq; in eo cordis uentriculo elaboratum, pulmonib⁹ subministrat. Alterũ dicitur, arteria uenalis, eo quod aerem ueluti spiritum ex pulmonibus in sinistrum cordis uẽtriculum deferat, & tamen non arteriali, sed uenali corpore uas conflatum, ut docet Vessal. lib. 3. c. 15.

De spiritibus. *Cap.* 20.

EX sanguinis parte tenuissima, subtilis aerea & tenuissima & dilucida substantia oritur, quæ spiritus dicitur: duplex secũdum Galenũ de placi. Hipp. & Plato. & lib. 12. de metho. meden. & de facultatib. nostrum corpus dispensantibus, uẽpe animalis & uitalis. Secundum Arabes, triplex: addunt enim illis naturalem. Naturalis, fit in hepate ex puriore sanguine, cui nullus humorum commiscetur, qui ab hepate per uenas non

pulsantes in totum mittitur corpus: hic perficit uirtutem naturalem & format actiones. Vitalis, in corde generatur, ex inspiratione & sanguinis uapore, hincq. per arterias ad omnia corporis membra mittitur, uitalem confortans, & custodiens uirtutem. Animalis porro spiritus, in uentriculis cerebri gignitur, & per neruos ad omne corpus mittitur, præbens mouendi sentiendiq. facultatem. Generatur autem ex uitali, qui dum per arterias sursum eleuatus est in cerebro, intra reticularem plexum, ueluti per cornutæ cuiusdam ualde implexæ labyrinthum, perfectius concoquitur & elaboratur, & clarus in illa inuolutione efficitur, deinde ex reticulari plexu surgens, primum ad duos priores cerebri uentriculos, ac demum ad ultimum in puppi existentem, defertur.

De facultatibus animalium. *Cap.* 21.

AFfines spiritibus sunt facultates, quas dicunt animales, triplices, animalem, uitalem, naturalem. Animalis in homine gubernatiua, rationalisq. dicitur, habens in cerebro domicilium, & imaginatiua memoratiua quoque, in alijs simpliciter animalis, quæ sensum & motū quoque per canales neruorum, in corpus uniuersum distribuit. Vitalis, in animalibus ex corde fontē insiti caloris naturalis, in arterias distribuit. Naturalis, nutricationi destinata uirtus, plantis & animalibus cōmunis, perficit suū munus quatuor gradibus: primo attrahit alimentū, & potentia hęc ideo dicitur attractrix: postea attractrix attractū alterat, id est, alterum facit, ut succū eius reddat similem parti quam nutrire instituit. Quod ut faciat, ope aliarum duarum utitur potentiarum, scilicet retentricis, & expultricis; retinendo concoquit, & ibi secernit quod suo operi est inutile, illudque foras expellit, uiis a natura constitutis, per uesicam, urinam, per intestina, fæces, & sic similia per alia organa.

De musculis. *Cap.* 22.

MVsculus, est neruosum corpus cui permixta etiam caro, ad partium corporis motum procreatum. Distinguitur autem a pinguedine, quæ est affusio alimenti circa membranas maxime concrescens, & sensu carens, ut dicitur

citur in finitio.medi.in isagog.Galeni. Musculi cōstant,fibris neruorum,ut moueantur, suntq. uenis & arteriis,quibus cōsperguntur,illis ad alimenti distributionem, his ad natiui caloris custodiam.Plures autem sunt musculi qui diuisi & inuoluti singuli tenui tunicula,quæ eos secernit ad inuicem: & unicuique musculorum ita inuoluturum tres partes,origo,medium,exitus.Origo seu caput,neruosum est:mediū, carne,neruis, & arteriis exuberat:extremum in tendonem, cōfusis neruorum & uinculorum fibris, desinit. Musculorum actio, est, tensio,contractio,extensio,laxatio.quod explicat Galen.1.de mo. muscul. De numero musculorum dissident medici, sicut de ossium numero. Frontis unum, palpebrarum superiorum duo,oculorum septem,narium proprij duo, labiorum, 4.maxillarum ad claudendum duo,ad aperiendum duo,ad molendum duo De quibus Vessalius lib. 2. Galen. 9. 10. 11. de usu part. Musculi linguæ euidentes 9. Vessal lib. 2.c. 19. Musculi hyoidis ossis proprij 8. non proprij 4.laryngis, & alij linguæ de quibus Galen.lib.7.& 13.de usu part. Vessal.li.2.c.17. Laryngis musculi 20.quorum 12.proprij,alij,communes,Gale. lib.7.de usu part.c.11.& 12.Vessal.lib.2.cap.11.& 21. Scapularum 7.de quibus Gale.lib.13.de usu part.cap.fin. Vessal.lib. 2.cap.26. Musculi brachium mouentes undecim, de quibus Gal.lib.13.c.fin.Vessal.lib.2.cap.23. Vlnæ interiores 7. exteriores 9.extremæ manus 7. præter paruos qui intra ossa meta carpij,palmæ subiacent.de quibus li.1.de anato.administr.& 1.& 2.de usu part.Gal.Musculi thoracis complures,de quibus Vessal.lib.2.cap.35.Dorsales 15.de quibus Vessal.li.2.ca.38. Epigastri recti duo,transuersi duo: obliqui 4 Galen.5.de usu part.ca.14.& 15.Vessal.2.c.13. & 31. Musculi sedis,3.Galen. lib.5.de usu part.capit.14. Vessal.2. cap. 51. uesicæ unus. Galenus lib.5.de usu partium cap.16.Vessal.2.capit.50. testium bini singulis,Vessal.lib.2.c.32. Pudendi musculi 4. Gal.lib.5. de usu part.c.3.Musculi ischij seu coxendicis 5.maiores, & totidem minores illis oppositi,de quibus Galen. lib. 15. de usu part.ca.fin.femoris 10.Galen.lib.3.de usu part. capit.16. Tibiæ 9. Vessal. lib.2. cap.59. Pedis & digitorum 22. Vessallius lib.2.cap.60.

Gene-

Generaliter indicantur authores, qui de partibus corporis animalium tractant. *Cap.* 23.

DE omnibus partibus hominis tractat Hippocrate lib. de ossium natura, Galen. lib. 9 de decret. Hippo. & Plato & de ossibus ad tyrones, item de dissectione uenarũ, & lib. 9. de anatomicis administr. & lib. 17. de usu part. corp. huma. & li. 9. de anatom. administra. in isagog. in introductorio seu medico, & de finitionib. medic in anatomia parua, de anatom. oculorum, de compagine mẽbro. Vessal. li. de anatom. Plato in Timæo. Alanfrancus chirurgicus 1. tracta. chirur. 1. doctrina. Theophilus Protospatarius li. 5. de corporis humani fabrica, Aur. Cornel. Celsus lib. 4 medici. cap. 1. & lib. 8. c. 1. de diuersitate animalium per singula membra. Plin. lib. 11. c. 37. latius Aristot. liq. 2 3. 4. de partib. anim. Communes omnibus fere generibus animalium partes, gula, uenter, intestinum: at sanguinea quasdam partes interiores & exteriores habent, quas non habent exanguia, quę nec habent uiscere, ut ait Arist. li. 4. de histor. animal. cap. 3.

De capite. *Cap.* 24.

ALiquas nobiliores animalis partes leuiter attingemus, reliquas ad indicatos authores reiicientes. De capite itaque delibabimus pauca. pars hæc sacra in homine est nobilissima, ideoq. sternutanti assurgimus, & adoramus eam partẽ, ut notat Aristot Problem. sect. 33. q. 9. Plinius illud innuisse uidetur, dum ait cur sternutamentis salutamur? quod ẽt Tyberium Cæsarem tristissimum ut constat hominũ, in uehiculo exegisse tradunt, & aliqui nomine quoque consalutare religiosum putant. Caput, secundum post cor generatur, sed ultimum perficitur, ob maxime humidum cerebrum Arist. 2. de generat. ca. 4. Et quia oppositum est cordi calido, oportuit illud esse humidissimum, idcirco omnibus animalibus quibus cor est, caput sit, necessarium fuit. Arist. 4. de part. animal. cap. 10. Attamen asserunt quidam deesse animalibus quibusdam caput, sicut Plin. lib. 5. cap. 8. in India meminit Blemmyis capita abesse, oculis pectori affixis. Ostrearum generi nulla capita, nec spongiis, nec aliis fere, quibus ex sensibus solus tactus

est.

est.tradit quoque Plin.lib.11.cap.37.quiqusdam animalibus indiscretum caput,ut cancris, Plin.lib.11.ca.37. Aristot.4.de histor.animal.c.3.& 4.de part.animal.c.10. Ob cerebrum hu midum,pōderosum est caput:quo fit,ut pueri propter cerebri magnitudinem non portent caput,nec erigant collū, donec calore cordis, mediantibus arteriis a suo pondere alleuietur, ut tradit Arist.2.de gener.animal.c 4.Substantia cerebri subtilis ingeniosum habet:crassi,tardum: formarum facilis susce ptio,memorem:calida,mobilem:frigida stabilem:humidior, stultum. Caput autem ualde rotundum notat mobilem: acuminatum & pinneatum inuerecūdum: paruum, insensatum: optimæ formæ,prope rotundū,sed cuius anterior pars latior, posteriore in modum mallei &c. optimum,ut apud physiognomos tractatur.

De pilis & quæ horum loco animalibus sint. Cap. 25.

QVia cerebrum omnium partium humidissimū ; idcirco citius & magis in capite generantur capilli,ut ait Arist. 2.de histor.animal.ca.1.& 2.de part.animal c. 14. Porro pili nascuntur ex quadam materia fuliginosa,terrea, sicq Galen. 2.de temperam. humore tamen cutis, quæ inquā cutis, nihil aliud est,quam resiccatio carnis, pascuntur. Huiusmodi humor copiosus a cerebro transmittitur per commissuras: qui si multus & pinguis sit,pilos nutrit & protendit: sin siccus, crispat,Arist.5.de generat.animal.c.3.& sic de similibus,de quibus Galen.in arte medica. c.13.14.15.16. Pili nascuntur hominibus,parte ea qua cutis pellisve superior rarissima est,quę admodū in barba,in mento, in pectine nascuntur puberibus, cum pellicula superior rarefit, & satis habeat humoris adpilum nutriendū,ut ait Hippocr. de pueri natura. Cur aūt nec fœminis nec spadonibus nascātur,& quibus ex causis defluāt, & nutriantur & canescant uidendus Arist.de histor.animal.c. 10.Galen.2.de temperam.& in medico.Quæ loco pilorū sint in animalibus,& de pilis Aristot.5.de generat.animal.cap.3. Nam animalium, quædam habēt cutem sine pilo uel lana,ut uermes terrestres:quædam corium cum pilo, ut equus: quędā lanā,ut oues:quædam lanam cum pilo,ut asinus: quędā habēt pilum & capillum, ut homo ; quædam setas & pilum,ut porcus; quædam spinas, ut ericius & porcus spinosus; quæ-

dam

dam pennas, ut aues; quædam squamas, ut pisces: quædam pellem, ut anguillæ.

De ore. Cap. 26.

Sicut omnia quæ uiuunt, egent alimento, sic & instrumẽto quo illud attrahant: illud autem os, quod est omnib. animalib. commune, loco cuius radices plãtis. uerum illud uarie distinguitur, specie, proportione, situ, excessu, ut notat Arist. li. 1. de histor. animal. c. 2. & plura li. 2. c. 1. & seq. Quædam habent os rostratum, ut aues: alia fissum, ut canes, pisces; quædã cum promuscide, ut elephas, duplex Aues, nec labia nec dentes habent, paucis exceptis, nec nares, nec aures, nec cilia, quãuis pro illis quædam habeant, & odorentur, & audiant, ut notat idem Arist. 2. de histor. animal. c. 12. in ore continentur dentes; concameratio superior dicta palatum, in cuius extrema parte adhæret gurgulio, seu uua. de dentium differentijs & ordinib. Arist. 3. de par. anim. c. 1. Gal. li. 11. de usu part. c. 8.

De lingua. Cap. 27.

In ore quoque lingua, caro quædam spongiæ instar & mollis: unde fit ut ebrii lingua, cum plus hausit humoris, expedite loqui nequeat. Arist problem. sectio. 3. q. 30. hæc lingua cum super pulmonem sit posita, & diuersitatem humorum ob naturam spongiosam concipiat, febrium diuersitatem indidicat, ut idem tradit Arist. problem. sectio. 34. q. 4. atque linguæ euadunt concolores humorib. ut tradit in Hippocr. lib. de morb. uulgaribus, Galen. commẽt. 5. Signa porro morborum ex inspectione linguæ, tradit Hippocra. lib. de prænotionibus & lib. 6. epidemio. & in princ. de diebus decreto. & 7. lib. aphoris. idcirco lingua uiridis biliosos: nigra melancholicos indicat: lingua humida uẽtriculum, uel cerebrum quod in uentriculum distillat, Galen. in libro. aphoris 6. in aphoris. 32. Tradit Galen. in definitio. medicis, & in medico, linguã esse uenosam, sub pinguem, carnosam, saporũ gustatricẽ, adiutricem in deglutiendo alimento. Duo in ea neruorũ genera. alios illi molles, gustandi sensum præbentes: alios duros, ex quib. motus arbitrarius. Et quod illa moueat sapores, docet Arist. 4. de part. anima. c. 8. Plut. de placi. philoso. c. 18. Radici lin-

linguæ adhæret Epiglottis, lingua, quæ arteriam cum degluti mus claudit, ne quid in eā firmi & solidi incidat, & eius rei quoque gratia, creatæ ad radicem linguæ quatuor tonsillæ. Lingua aliquibus animalib. bifida, ut serpentib. & lacertis, secundum Arist. 2 de part animal. c fin. & 2. de histor. animal. c. 17. Imperfecta piscibus, & incerta & ossea. Arist. li. 4. de partibus. animal. cap. 8.

De collo. Cap. 28.

CAput iungitur humeris, collo: per hunc procedit fistula, quę a faucibus usq; ad pulmonem protenditur, quæ dicitur τραχεῖα arteria, & βρόγχος; caput huius arteriæ; λάρυγξ, id est guttur tribus cartilaginibus constans. Collum secundū Arist. li. 4. de part. anima. c. 10. factum est, ut gulam & arteriā protegat. Collum secundum crurum longitudinem auib. est longum; ut possint alimenta decerpere. Arist. 4. de part. animal. cap. 12. Collum animalium, uertebris constat & flectibilis est, excepto leone & lupo, quibus osse perpetuo riget. Arist. 4. de part. animal. c. 10. Guttur spiritus trahendi causa datum est: proinde animalia quæ non habent manifestam respirationem, uel ut alii dicunt, quæ non egent respiratione, ut pisces, carent collo & gutture, & consequenter pulmone. De quibus Arist. lib. 3. de part. animal. c. 3. Galen. libr. 8. de usu partium in princip.

De thorace & eius partibus. Cap. 29.

SVperiores partes thoracis, furculæ, iugula, clauiculæ, de quibus & sequentibus, Gale. 8. de anatom. administrat. Inferiores septum, transuersum, diaphragma, quod est cartilagineum, ut ait Plato in Timæo. Costæ 24. retro animalibus omnibus costatis utrinque 12. septem superiores longiores ad partem anteriorem tendentes, ad partem quæ illas excipit nempe pectus; harum sexdecim proprie costæ, aliæ nothæ. Galen. li 8. de anato. administr. Aristot. de histor. animal. 1 c. 13. Costę serpentibus singulis tricenæ, Aristot. 2. de histor. animal. c. fin. Plin. lib. 11. cap. 37. Mammæ utrinque, in media ferre thoracis regione, apex illarū papilla. At de mammis, pectore, thorace animalium, & differentiis eorum, Arist. 4. de part. animal. c. 10. Galen. li. 6. de usu partium, cap. 1. & seq. & lib.

lib.3.cap.6. Plin. lib.11.cap.39, 40. & 41. Dorsum pone thoracem est,& spinam habens 24.uertebris in tres partes diuisas nam in collo 7. in dorso 12. in lumbris 5.post thoracem etiã spatulæ, quæ, in acetabulo, collo iunguntur, unde humeri prominent: de quibus Gal.li. 13. de usu part. ossa humerorũ scapul e dicuntur,quib.annexa dependent brachia & manus, Arist.3.de.hist anim.c.7.Quod a summo humero ducitur,brachium dicitur in osse adiutorii, at crures anteriores animalibus qua drupedibus sequitur cubitus,membrum inter superiora & carpum.

De manu. Cap. 30.

MAnus propriæ homini, quæ ei sunt uice pedum anteriorum,ut ait Arist.4.de part. animal.c.10.ubi & de digitis.Has imitari uidentur animalia ea,quæ quinque digitos habent, ut simiæ.mures. De manus & digitorum anatoma,& partibus,Galen.1.& 2. lib.de usu part.cor.huma.in isagog.in medico, & lib.4.de motu muscul.manus,carpo iungitur brachio,sequitur uola pars interior manus caua,postea digiti; superior pollex,duabus iuncturis cõstãs ut fortior; post hunc, index, postea medius seu infamis,postea medicus seu anularis,postremus minimus seu auricularis. Spacium inter pollicẽ & indicem,thenar; oppositum illi sub imo digito hypothenar;monticulus digiti sthetos suprema digitorrum pars acinus.Articuli inferiores digitorum procondyli; medii condyli: superiores, metacondyli.

De penetralibus thoracis,corde, iecinore, uesica fellis, & felle. Cap. 31.

EST intra thoracẽ,membrana costas cinges:ex hac duæ oriuntur dictæ interseptientes,intercipiẽtes scilicet utrinq; medium thoracem; & est pericardion, quod ueluti uagina cor operit.Cor in medio thoracis,duas auriculas habens,mediã, & sinistram: ad dextrum & læuum transmittitur sanguis per duo uasa; dextrum,ex iecinore sanguinem defert, & per cauam uenam utrinque sanguinem distribuit, & per uenam arteriosam in pulmonem. In sinistro cordis uentrinculo arteria uenosa ex pulmone aerem cordi defert,de quib. omnibus

bus docte Plato in Timæo. Cor & iecur, omnibus animalib. fere adiiciuntur ut necessaria: alterum propter caloris originem, alterum cibi coquendi gratia. Arist. 3. de part. animal. c.12. Cor in medio thoracis est, sed in sinistrã tẽdere uidetur quod inde recipiat spirituum receptaculum, ut tradit Galen. lib. 7. de anatom. administrat. Cor tanquam initium & fundamentum uitæ, & radix Gale. 5. de interio. cap. 1. Auicenna 1. par. 1. doctr. 5. & 2. parte tertij c. 1. de anatome cordis & de uiribus cordis c. 1. Plinius lib. 11. c. 37. ubi tradit cor, primum uiuere. ultimum mori, palpitare ac moueri ac alterum animal: & apud Ægyptios obseruatus, quibus mos est cadauera asseruare medicata, augeri per singulos annos in homine cor, ad binas drachmas ponderis, ad qninquagesimum annum accedere: ab eo postea detrahi tantundem, & ideo non uiuere hominem ultra centesimum annum, defectu cordis. hæc Plinius, ubi alia plura de corde subiungit præclara. Cor carne dura constat, uillis & arteriis, cum duobus uentriculis manifestis, & uno medio, non manifesto. Sinister habet armarium & capsam spiritus, in dextro residet sanguis. Huic tria illi attribuuntur, palpitatio, pulsus, respiratio. Aristot. 1. de respirat. Sed hæc hactenus de corde. Reliqua uidenda, apud Gale. lib. de forma fœtus, Hippo. lib. de corde. Iecur, est membrum generans sanguinem, ut ait Auic. c 14. parte tertii c. 1. Caro rubea, id est, sanguis congelatus in calore remissiore. Iecur, ut diximus, est uenarum principium, in dextra hypochondriorum parte, habet 5. fibras, uenam maiorũ cauã: canali exiguo, in pendulam sibi uesiam bilem deriuat, quę dicitur kystis fellis, uesica fellis, de qua Gale. in 4. & 5. de usu par. Ita iecori fel adiunctum, ueluti quoddam excrementum, & alui intestinorumq; sedimen: ferunt autem quosdam homines felle carere, delphinum & uitulum marinum, damam, equum, asinum, ceruum, partim etiam mures, & camelos & alia animalia, Aristo. de par. anim. cap. 2. de iecinore plura & felle Gale. lib. 4. de usu part. c. 12. Plin. lib. 11. c 37. & 38.

De pulmone, umbilico, abdomine, peritonæo, omento, intestinis, urinarijs uasis &c. *Cap.* 32.

PVlmo quatuor fibris, quę Græcis dicuntur λόβοι, circundatur, duabus in dexteram, duabus in sinistrã tendẽtibus,

& una

& una ex his ueluti sobole quinta, in dextra thoracis parte exigua: inanis hic totus & sanguine plenus, a quo ad cor patent meatus perpetui, ut ait Aristot. 1. de part. animal. c. 17. Galen. autem uocat spiritus humani prompturarum, lib. 6. de usu part. c. 2. Nam respectu cordis, pulmo est ut follis concauus, spongiosus, cor refrigerans per inspirationem & respirationem aeris, ut ait Aristot. lib. de diuturni. & breuit. uitę, & li. de spirat. In continuo itaque motu, in attrahendo & emittendo spirationem, cordis uersatur flabellũ, ut ait Vitalis de Furno li. de diuers. medicin. aduersus diuersos morbos, ca. 258. Addit autem Galenus quintũ globum pulmoni, li. 6. de usu part. c. 3. Quæ sanguine carent, uel satis suo natiuo spiritu uel extrinsecus refrigerantur, pulmone carent, ut pisces, qui tamen pulmonis loco, habent branchas, excepta balena & delphino, quæ respirant, cum omnia quæ respirant, habeãt pulmonem. Arist. 4. de part. animal. c. 7. Plin. lib. 9. c. 7. & li. 11. c. 3. Et quæ sine pulmone sunt, uoce carent, Gale. li. 2. de. usu part. c. 2. & 9. Vmbilicus in uentre, quasi fœtus radix. nã inde in utero matris, homo quandiu ibi est, haurit alimentum. Aristot. 2. de generat. animal. c. 4. trahitq; inde spiritum. Hippocra. li. de puer. natu. In uentre abdomen, in aliquibus animalibus delitescit & crescit, Aristo. de part. anima. 4. c. 12. huius musculi octo, post abdomen peritonæum, membrana pertenuis seu siphac. Deinde omentum, barbaris zirbus, rete. Postea intestina sex, tria crassa, tria tenuia, De quibus Galen. in medi. & 4. de usu part. & alibi. Vnum tamen esse continuatũ in uentre scias intestinum ab stomacho uel uentriculo, usque in anum seu secessum perueniens; uerum illud ipsum æqualis non est latitudinis, quamobrem ob sex latitudinis differẽtias per suas implicationes, intestinum in sex nomina distinguitur: qua parte n. uentriculo annectitur, & ibi concocta recipit, duodenum dicitur a duodecim digitorum longitudine, cuius orificium ueluti infundibulum terminatur & nectitur stomacho, ideo dicitur pylorum seu ianitor; post hoc duodenum: succedit aliud dictum ieiunium, eo quod in eo non retinetur materia, & ferrè apparet uacuum perpetuo: succedit tenue dictum, longum, inuolutum multis circulis, accedit monoculum seu cæcum, colon, ilion. rectum postremum, qui porrigitur usque ad podicem: hic per intestina ordine fit excrementi concoctio quædam, & deinceps transmissio &

ex-

excretio; quibusdam animalibus, rectum sibi æquale, quo egerunt per aluum excrementum. Quibusdam autem parte ea qua iungitur uentri, laxius est, qua desinit arctius: unde fit, ut quæ eiusmodi habent, uehementi nixu egerant excremẽta, ut canes: Arist. lib. 3. de par. anim. c. 14. Neque uiscera omnibus animalibus similis, ut idem Arist. eo. li. 3. docet c. 12. & lib. 4. c. 1. Sunt & animalibus urinarij meatus, qui a renibus vrinam a sanguine secretam deferunt: uesica tamen carent, quæ non habent pulmones, & quæ parum uiuunt, ut insecta, pisces, squamata, aut corticata, excepta testudine Aristot. 3. de par. anim. c. 8. Plinius li. 11. c. 37. item aues, quia superfluitas humidi transit in ungues, pennas, & squamas. Vrinaria fistula penis pars, glans, cuticula, cuius præputium est cuticula, item mulieribus uulua. Desuper sunt ibi iuxta uasa seminaria testes scrotum, mamillares processus, cornua semicirculi, in mulieribus, & hymen seu nympha, aut septum uirginale. &c. Extat Galeni liber de uuluæ sectione, loquitur & de superioribus, & Aristot. primo de histor. anima. capitu. 13. & 14. Galen. libro 14. de usu part. in princi. & li. 15. capitu. 4. & de uuluarum diuersitate in animalibus uidendus Aristot. libro primo, de gener. ani. c. 7. & 8. Pl. li. 11. c. 37. De pedibus ac cruribus Arist. 1. de hist. ani. c. 15.

De sensu, & eius diuisione. Cap. 33.

EX compositione animata prodeunt duæ facultates uitales, sensus & motus: sensus duplex, exterior, & interior. Exterior est potentia receptitia specierum obiectarum, sine materia. i. spiritaliter & in intẽtione: ut uisus est receptio formarum spiritualiter. Arist. lib. 2. de anim. c. 12. ueluti, inquit, cum cera sigilli impressionem recipit eandem, quam habet sigillum, nec tamen eadem est cum sigillo. Sensus, inquit Damascenus 2. de orthodoxa fi. cap. 18. est uis animæ, materialium rerum apprehensiua, i. cognoscitiua. Et secundum Gal. in finitio. med. sensus est affectus animæ per corpus, nuncius rei, quæ mouere idonea est, hinc sensoria, & sensibilia. Refert eadem Plutarch. libro quarto, de placi. philoso. capit. octauo. Sensus exteriores 5. uisus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Gale. in finitio medi. & Damasce. ubi supra Gelli. libro septimo, capitu. 6. Totidem sensoria, oculus, auris, lingua, nares, cor-

pus totum, quę ut organa sunt, & recipiunt sensibile, quibus corruptis corrumpitur sensus, qui his adhæret. Sensoria omnia, duplicem & geminam habent sedē: eo quod geminæ hominis partes, dextræ, & sinistræ, & animalium quoque. Hēnt, & geminos neruos, excepto tactu, qui diffusus est per totū corpus, ut ait Arist. 2. de par. ani. cap. 10. & alij proxime citati autores. Gale. lib. 16. de usu part. ca. 3 uisus instrumentum lucidum est: aereum auditus: uaporosum olfactus: gustatus humidum: terreum tactus. Sensus interiores quatuor sunt, sensus communis, phantasia, cogitatio, memoria, de quibus omnib. ordine dicendum.

De uisu. *Cap.* 34.

VIsus instrumentum, lucidum est oculus, qui organum visus cum neruis opticis a cerebro pendentibus, & ad oculos productis: sic a cerebri humore secreta pars purissima, ad oculos peruenit; & sensorium frigidum, & humidum, ut cerebrum est. Arist. 2. de gener. c. 9 & 5. de gen. anim. c. 1. uisum aquæ tribuendum censet, siccessitque uisus, cum humido caret, Hippo. de uictus rat. & Gale. crystallinum in oculo humorem causam potissimam uisus dicit lib. de instrum. odora. Plato in Alcibia. 1. oculi uirtutem tradit, in uitu & acie pupillæ, in qua quis seipsum inspicit non secus ac in ipso speculo. in Timæo autem, plura de præstantia, & fabrica oculorum, & q͂ sint radiorum igneorum cœlestium participes. Ferunt oculos postremos perfici, ante cæteras partes emori, quod inde ad cerebrum mouendi uidendique principium resiliat, ac retrahatur. Dexter sinistro obtusior; Hos læsum caput, & uisum afficit ut ex ebriis, deliris, & febricitantibus, constat. Sanguineis fortis uisus; biliosis acutus; spiritus habentibus crassos incertus; at humidus & modicus, nec propinqua, nec remotiora uidere potest. spiritus tenuis, exilis, tenebrosus, qualis seniculis exhaustis, ac morbo extenuatis, debilem uisum facit, aut prope nullum; dissipatur namque, unde conspicillis aggregatio radiorum medetur; officiunt uisui, si pupillam a sua sede dimoueri contingat, si dilatari, contrahi, contorqueri, imminui, uulnerari, contundi, inflammari; deficit uisus, & caligant oculi, humorum defectu, ariditate, spiritus uisorij inedia, mœrore animi, fletu, lassitudine, senio, immodico concubitu, intem-

tempestiua lucubratione, allio, cæpe, porris. Iuuant & restituunt & instaurant, uina dulcia, uuæ passæ, amygdalæ dulces, pistacca, castaneæ rostæ, elixæ, rapæ, passerculi, miliariæ, frigili, fœniculi semen, folia, & radix: euphragia, euphorbium, stœchas, interdum chelidonia, & ruta, uiridia fouent aspectu. De uisu alia quoque plura diximus in optica, quæ consulto omittimus.

De quibusdam uisus effectibus. *Cap.* 35.

NVlla ex parte maiora animi indicia animalium, potissimum hominis, quam ex oculis, moderationis, clemētię misericordiæ, odij, amoris, tristitiæ, lętitiæ; hinc cōtuitus multiformes, truces, torui, flagrantes, graues, transuersi, limi, submissi, blandi, & in summa, profecto in oculis animus inhabitat, hos cum osculamur animum ipsum uidemus attingere. Pli. li. 11. c. 37. Mulieres mensium tempore, cucumeres, peponesque tactu uisuque inficiunt, ut siccentur; eboris & speculi nitor, ex uisu illarum maculas contrahit: sanguis. n. illis ebullit melancholicus, unde uapores orti sursum elati, per oculos prolabuntur, & adstantibus uenenum expirant, nocentq. sic anus quæ putridos habent spiritus, intuitu tenera corpora, & fascinant, ut Virg.

Nescio quis teneros oculos mihi fascinat agnos.

Qui amant, & crebro uisu rei amatæ, uirus ebibunt, & uenenum mutui amoris transfundunt, & hauriunt, concurrente intensa imaginatione. Sic Eutelida, in aquæ reflexionibus, & Nereus ex forma propria, se fascinarunt sui ipsius amore iuxta fontem Nili qui Nigris dicitur. ferunt feram quę appellatur Catoblepas, modicam alioquin, cæteris membris inertem, necare eos qui oculos eius uiderint: eademq. Basilisci serpentis est uis. Pli. li. 8. c. 21. Lippitudinis etiam contagio serpit, & uidendo accedit. Sic Ouid.

Quum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

Et iuuen. sat. 2.

Sic pecudes, armenta, boues, grex totus in agris.
Vnius scabie cadit, & porrigine fęda:
Vuaq. conspecta liuorem ducit ab uua.

Referunt lupos uisos, & oris halitu uirulento in oculos

Bb 2 tran-

transpirato, raucedinem inducere In summa,

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

De auditu. *Cap.* 36.

SEcundus sensus, auditus est, qui percipit sonum aurib. per spiritum infusum. Gal. in finit. med. Et auditus, inquit Plato in Minoe est, qui per aures sonos declarat. Organũ, aures, foris patulæ, intus flexuosæ, & tortuosæ, ut per amphractus huiusmodi, paulatim sonos recipiat, ne magnitudo soni sensum lædat. Meatus aurium aeri parentes ex corde, tendunt, & desinunt in uenulas cerebro adiunctas, secundum Arist. lib. 2. de gen. ani. c. 4. Damasc. li. 2. ortod. fid. c. 18. atque Gal. lib. 11. de usu par. c. 12 docetque a probatione animalium, qui aures arrigunt, cum melius sonum desiderant concipere, & meatus ita dirigunt Plura idem Gal. li. 8. de usu par. ubi & oppositum foramini esse os petrosum tradit, & amphractus constitutos, ne aer directo receptus, refrigeraret cerebrum, neve inde surditas accedat. Et rursum in osse petroso, esse meatum auditus docet, lib. de ossib. ad tyron. c. 1. cuius meatus uia si obturetur fit surditas: potissimum si subeat materia biliosa. Hippoc. 4. aphoris. apho. 36. & ibi Galen. exemplo potest inseruire etiam, quod aeris ingressione, & inflatione uenarum, restringatur auditus, & hebescat oscitatione. Dum. n. oscitamus, audiendi facultas tollitur: spiritus. n. ut in os, ita in aures irrumpẽs, mẽbranam expellit ac prohibet, quominus sonus ingrediatur. Arist. lib. probl. sect. 32. q. 13. sic melius audimus, cum spiritũ retinemus. Quia per respirationem, & cum reddimus spiritũ, sanguis ascendit, & obstruit meatus; cum retinemus attrahimus, & externus aer recipitur. idem Arist. problem. sect. 11. q. 41. Item quod respiratio nonnihil mouet strepitus, ea sectio. q. 48. proinde melius, audimus noctu, quam interdiu, quia noctu omnia fere silleant: uel ut ait Anaxagoras, quod aer interdiu stridet, a Sole concalefactus, ut scribit Aristo. ad sect. q. 33. Medium auditus, aqua in piscibus; aer in aliis. Gal. libro 7. de decret. Hippocra. & Plato. Empedocles, auditum fieri allisu spiritus in clauiculatam aurium partem introrsus annexã, quam tintinabuli uicem præbere dixit, Alcmeon ait nos audire inani intestinaque aurium parte, & hoc esse quod spiritu

irrum

irrumpente personet: omnia namque uacua sonitum edere solere. Alij alia sentiunt, apud Plutarc. libro quarto, de placi. philoso cap. 16 Galen. autem aures, & sonum recipere, & edere aliquem, dixit libro undecimo, de usu par. cap. 12. quod certe quis facile probabit, si manus uolam, uel aliud cauum auribus admoueat. Zeno audire nos ait, cum is qui inter loquentem, & audientem est aer, uerberatur orbiculariter, deinde agitatus auribus influit, Diogenes Laertius in Zenone, libro octauo. Sic & Plato in Timæo, Omnino igitur, inquit, uocē ponamus pulsationem quandam ab aere, per aures cerebrumque, & sanguinem, usque ad animam penetrantem; natā quoque ex ea motionem, incipientem a capite, & in sedem iecoris desinētem, auditum uocemus. Notio uero prouenit uelox, acuta: tarda autem, grauis. Et hæc hactenus de auditu & sono: plura. n. alia in musica diximus.

De olfact. *Cap. 37.*

OLfactus, est alius sensus: scilicet potentia, qua anima sentit odores. Arist. naturam odoris, calorem quendam esse uoluit: & odoratum omne calidum, problem. sectio. 12. qō. quarta. Et lib. de sensu & sensibili, humidam siccitatem, quo fit, ut in aere, & in aqua sit, quia & calor sursum fertur, ut idē scribit problem. sectio. 13. q 5 Quamobrem inquit, res male olidæ dum calent, grauius olent: quia natura odoris, uapor quidam & delatio est, quæ duo calore consistunt. In isagog. Galeni in finitio. medi. Absoluitur spiritu in naribus contento, uliginoso, & magis halituoso, per quem, olfactilium fiunt apprehensiones. Et Hippoc. li. de carnibus. Cerebrum, inquit, cum sit humidum, odorandi facultatem tribuit: odorē enim rerum siccarum, spiritu & aere, per gurgulionem qui, & ipse siccus est, ad sese trahit, & ad cauas narium partes aduocat, quem nulla caro, nullum os impedit, sed quædam cartilago tenera, & spongiosa percutitur. Obiectum igitur odoratus, odor, medium aer; piscibus, aqua, cum apertione meatuum, ut explicat Themistius libro 2 de anima, Arist. 2. de anima c. 9. & ibi Simplicius, odoratum aerem esse dixit. Et Gale. libr. 7. de placi. Hippocr. & Plato. Plinius libro 9. cap. 7. ubi & de odoratu piscium. Odores autem totidem esse, quot sapores, eadē

ex causa contendit Arist.lib.de sensu & sensib. acres, suaues, austeros,acerbos,pingues,putidosq; ex proportione amari respondere: non tamen in eodem unquam sunt odor & sapor, quin & diuerso modo feriunt sensus,ut ait Plinius li.15.c.27. sed tamen nomina odorum a similitudine saporum sumũtur. ita acutus qui cito monet, grauius qui tardius & facile satiat efficitq; fastidium,cõtra acutus,est & odor aromaticus falsus, amarus,acetosus,unctuosus,stipticus,pinguis, dulcis siue suauis,fœtidus,& ita differunt.Odores,inquit Plato in Timæo, madefactione putredine,liquefactione,uel euaporatiõe quorundã gignuntur;cum enim aqua in aerẽ,uel in aqua aer trãsit,in medio eorum odores fiunt,omnisque odor, aut fumus est, aut caligo. Sed horum, id quod mutatur ex aere in aquam caligo,quod uero ex aqua in aerem, fumus: huic accedit, ut aquæ odores tenuiores sint, aeris crassiores. Fiunt autem suaueolentia odorq; gratus secundum Damasce. lib.2. orthod. fid.cap.18. cum humida quæ in corporibus fiunt exacte concoquuntur, ut medio modo, media fit dispositio: at cum secundum partem, & non secundum totum concoquuntur & digeruntur, grauis odor adnascitur. Notabile autem id est tria elementa pura per se sine odore esse:aquam,aerem, ignem teste Plinio libr. 15. cap. 27. impressiones autem odorum suscipere.Organum olfactus est cerebro adiunctum proxime, supra nasum in iunctura frontis & nasi, ubi sunt duæ carunculæ cauæ & porosæ ex substantia cerebri ortæ, quæ hauriunt odores,eosq; trasmittũt ad anteriores cerebri uentriculos,Ioan.Mohemus de anima cap.8.Arist.problem.sect. 13. qu.5. & de sensu & sensibus Gale.lib.8.de usu par. corp. huma.c.6.Alcmæon quoque principatum odoratus tribuit cerebro,Plutar.li.4.de plac.philoso.c.17.ueruntamẽ illud non est unica causa,ut Gale.1.de sympto. caus. Melanchthon de anima.Odoratus auiũ etiã in rostro est,Arist.2.de histor.ani. c.14.obturatis itaq; meatib. narium, necessarium est sensum olfactus euanescere.Gale.li.6.de decret.Hippo.& Plato.Odoriferis proprie homo oblectatur, si credamus Arist. li. de sensu & sensibili.Ideo Cic.2. de natu.Deo.colligit omnia odorifera,hominum causa creata,siue quod in eis solus magis delectetur: habet tamen homo hebetiorem odoratum animalib. quæ naturaliter odorantur,quia habet cerebrum magis frigidũ,in quo odores dissipantur.Aristot.2 de anima.c.9. Canes

ualde

ualde odoratu ualent. item equi qui ad uestigia luporum terrentur, eaq. præsentiũt. Cæterũ de odoribus planti. ve odoratis. Plin. toto lib. 12. de unguentis lib. 13. cap. 1. & 2. de instrumento quoque odoratus, Galen. proprium librum edidit.

De gustu. *Cap.* 31.

GVstus, est sensus, qui in lingua uel palato percipit sapores, Arist. lib. 3. Ethic. cap. 10. Nam eius rei gratia, datam esse homini linguam dixit lib. 3. de anima cap. fin. & idẽ lib. de memoria tradit nullum esse animal, quod gustus sensu aut tactus careat, cùm tamen alio aliqua careãt. refert & Gellius lib. 7. c 6. Organum eius, est pellicula sub lingua, sub carne porosa, seu spongiosa, quæ est in linguæ superficie, eademq. pellicula & in palato subtensa est, orta a neruis per palatum demissis, ad linguæ radices, quæ & gustum & tactum linguę suppeditat, & postea sensum principi cerebro denunciat, ut ait D. Damasce. lib. 2. de orthod. fid. cap. 18. Alcmæon etiam, humore & tẽpore & mollitie linguæ, internosci sapores ait. Diogenes propter fungositatẽ, ut loqui itá liceat, & mollitiẽ linguæ, & commissas ei parti uenas. Plutarch. lib. 4. de plac. philos. cap. 18. Sic Plato in Timæo, tenduntur, inquit, a lingua uenæ ad cordis sedem, saporis nuntiæ, in quas si qua ita inciderint, ut humidam carnis mollitiem penetrent, sapores generant, &c. Sensorium etiam gustus in corde esse, dixit absolute Aristo. lib. de sensu & sensib. At Galen. lib. de instrumento odora. & uenas in linguam & palatum defluere illius rei gratia, ait, meminitq; de pellicula, sicut & in 4. de locis affectis cap. 2. obiectum gustus, sapor, qualitas in succo, in quo humiditas uincit siccitatem terrestrem, calore utraque digerente. Sic Græci chymum, gustum & saporem, & succum, dixerunt, Aristot. 2. de anima cap. 10. sic in finitionib. medicis, isagogi. Galeni dr̃, gustum in spiritu humidiore linguæ esse.

De tactu. *Cap.* 39.

SEquitur recto ordine tactus gustum, quia & ille, tactus quodammodo est Aristot. 2. de part. animal. cap. 17. libr. de sensu & sensib. & 2. de anima cap. 10. & neruos gustus, gustandi & sentiendi uim habere dixit Galen. libr. 4. de loc. af-

fect.cap.2.Neque fieri posse,ut sine tactu sit animal, demonstrat Aristotel.lib 3.de anima.cap.13.& lib.de som.& uigilia, omnia animalia gustu & tactu prędita esse ait, nisi quæ inchoata tantum & imperfecta sunt. Tactu namque fiunt omnes in animali fere uoluptates, & uenerea. Ea ratione Philoxenus Erixius postulabat collum sibi longius, quàm gruis fieri, nempe quòd tactu illo interno delectabatur gulæ. Arist.3. Ethic. cap. 10. communis itaque hic alijs animalibus quibus alij sensus etiã desint, ut ostreis, terrestribus uermibus. Gellius lib.19.noct.Atti.cap.2.Plin lib.10.ca.71.Porro tactus, est potentia percipiendi potentias tactiles, ideo Arist. dicit tactum, id quod potentia tale est & quod patitur: nam in tactu passio quædam est 2.de anima cap.11.ubi & obiectum tactus, dicuntur qualitates primæ. frigidum, humidum, callidum, & siccũ. item secundæ, asperum, læue, lubricum, molle, durum, glabrũ graue, lene, densum, rarum. Galen. quoque uocat istas qualitates tangibiles lib.1.de natura. facult.capit.6.& seorsum de omnibus lib.3.de usu pulsuum. Organũ tactus pellicula neruosa, intexta, & dispersa, sicut rete quoddam sub extrema cute per totum corpus, ex cerebro tanquam a radice orta Galen. lib.de instrum.odora. Aristot. autem, in corde organum ponit, unde & neruos deriuare opinatur. Medium tactus, caro uel cutis quædam, quæ tamen sensorium existimatur ab Alexan. Aphrodis.in Aristot. quem Themistius libr.2. de anima cap.39.& 40.reprehendit, atque non carnem, sed uim quandam interiorem, sentiendi facultatem dicit: ueruntamen nos, cum carne tactum sentire Aristotelem adducimus lib.1. de histo.animal. cap.4. ubi tactum in parte similari corporis consistere, ut in carne, ait. Item de partib.anima.2.capit.1. Et quia pellicula neruea non spargitur per ossa, pilos, ungues, cornua, & similia, ideo ibi, nec tactus sensus. At de tangibili, datur regula a Lucretio.

Tangere vel tangi, nisi corpus nulla potest res.

Adstipulatur Aristot.1.de generatio.& interi.cap. 6.atque sedem tactus corpulenta dicit, 2.de part.anima.capit.8.& 2.de generatio.animal. capit.4. corpus esse uel corporis animalium.

De

De his quæ communia sunt sensibus exterioribus.
Cap. 40.

COmmunia sensibus exterioribus plura sunt, uel omnibus, uel quibusdã: ut primum origo, ut ea ex cerebro omnibus ducatur, ex quo sensoria, quę referunt ad cerebrũ sensum, Galen. 1. de sympto. caus. c. 8. Sensus, inquit Cic. 2. de natu. Deo. interpretes ac nuncij rerũ, in capite tanquã in arce, mirificè ad usus necessarios & facti & collati sunt. Et 1. de Legib. tanquã satellites & nuncios facit. A nonnullis tamẽ sensus ad cerebrum, ab alijs ad cor referuntur, ut ab Arist. lib. de iuuentu. & senect. & Galen. lib. 1. de natur. facultatib. cap. 37. Rursum Aristot. lib. de sensu & uigil. refert initium sensus & motus ad cor, unde & spiritus in animatis sanguineis, ut in exanguibus in eo quod eis loco cordis est: sensoria autem ad cerebrum, ut etiam latè docet libr. 2. de part. animal. cap. 10. ubi, neque exanguibus adstruit esse sensoria distributa, sed per totum corpus, uel per aliquam partem diffusa. eadem lib. de sensu & sensib. Et quamuis cerebrum sensu careat, tamen sensus gubernat, eoque laborante laborant, ut Macrobius docet lib. 7. Saturna. cap. 7. Communia tactus & uisus sunt, secũdum Damascenum in 2. de ortho d. fid. cap. 18. asperum, læue, siccum, humidum, sursum, deorsum, locus, & magnitudo: itẽ aliqui numeri, ut duo & tria, sed magis uisus, quàm tactus. Commune item omnium, sine materia res sensibiles percipere: deinde sensibile quodque a suo obiecto pati, item exuperantias sensibilium omnibus sensibus officere. Aristot. 2. de anima, cap. 12. Commune etiam in homine, ut omnis sensus a mente oriatur, tanquam a fonte, Cicero 4. Academic.

De sensibus interioribus. *Cap.* 41.

SEnsus interiores quidã duos, ut Plato in Timæo, tantùm constituunt, sensum scilicet cõmunem seu phantasiam, & memoriam. item & Aristot. 2. de anima. At subtilius philosophati constituunt quoque æstimatiuam: nos autem acutius rem considerantes, sensum communem, phantasiam, æstimationem, cogitationem, rationem, intellectum, memoriam, distinximus libr. 1. Syntax. capit. 2. & explicauimus libr. commen-

mentatoriū in prolegomena Syntax.cap.15. ideo nec hic plura adiiciemus. Sensus cōmunis is est qui exteriorū imagines cōpræhendit præsentes & absentes,& diiudicat obiecta,distinguit sensuum differentias; organū eius anterior pars cerebri, qua parte plus habet humiditatis,ut facilius possit species cōcipere,quemadmodum scribit Auicen.lib.6.natur.cap.de sensib.interio. & Albertus in lib. de anima, sensum communem interiorem,dixit potentiam organicam,intra cranium,ad cognitionē & diiudicationem exteriorū determinatam.Foxius lib.5.de natur.philoso.uim dixit, quæ sensus connectit exteriores Idem Plato in Theæteto,& Gal 7.de placit. Hippo.& Plato.sed de sensibus hactenus: nunc de motu animali.

De motu,qui est ex facultatibus animalis, & de motu intrinseco. *Cap.* 42.

ALia facultatis animalis pars,in motu consistit,qua per se & cum appetitu aguntur & agitantur animalia. Motus aūt dicitur,actus ipsius mobilis,ratione cuius mobile est.Aristor.8. physic.c.1. huius species sunt progrediendi uis ab uno in aliū locū,totiusq; corporis mouendi,& facultas uocis edēdę & respirandi.Nemesius lib.de natu.homi.c.16.Quibus verbis apparet,mouēdi duplicem esse uim, externam & internā: externa motus est ex loco:interna,in spiritu & pulsu.Hęc potentia animalis duplex est rursum, quæ paret rationi, & quæ non parere nata est.Rationi paret,ira & cupiditas:instrumentum cupiditatis,iecur:iræ,cor. Dicuntur autem rationi obedire,quia ita nata sunt,ut obediant,& ad eius nutū moueantur. Rationis expers pars,in qua nutriendi, procreandi, & pulsuū uis inest:quorum duo prima naturalia, hoc uitale est. Motus intrinsecus animalis & appetitus dicitur: quia mouet sensu animal.Hic secundum Aristo.1.Magno.moral.c.13.triplex in homine:primus sensitiuus,qui in irascibilem & concupiscibilem subdiuiditur:ita duo appetitus fiunt. In concupiscibili secundum beatum Thomam.1. secund.part. quæst.23. artic.4. sunt sex species,nempe amor,odium,desiderium, fuga nō desiderati, delectatio, tristitia. Est autem persecutio & fuga in appetitu,idem quod affirmatio & negatio in mente. Aristot. 6.Ethico.cap.2.At in irascibili,quinq; sunt alia,spes,desperatio,timor,audacia,ira.Tertius appetitus intellectualis dictus, est uoluntas non affixa alicui organo corporeo;hicq; appetitus proprius cū ratione homini, alij cum belluis communes

Arist.

Arist. 1. Magno. moral. cap. 18. Multa de appetitu & uoluntate, in Trascendentibus nostris diximus lib. 4. Syntax. c. 6. Et latius in commentariis in illa dicemus Deo fauente; itaq; breuiter admonebo intelligentiã esse partẽ uirtutis in homine, per quã ea perspicit quæ sunt, ut ait Cicer 2. de Inuent. hęc diuinum quoddam est & immune a passione, ut ait Arist. 1. de anima. c. 4. & Metaphys. lib. 12. c. 7. Et Cicero de uniuersit. proprium hominis intelligere dixit, nempe actu uel potentia; hæcq; præstat cæteris animalibus. Cicer. 2. de Finib. Gal. orat. ad artes, hæc regit etiam reliquas actiones, uel regere debet cum ratione.

De motu extrinseco. Cap. 43.

MOtiua potestas extrinseca, duplex est in animali; Prima dilatatiua & constrictiua, cõmunis animalibus imperfectis, ut ostreis & conchylijs, quæ licet non moueantur nec discedant a loco, tamen aliquando se dilatant, ut capiant cibum conuenientem, maioremq. locum occupant, dum se cõstringunt minorem. Alia facultas motiua in perfectis animalibus, ut dũ se progrediendo mouent, nando, uolando, reptãdo, ambulando; quæ tamen aliter in homine, aliter in bruto. Organi loco isti facultati adsunt musculi, secũdum medicos, secundum Aristot. iuncturæ & neruí a corde & cerebro expãsi, & dispersi per singula corporis membra, per artus & articulos cohærentes, deriuati quoque per articulos eorum mẽbrorum. At intrinsecus, spiritus uitalis neruos impellit, isti autem mouent, musculos & chordas: chordæ trahunt membra. Spiritus uitalis, est corporeus fumus ualde subtilis, ab humore & uapore subtili ex corde ortus. Musculus, ut diximus, caro composita & mixta neruo, chorda & carne pura. Chordæ nerui duriores, quasi ossei a collo ad calcaneum usque per membra molitia extensa. Nerui duplices, sensitiui qui a parte anteriore cerebri motiui qui a posteriori oriuntur. Pulsus quoq; motus quidam animalis peculiaris; & ut uehementer calore in humidum agente, necesse est partes quæ in flatum resoluuntur, ob uersationem bullas excitare; ita pulsum quoque fieri in animali corpore, par est. Aristot. lib. de spiritu. De his late Galenus lib. de usu pulsuum & de pulsibus.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER XXXIIII.

In quo agitur de Plantis, seu vita vegetatiua.

De vita plantæ. *Cap.* I.

Postquam Deus rerum omnium creator & opifex, iussit palantem aquam per omnes mundi regiones in unum locum secedere, & apparuit terra arida, iussit quoque terræ, ne esset sterilis, producere herbam uirentem, lignum pomiferum & faciens fructum, & plãtas quę haberent semen in semetipsis, quod & factum est, ut in Genesi mund. cap. 1. hinc origo prima stirpium, quam ignorasse Aristotelem Iustinus Martyr in euersione falsorum dogmatum eius, demonstrat In stirpibus itaque uiuendi & producẽdi datus est gradus: ultra enim essentiam & compositionem, habent quod uiuant sua uita uegetabili, animali tamen & rationali inferiore: nec tamen potuerunt uiuere prius quàm essent, unde participant cum elementatis silentibus, in essentia: sed & præterea, in ui uegetabili adeptæ sunt tres facultates, alendi, crescendi, & simile procreandi: uis alendi, ostendit incrementum & decrementum corporum, quæ idcirco egent alimento, ut ait Arist. 3. de anima. cap. 12. Continetur autem & in eo facultas attrahendi, retinendi, concoquendi, & superfluum reiiciendi, ut ait Galen. 2. de sympto. cau. Plato in Timæo, dixit plantas esse quasi animal quoddam aliud, idem

idem Anagagoras & Empedocles, qui & eas sentire, moueri, & dolere, & uoluptate affici dixerunt, imo & mētem eis & cognitionem tribuerūt, quod merito expugnat & refellit Arist. lib. 1. de plant. Nā etsi stirpes uiuant, tamen eas animatas esse uel sentire negat. Neque etiam Plato, qui similes animalib. dixit, unquam animalia, sed inanimatas dixit, ut defendit Galen. tomo .1. in fragmento de substātia naturaliū facultatum. Et Theophrast. li. 1. de histor. plant. c. 1. quanquam in plerisq; similes animalib. dicat plātas, aperte nihilominus profitetur mores & actiones quales animalium generi, minime sortiri. Similia autem inter hęc notat Galen. li. 6. de placit. Hippocr. & Plat. & li. de fœt. format. & li. de semine. Atq; adsimilitudinem sexus animalium, & aliquę plantę sunt, quibus distinctio sit maris & fœminæ, non quod sexum habeant, sed quia quędam habent folia asperiora, alia minora, strictiora: quod maioris uirtutis & prius pullulet mas, quam fœmina &c. ut ait Arist. circa fin. 1. lib. de plant. alioquin enim plante utriusque sexus in se se potentiam habent, ut ait idem Arist. li. 3. de generat. animal. cap. 11.

De distinctione generali stirpium. Cap. 2.

STirpium, uel plātarū generalis diuisio, in arbores, frutices, herbas. Arbor, est planta ramosa surculosa, cum caudice simplici, quæ alti⁹ e terra surgit, quales pyrus, cerasus, uitis &c. Frutex est planta ramosa assurgēs caudice multiplici a radice, quales arundo, hedera &c. Herba, est planta quę foliata, sine caudice quidem, sed cum caule crescit, semē caule ferens, aut surculis, ut plantago, urtica &c. His annumerare possumus olus, quod tamē est herba esui quotidiano hominū subseruiēs. Et hāc distinctionem probat Theophrast. lib. 1. de histor. plantar. c. 5. ubi addit aliam speciem, scilicet suffruticem, quæ est id quod ab radice, caudice multiplici, ramosūq; se attollit, ut ut rubus, paliurus. Probatque Ruellius 1. de natu. stirp. c. 1. Sebast. Foxius lib. 4. de Plato. & Arist. consensu c. 1. At Amatus Lusitanus in primum Dioscoridis librum in principio, latius, demōstrationis facilioris gratia diuidit stirpes in arbores, frutices, herbas, spinas, uirgulta, quorum aliqua explicauimus: spinas quisque nouit, uirgulta autem sunt quę uirga tantū sursum tendunt, nec frondant caudice.

Ne-

Necessaria generationi & conseruationi plantarum.
Cap. 3.

INitium quoddam alimenti plantarum, terra est, Aristot. 1. de plant ideoq; plantarũ mater. Initiũ & naturale aliud generationis Sol, uelut pater, quod & scripsit Anaxagoras ad Lechinium; atque proprie plantæ terræ incolæ, quib. affixæ sunt Arist. 3. de gener. animal. c. 11. Cæterum ad plantam educandam, quatuor concurrunt: semen determinatum, locus conueniens, aqua moderata, aer consimilis, 1. de plan. Arist. Semẽ est generationis plantarum omnium principiũ, secũdum Theophrast. 1. de caus. plant. cap. 1. Aristot. problem. sect. 20. quæst. 11. Mar. Varro li. 1. de re rust. cap. 40. Macrob. li. fin. Saturnal. cap. fin. Si quid autem sine semine oriatur, ut ea quæ sponte proueniunt, id fit aut alimenti profluuio, aut putredine, aut potius immutatione quadã naturali: cum omnia natura creata sint, quæ haberent semen in semetipsis ad conseruationẽ speciei, Genes. 1. Theophrastus quoque accedit in proximo citato c. 1. lib. 1. de caus. planta. & cap. 8. lapsi & in istis plures, qui quia non cognouerunt ubi semen planta conseruaret, & in aqua parte uel quomodo spargeretur, dixerũt sine semine plantas quasdam sponte nasci, habent namque plantæ quædã semen, non plani conspectum, ueluti aliæ lanuginẽ, aliæ florem, ut thymus: aliæ colligunt scutulatum semen, aliæ rotundum, aliæ lingulis ut glastum, aliæ inter folia, ut laurus Alexandrina, aliæ in umbellis, aliæ in capitibus: aliæ in folliculo, ut in raphano, sinapi, rapo, &c. ali æque aliis modis proferunt, prout explicat Ruellius 1. de natu. stirp. capitu. 11. ubi tamen aliquas enumerat, quæ semen non habere creduntur, ut dictamnũ, phyllitim, onosma, filicẽ utranq; adiantum, splenium, hemionitim. Explicat hoc egregie D. Basilius libr. hexameron homilia 5. Cur, inquit, omnia quæ nascuntur ex terra, semen efficere scriptura dicit? ubi non arundinem, non gramen, non mentham, non nasturtium, non crocum, nõ denique alia complura genera plantarum, semẽ efficere cõstet. Ad quæ dicemus, complura nascentium e terra uim seminum in ipsa propagine & radicibus obtinere; quemadmodum arundo, post annum incrementum ex radicibus, quandam appendicem elicit, seminis rationem ad ortum futurum obtinen-

nentem: idem & innumera alia faciunt, quæ per imum uagātia, in ipsis radicibus suam sobolem habent. quare uerissimū esse, singulis stirpibus aut semen inesse, aut quandā uim propagandi, perinde ac semē. Atq; id est quod in Gen. mūdi dicitur c. 1. Iuxta genus suum semen habere herbā uirentē. Neq; quia semina nobis non apparent, ideo plantæ sine semine dicendæ sunt; quædā enim semina sunt nobis obscura, cætera agricolarū industria obseruata, ut ait Varro li. 1. de re rust. c. 40. Et plantarū sponte nascentiū, Theophr. lib. 3. hist. plant. c. 2. reddere rationem uidetur, ut non sponte ueniant, sed delatis seminib. aut a uento, aut ab aquarum inundationibus; sæpe etiam aues, animaliaque alia, quæ illis uescuntur, alibi transferunt, & nondum excocta utero, e uentriculo egerunt, inde que plantę similes nascuntur, quæ ignorantibus causam, spōte natæ uidentur. Forsan & natura ad eum modum materiā excoquit & disponit, ut ad generationem seminalem accedat, & paria educat, eis quæ semine fiunt: Sic Aristagoras inscius causæ arborum sponte nascentium, ratus est aerem semina omnium habere, quibus unacum aqua delatis, omnia gigni asseuerauit.

De alia propagatione plantarum, quam ex semine. Cap. 4.

NOn inficias eo tamē, aliis quoque modis, quam ex semine, plantas enasci, ueluti ex auulsione & transplātatione uel ex surculo, ut tradit Reuellius lib. 1. de natu. stirp. c. 12. itē propagatione, ut in uineis triplici modo, uel cum palmes sulco committitur, uel cum substernitur, & sub terram in plures palos deducitur, uel cū scinditur & alibi trāsplātatur, ut notat Columella lib. de arbor. c. 7. Nascuntur & ex insitione Insitionis autē quinque sunt genera; unum sub cortice, quod uidelicet resecta inter librum & materiem arbore, recipit semina: alterum in trūco, quod resecta & fissa arbore recipit insertos surculos, quę duo genera verni sunt temporis Tertium fit emplastro, quod ipsas gemmas cum exiguo cortice, in partem sui deliberatam recipit, quod est æstatis. De quibus Colum. li. de arborib. c. 36. & lib. 5. de re rust. c. 10. & de re rusti. 5. c. 10. & Cato lib. de re rust. c. 41. & Adam Leonicenus lib. de arborib. & de insitio. uitis. Teophr. 2. de caus. plan. c. 6. Quartū genus insitionis,

tionis,Gallica terebra usque ad medullam arbore perforata, & plaga interius inclinata & mundata omni scobe,uitem uel ramum succidũ seu humidum immittendo, duabus gemmis exterius relictis & musco seu argilla, diligenter loco operto. Quintum genus Palladii est.ramo salicis brachii magnitudine perforato,& planta persici omnibus ramis spoliata,immissa,& salicis ramo infosso. De insitionibus plura Ruell. 1. de natu. stirp. c. 19. Constant. Cæsar. lib. 10. de agricult. c. 75. & 76. 77. & li. 4. c. 12. Pallad. li. de insitionib. Transplantatione porro fęlicius, ut plurimum proueniunt plantę, dum in solum illis commodum & proprium, traducuntur: adiuuat enim eas loci conuenientia, ut per totum librum de arboribus per singulas, docet Columel. Quędam enim colles, aliæ iuga montium, aliæ syluas amant, aliæ culta, aliæ, calida, aliæ frigida. quo fit ut transplantatæ, si nanciscantur locum improprium, alterentur uel pereant: si proprium, lætiores sint. ut docet Theophra. lib. 3. de histo. plant. c. 1. 2. 3. 4. 5. & seq. & de causa planta. lib. 1. c. 6. & 7. & lib. 4. c. 14. Constant. lib. 2. de agricul. c. 10. & 11.

De partibus plantarum. Cap. 5.

PLantarum partium, aliæ principales seu primarię, aliæ secũdarię, aliæ nouissimæ. primariæ, radix, caudex, caulis, rami, surculi, folia, fructus. Secundariæ, cortex, lignũ, matrix seu medulla. Nouissimæ, humor, liquor, lacryma. Arist. 1. de plãt. Theoph. 1. de histor. planta. c. 2. 3. 4 Radix, media est inter plãtã & alimentum,& uitæ causa, quæ nascitur ex semine, ut plerunque. Hac hauriunt alimentum a terra, estque arboribus, quod est os in animalibus, teste Arist. 4. de part. animal. c. 10. & de iuuentute. Galen. lib. 2. de alimento. faculta. ex sententia Muesitæi, a medulla ueluti per siphonã, quẽ diabetrem uocãt mechanici, trahitur succus, & in omnes partes transmittitur, postquam ibi ueluti in utero, facta fuerit humorum decoctio remittitur inde in folia & fructus, quo etiã deficiente humore, desidunt, partesq; senescũt. Radice idcirco læsa uel affecta tota arbor afficitur. Quippe quod ibi tota arboris substantia, quam caudex ut œconomus dispensat, ad quã & hyeme, dũ calor naturalis frigora metuit, uelut ad matrem cõfugit. Radix autem suscipit & conseruat, sub terrã defossa, tunc calida ne-

pe

pe per antiperistasim, & intra uiscera conclusum a frigore ca lorem retinet,ut uere ineunte,rursum omnibus partib.remit tit.Radix,ab humore terrę,actione cęlestis caloris,generatur quę si longa & recta,figura acuta,significat in illa esse materiam aquosam,aeream,subtilem,calorem fortem.Radix autē dura & sicca,ostendit materiam crassam & terrestrem,humore ui caloris fortius coagulato.Si rotundę figurę,denotat materiam mediocrem,fortem calorem, ęqualiter ex omni parte trahentem.At quę est hinc inde diffusa, demonstrat materiam uiscosam,cum calore debili. Porro arbor quę magnas habet,& magis in longum propagatas radices,diuturnior est quę parum radicat contra;quę & in foliorum diuersitate ob seruant aliqui.Caudex est truncus arboris,in alijs caulis & hasta,id quod supra terram effertur.Rami, a caudice & caule sisi multipliciter sparguntur,ueluti brachia.Verum hic reminisci oportet,quaslibet plantas,non omnes has habere partes simul,neque radicem,neque caudicem,neque germen,neque folium,neque fructum;sic a fungis, & tuberibus, hęc omnia abesse uidētur,quę tamen inter plantas annumerātur a Theophr.li.de hist.plan.c.2. Arist.i.de plan.Diosc.li.4.c.83. & li.6. c.23.De fungis,& Gal.lib.2.de facul.alim.c.69.& li.de attenuante uictu.c.9 & Diosc.li.2.c.175. Tubera radices rotūdas, sine folijs,& sine caule dixit.

Arborum partes fere omnes. Cap. 6.

RVellius lib.1. de natu.stirp. c.2.partium arboris nomina sic explicat.

1.Thyrsi,rami sunt in uirgulę modum erecti.

2.Stolones,uirgę iuxta radices,cum alimentum nimiū redundans reflectitur in crure radicibus uicino.

3. Surculus,qui ex ramis simplex,aut indiuiduus nascitur.

4.Neruus,continuum,non fissile.

5.Cortex,pars extima ad tegendum,unde tunica, cuius interior pars liber.

6. Venę neruo similes,sed maiores.

7.Caro utrinque,omnibus dimensionibus diuidi potest,vt terra;subest cortici.

8.Medulla,cor,matrix,pro eodem,quod carne, & humore constat.

9. Proximus succis adeps, qui ob colorem uocatur Alburnum: pars inquam ligni facile putrescens,& teredinibus obnoxia.

10. Folia, ex humore,& carne.

11. Pediculus, uel petiolus, id quo fructus, uel foliũ pẽdet.

12. Fructus, id quod carne,& semine compactum est.

13. Ex flore grauidatio,& fructus. flos Aristo.2. de plantis ex subtili materia tantum fit, cum digestio incipit: quamobrem fructum in plantis præcedit, humor ascendens, & altera tus in folia transit: fructus autem fiunt ex humorum coagulatione,& concoctione a Sole; ideo si nimium attrahatur humoris, nec secunda a prima matricis fieri digestio possit, tardatur maturatio;& ex copiosi humoris appositione, pręcedũt folia fructus. Accedere& arboribus possunt, quę proxime herbis tribuuntur.

Herbarum partes. Cap. 7.

1.14. Coma, cum folliatum est cacumen.

2.15. Caput si magnum cacumen sit, ut capitatæ aliorum radices; hincque herbarum multa fastigia, radices bulborum nuclæi spicæ.

3.16. Alæ, caui inter caules,& ramulos amphractus.

4.17. Sinus, angulus, in quo coierunt amphractus.

5.18. Genicula, cum in nodos,& articulos intumescunt, alio modo oculi.

6.19. Latera, cum ex lateribus, herbæ producunt caules.

7.20. Capillamenta, oblongæ partes; quæ si crispẽtur, cirri.

8.21. Fibræ, extremitates.

9.22. Vertebræ, cum nodi pixidis in modum coeunt.

10.23. Cacumen, uertex, fastigium, cyma, id quod maximo interuallo distat a radice. Summa etiam ficus, crades. Summa oleæ, thali.

11.24. Crus quod proximum sit pedi.

12.25. Flos, habet calycem, idest, folliculum, ex quo flos erumpit.

13.26. Quæ in medio florũ erumpunt, sunt stamina, apices

14.27. Flos lanosus ex semin ib. defluens pappus, qualis in carduis, senecione, soncho.

15.28. In flore rosarum iuxta folia, dicuntur ungues.

Quæ

16. 29. Quæ ſubtus roſas ſunt ſpinæ, ſpicula; ut in caſtaneis echinus.

Frumentorum partes. Cap. 8.

CVlmus, ſeu calamus, pes ſpicæ.

2. Spica, ab ſpe fructus; quæ non habet triſtam, dicta ſpica mutila.

3. Gramen, quod intus ſolidum eſt.

4. Gluma, folliculus grani a glubendo.

5. Ariſta, id quod ex gluma eminet, ather in hordeo ꝓprie

6. Vagina, ubi ſublatet herba, ſeges cum in articulũ exierit.

7. Eris, ſummum cacumen ſpicæ.

8. Vrnum, quod in ultima parte, ad fundum ſtramenti eſt.

9. Stramentum, pars quæ terræ hęret.

10. Palea, quod excuſſo frumento relinquitur, quaſi palã poſita.

11. Acus, purgamentum frumenti, de his & Varro libr. i. de re ruſt. c. 48.

Vitis partes. Cap. 9.

VItis, ab inuitando ac uina; aliter parilena, a pariẽdo. Varro 1. de re re ruſt. c. 31.

2. Sarmenta, præ longæ uirgulę.

3. Palmites, quaſi in modum digitorum palmæ miſſi.

4. Pampini, ramuſculorum comæ.

5. Flagellum, tenuior ultima uitis pars.

6. Focaneus, palmes qui naſcitur inter duo brachia, gallice *drageon*.

7. Duramenta uiticulæ, gal. *reſerues*, Palla. in Feb. ti. 12. plura apud Pli. li. 17. c. 21.

8. Capreolus, colliculus intortus eſt, & cincinnus.

9. Gemma, a qua oriens uua ſe oſtendit.

10. Malleolus, palmes nouellus, innatus prioris anni flagello.

11. Suffragium uocant propaginem.

12. Vua ex acinis compacta eſt.

13. Scopus, ramoſum id unde pendent acini.

14 Acini, conſtant folliculo uinaceis mixto.

15.Folliculum,patet.

16. Vinacei, grana acinorum;inter acinos numerantur, grana uuæ,& hederæ qui & corymbi,sambuci, mali punici, ebuli.

Aliæ partes stirpibus communes. *Cap.* 10.

MVcro,acumen in quod pars aliqua desinit,ut siliquarũ & spinarum extrema.

2.Turbo,rotatio in modum pyri,uel pyramidis.

3.Puluinus,quod inter sulcos parum eminet.

4.Tori,prominentes partium calli, in pulparum modum collecti,inde torosæ radices.

5.Striæ,partes ut femora prominentes.

6.Crenæ,incisuræ in extremis oris, qualis est crena in sagitta,quæ neruo arcus imponitur.

7.Laciniꝫ,partes extremꝫ,decoris causa incisꝫ, quales flexuræ in foliis.

De uegetatione. *Cap.* 11.

ARbores uel plantꝫ,aut sursum,aut deorsum, aut ꝫqualiter crescunt.Earum quꝫ sursum crescunt,cur ita accidat illis,causa est natura propria,quꝫ in meditullio trahit,apparat calorem,& componit aerem,qui iter raritatis est ipsius.Earũ autem quꝫ deorsum crescunt,meatus coguntur;cum enim digesta materia fuerit,inspissatur materia aquꝫ, in qua plantæ medulla est,indeque subtile sursum procedit,& humore conuertitur ad partes,quꝫ deorsum sunt. At plantꝫ quꝫ media inter has est humor,attenuatur,quia temperiei natura digestioni uicina est,& ideo sursum,& deorsum materia dirigitur,ut ait Arist.2.de plant.& hꝫc omnia a quatuor elementorum uaria accidunt quoque temperie.Nam,ut ait ClaudiusMamer. li.i.de stat.anim.ca.2.aspice in hanc arboris uitam, omnium elementorum semina conuenisse. Sigillatim est illi terra in crassitudine,aqua in humore,aer ĩ progressione, ignis in germine;uiuit iterum ita;transacto scilicet frigore brumali, per conuersionem cꝫli recursu syderum,calor superueniens,aerẽ sibi & loco & natura proximum,prius afficit,qui quoniã tanto gradu igni cedit,quanto ipse aquis eminet, per radices arborum,

borum uel quodpiam germinum, de terræ intimis aquas attrahit,eo quod ignis elementum omnia naturaliter rapiẽs,te pefactum aerẽ ad se cogit,perq.arboris medullã,sicut ille hau rit aerem,sic aer aquam,sic aqua terram;sicut & nos,per fistulas aquas haurimus.Theophra.alimentũ præstare plantis dixit aerem,3.de cauſ.plant.c.18. & ita aeris mutationẽ, multũ afficere plantas,lib.2.de histor.plant.c.5. & de cauſ. plan.lib. 2. c.4. & 9. Sunt enim & cõpositæ ex quatuor elementorum qualitatibus,ut ait Galen.lib. 1.cõmentar. in Hippocr. lib.de humana natu.idcirco & illis sustinentur & alterantur,& contrariis intereunt.Verum aliquæ magis in una potius quam altera elementali qualitate præualent. Quamobrem secundũ propriam naturam, semina quæquæ cum in terram mittuntur,trahunt quod ipsis naturali propinquitate magis coniunctum est,ut ait Hippocr.lib.de huma.nat.

De coloribus stirpium. Cap. 12.

ARist.2.de plan.notat omnibus plantis communem esse uiriditatem; & quemadmodũ albedo est intus illis com munis,sic foris uitiditas.Et Cice.de seneƈt. terra semen tepefactum cõplexu suo diffundit, & elicit ex eo herbescentẽ uiriditatem.Viriditas quippe fit,ex humoris breui digestione calore facta,& idcirco eodẽ Aristot. tradit,tandiu ibi uiriditatẽ durare illam,quãdiu humor inibi est, qui de genere terrę est, eoq. sublato nigrescere; ut apparet inquit, in corticibus quæ humore sublato denigrantur,Inter plantas perpetuo uirẽtes, annumerantur abies,pinastrum,picea agrestis,buxus,taxus,terebenthus,iuniperus,acrifolium,laurus,suber,portulaca,& aliæ apud Theophrast.lib.3. de histor. plantar. c.4. Rationem porro uiridis coloris,adfert Bartolo.Anglicus lib.19.de colo rib.Color uiridis,inquit,generatur actione calidi,in materia mediocri urgente ad dominiũ seu excessum humidi. Et uiriditas secundũ Auicen. est signũ crudi humoris & indigesti. Adueniente itaq; uere tepido,prouocatur humor ad exteriora;hyeme repercutitur; æstate aũt ideo pallẽt remanẽte sicco & terreno,ꝙ cũ sit frigore,glaucũ redditur,quia mediũ est inter nigrum & uiride mixtione terrena. Quamobrem nunquã flores uirides sunt, propter subtilitatem materiæ,in qua si prę dominantes fuerint partes aqueæ cum igneis, erit color

rizationis. Frigidæ complexionis effectus indiciaq. infrigidatio, inspissatio, indigestio, cōpactio, & similia: Quod si superfluat coarctatio, & opilatio: si ultimetur, congelatio, & mortificatio. Humiditatis signa, humectatio, lubrificatio, lentificatio, conglutinatio: si superfluat, opilatio, uentositas: si ultimetur, nausea, & similia. Siccā naturā, ut medicinæ, hæc sequuntur: desiccatio, arefactio, attenuatio, & similia propter consumptionem humidi.

De dignatione qualitatum per tactum. *Cap.* 15.

MOlle, rei obedientiā significat, quod facilè corrigitur, passibile, alterabile. Durū contra, de quibus Gal. libr. 5. simplic. medic. c. 4. & 5. Asperum, siccius: lene, humidius.

De dignotione earundem per gustum seu sapores. *Cap.* 16.

SApores præcipui, 8. acutus seu acris, amarus, salsus, unctuosus, dulcis, stypticus seu austerus, insipidus, acetosus. Sapores indagantur, uel ad mistionē determinandā, uel ut ex illis cognoscamus temperamentū rerū, seu in alimēta, seu ad medicamenta, quæ Mesue partim considerat & tractat in canonibus medicinę, absolute Gal. lib. de simplic. medic. facultat. potissimū lib. 4. a c. 28. usq; in finem, & 5. c. 25. & cōmentar. 1. in lib. Hippocr. de huma. natu. Auerroes de cognit. medicā. per sapores. Ioan. filius Serapio. 2. sermo. lib. 1. Hippocr. lib. de prisca medic. circa finē, Aristot. lib. 2. de anima c. 1. Theop. li. 6. de caus. plant. c. 4. Plato in Timęo, Bartholo. Anglicus toto 19. lib. At de singulis pauca.

Acris sapor, habet igneū quiddā caldissimum, ideo attrahit a longinquo, agit uehementer & citò, aperit, crustā efficit, calefacit, discutit, diuidit, extenuat, excoriat, farctu liberat, incidit, mordet, resoluit, perrumpit, perpurgat, sepatat, sitim excitat, urit, ulcerat. Vt igneæ essentiæ & siccæ & tenuis, scammonium, euphorbium, mezereon: minoris autem acrimonię, ob humidum & aqueum, allium, cæpa, porrum, &c.

Amarus, habet terrestre, subtile & calidum, ideo abstergit, agit, attrahit, aperit orificia uenarum, calefacit, sed non uehementer consumit, cōturbat, extenuat, excitat sitim & hęmorrhagiam, fluere facit sanguinem, liquat, mordet, incidit, nullum animal nutrit solus, tergit, tenuat. Generatur amarum aut ex mistione partium terrestrium subtilium, cū res dulces fiunt amaræ, ut mel cum antiquum est, utque fructus dulces fiunt postea amari, ut iam amygdala fit rācida: aut generatur

ex forti congelatione, quæ fit a frigido. Sicut oppium amarũ ualde & frigidum, & fructus antequam maturescant.

Salsus sapor, habet terrestre, calidum non igneum, quod ea dem præstat, quod amarum, sed imbecillius: ideoque abstergit, aperit, exasperat, conturbat, constringit, contrahit, condiẽ do seruat, expurgat radendo, liquat, mordicat, mundificat, pũ git intestina ad expulsionẽ, siccat, sitim mouet, tergit, tenuat, ad uomitum impellit, subuertit uentriculum. Salsum generatur, quando cùm rei amaræ siccę, permiscetur aquosum, sicut quando calx aut cinis quæ amara sunt sapore, permiscentur aquæ. Nã amaritudo, minor per eã euadit, & remittitur acre, & adustio, & salsum generatur: sicut contingit aquæ maris, in qua magis abundant partes terrestres adustæ. Vnctuosus seu oleoginosus, uel pinguis sapor, habet aqueũ & aereum, quare agit tarde & imbecilliter. Acris, amari & salsi actionem reprimit humectat, laxat, lenit, lubricat, mollit, nauseam mouet, opilat, uentositates generat.

Dulcis sapor, habet calidum sed nondum urens, temperatum humido, & sicco: ideo coquit, flatus generat, laxat, lauat, lenit, obstruit hepar & lienem: quia cito ab his rapitur. Galen. lib. 15. meth. Hippocr. de morb. acut. de uino dulci rarefacit quoque: salsi, acris, amari, acetosi actionem reprimit.

Stipticus seu austerus, habet terrestre congelatũ, crassum, & frigidum: ideo adstringit, coadunat, contrahit, constringit, cogit spiritus, humores & partes: consolidat, densat, incrassat, inspissat, refrigerat, repellit, siccat, reprimitq; omnes superiores sapores: Insipidus habet absque insigni qualitate frigidum & aqueum, proceditq. ex imperfecta decoctione: ideo cogit, cõ trahit congelat, constringit, calorem extinguit, densat, flatus generat, extinguit, lubricat, inspissat, obstupefacit, obstruit, opilat, sed hæc omnia debiliter & tarde.

Acetosus seu acidus sapor, habet frigidũ tenuiũ partiũ, substantiæ aquosæ indigestæ: ideo mordicat propter substantiæ frigiditatẽ, abstergit, aperit, attenuat exasperat, acre obtũdit, densat, diuidit, dulcius & insipido uim addit, extinguit calorẽ, farctu liberat, incidit, perpurgat, refrigerat, repercutit: uerũ differt acetosus ab acido. quia acidus sapor, frigidus & humidus, qualis in agresta & acetosa herba est. At acetosus, qui est in aceto, habet pręter aqueam substantiam, etiam igneam ob putredinẽ, teste Galeno lib. 4. de facultat. simp. medic. c. 2. & 6.

Cæterum

Cæterum si quis desideret plantas & fructus sigillatim distinctas cognoscere per gradus, frigidi, humidi, calidi, sicci, cõsulat eos qui herbarũ & plantarũ contexunt historiã, sed breuius inueniet apud Leonar. Fuchsium lib. 1. de cõpositio. simplicium medicament. c. 5. Ioã. de Rupescissa lib. 1. quintæ essentiæ. Raym. Lullii li. 1. de secret. natu. uel de quinta essẽtia.

De quibusdam quæ plantis accidunt. Cap. 17.

ACcidit & plantis senectus & interitus, & morbi ex nimio humore uel resiccatione eius, & nimia infrigidatione intrinsecus & extrinsecus adueniente. Si a trunco, a radicibus, & a terræ alimento separatur, arescit. Arist. 1. de plant. Cito senescunt, quæ nos agunt profundas radices: quæq. cito proueniunt, ut ficus, persica, & huiusmodi. Inter morbos stirpium, scabies, radicatio, syderatio, uermiculatio, ærugo, & alia, de quibus Theoph. lib. 5. de caus. plant. c. 6. & 10. Plin. lib. 17. c. 24. 26. & 28. Degenerant quoq; interdum, dum a propria uirtute deficiunt, ut non sufficiant ad propriam speciem producendam, & proinde ad alterius affinis plantæ generationã, ne otiosa natura sit descendunt: uel si superabundet uis, in aliud quoque transeunt. sic quercus ab imo excisa, degenerat, in genistam, uel aliam querci speciem quam uocant tremulam. Vetustate degenerat raphanum in brassicam, & brassicã in rapam, ut notat M. Varro lib. 1. de re rusti. c. 40 Frumentũ si in loco humido & frigido seratur, transit tertio anno in siliginem: Calcamentum in mentham: Triticum in hordeum: lolium in triticum: quorum rationem adfert Theophr. lib. 4. de caus. plant. c. 6. Et in summa inopia alimenti in inferiores species maiores transeunt: abundantia contra, in superiores. fitq. immutatio plerunque ex putrefactione seminis, uel herbæ, uel resolutione secundum plus & minus. Diximus etiam ex plantis quædam transire in animalia, cum de animalibus tractauimus ca. 8. ideo non repetemus, sed manum huic libro imponemus postremam, si monuerimus plantarum & latiorem & particularem historiam, naturam, situm, & uim, pohi & tractari ex professo a Diosco. libris primis, a Theoph. de de caus. & histor. plantar. per Matheolum, Fuchsium, Amatũ Lusitanum, Adamum Leonice. Ioan. Belonum, Ioan. Mõhemum propriis lib. de plant. Galen. lib. 2. de alim. facult. Plin. lib. 12. usque ad 18.

SYN

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXXV.

In quo agitur de elementari cæli parte.

Quid elementum, & de materia & ordine elementorum. *Cap. 1.*

CVm dictum sit de superioribus partibus cęli & orbis, nunc de elementari agemus parte. Et quidem Hebræorũ rabini, ut author rabi Abben Tibbon in physica Hebræa c.7. rati sunt, omnium elementorũ unam & eandem fuisse materiã, quæ sortita sit quatuor formas, quarum unaquæque, ab ea quæ sibi est proxima differt: Galenus primo de element. uocat qualitates elementares. Porro elementum, id dicitur, in quod cętera corpora diuiduntur, secũdum Arist. lib.3. de cęlo cap.3. Et Galenus libr.1. de element. & 8. de decret. Plato uocat minimam partem rei quæ constituitur, id est, indiuisibilem: idem Aristot. 5. metaphy. & Auicen. Atque elementum primum in compositione, & ultimũ in resolutione corporum est, secundum Hippoc. lib. de natu. huma. subscribunt alij, qui ve dicunt elementum quasi alimẽtum, quòd cuncta alat & gignat, uel a dictione Græca ὕλη hyle, quæ materia rerum est, ex qua aliquid fit, unde declinatũ uidetur elementum. Prima pars materiæ huius elementaris, uicinior & succedens regioni lunæ uel ætheri, quia ei ea innititur, ignis est, apud Arist. lib.1. meteor.c.3. Non quidem re

uera

uera aut actu urens ignis, sed calidissima & siccissima pars aeris, utpote suprema & uicinior corporib. celestibus, quorum motu perpetuo & uelocissimo, calor cōcinatur: motus namq; calorem gignit & auget, ut ex corporū exercitiis & agitatione per se, & demonstratione cōstat, dum celeriter mouentur, docetq; Arist. problem. sectio.5.q.34. vbi tamen & nimia agitatione, sed alia ratione quā motus, uires deiici ait. Et motu molarū, cito, si desit quod teratur in molendinis, excitatur ignis, utq; ait Ouidius 1. Metamorph. *Cum balearica plumbum*

Funda iacit, uolat, ac mox incandescit eundo,
Et quos non habuit sub nubibus inuenit ignes.

Eius ignis qualitates, proprie dicunt calor & siccitas, quæ formam propriam comitantur. Secunda pars priorem consequens, aliam formam adepta est, & per eam elementum aeris factum participans, & coniuncta priori, calore, & quia inferior, quiaue & elongatur a motu sphærarum, recipit humidū quoque: & est aer calidus & humidus, ueluti spiritus hominis: unde ab ἄω spiro, quidam declinant, uel quod ibi uenti agitētur, uocatur & aliquādo cælum hic aer, a uerbo κοῖλον cauuo. Habet aer tres regiones, supremam, mediam, infimam terræ uicinam, ut ait Seneca libro secundo natura. quæstio. Rabbi Abben Tibbon in physica Hebræa capito.7. & alii. Suprema calida censetur & rara ob motuum uicinitatem qui una rapiūt mouentq; eundū aerem. Media frigere & horrere omnium testimonio comprobatur, quia priuatur reflexione radiorum solis, qui a terra ubi maxime refracti geminātur & resiliunt. Infima, ob illā solariū radiorū refractionem, nunc claret, nunc friget, nunc tepet, uariosq; primarum qualitatum gradus excipit, pro diuersis anni & cæli constitutionibus, & solarium radiorum proiectionibus. Mizal. libro. 1. comettoga.ca.2. & 23. Tertia pars elementaris materiæ, formam aqueam sortita est, ex qua ortum elementarum aqua, quam geminæ comitantur qualitates, frigus & humor; huius sedes, supra superficiem terræ & infra. Quarta pars, centrum omnium, formam terrenam nacta est, quamobrē factū elemētum terra: cuius qualitates frigus & siccitas. Hæc & plura Basil. li. hexam. homil. 4. Terram ualde frigidam & per consequens siccam, non ualde difficile coniicere, quod a motu

sphæ-

ſphærarũ lõgius abſit, ipſaq; quieſcat immobilis. Qui de qualitatibus elementorum uoluerit latius ſpeculari, conſulat Ariſtotelem libro 2. de generat. & corrupt. capitulo 3. & 2. de part. anima. capitulo. 2. Hippocr. libro de natu. huma. Macrob. 7. Saturnal. capit, 5. Galen. lib. 1. & 2. de element. Hæc elementa Græcis ςοιχεῖα dicta ſunt ratione ſuppoſitionis & ordinis. Ab Hebræis autem ארבע יסדות arbag ieſudoth, id eſt, quatuor fundamenta, ut notat Rabbi Tybbon in libr. tonah achen, cap. 7.

De numero elementorum. *Cap.* 2.

QVatuor tantum ſunt elementa, nec plura nec paucio-ra, ut communis omnium fuit ſententia, nempe, hæc ignis, aer, aqua, terra. Ariſtot. lib. 2. de part. anim. capit. 1. & 4. de cælo cap. 5. Vbi id probat rationibus, & 2. de gener. & corrup. capit. 1. 3. 4. Ibiq; notat hęc quę uidentur huius nominis non eſſe elementa pura ſed elemẽtata. Tot poſuit Philo Iudeus lib. qui rerum diuina. hæres, & alibi. 1. Plutarch. lib. 1. de placi. philoſoph. capitulo tertio. Plinius libro ſecũdo, capitu. quinto. Cicero 1. Tuſculan. Plura elementa poſuit Anaxagoras ut oſſis oſſeum; carnis carneũ, &c. quæ reiicit Ariſtot. 3. de cælo capitulo 3. Atque Lucretius libro primo de rerum natu. hanc homoiomeriam, ſex rationibus improbat, Et manes hæreticus quinque comminiſcitur, uentum, lucem, aquam, ignem, & materiam. Improbat autem Epiphaneus libro ſecundo contra hære. tomo 2. hęre. 66. Tria tantum elementa poſuerunt, Druſianus; & Maſſaria, atque Hieronymus Cardanus lib. 1. de ſubtilit. cap. 2. & 10. de rerum uariet. c. 4. ex numero quaterno ignem expungentes, eo quod, inquit, ignis ſit inuiſibilis caliditas, ſubſtantię ſumma conſumptrix, ut in ligno & ferro apparere ait. Secundo, quod ignis nihil generet. Tertio, quod quãto altius in aerẽ extollimur, tanto frigidior inueniatur. Quæ certe leuiores igne & magis ſteriles igne rationes: nam ſi ideo quod non uideatur ignis elementum, nec eius regio ſit, nulla prorſus eſſe diceremus alia elementa, nam ea quæ uidentur elementa non ſunt, ſed elemẽtata. Neque quod nõ remaneat in ferro ignis, & ita ſit accidens, non eſt concludendum. Nam & ex aqua pellitur & frigidũ, & ex aere aliquo humidũ, non ideo tamẽ minus utrũ

que

que habet ſubſtantiã. Falſumq; eſt, ignem non generare: Et quia conſumit interdum, ideo non eſſe aptum generationi. Siquidem in primis nec alia elemẽta ſimplicia, per ſe ſeorſum & ſeparata, per ſe quicquã generant, niſi cum aliis, quibus bene temperatis ſubſtantiam explẽt, ut ait Ariſt. li. de ſpiri. Si autem exceſſerint etiam conſumitur compoſitum, ut non mirũ ſi ignis cum pręదominatur, graſſetur in corpora: nam & idem in aliis obſeruari poteſt: nimio enim humore uel frigiditate, corpora quoque diſſoluuntur, & putreſcunt recedente ignis calore naturali; & aqua quis præfocatur, & terra ſepultus moritur, & aere infecto tollitur, uerum nõ id ex natura elemẽti, ſed ex exceſſu elementati uel alteratione. Neq; omnino ignis ſterilis etiam hic elementatus, nam in Cypro inſula, in fornacib. ærariis naſcuntur & uiuunt beſtiolæ quædam, ſicut in niue alię, quarum illæ frigore, iſtæ calore intereunt, teſte Ariſt. lib. 5. hiſtor. animal. ca. 14. Meminit de Pyrigono alio animali ex igne procreato Ælia. li. 1. de natu. animal. ca. 2. Quod autem Cardanus ad frigiditatem prouocet aeris, dum ait eum frigidiorem ſi altius quis cõſcendat, id nihil concludit, ſi animaduertamus aeris tres regiones eſſe, & diuerſarum qualitatum, ut iam annotauimus. Sed & ita eſſe debere naturæ concatenatio admonet: ſiquidem oportuit poſt impetum illum ſphærarum, quod ſequebatur concauum lunę, particeps eſſe calidi, ne ſi ſtatim frigidũ ſequeretur, omnino contraria qualitas ſolueres uinculum rerũ: ſicuti poſtea deſcendendo a luna ad ima, ſymbolizant ſibi mutuo elementa & uinciuntur: ignis & aer in calido: aer & aqua, in humido: aqua & terra, in frigido: Sicuti ignis cum ſuperiore motu, in ſicco. Et ſunt illa, uelut media, quibus, tranſitus fit ſuperiorum in inferiora, & inferiorum in ſuperiora aſceuſus: fit & contrariarum qualitatum colligatio, ſine qua corruptio ſecundum Ariſt. 4. de genera. anima. cap. fin. ignis extinctus in aerem reſoluitur, aer in aquã, aqua dum reſidet in terram: neque aliud dari poteſt mutationis gradus, ut non plura uel pauciora, quam quatuor elementa conſtitui debeant. Et ut me ab onere aliorum eximã ſemel, dico cum Chryſoſt. Iauello tracta. 1. in 2. de generat. elementum phyſicum duo requirere, ut ſit corpus ſimplex non reſolubile in alia priora: ſecundo, quod ſit corpus ex quo alia componantur.

De elementorum fortiori natura ueluti sexu.
Cap. 3.

AEgyptii unum quodque quatuor elementorum, in duo diuidunt, in marem scilicet & fœminam. Aerem malẽ iudicant, ea parte qua uentus est; fœminam, qua nebulosus & iners, Aquam uirilem marę uocant: muliebrem, omnem al ã ignem masculum qua parte ardet, flammam fœminam qua lucet, & est innoxius tactu: terrã dur orem, saxa, cautesq; marem: tractabilem autem fœminam. Seneca lib. 3. nat. qu. Cicero rursum, ex quatuor elementis duo habere mouẽdi uim, & efficiendi, scilicet aerem & ignem tradit: reliqua excipiendi & quasi patiendi, aquam nempe & terram, & quintum corpus ex quo essent astra, & ita certo necessarium fuisse uidetur, ad compositionem & mixtionem corporum.

De igne & calore naturali, *Cap.* 4.

IGnis, calor magnus est cum siccitate iunctus: principium rerum, secundũ Hippassium Metapontinũ, & Heraclitũ Ephesium Arist. 1 metaphy. c. 3. In cõbinatione qualitatum ignis, præcipua illi calor, minus præcipua siccitas. Caliditatis duæ uirtutes, una calefacit: altera, qua ex quæ sunt eiusdem naturæ, congregat, & quæ diuersæ naturę, disiũgat. Sic diuerso modo calor colligit æs & aurum, emollit cerã, siccat lutum, nẽpe pro diuersitate naturæ rerũ seu mat riæ. Arist. 4. de part. anim. c. 2. Commune tamen calori cum frigore indurare, sed modo diuerso: calor enim indurat, calorem existẽtem per se euaporans: frigus autẽ per accidens, una enim cum calore frigus abstrahitur, neque ullus humor sine calore est: Quamobrẽ calor maior minorem absumit per symbolum. At cũ calidũ frigori exponitur, tũc frigus repercutit & reprimit & obsidet calorem, & exeundi uiam intercipit; sicuti in aqua calida apparet, quæ citius in sole, quã in umbra infrigidatur, ut ait Arist. problem. sectio. 24. q. 13. Sic subterranea, scrobes, putei, hyeme quã ęstate magis tepent, propter antiperistasim frigidi. Itaq; frigus non modo indurat, sed densat quoque, cum tamen calor. laxet & rariora faciat. Hinc natu grandioribus animalibus, duriores & pili & pennæ, & squamæ redduntur; cutes nã-

que

que duriores & crassiores euadunt senescente ætate: desiccatur enim, atq; ipsa senectus ut nomen indicat, terrena est, quoniã sine calore est, & cum calore humor defluit. Arist. li. 5. de generat. anima. c. 3. Et caloris innati subſtãtia humida est. Galen. in 1. aphoris. Hippocr. Aphoris. 14. & comment. 2. in l. Hippocr. de huma. natu. senectusq; humore delero inducitur, humor quippe nutrit calorem natiuum, non tamen quilibet humor, sed lenis & copiosus: ueluti lucerna extinguitur deficiente oleo, quo lumen fouetur. Arist. problem. sectio. 3. quæst. 5. utitur & eadem lucernæ similitudine Galen. libr. 1. in aphoris. Hippocr. aphor. 13. & 14. & lib. aphorism. septimo, aphorismo septimo. Calor itaque & in animalib. causa esse uidetur uitæ: etenim per illum concoquitur cibus, & proinde quæ cibo sunt inutilia, habent plus excremẽti, Arist. 3. de part. anim. c. 9. & 4. c. 9. Cic. etiam lib. 2. de nat. Deo. calore uiuere cuncta ait, quo refrigerato & extingui corpus. Ita ignem habere uim uitalem in omni re quæ uiuit, & generationis esse principium tradit Galen. Vocant quoque Hippocra. & Galen. calorem illum naturalẽ, naturam nostram, aphor. 5. aphor. 2. & li. 4. aphor. 37. & lib. 1. aphor. 15. Ex hoc calore, causa cur animalia mouere se possint, sicut & tremor ex frigiditate quæ corpora debilia reddit. Arist. proble. sect. 3. c. 25. & li. de spiritu. Posuit autem in nobis & animalib. hunc calorem in sanguine. Gale. li. 2. aphoris. aph. 1. & aphor. 6. apho. 12. procedentem tamen ex corde ut idem ait. li. de usu pulsu. quia inde uitæ initium, uel in excordibus, ex eo quod pro corde est. Quare quemadmodum ignis uisibilis extinguitur multis modis, sic & in corpore nostro ignis uel calor, marcore senectutis, uel defectu pabuli, uel alia illata ui extinguitur, ut & cõtraria qualitate, in frigidatione cordis, extraneo calore nimio cum naturali mixto, ut in ebriis accidit, qui nimia uini caliditate imbuti deficiunt, teste Arist. proble. sectio. 3. q. 5.

Quod ignis in omni mixtione corporali sit. *Cap. 5.*

GAspar contarenus lib. 3. de elemen. docet commixtionem corporum fieri ex uirtute caloris. Sic D. Diony. Areopa. libr. de celesti hierar. cap. 15. ignem sensibilem tradit esse in omnibus, & per omnia clare uenire & remoueri omnibus, simul lucidum & simul quasi occultum, &c. Vnde

de a proprietatibus eius inquit: & Theosophi cælestes essentias igne conformant, significantes deiforme illarnm, ut Ezechiel c. 1. & 10. Deus præcedebat populum suum in columna ignis, exodi. c. 13. Et species gloriæ eius quasi ignis. exod. 24. num. 9. Dictus & Deus ignis consumens. Deutero. 4. Hebræ. c. 13. oculi eius tanquã flamma ignis, Apocal. 1. Et se deus lucẽ mundi dicit & solẽ iustitiæ Christus Deus noster. Et spiritus sanctus per dispertitas linguas, quasi ignis, descendit in discipulos domini, actu. 2. unde & ipse iussit seruari ignem perpetuũ, in tabernaculo suo, Leuit. 6. Quod imitari uoluerunt ethnici in Vestarum sacietate. Docuit enim Tythea uxor Noachi puellas sempiternum sacrum ignem inextinctum seruare, si credamus Beroso lib. 4. quem morem sequuti Romani, qui per uirgines, ignem perpetuum conseruabunt, ut tradit Ouid. li. 6. Fastor. Persæ quoque, Ægiptii, Delphiq; ut ex Diodo. Procobio li. 2. belli Persici & aliis authoribus apparet, de quib. Lilius Grego. Giraldus de Deis gentium, syntag. 4. neque ignem in cælo esse, quispiam negauit, si credat ignem de cælo descendisse 3. Reg. 18. & 4. Reg. 1. Et Plin. libr. 2. à sidere cælesti ignis expuitur, inquit. Fit tribus modis ignis, motu, propagatione, coitione. Motu sphærarum & corporũ cælestium, & attritione lapidum, ex quibus calor exiens siccus, aerem obuium accendit, & in scintillas reducit: itẽ frica tione. Propagatione, dum fomenta igni adduntur, & dum lumen alii humido accensibili, communicatur. Coitione, sicuti dum in speculis concauis, solaribus unitis & concurrentib. radiis, exeipitur, unde in cælo esse ignem cõstat; itẽ & ex calore solis & eius spendore. Est intra saxa quoque: nam & excutitur a ferro ictu chalybie. Est in terra, quia & ea effossa fumat in aquis, quia & fontes & puteos calefacit, in maris profundo; qui excitet tempestates; in animalibus, ut docuimus: in aere, quem sæpe feruere uidemus. Et apparent plerunque fatui, ut uocant, ignes, circa patibula, cæmiteria, coquinas, ædes sacras, & alia uliginosa & uiscida loca, in quibus fæculentus, putris, igneus, grassus, & oleginosus multus transpirare consueuit halitus, ut ait Misal. lib. 1. cometogra. c. 3. Innuit & Manil. in Astro.

Nunquam futilibus excanduit ignibus aer.

Et Phurnutus in lib. de Theoria περὶ τῆς τῶν θεῶν φυσεὸς dixit ignẽ extinctũ, transisse in aerem a principio & a mũdi, con-

constitutione, ut aer deficiens transit in aquam; & rursum, omnia conflagratura, ut ad principium, unde orta sunt, rede ant. Quod & docet Macrob. li.2. in som. Scip. c. 10. Sic etiam mundum conflagraturum nos christiani existimamus, ad delendas maculas conceptas ex uitiis, & maledictionibus hominum, & ob alias causas, quas Theologi tractant, de hoc & Isaiæ.c.66. Ioel.c.2. Amos 7. Abacuc 2. 2. Pet.c.3. & Iud.c. 1. Cyril. Hierosol. cateche. 15. illuminat. Seneca 3. natur. quæstio. Sibylla in oraculis, Lactantius. Et Machometistæ etiam, credunt post ultimam resurrectionem omnia igne probanda, & pios, & malos: uerum malos perpetuo igni cruciandos tradẽdos: eripiẽdos autem pios, in Alcorano azoara 29. sicut, & pij credunt impios igne æterno cruciandos, Mat. 3. 18. 25. Lu. 3. Corinth. 13.

De distinctione ignium, de flamma, carbone, & cineribus.
Cap. 6.

ANnotandum tamen est, ignem alium esse urentem, feruorem nempe, & caloris excessum, ut loquar cum Arist. 1. meteor. cuius calor non est is, qui continetur in animalib. neque enim inde originem ducit, ut ait idem 2. de par. anim. Nam ille ignis, nullum anim. gen. Alius ignis, naturalis, uiuificus, in concauo lunæ cõtentus, secundum Hier. Mõtanum medicum lib. 1. de medica Theoresi cap. 5. Sic ignis calor innatus, & extraneus. Ab extranea seu aliena, non ab insita caliditate res putrescit, innata caliditas concoquit, aliena corrũpit; in putrefactione autem tria concurrunt potissimum. Primum, ut quod putrescit, sit calidum, & humidum. Secundum, quod prohibeatur illius transpiratio, in immobili situ: siquidem motus naturalis impedit corruptionem. Tertium, quod id quod ambit sit calidum, & humidum. Et hinc fit humorũ conculcatio, hinc febres sanguine putrescente. Gale. li. 2. art. curatiuæ c. 4. & 2. de diff. feb. c. 9. & lib. de æqual. intemp. c. 7. De putrefactione quoque Arist. li. 4. meteor. c. 1. & 2. Regio elementi ignis, in duas diuiditur partes, quarũ superior calore, & siccitate inferiorẽ superat. Ignis ardẽs, tripliciter distinguitur, in luce, flãma, & carbonib. In luce, est ueluti in sua sphæra & regione. At in flãma, est ignea materia in substantia aerea accensa; substantia. n. ea, qui uicinia est igni, facile accẽditur;

nihilque aliud eſt flamma,quam aer accenſus, & ut ait Ariſt. ſpiritus ſicci feruor,li.i.meteo.c.4.& li.2.c.2.Sic Gal.4. ſimp. medica.aer accenſus,inquit,fit flamma: terra accenſa pruna, ſeu carbo,idem li.i.de ſimpl.med.facult.c.16.& 24. ualde autem actiuus in carbonibus ignis,ut in parte terreſtri, ut eod. Gale.& Plato in Timæo.Ex hoc igne, fumus & cinis oriuntur.Fumus eſt uapor ex partibus humidioribus, & ſubtilioribus materiæ,ui caloris reſolutis.Ariſt.libr.2.meteo. c.9.& de part.anim.2.c.2.uocat fumum exhalationem, & ſubiectum ignis,ut carbonem.Differt tamen fumus a uapore,quia vapor eſt genus,& poteſt eſſe ſine igne utẽte:fumus autem ab igne tantum,ut not.Ariſt.proble.ſect.12.q.10. At terreſtris materiæ igne reſolutæ,cinis eſt,a cadendo dictus,ut ait Iſido.partium tenuium,remanẽtibus in iis fomitibus quibuſdã igneis in partibus terreis,ut ſcribit Gal.lib.4.de ſimplic.medic. facul ta.capitu.tertio,& libro octauo,ubi & notat cineres tephran dici,eamque partem igneam amitti,maceratis in aqua cineribus,& ſolam terram remanere,uarios fortioreſque cineres ſecundum materiæ ex qua fiunt diuerſitatem,& qualitatem: nam quæ aduſtæ ſunt naturæ,per ſe aliquid habent caliditatis,ut calx,& ſedimenta animalium,Ariſt.4.de par.anim.c.2. Cinis quoque omnis,habet ſemper aliquid ſicci, & ideo tantam aquæ copiam in ſe recipit,quanta ipſe eſt.Tunc.n.partes igneæ,quæ inſunt,recedunt,& condenſantur in terrã,Ariſto. proble.ſect.25.q.8.

De gradibus coloris ignis. *Cap.* 7.

SEmper ignis calidus eſt,uerum alius alio calidior inuenitur.proinde Chymici, & qui deſtillationibus dant operã, gradatione ignem ſubiiciunt,& diſtinguunt,ut not. Philipp. Vlſtadius lib.de ſecret.natu.c.i.primus gradus tepidus, qualis aquæ tepidæ,in quam immiſſum membrum lædi non poſſit ignis balnei mariæ,tepiditas:unde barbare,a mari dictũ,balneum maris uocant.Secundus,calidus eſt, ita tamen ut ſufferri poſſit ab aliquo membro citra læſionem:uocant ignem cinerum.Tertius,calidus, quo membrum immiſſum lædi poſſit,proximum ebullitioni:uocans ignem ardentem,ignem arenæ Quartus,uehementem habet calorem, qui loco arenæ habet ſcobẽ ferri. Augeri etiam quinque modis calorẽ ignis

notat

notat Hieronym.Carda.lib.2.de subtili.primum natura: secundum materia,ut in ferro ardentior,quam stipulis: tertiũ motu,ut in fulmine:quartum magnitudine,uel duratione tẽporis,respirationis impedimento,sic exiguo foco ollula ualde concoquit,apparet & in præfurniis uitreariorum,& fornacibus,ut dicunt, reuerberationis; quintum cũ cogitur ignis, ut ex carbonariis,& calcis fornacibus constat. Fiunt & inescationes,& fomenta ignium,quæ & citius ignem concipiunt, & robustius ignẽ impellunt:ut ex puluere pyrio apparet, quo moles magnæ globorum, impetu, & ui maxima a machinis bellicis impellũtur: qui fit commixtis tribus partib. salisnitri, duabus salignei carbonis,tribus sulphuris,pro magnis machinis; At pro paruis,ut colubris,uel arcubusiis,uel sclopetis;salis nitri sunt partes decem,carbonis autem,arboris nucis, auellanæ,seu iuglandis,siue nodis,uel salicis & sulphuris, pars una singulorum:quæ bene malleis lignis pistillis tunduntur,cum leui madefactione fontanæ aquæ,ne ignem concipiant tundendo,perpurgato prius sale nitro a terrestribus partib. quod dicunt affinationem barbare,&deinde in grana mixtione rotundata,& siccata. Sunt & alia ignium artificia, & compositiones,quibus militaris utebatur olim ars; de quibus uidẽdus Veget.& Vannocius Birunguccius li.ult.pyrotechniæ, Ant. a Porta li.2.magiæ nat.c.10.

De aere,& eius affectibus erga uiuentia, & alteratione. Cap. 8.

POst ignem aer, cuius una regio illi proxima ab eo igne afficitur,ultima autem a frigidis elementis, cum quib.cõmercium habet,ut ait Gaspar Contarenus 2. de elemen. Aer secundum Gal.li.4.de simpl.medic.facult.c.2. solus tenuiorũ est facultatum,crassiorum terra,mediocrium aqua. ideo aer humidior,mollior,& fluxior aqua,Arist.probl.sect. 22.q.10. & tale quoque oportebat esse elementum, quod nos undequaque circundat,cum propter respirationem quã trahimus, edendo,& bibendo,& alia agendo perpetuo,ut not. Nemes. 1.cap.de natu.homi.Tum etiam,ut ille permutaretur in nubẽ rorem,pluuiam,niuem,& alia necessaria utilitati humanę,ut ait Cice.secundo,de natu.Deo. Lædit & idcirco nos aer facile,alteratus extrinsecus,& iuuat nos refrigerando,uel a ccen-

dendo.Gal.i.de sanit.tuen.attractus.n.infectus, in uiscera cō means,ea inficit,iuuat purus,defæcatus,incorruptus:putrescit autem maxime,iuxta palustria loca,non inquantum elementum est,sed ratione uaporum putrium sursum eleuatorum;cū locis frigidis,frigidus;cum calidis,calidus.Arist.prob. sec. 14. c.7.& 9.Extant,& de had tractatione commentaria Gal. in i. lib.Hipp.epidemior.& liber 9.methodi,item li.3.aph. Hipp. apho.10.& præd.1.item Hipp.li.de aere & aqua,& li.de humana natura.Alteratur quoque aeris nobis uicina regio, solis & lunæ motu.Arist.4.de gen.ani.c.fi.Sic hyeme frigidus, æstate calidus,alio tempore interdum temperatus. Idemque colligere licet ex aliarum stellarum ortu & occasu,potissimū errantium item ratione situs locorum, ut in orientali plaga, calidus & siccus;in occidentali,frigidus,& humidus;in meridionali,calidus & humidus,septentrionali,frigidus & siccus; in cacuminibus montium,frigidus;in uallibus,calidus,vel humidus,ibique & quietus.Boreas namque alta quatit;in cadenerosis,& maritimis insalubris,& fætidus.

Quomodo exploranda salubritas,& qualitas aeris.
Cap. 9.

SAlubritatem aeris explorabant antiqui ex inspectione lecinorum animalium,quæ eo loco habitarent,si sana essēt Vitru.li.i.de architect.c.4.Pallad.li.i.tit.3.de re rust. conside rat ex bono colore habitantium,si capitis firma synceritas, si inoffensum lumen oculorum,si purus auditus,si fauces commeatum liquidæ uocis exercent.Card.autem li.i. de rer. uar. c.8.sic iubet probar,spongiam bene siccam, ac mundam sub diuo per noctem sereno cœlo ponito,mane si siccam inuene ris,talis aer; si humidā, nimbosus;si molliter udam humidus ac roridus.Item si panem recentem exposueris eodem modo nocti,a corrupto aere situm contrahit;a sicco siccessit:ab humido in suo statu manet.Var.li.i.de re rust.c.2.salubriorē partem septentrionalem aeris indicat.

Num aere solo quid uiuere possit. *Cap.* 10.

DVm diximus eligendum purum aerem, & respiratione, & inspiratione illum nos ducere, non ideo quis uelit. o pi-

opinetur, aerem esse nobis alimentum, sed ad sanitatem conducere, cor & cerebrum eo refoueri, & sine eo uitam non esse. Neq. n. ex aere solo alimentum nutritioni accommodum animali accidit; nec ex uento, uel ex aere, quid uiuere potest, ut ait Arist. probl. sect. i. q. 13. Videntur tamen exempla huic sententiæ refragari, & authoritas quorundam uirorum; uelu ti Theophrasti li. 2. de caus. plant. c. 8. aer, inquit, alere posse putatur. Olympiodorus quoque narrat Aristo. historiam, qui dicebat se uidisse hominem qui solo aere nutriebatur, & sole; ut scribit Marsi. Ficinus arg. in Phædo. Plato. Refert & Pli. li. 8. nat. hist. c. 33. chameleontem solum animalium, nec potu, nec cibo ali, nec alio, quam aeris alimento; quod tamen non scribit Arist. li. 2. de hist. ani. c. 11. unde ad uerbum Pl. totum caput transtulit. Ferunt cicadas rore tantum uesci, qui aeris concreti species est, sic. n. Theoc. εἰδυλλίῳ. 3.

μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ.

Nunquid hæc rore uictitat, sicut cicada.
Et Virg. 3. egl.

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.

Meminit & Pl. li. 11. c. 26: dum ait sine ore illas uiuere, pro quo habeant aculeatum linguis simile, in pectore, quo rorē lambunt, de cætero in uentrem nihil est, excitatæq. cum sub uolant, humorem reddunt, quod solum argumentum est easdem rore ali. Testatur edito proprio eius rei libellulo Gerardus Bucolidianus physicus Cæsareus testis oculatus, se obseruasse puellam sub commissa sibi custodia, quæ sine cibo, & potu uitam transegerit, prope Spiram ciuitatem imperialem, in uilla dicta Doed. an. dom. 1539. nomine Margaretā, patre Scifrit Vucis natam, & matre Barbara nominata. Eamq. a festo D. Michaelis uentris dolore correptam an. prædicto 1530 usq. ad ann. 1540. nihil cibi sumpsisse, postea nec per tres an. cibo, potu, excrementisve usam. Narrat Vrspergensis Abb. in chronico, tempore Lotharij V. Imperatoris, in territorio Tullensi, iuxta uillam Conuernacum, puellam duodenam post assumptam sacram communionē diei paschatis, usq. in tertiū ann. sine cibo, & potu ieiunasse, nempe ab ann. 822. usque ad annum 825. circa initium Nouemb. quo cœpit more aliarū manducare. Idem Romæ contigisse, & se uidisse in presbytero quodam Gallo, qui Iacobus dicebatur, asserit Porgius Flo-

 ren-

rentin. tempore Eugenij Papæ. In quibus omnibus uix est, ut non persuaderi uideatur nobis, aerem ad nutricationem conferre. Nec est christianorum quisquam, qui ignoret, populum hebraicum quadraginta annis mãna uictitasse in deserto ea de cœlo descendente, & roris instar incalescente sole euanescente. Exo. 16. Sed & 40. diebus, & totidem noctibus, ieiunauit Moses, quandiu in monte cum Deo fuit, Exod. 24. & 34. Deut. 9. & 10. Helias in fortitudine cibi, ambulauit & ieiunauit 40. diebus, & tot noctibus. 3. Reg. 19. Totidem & ieiunauit Dominus noster Iesus Christus, Mat. 4. Mar. 1. Cæterũ hęc exempla mihi persuadere non possunt, ut id ex alimẽto aeris solius qui inspiratione ducitur, processerit: nã aliæ sunt quædam causæ, quæ suadeant hominem sine alimento aliquo extrinsecus immisso, nutriri posse per aliquod tempus, uel diuinæ, uel naturales: diuinæ, sicuti dum Moyses cum Deo esset qui uera uita est, & cum in fortitudine cibi prius præbiti per angelum ambulauit Helias, & cum dominus noster ieiunauit, & cum manna nutriti sunt filij Israel. Deus enim qui legẽ dedit, & uim nutriendi rebus, quę nos nutriunt, & aliis, quæ non nutriunt eadem potestate concedere eandem uim põt. & qui potest creaturam a putrefactione integram pręseruare, potest, & partem illam necessariam alendi succidere, ut tunc non necessariam: sicuti & post resurrectionem, postquam corpus hoc mortale induerit immortalitatem, ea quæ ad reparationem mortalium, & decedentium corporum pertinent, nõ erunt necessaria, non esca ista corruptibilis, non uestitus, non nuptiæ, Mat. 19. Non esurient, neque sitient amplius, Isa. 49. Hiere. 31. Apoc. 7. Io. 6. alia ibi esca diuinitatis admiratio, & gloria, & uitæ lignum, Apoc. 2. & de qua loquitur c. 22. Lucę: nec ex solo pane uiuit homo, sed de omni uerbo quod procedit ab ore Dei, Deut. 6. Et alia ratione naturali fieri posset ut sine cibo quis, uel uno, uel tribus, uel uiginti annos, uiuat: si quis ita clausos habeat poros cutis, ut fere nihil per illos resoluatur, calorq. sit modicus comparatione facta ad mẽbra modica & densata, ita quod illa non resoluit: sit tamen ille idem sufficiens & fortis circa neruos, & uenas ad generationẽ spirituũ, per quos stat uita: humores quoq. sint ita dispositi in uiis & instrumentis, quod illum non suffocent, uel extinguãt: & sic de aliis concurrentib. & requisitis ad uitę continuation ẽ. Nam calor cordis paulatim attrahit quantũ satis est ad uitã.

Sicuti

Sicuti apparet in animalibus quæ hyeme latent sine cibo & dormiunt in cauernis. Adesse & intus possunt copiosi humores proportionari, calor autẽ paucus, uiæ itineris strictæ. Nec plus mirandũ, quod homo diu possit ieiunare, quam quod oporteat toties in die mãducare. Consuetudo enim manducãdi & egerendi, & natuiã quodammodo cõponit & uias & intestina dilatat, & capaciora & famelica facit ut magis inania. Adstipulatur & Claudius Cælestinus libello de mirabil. mundi c.4. Sic quędã animalia & pecudes, tantũ quarto die bibũt. Et homini non utique ante septimũ lethalis inedia. Durasse & ultra undecimum plerosq; certum est, inquit Plin. lib. 11. c. 54. Refert & Xiphilinus ex Dione in Seuero, cibũ parare Britannos ad omnia, cuius si ceperint quanta est unius fabæ magnitudo, minime aut esurire aut sitire solent. Cuius cibi ope, aliqui hypocritæ, sub specie sanctitatis, olim populis imposuerunt, sicuti narrat Iouia. Põta. lib. 2. de serm. c. 16. & Anto. Pan. lib. 2. de gestis & dict. Alpho. c. 9. fuisse tẽpore Alphonsi regis quendã Antonium Picentem, ordinis eremitarum, nobilitatum, quod per quadraginta dies & noctes ieiunare ferebatur: qui Italiã, Siciliam, & Hispanias compleuerat nomine sanctitatis & abstinentiæ, pluribus in locis a custodibus cella inclusus & obseruatus si ederet uel biberet, ut angelos ipsum uisitare opinarentur: uerum interius illi fuisse candelas crassiores fistulatas, & in fistulis cannarum inclusam tacitè farinam, infartam contritis Phasianorum ac caponũ carnibus, saccharo & aromatibus conditis, gestas, & cingulum fistulatũ plenum nectare, quod Hippocraticum uocant, quibus epulis clanculum uescebatur: eumq; tandem digna morte extinctum hęreticum, & maledicum in Deum & uirginem Mariam, uermiculis absumptum. Æneas Sylui. lib. 2. in commenta. Antonij Panor. cap. 9. addit aliud exemplum quod accidit similis imposturæ sub Nicolao 5. summo Pontific. Romæ. ubi eius author dicitur captus, uirgis cæsus, & in exilium actus. Et ibidem Iacob. Spiegellius, alicuius etiam mulieris similis imposturę uindictam narrat sui temporis, apud Augustam claram Alemaniæ ciuitatem. Neque credere oportet chamæleontem uel cicadas aere & rore tantum pasci seu uiuere; nam aerem quidẽ trahunt, sed aer non est fomentum uitæ, nec ros. Sed dicam cum Arist. lib. 4. de part. anim. cap. 5. Quod calidum est, cibũ & desiderat & concoquit citò; Contra quod frigidum est, ci-

bo carere facilè patitur,sed maxime omnium cicadarũ genus ieiunum: satis enim est his alimento, humor qui in corpore est. Sicut animalibus Ponticis, quæ non diutius quàm diem unum uiuere possunt, nempe quod tandiu humore quod secum attulerunt ex ortu & natiuitate interius pascãtur. Quod de chamæleonte referre possumus, ut tandiu uiuat, quandiu interior quædam substantia, modice dispensata, superest ad uitam fouendam. Sicut & arbores quasdam excisas uidemus adhuc germinare extra terram, & hominum cadauera & pilos & ungues extendere, quia adhuc illius materiæ humor in corpore remanet, & percurrit, & homo ieiunus manet, quandiu intra corpus habet quod dispensetur per naturam membris, ne deficiant. Sed & Plin. lib. 11. capit. 26. in principio tradit, chamæleontes rore uiuere, non autem solo aere, sic scribens: chamæleontum Stelliones quodãmodo naturam habent, rore tãtum uiuentes, prætereaq; araneis similis cicadis uita. Habet autem ros quippiam crassioris substantiæ, quàm aer, utpote aqueum & terrei aliquantum, quibus ut cibo & potu substãtia similis ali possit. ut ex manna Arabum constat. Sic non mirum ualdè quod refert Plin. lib. 7. c. 2. de Astomorum gente, cui nullus cibus, nullusve potus: sed tantum radicum florumq. uarijs odoribus & halitu uiuit & syluestrium malorum. Refert idem Strabo lib. 15. Additq. etiam, uiuere odore, seu nidore carnium assarum.

De materia generaliter exhalationum, in quibus impressiones in aeris regionibus seu partibus generantur. Cap. 11.

DVæ sunt species halituum, qui ui solis sursum in aere eleuantur ex terra, ut ait Arist. uel quisquis alius sit, qui edidit lib. de mundo. & lib. 2. meteor. c. 4. & Plin. lib. 2. c. 42. humida scilicet, & sicca: humida, est ex potẽtia aquæ, proprie uapor: sicca ex potentia ignis, proprie exhalatio. Viæ namq; atque meatus in terra sunt, per quos, radijs solis intrantibus, si humiditas ibi superfluat, uapores educuntur, sin aũt siccitas, exhalationes. Humidus halitus, roscidæ spirationis plenus, & ab aqueis corporibus, ui cęli ad mediã usque regionẽ aeris & infra exhaustus: stimulante illius natura pedetentim perlatus. Hic uapor halitui animaliũ, & fumanti substantię ex feruenti aqua,

ti aqua, simillimus. Halitus autē siccus, ater, in fumi corpus e terra conformatus ignis familiare pabulū Iustinés, dictus, exhalatio uel fumus, Mizaldo, 1.cometogra.c.3.fit omnis exhalatio per rarefactionem & extenuationē. Et aer quāuis natura sua rarum sit corpus, densatur tamen exhalationibus.

De nube & nebula. *Cap.* 12.

EX uapore humido sursum eleuato, fiūt nubes, aggregationes.s.uaporū, in medio aeris interstitio & nō in superiore, ut docet Arist. 1.meteor.c.3. Anaximander ait nubes quidē fieri crassescente quam maxime aere, uel potius eo coacto imbres exprimi: niuē aūt cum aqua labendo glaciatur: grandinem cum quid madido spiritui obducitur. Metrodorus aquoso uaporis subductu concrescere nubes: Epicurus ab expirationibus: Plutar.lib.3.de Pla.Philo.c.4.sed & Plin.lib.2.c.42.nubes in sublime liquore scilicet humido gigni, aut ex aere coacto in liquorē. Et eodem lib.c.13.meminit Possidon.tradidisse, non minus quadraginta stadiorum a terra altitudinē esse, in qua nubila ac uēti, nubesq. proueniant, inde purū liquidūque & imperturbatæ lucis aerem.stadium porro 12. 5. pasuū est, id est, pedum 615.Sene.lib.1.natur.quæst. nec aquam inquit, habent nubes, sed materiam futuræ aquæ. Aristo.tamen lib.1. meteor.c. 9. sic scribit, aspiratio ex aquæ mutatione est uapor: ex aeris in aquam scilicet mutatione, nubes. Auster.uētus nubes colligit, aliquo dispellit, Arist. problem.sect. 63. q. 18. Nubes cum egregie densa est, nigra existimatur: quia ad ea quæ uisibilia sunt, nulla lux solis defertur: quod enim ambiens est uisibile, quod non uidetur reddit obscurum, ut ait Arist. lib. de colorib. Et Plin. lib.2.c.61. uarietatem colorum figurarumq. in nubibus cerni tradit, prout admixtus ignis superat aut uincitur. Arist. caliginem imbrium ait esse excremētum concretionis nebulæ in aquam, qua de causa tranquilli cæli dat signū magis, quā aquarum, eoq. etiam magis, quod caligo est tanquā nebula sterilis. 1.meteor.c.9. Species quoq; nubis nebula, uerum distinguitur hoc modo apud Arist. lib. de mundo. Nebula uaporosus quidam halitus est, unde nulla mittatur aqua: quæ, inquam, nebula, crassior aere, sed nube rarior, concrescit, uel e raritate quæ nubi initium dat, uel e reliqua eius parte, cui aduersa statuitur sereni-

tas,

tas, quæ quidem nihil aliud eſt quam aer, nebulæ & nubis expers. Plin.lib.2.cap.60.nec æſtate, nec maximo frigore nebulas exiſtere tradit.

Præſagia ex nubibus & nebulis. Cap. 13.

PLin lib.18.c.35. ſic prognoſtica ex nubibus tradit, nubes cũ ſereno cælo feruntur.a quacunq; parte id fiet, expectẽtur uenti;ſi eodẽ loco globabuntur, appropinquante ſole diſcutientur. Et hoc ſi ab aquilone fiat, uentos; ſi ab auſtro, imbres portendent. Sole occidente, ſi ex utraq; parte eius cælum petent, tempeſtatem ſignificabunt;uehementius atræ ab oriẽte, in noctẽ aquam minantur; ab occidente in poſterum diẽ. Si nubes ut uellera lanæ ſpargentur multæ ab oriente, aquam in triduum præſagient. Cùm in cacuminibus montiũ nubes concidẽt, hyemabit;ſi cacumina pura fient, diſſerenabat, Nube grauida candicante, quod uocant tempeſtatẽ albã, grando imminebit. Cęlo quamuis ſereno, nubecula quamuis parua, uentũ procelloſum dabit. Nubes nigra cũ rubedine uiridante, metuenda tẽpeſtas ſignatur, quæ ſociabitur multo aeris & procellarũ & tonitruorũ & fulgurũ conflictu; nube aũt dum tonat ſubalbida, leniter uerenda. Nebulæ e cælo deſcendentes, aut cęlo cadentes, aut in uallibus ſedentes ſerenitatem promittunt.

De pluuia. Cap. 14.

EX denſitate nubis & attractione uaporũ, generantur pluuia, grando, & nix. Pluuia eſt aggregatio multorũ uaporũ, ex frigido & humido; inde guttę, cum in minutiſſimas partes humor reſoluitur, imberq. ex cõpreſſu nubis amplioris; fit autẽ hac ſerie; primum ui caloris ſolis, uapor denſus, grauis, & craſſus eleuatur, uſque ad infimam mediæ regionis, aeris partem frigidam; ibi quia calor eleuans, illum reliquit, condenſatur uapor ob frigiditatem in aquam, & in guttas reſoluitur; exemplo liquet, ſi quis animaduertat diſtillationis, artificialis ordinem; in uaſe namque ſurſum uel ex olla uapor mittitur, qui collectus operculo ubi adhæret, frigidum ſentiens, in aquam guttatim reſoluitur. Sicut etiam ſi quis aduerſus ſpeculum uel marmor reſpiret, uel hyeme obſeruet reſpirationẽ noſtram, inuenta frigiditate aeris in aquam glomerari; ubi autem

tem uapor resoluitur in aquã, necesse est in terram iterum decidere, & reuerti, ut ad proprium centrũ & locum. Aristo. lib. meteo. 1. c. 9. Et quia uapores imputari eleuantur interdum, & uentorum impetu oua, extrementa ranarum, uermium, & pili & alia sursum una feruntur, ideo nonnunquã pluuia cernitur rufa, cruẽta, cuius causam dicunt terrestre siccũ uapori ad mixtũ, unà eleuatum: interdum & uermes decidunt & ranæ, & pili & similia, quæ calore & ui aeris ex seminib. in aerẽ eleuatis, excludũtur & decidunt. Refert Plin. li. 2. c. 56. aliquãdo pluisse lacte, sanguine, carne, ferro, lana, lateribus coctis, quæ tamen ad concoctionẽ diuersam uel cruditatẽ uaporis, unde gignuntur, referenda sunt. Liui. li. 3. decad. 1. scribit P. Volumnio & Seruio Sulpitio cons. inter alia prodigia & carne pluisse, quã in urbem ingens numerus auium intra uolitando rapuisse fertur, & quod intercidit, ita iacuisse per aliquot dies, ut nihil odor mutaret.

De rore. *Cap.* 15.

ARistot. 1. meteor. cap. 11. pluuiam & rorẽ idem esse, sed differre ut maius & minus, ait; quia pluuia ex uapore nimio refrigeratoq; conficitur, ros ad paucitatem pertinet. Et cap. 10. roris formatio, inquit, fit in cæli temperie & locis clementioribus, cum uapor in aquam cogitur, nec tepor eiusmodi est, ut id quod in sublime elatum est, exsiccet. Et libro de mundo; Ros est humor e sudo serenoq. cælo, qui concretione sua tenui deferatur, Plin. lib. 18. cap. 29. Neque in nube, neque in flatu, cadere rores ait. Et lib. 2. c. 60. rores neq; gelu, neque ardoribus, neque uentis, nec nisi serena nocte existere.

Pluuiæ futuræ præsagia. *Cap.* 7.

VErgiliarum occasus, si nubilus sit, pluuiosam hyemẽ denuntiat, si serenus, contra, Plin. lib. 18. cap. 25. Purus oriens atque non feruens, serenum diem nuntiat; at hybernũ pallidus, grandinem. Si occidit pridie serenus & oritur, tanto certior fides serenitatis. Concauus oriens pluuias prçcidit & c. quæ iocundissimè prosequitur Plin. lib. 18. c. 35. Sunt & alia quæ Misaldus in ephemeridibus aeris absolute recenset, quæ non suppillabo.

De

De Manna. Cap. 17.

GEnus quoddam roris manna dicitur, a quibusdam mel roris, & mel aererum. hæc dicuntur in India nasci, & lapidib. atq; plantis adhærere, eorumq; naturã imbibere quib. inhæreat. Manna ad similitudinẽ escæ, qua Deus pauit populum per 40. annos in deserto. dicitur Græcis & Latinis Manna triplex. Primo manna Græcorũ, puluerẽ significat uel micas thuris apud Dioscor. li. 1. c. 84. apud Gal. 13. methodi medendi, eaq; in omnib. adstrigentibus medicamẽtis utitur paulus Ætius, & Oribasius, Trallianus, Hippocrates. Secundo, Arabum manna, ros melleus erat condensatus, super arbores, ut dixi, inuẽtus, qua delicatiorũ & ditiorũ uentres molliunt, de qua Galen. li. 3. facul. alimen. li. 11. c. 12. Mela in Indiæ descriptione, Crinitus lib. 25. de honest. discipl. cap. 7. Tertio, manna illa patrum in deserto data: eratq; man quasi semen coriãdri, exod. 16. nu. 11. Deuter. 8. Psal. 77. Faciunt Hæbræis mannæ nomen sacræ literæ neutri generis, Latini fœminini.

De niue & pruina. Cap. 18.

CVm uapor extollitur in paulo frigidiorem aeris partem quam ea sit ubi condensatur in pluuiam, dum ue uapor ille quoddã magis aereum & pingue cõtinet, induratus in niuem descendit hyeme, non æstate, in qua celet infima regio aeris. Sic accidit, in uallib. interdũ pluere, in montib. ningere. Arist. li. de mundo, Nix, inquit, oritur per niuiũ coactarũ percussum, quę quidem a mutatione in aquam facta, elidun tur; spumosam albamque niuii naturam elisus facit; gelatum autem, inclusi humoris qui nondum effluxerit, aut raruerit, frigus inducit: eadem nix, si uehemens & conserta decidat, niphetos dicitur. Accedit Plin. lib. 17. cap. 2. dum ait, utile esse arborib, frugibusque niues diutius sedere, quod animã terræ ex halatione euanescentem includant, comprimant, retroq; agant in uires frugum ac radices; & liquorem sensim prębeant, purum, prætcrea, leuissimumq;, quando nix cælestiũ aquarũ anima fit: tellusq; illo humore fermentescit & effœta fiat. Et Arist. meteo. lib. 1. c. 11. Niuem & pruinam idem esse,

uerum distingui multitudine ait: cum nubes gelascit, nix est cum uapor, pruina. Pruina namque, ut idem ait eodem li. c. 10 quoties conficitur, quoties uapor ante gelatur, quã denuo in aquã coeat. Et lib. de mundo, pruina ros cõcretus: & rori pruina, ros dimidia parte congelatus. Plin. lib. 2. cap. 59. ait, Grandinem conglaciato imbre gigni, & niuem eodẽ humore mollius coacto, pruinam autem ex rore gellido. per hyemes niues cadere, non grandines.

De grandine. *Cap.* 19.

GRandinum ortus uere potissimum & autumno constat mox temporibus prouentuum fructus, rarius hyeme & cum minus frigoris incessit. Aristot. libr. 1. meteor. cap. 12. abunde de grandine disputat eam esse gelu, & locis elementorib. gigni, ut frigidioribus niues, & per antiperistasim cõgelari cum calore aeris, dum euehitur uapor in altum aerem; non tamen ibi conglaciari, sed cogi in aqua, at decidentes guttas per calidum aeris locum, ita per antiperistasim a circũ stante calido aere congelari & infrigidari subito, non secus ac æstate frigidiores sunt foueę & speculus terræ, & per eandem antiperistasim hyeme calidiores: improbatq; Anaxagoræ sententiam, qui arbitrabatur grandinem condensari, cum frigidum aerem nubes subierit. Seneca quoque libr. 4. natural. quæst. reiecta sententia Anaxagoræ sequitur Aristot. & grandinem suspensam glaciem dixit non procul a terra, sicut nix in pruina pendens congelatio, & ibi plura de rotundatione grandinis & tẽpore: refertq; χαλαζοφύλακας, id est, grãdinum inspectores, quosdam olim inepte constitutos, qui obseruarent uenientes grandines ex colore nubium, ut tunc moniti quilibet, pro agro suo agnum sacrificarent pro depellendis illis. Sicut & carminibus credebant euerti posse quæ extarent, teste Plin. lib. 17. cap. fin. & libr. 28. cap. 2. & li. 37. c. 9. item connudata muliere menstruata lib. 28. cap. 7.

De exhalationibus fumidis seu siccis. *Cap.* 20.

EXhalationum siccarum tres species: prima admodum oleaginosa, calida sic satis & sicca, in infima aeris regione tentoria sua figens, quæ latitat per hyemis & au-

tumi finem, postea exeritur ui ignis & crepitu interdum, & sono per angustos meatus incenditur: hinc apparent & fiunt imagines, spectra ignea, pro materiæ qualitate & quantitate modulo, cōnexione, loco, & motu. Ferūt signū serenitatis aereæ futuræ esse, dum consumuntur illis ignibus exhalationes: proinde bono sunt inter tēpestates animo nautæ, & proxime sedādas iri augurantur, cum gemelli ignes uidentur circa naues saltantes, quo uocāt Pollucem & Castorem; non ita tamē sperāt, si unicū tantū ignē conspiciant malo hærentē, quē uocant Helenam, nempe quod tunc, nota sit nō posse celeriter consumi exhalationes illas, quibus tempestatum animatur sęuitia, sed durabiliores futuras. Meminit Plin. de his ignib. li. 2.c.37. ueruntamem rationem non adfert, qualem iam exhibuimus, sed illam inter abdita & abstrusa naturæ miracula reponit conseruatam. Narrat tamen & ex capitibus militum & lanceis, ignes prodire, & se talia in castris uidisse, ut narrat etiam Virgilius ex capite Ascanii ignē emicuisse. Et Dion Cassius. lib. 48. ex capite Saluidieni postea senatoris & consulis flammam cū gregem pasceret uir ignobilis & obscurus. Quæ omnia prodigii instar sunt causam ignorantibus, quę tamen naturalis est: id enim procedit ex continua fumida exhalatione, quę in castris uel nauibus a militibus & hominibus eleuatur, quę incenditur impressione facta in aere, ut explicat latius P. Castrobolus in 2. meteoron. & P. de Medimna libr. 2. de arte nauigādi, c.8. hinc causa quoque, cur appareāt ignes ambulones, quos uocant fatuos, potissimum circa cadauerosa patibula, cæmiteria, coquinas, ædes sacras, ubi sepulturæ, & alia loca uliginosa ac uiscida, in quib. fæculentus, putris. igneus crassus, & oleagineus transpirat halitus, qui facile ignescit. Mizaldus lib. 1. cometog. c. 4. Apparent autem noctu potissimū, quod exhalatio sit calida & sicca, aer autem sit frigidus & crassus, que duo tantisper occurrunt & uentilantur, donec ab agitatione flamma excitetur.

De ignibus in aere apparentibus, & de tonitruo. *Cap.* 21.

SEcunda species exhalationis, calida & sicca supra aliā est, & ad secundum usque aeris regionem ascendit, non autem pretergreditur, in qua collectis uiribus, congeminata

ta agitatione accenditur, & meteoron gignit, quod a recen tioribus dicitur subdescendēs; deiicitur namque a frigidiore & humidiore aere, & cogitur descendere: hinc creantur uagę stellæ, stipulę ardentes, si materia habeat longitudinem & latitudinem; flammæ quoque si maiorem longitudinem habeant quæ despuunt terris scintillas, capras sallientes, dracones uolantes, circunstantibus duobus nubibus, & cætera id genus, de quibus Arist. li. 1. meteo. cap. 4. & Basilius Magnus in psal. 28. Hinc etiam tonitrua, nempe ex calida & sicca exhalatione, quæ sursum rapitur calore solis usque ad mediā regionem aeris, ibiq; impingit & incurrit in nubem humidam uel una eleuata est cum uapore humido, ut ait Aristo. 2. meteo. cap. 9. a quo compressa & circundata erumpit tandem: erumpit autem nō numquam, interea dum accenditur in nube, quod accidit, quando utraque est rara, nempe nubes, & exhalatio; nonnunquam postquam incensa fuerit, & tūc impellit quidem nubem faciens sonitum, sed extinguitur antequam egressa est: aliquando ante inflammationē erumpit, & fit dum acuta est & penetrat nubem priusquam ita coacta & agitata fuerit a nube ut accendi potuerit, & egressa nubē accēditur, & magnos uentos concitat; interdum ex nube egreditur inflammatus ignis, & in aliam nubem aquosam deuectus ibi extinguitur, & murmur fit, quale si ferrum ignitum in aquam iniicias. Sicq; tonitrus est ignis extinctio. Plura Arist. li. 2. meteor. capitulo 9. Plinius autem libro 2. cap. 43. ait. si in nube luctetur flatus aut uapor tonitrua edi, si erumpat ardēs, fulmina; si longiore tractu nitatur, fulgetra; his findi nubem illis perrumpi, & esse tonitrua impactorum ignium plagas, ideoque protius coruscare igneas nubium rimas. Posse & repulsu syderum, depressum, qui a terra meauerit, spiritum nube cohibitum tonare, natura strangulante sonitum, dum rixetur edito fragore cum erumpat, ut in membrana spiritu intenta. Posse & attritu, dum in præceps feratur, illum quisquis est, spiritum accendi. Posse & conflictu nubium elidi, ut duorum lapidum, scintillantibus fulgetris. Arist. lib. de mundo. Et Sene. in 2. natura. quęst. Tonitrum dicunt spiritū nubibus incidentem, qui cum per obstantia luctatur, ignem fuga accendit. Idem & Galen. li. 4. commentar. lib. Hippocra. de morb. uulga. Anaximander a flatu fieri dixit, & ex ruptione crassæ nubis, sonitum; ex distractione, confulgentiam, propter nigri

cantiam nibis.Idem Metrodorus. Stoici nubium collisionē tonitrua dicunt.Fulgar acccessionem ex earum attritu:fulmē uegetiorem effulgentiam, ut turbinem languidorum, Plutar cho teste lib.3.de plac. philos. cap.3.

De fulgure & fulmine. Cap. 42.

FVlgur imbecillior quidam ignis:nubes enim mediocriter collisæ,fulgurationem faciūt:si maiore impetu,fulmina: Sene. li.1. natura. quæstio. Atque li.2.tradit, fulgurationē esse fulmen non usq; ad terram perlatum:idipsum & sentit Aristot.lib. de mundo. In magno fulmine,generatur lapis ex exhalatione ualde terrestri & densa,quæ cum inuehitur in nubem humidam, eiusmodi massam & mixturam facit, non secus quam cum farinæ aqua miscetur, quæ deinde massa postea celeriter decoquitur induraturque in lapidem, ut argilla in la teream. de quibus deque fulmina Ecnephiæ & Thyphone Arist. 3. Meteo.cap.1. & seq. Pontanus in meteoris, Seneca in quæstio. natural. Albertus magnus & alii. Plini.lib. 2.c.49.& 50. Videtur autem potius fulgur,quā audiatur tonitru,quanquam prius fiat tonitru quam fulgur:quia,ut inquit Alber. Mag. in obiectis, uisus potior auditu: tradit & Plin.li. 2.c.54. ictumque & sonitum congruere,ita modulante natura:sed sonitum profecti esse fulminis,non illati:etiamnū spiritū ocyorem fulmine,ideo quati prius omnē afflactari, quā percuti.nec quenquam tangi qui prior uiderit fulmen,aut tonitru audierit. Suidas in uerbo κεραυνός, Fulmen,inquit, est ardor uehemēs magno impetu cadens in terrā nubib.inter se attritis aut ruptis:uel uortex igniti aeris,uiolenter delatus. Ceterū fulmen non occidit,sed adurit. At fulmina quædam sunt καταβάλαι dicta, a descēdēdo:quædā φολόεντες ardētia,quæ tactu perdunt:quędam ἀργῆτες candida raptim erumpentia. Fulminum quoque differentias alias tradit Plin.lib. 2.c.51.

De præsagijs & effectibus Tonitrui & Fulgurationis. Cap. 43.

TEmpestatū origo,nihil aliud est quam spirituum apparentia: & præcedens fulgur aut corruscatio, præsentia eorum est, a qua quidem cognosci potest utrum illæ tempesta-

pestates cum uel sine periculo transituræ sint. Idque ad hunc modum intelligẽdum, uidelicet ut peregrinus aliquis in domum alterius non intrat, nisi loquatur: sic spiritus illi nobis non apparent, nisi prius loquãtur, quippe tonitru loquela est eorum, quæ mox sequuntur: ideo post unumquodque fulgetrum nec boni quicquam præsagit, eo quod celerius transit, & fugit: idem & in fulgure. Theophra. Paracelsus lib. de occulta philos. cap. 10. proinde Ceada Meruorum in Britannia, seu Anglia episcopus, cum tonitrua, coruscationes aerem, & terram terrerent, solicitus erat ualde de ira Dei orationibus placanda, teste Beda in 4. lib. hist. Anglo. c. 3. Qui cum interrogaretur, cur id persuasum haberet, respondebat, nõ legistis, quia intonuit de cœlo dominus, & altissimus dedit uocẽ suã: misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. ps. 18. Minatur tunc dominus, sed pęnitẽtiæ tempus dat, cum non percutit. Extendit Moses uirgam in cęlum, & dedit Dominus tonitrua, grandinem ac discurrentia fulmina super terram Ægypti, excepto loco Gessen, ubi erant filij Israel: quo impulsus pertinax Pharao, confessus est se peccasse, dominum iustum, se autem & populum suũ impios. Ex. 9. ps. 104. Explicat autem Dauid ps. 77. immissiones has procellarum, Deum fecisse per angelos malos, ueluti institiæ suæ administros implacabiles. Nam & ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt uerbum eius ps. 148. Et Deut. 32. si acuero, ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem inimicis meis, &c. & Exo. 19. lex data est in monte, cum tonitruo, & fulgure discurrente. Et Apoc. 4. fulgura procedebant de throno Dei. Sic etiam & pro nutu, fulgura, & procellas, & tonitrua dissipat, & in pluuiam uoluntariam, & fertilem conuertit. ps. 106. & 134. Hiere. 10. & 51. Ezech. 13. Mat. 4. & Lucæ 8 Refert Iulius Capitolinus iã Galieno, tonitruum auditum sub Galieno Cæsare, terra mugiente, nõ Ioue, i. aere tonãte, quo motu multæ fabricę deuoratæ sunt cũ habitatorib. multi terrore mortui, qđ quidẽ malũ tristius Asiæ ciuitatib. fuit. Mota Roma & Libya, & hiatus terræ plurib. in locis fuerũt, mareq; multas urbes occupauit apud Xenoph. libro 4. de dict. Socra Socrates inter inuisibilis Dei ministros, connumerat fulmina, & uentos, ut non mirũ sit quod Ammia. Marcelli. tradit libro 17. quod in Thagetis Thusci libris legitur, Veronis fulmine mox tagẽ.los adeo he

betari,ut nec tonitruũ, nec maiores possint audire fragores. Scribit quoque Pli.li.2.c.52.Thuscorum literis cautũ, Deos mittere fulmina.Et c.53.extare annalium memoriam,sacris, & precationibus quibusdam,uel cogi fulmina, uel impetrari;hocq; factitatum a Volscis,a Numa sæpius; quodq. imitatum parum rite Tullum Hostilium fulmine ictum perisse,ut ideo coniectare liceat credidisse eos a numine,qui placari,& precibus posset,immitti.

De cometis. Cap. 34.

TErtia halituum fumosorum species sicca exacte est, & leuis admodum,nonnihilque oleoginosa. hæc a solis, & stellarum radiis,sicut longis manibus, ac quodam ductorio fune tam celeriter rapitur,ac penetrat aeris frigidam regionem uia tritissima,donec peruenerit ad supremam,ubi facile incenditur,longe lateque pro modo,qualitate, & quantitate congestorum,micatque & lucescit. Nam & flamma Arist. li.1.Meteo.nihil aliud est,quam sicci spiritus ardor:hinc phasmata & cometæ,chasmata cœli,faces,lampades,trabes, bolides,coronæ,clypei ardentes,discursus stellarum, & alia ostenta cœli,de quibus Pli.lib.2.c.26.27.28.29.34.35.36.Vitus Amerbachius c.39.in Meteo.Iouia.Ponta.Mizal. 1. cometogr. c.6.Sen.copiose li.7.Nat.q.8.Plut.li.3.de placi.phil.ca 2. Æqualiter accensa impressio,cometa proprie:si extensa in longum,pogonia.Et quia illa materia cometarum non ascendit sponte uel ui propria,sed attracta ab aliqua stella,idcirco necesse est,ut alicui stelle subiiciatur;proinde & cometæ mutãt colorem,earumque stellarum a quibus pertrahuntur,subeũt, uariaq. nomina,prout not.& explicat Arist.lib.1.Meteo.c.6. Quamobrem & sortiuntur quoque uires, & prærogatiuas earum stellarum,sub quibus ardent,ut aperit Manil.li.1.Astronom.Iouia.Ponta.in meteoris.Et in summa signa sunt æstus, redinis, quia multitudo aspirationum calidarum sursum seriatim ascendit;ubi consumitur aerque repletur, humiditas depellitur,fontes exhaurit,terra multis exhalationibus sursũ missis exsugitur;unde infœcunda, nec imbribus commodis irrigua,quare & infœcunda euadit;hinc penuria,pestis nũtia morbi acuti uenenati. Humores.n.cum sanguine aduruntur ex circumiacente aere torrido,qui per uenas,& poros in cor-

pora

pora labitur, temperaturam exſiccat, bilem incendit, nec eo anno ſolum, ſed & per annum ſequentem, hinc bella quoq. quia bilis incandeſcit, & principum, qui delicatioris temperamenti ſunt, interitus, ſi elongetur cometa a ſole 11. ſignis; tunc. n. dicunt prænuntiari regis cuiuſdam, uel magni interitum in regno eo, in cuius cardine affulſerit, Ptol. aph. 100. Ludou. de regiis in aſtrologicis aphor. 137. & 98. Et eo magis ſi moueatur cometa ab uno ſigno in aliud, uel ſi plures appareant eo anno, & eo amplius ſi aliquem regiæ natiuitatis locum teneant, ut late de his omnibus Mizal. 2. cometogra. c. 2.3.4. In quibus & obſeruare una iubet horam, qua apparere crinita incipit, locum, ſignum, ſtellam, atque eleuandam cum his cœli conſtitutionem, & domos, &c. quæ pulchra cognitu ſunt apud eundem Mizaldum lib. 2. c. 7. Mutationes quoque præſagitas reip. per cometas no. Pli. li. 2. c. 25. ante diſſidium triumuiratus Octauii M. Antonij, & Lepidi cometam viſum, & crinitam ſtellam, & faces multas in cœlo, nota. Dion. Caſſ. li. 45. hiſt. Et Cic. 2. de nat. Deo. Sibylla quoque li. 8. oraculorum poſtquam deſcripſit futura ſub finem ſeculi mala hominibus præuentura, addit ſigna illorum, nempe ſtellas caſuras in mare; & poſtea,

πολλὰ μὲν ἐξῆς ἄϛρα καὶ ἀκτινοέν]α κομήτην
ἄνθρωποι παλέουσι τὸν ἀϛέρα, σῆμα (alias *σήμα*) *πόνοιο*
πολλοῦ ἐνερχομένου πολέμου, καὶ δηϊότητος, id eſt,

Sydera multa deinceps, & radiantem uidebunt cometam quem uocant homines ſignum laboris, magniq. uenturi belli, & uaſtationis, & Luc. in 1.

Ignota obſcura uiderunt ſydera noctes,
Ardentemq. polum flammis, cœloq. uolantes
Obliquas per inane faces, crinemq. timendi
Syderis, & terris minitantem regna cometem.

Extat opuſculum in quo digeruntur apparitiones cometarum, & effectus poſt cometographiam Mizaldi, excerptum a Paulo Ebero Kitingenſi. Obſeruant autem caueam pro indicio regionis, in quam dirigitur, ubi effectus expectetur. Eſt & inundationis quoque cometes ſignum, & ingentium pluuiarum; dum halituoſus illi multus ſpiritus diu tractatus in cometæ corpus, condenſatur in pluuiam, ſecundum ſigna cum quibus habet affinitatem, extincto cometa, ſed de his hactenus.

De uentis. Cap. 25.

QVanquam aer proprio motu moueatur, ut mare, ab oriente in occidentalem partem, & reflectatur, ut æstus ipse maris, alioquin enim computrescceret: & quamuis nunquam sit sine leui aura, tamen aliunde commoueri ualidius potest. Itaque cognoscẽda alia est species terrestris exhalationis, sicca & calida, non tamen oleaginosa, nec incẽsui peruia, unde fiant uenti. Nam ea subtilitate sua, ascendit usq; ad vltimam nobis proximiorem aeris regionem donec ueniat ad mediam, ubi infrigidatur exterius, & densatur & demittitur, ideoque & flat, ut ait Algazel & Arist. de mundo. & 2. meteo. c. 4. & fi. Placuit tamen Stoi. teste Ci. 2. de diu. & pro Cluen. & Plut. li. 3. de placi. philos. c. 7. uentos esse anhelitus terræ, qui frigidi sunt, cum fluere cęperint. Aliqui tamẽ, ut refert Arist. 1. Meteor. c. 13. putarunt aerem motu percitum ac fluentem, esse uentum: eundemque concretum, & coactum, nubem, & aquam haberi, ut eiusdem naturæ participes sint aqua, & flatus. Sitque ipse uentus agitatio aeris, & motus: quod etiam sẽtit D. Aug. li. de quantitate animæ. Atque id probant a motu facto per flabellum, quo sentitur uentus, seu flatus. uerum & aerem quoque ab ijs spirationibus agitari non est dubiũ, dũ trahuntur, uel commouentur ui cęlesti. Sicque Vitruui. libr. 1. c. 6. scribit, Ventus, inquit, est aeris fluens unda, cũ incerta motus redundantia. Nascitur enim cum feruor offendit humorem, & impetus feruoris exprimit uim spiritus flantis. Id autem uerum esse ex æolopylis licet perspicere: fiũt enim æolopylæ æreæ, cauæ: hæ habent punctum (seu os) angustissimũ, quo aquæ infunduntur, collocanturque ad ignem, & antequam calescant non habẽt ullum spiritum, simul autẽ ac feruere cęperint, efficiunt ad ignem uehementem flatum. Et in aerem sursum halitus eleuatus frigore repellitur, & sic mutuo concursu in aere fiunt flatus. Porro quantumuis calida sit prima exhalatio, tamen ab ambiente aere qui frigidus est, refrigeratur plus, aut minus: plus, quo plus halitus a terra extollitur: minus, si repat: adhibita temporis anni ratione: ut hyeme frigidiores, eo quod talis aer Aristoteles problema. sectio. 26. quæstio. 50. & plura ad hanc rem in sequẽtibus quæst. 51. 52. 53. & alijs. Sunt & planetę mouentes exhalationes, qui quodam-

dammodo illis uentis impartiuntur uim. Sic Iupiter mouet septentrionales flatus; Sol orientales; Mars, meridionales; Luna, occidentales. Sic de signis referunt, ut aries, leo, & sagittarius, quæ orientalia sunt, moueant orientales: Taurus, uirgo, capricornus meridionalia, meridionales; Gemini, libra, aquarius, occidentalia, occidentales; Cancer, scorpius, & pisces septentrionalia, septentrion. Atque & Ptol. li. i. quadrip. ope. c. 4. tradit uentorum, qui res oriri faciunt, planetam, Iouem, & uentorum generatorem Mercurium: Non autem sequimur Lucr. qui 1. de rer. nat. sic scribit,

Sunt igitur uenti nimirum corpora cæca
Quæ mare, quæ terras, quæ deque nubila cæli
Vertunt, ac subito uexantia turbine raptant.

Pli. utranque priorum sententiam probat li. 2. c. 43. Simili modo, inquit, uentos, uel potius flatus posse ex arido, siccoq; halitu terræ gigni, non negauerim posse, & fieri aquis aera spirantibus, qui neque in nebulam densetur, neque crassescat in nubes; posse & solis impulsu agi: quoniam uentus non aliter intelligatur, quam fluctus aeris: pluribusque etiã modis. Namque & e fluminibus ac niuibus, & e mari uidemus, & quidem tranquillo, & alios quos uocant altanos, e terra consurgere, qui quidem cum e mari redeunt, Tropæi uocantur; si pergunt apogæi; Et c. 41. eiusd. 2. sine fine generant uentos iã quidam etiam specos, qualis in Dalmatia ora, cui loco nomẽ Senta: in rupe Cyrenaica. Et c. 38. aerem, uentorum regnũ esse tradit, usque tamen 40. stadia altitudinis a terra, nã altius conscendere idem scribit c. 23. lib. eiusdem 2. Notat etiam Sen. li. 5. nat. q. terrarum, & aquarum euaporationes, esse causam uentorum.

De uentorum fictione. *Cap.* 16.

Ventus omnis circulariter, & in orbem circum terrã uertitur, nõ autem fecta a terra sursum, uel a superiore parte deorsum, ut ait Alb. Mag. lib. uent. c. 12. impellitur aũt eã in partem a qua trahitur, uel si retro frigus habeat reluctans, & reiiciẽs nunc maiori, nũc minori impetu, pro modulo materiæ, quę e terra interdum multa, aliquando exigua, & diuerso tenore spirat, uel calidior est. Interdum tamen, concurrentib. ex diuersa, & opposita parte uẽtis, uẽtus in turbinẽ agitur,

dum in oppositione luctuatur, & a fortiore regredi cogitur, quod ualde periculosum nautis: circa quoque montes uentus reflectitur, & repercutitur, & dum concurrit cum alio, & maris undę uario marte conflictantur, undæq. concutiuntur, extolluntur, & dum dimittunt sese, naufragium parant. Facilis autem uentorum concursus præuisio, si contra uiam uenti prope terram flantis, uiderimus in altiori aere nubes deferri, uel deiici; tunc enim eum qui sursum dominatur, breui cum humiliori in terra concursum ei, qui imperaturum designatur. Siquidem ex 32. regionibus orbis, possunt concurrere uēti; totidem enim ponuntur a nautis, quia in totidem partes orbis terræ diuiditur. Scio tamen Homerum tantum posuisse quatuor, alios 8. alios plures, uerum annotatum est ab ijs, quibus maxime usui sunt, 32. nempe a nautis, quorum adferam typum, quem pyxidi & chartæ nauigationis inserunt, sumptū ex 1. parte geograph. P. Appiani c. 15. & ex 3. lib. artis nauigatoriæ P. de Medimna cap. 5. Et hæc est figura uentorum eorū, qui hodie certa obseruatione, cogniti sunt. Si quis autem antiquorum uelit uidere de uentis diuisiones & sententias, legat Plin. lib. 2. cap. 47. 48. 49. Vitrū. lib. 1. Architect. c. 6. Gell. lib. 2. cap. 22. Senecam lib. 5. quæst. natu. Aristot. lib. 2. c. 4. & 6. Vegetium de re milita. 4. cap. 38. Hierony. Carda. lib. 2. contradict. medico, tracta. 1. con tradict. 16. Stophleri. de fabrica Astrola. proposit. 10. & de usu astrolabij, propos. 44. Mizaldum in libro speculi aeris.

HIC

HIC DEBET INSERI VENTORUM STYPUS.


Longi tudo minor seu occidentalior. *Polus Arcticus.* *Longitudo maior seu orientalior*

Latitudo maior vel borealior.

Occidens. Linea equi-

Oriens noctis.

Latitudo minor vel australior



Polus antarcticus seu Meridionalis.

Orientalium ventorum quædam obseruationes.
Cap. 27.

SVbsolanus siccus, circa æquinoctium autumni flans, & ab ea parte unde in æquinoctio sol oritur sine damno, ut solaribus radijs defęcatus. Vulturnus, ut uultur impetus delatus, seu Eurus congerit nubes, & in austrum sępè conuertitur, principio siccus finiens in humido. Hellespontus aut Cęcias ad se nubes trahit, humidus: sani omnes, dicuntur calidi & sicci. Veniunt quidem in postremo noctis & principio diei, ab aere qui iam temperatus est propter solem. At in fine diei & noctis principio, erunt & humidiores & crassiores.

Occidentalium obseruationes. *Cap.* 28.

ZEphirus niues liquefacit, circa ęquinoctium ueris flans, quo tēpore redeunt ad nos hirundines: unde & Fauonius Lyps. seu Africus, tēpestatum author: sed magis Caurus seu argestis, qui siccus initio, humidus dum desinit: omnes saniores dum occidit sol, ab eius radiis purgati. Frigidi & humidi, uerum in fine noctis & principio diei, uenient ab aere a sole nondū calefacto, quãobrem & crassiores & spissiores erūt. At in fine diei & principio noctis minus spissi, & crassi minus.

Meridionalium obseruatio. *Cap.* 39.

AVster, pestilens & impetus ualidi, ut & reliqui meridionales, eo quòd per mare a meridionali calore transferatur, a quo fuggunt transeundo uapores quam plures, & proinde, ut plerumq; pluuias effundunt uberiores: inde tēpestates, & procellæ, si diutius perseueret auster: hic robustior oriente & occidente sole, meridie quietior, saltem in æstate, calidi & humidi omnes: debilitant corpora, opplent cerebrum, uisum obtenebrant, mouent longiori tractu humore, catarrhos: humores quippe agitant & ad exteriora propellunt, subducunt aluum uel molliunt, deijciunt appetitum, dum poros cutis aperiunt & naturalem calorem difflant, febres putridas generant.

Sem-

Semptentrionalium obseruationes. Cap. 30.

VEnti hi frigidi & sicci,& plerumque prænuntij niuium, grandinis, aut gelu. horũ Boreas seu arctos præcipuus, congelat, grandinosus & salubris: Aquilo ningit & Circius. Hi contrahendo autem retinent calorem naturalem in animalibus,augentque superfluorum consumptionem,& robur. Boreas noctu ortus,non uiuit ultra tertiam diem, noctu debilior,interdiu fortior. Si sequitur meridionalem uentum, fit præparatio tempestatibus; si diutius sæuiant septentrionales uenti,gignunt tusses, dysurias, tremores, dolores laterum & pectoris &c. constringunt. Cætera, uide apud Plinium libr. 2.capit.47. In summa,urinam prouocant, corroborant, indurant,prohibent,poros claudunt, concoctionem augent,uentres stringunt, aerem pestilentem sanant. Et præter hæc ab his sæpius causantur neruorum dolores, horripilationes, tusses, costarum ægritudines,pleuritis, peripneumonia. Quod si præcesserit auster, fient sanguinis profluuia, pectoris ægritudines, tussis, pleuritis, peripneumonia quoque.

Ventis communia. Cap. 31.

COmmunes uentis, ut possint generari exhalatione calida,& non solum a terra, sed a fluminibus, mari, niue; fumi namque & inde. Quidam a materia affini pluuiæ,& illi in pluuiam conuertuntur. Orti quidam ex materia,illi cõtraria, unde aerem serenant. Omnes fere circa terram non alta regione aeris uagantur. In magno æstu, dissipante sole uapores., nec magno frigore conclusis spirationibus sub terram, uix uenti. Exigua pluuia impetum magnum uenti consumit;& contra,exiguus uentus magnam pluuiam pellit. cõtraria nanque substantia fiunt,& tunc contrarium incipit dominari; atque aqua lenis obturat canales terræ spirantes,etsi aliquando modica pluuia suggerat terræ siccæ fumorum ingentem materiam. Ascendente sole supra horizontem, inflantur magis uenti; at oriente, dissipantur radijs; quod si non dissipentur, tunc durabiliores erunt, ueluti materia existente contumaciore. Mutantur uenti pro diuersitate materiæ succedentis, & ratione originis, uenti flantes post quartum

tum diem coniunctionis lunæ & solis,solent perseuerare per totam lunationem. Consopiuntur uenti, uel plerunque, aut media nocte ob frigus eius, aut meridie, quia dissipantur calore. Venti ab ea parte maxime expectandi, qua nubes repelluntur, & discussæ adaperuere cœlum. hæc fere Plin. libro 2.capit. quadragesimoseptimo ubi & illud mirabile ad dit,Omnium,inquit,si libeat obseruare minimos ambitus,re dire per easdem uices quadriennio exacto Eudoxus putat, non uentorum modo, uerum & reliquarum tempestatum magna ex parte, & est principium lustri eius semper intercalari anno, caniculæ ortu.

De repentinis flatibus. *Cap.* 32.

EXhalante terra coorti uenti, rursumque deiecti obductâ nubium cute, interdum uagi, ruentes torrentium modo fluunt, tonitrua & fulmina edunt, quòd late siccam ruperint nubem; maiori pondere & incursu procellam gignunt, quæ ecnephias græcis: si sine fulmine, uorticem red dunt, uocantque typhonem, id est, uibrantem ecnephias. Quod si simul rupit exarsitque, fulmen est; si latius quam ut ignis, uelut flamma dilatetur, prester fit, & caligo nauigantibus belluæ similis, nube dira. Et columna, cum spissatur humor & se sustinet, ac in modum fistulæ aquam trahit. de quibus Plin. lib.2.capit.48. & 49. Aristot. libr.tertio Meteor.cap.1.

De terræ motu. *Cap.* 33.

TRes de terræ motu sententias, uariasque refert Aristot. 2.meteor. capit.7. aliorum & aliæ, quas recenset Seneca libr.6.natur.quæstio. Est & illa aliquorum, sed parum recepta, terram uerti circum ignem, de qua Plutar.3. de plac. philoso.capit. 15 Et Cleomedes in 1. circularis inspectio. Nos in summa,dicemus terræ motum fieri a uentis seu uaporibus siccis intra terram inclusis, & à calore solis calefactis at que impulsis, quibus quatitur & mouetur, dum exitum quærunt. Quod confirmat per decem signa Aristot. libro secun do Meteor. cap. 8. accidit autem potius uere & autumno, quam hyeme & æstate, unde, inquit Plin. libro primo capi

tulo

tulo. 80. Galliæ & Ægyptus minime quatiuntur, quoniam hic æstatis causa obstat, illic hyemis. Fiunt & in solis lunęquæ defectu, quoniam tempestates tunc sopiuntur, præcipue cum sequitur imbrem æstus, imbresue æstum. Et noctu potius quam interdiu, & si interdiu, maxime meridie, quo magis tranquillus aer & sol intus pellit uapores. Sic uentus in solo uel fundo maris, uel in ipso mari inclusus, mare concutit & fluctus extollit. Hic motus alius ab illo, quo terræ quedam sunt innatantes aquis uel insulę tremunt in ingressu, uel fluctuant, uel remis aut uentis impelluntur; sicut in Gabiensi agro prope Romam, in agro Cecubo & Rheatino in lacu Vadimonis, in Calamina Lydiæ, in Nymphæo, in Tarquiniensi lacu, & alibi, teste Plinio libro secundo capitulo. 94. & 95. Nam motus terræ succurit intrinsecus & mugit, quærens spiraculum, donec sibi illum ruperit, ante sopitis omnibus uentis in interioribus terræ contentis, intra uenas & cauernas: nec aliud in terra tremor, quam in nube tonitruum, ut ait Plinius libro secundo capitulo 79. & 80. Atque Aristoteles secundo de plantis terræ motum in locis ęrenosis non fieri, tradit, eo quod aer ibi sensim libere egreditur: sed in densis ac duris, qualia sunt aquarum loca & montium, quod aqua sit solida & lapides quoque: aeris autem calidi natura sit propria, ascendere, cuius partes cum coaluerint, inualuerintque, impellunt locum unde mox uapor uiolenter erumpit. Spongiosæ & fugosę & specubus intra plenæ, & ut sæpæ, æstu magno proscissæ, & hiantes terræ concipientes multum spiritum & uentum, postea subita pluuia, coopertæ & coniunctę, & induratę, spiritu intra recepto agitantur & proprio quod perpetuo edunt: ut fertur ab Aristotele libro secundo Meteor. capitulo octauo accidere in Hellesponto, Achaia, Sicilia, Eubœa. Hinc hiatus terræ, prostratio urbium, & oppidorum depressio, & deuoratio montium, sed non uno modo: nam Aristotel. species terrę motuum nominat septem, libro de mundo; Seneca in 6. natur. quæstio. tres, & Plinius libro secundo, capitulo 82. Primæ speciei sunt terræ motus dicti ἐπικλίνται quando terrę côcutiuntur mucronatis angulis. Seneca dixit nauigii more, tunc terras nutare. secundæ βρασαι, cum sursum deorsumue ad rectos angulos terra agitatur, ut feruens aqua, succussionem dixit Seneca. tertiæ χασματιαι cum recedit terra per con-

tra-

tractionem. quartæ ῥῆκται, quando ruptione contrahitur. quintæ ὦσται cum tãtum propellitur terra. sextæ παλματίαι, cum repercutitur & propellitur, uibrationem dixit Seneca. septimæ μυκητίαι, quando una mugitus editur.

Motus terræ futuri prænuntia & effectus.
Cap. 34.

SIgna terræ motus futuri sunt, aut astronomica, aut naturalia; ex astrologia mali aspectus errantium syderum Iouis & Martis, in aliquo signorum terrestrium Tauro, Virgine, Capricorno. Physica autem signa, subito intumescens fluctus sine flatu, caligo solis, magnum frigus, tranquillitas aeris tenuis & in longum porrecta nubes, turbata aqua in puteis & fontibus cum odoris tædio, crepantia ædificia, & eorũ quæ ponuntur in nauibus crepitus, sedentes aues pauidæ, Plinius libro secundo cap. 80. Post austros uẽtos, noxij præcipue terræ motus. Plinius libro secundo capite 47. Seneca libro sexto, Naturalium quæstionum, tradit, post magnos terrarũ motus pestilentiam fieri: multa enim mortifera in alto latent; & aer ipse qui uel terrarum culpa & pigritia, & æterna nocte torpescit, grauis haurientibus est, uel corruptus æternorum ignium uitio. Cum est longo situ emissus, parum habet liquidum, quod maculat ac polluit, insuetumque ducentibus spiritum adfert noua genera morborum. Et aer corruptus dum emergit, late uitia sua spargit, &c. Nec simplex malum terræ motus est, nec in ipso tantum motu periculum est, sed par aut maius futurorum ostentum; nunquam enim Roma tremuit, ut non futuri euentus alicuius id prænuntium esset. Plinius libro secundo capit. 84. Gellius quoque refert libro secundo Noctium, capit. 28. ita metu antiquos terræ motu periculosos, ut ferias eius rei gratia edicto imperarent, sed Dei nomen cui seruari ferias oporteret dicere quieuisse; non enim illis constare poterat, quis esset ille qui ita terras concuteret. Nec physicis rationibus adscribebant tantam terræ motus uim, interim tamen piaculo erat, ferias illas polluisse, litationibus destinatas. Semper enim aliquod imminens maximum malum ex terræ motu experti sunt, utpote Deo aliquid parante in excidium hominum

minum peccatorum, & tamen præmonente; lætatur e-nim Deus in operibus suis, qui respicit terram & facit eā tremere; qui tangit montes & fumigant, psal. 103. Et rursum psal. 75. Tu terribilis es, o Deus, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua, de cælo auditum fecisti iudicium tuum; terra tremuit & quieuit, cum exurgeret in iudicium Deus. Vt non mirum sit, si ob scelus Iudæorum, quod postea seuere uindicatum est, terræ motus magnus factus fuerit, dum dominus noster Iesus Christus in cruce pro salute humani generis expirauit, anno decimo octauo Tyberii Cæsaris priuigni Augusti. Mattheo. 27. quem terræ motum uniuersalem per orbem fuisse reor, de quo & uidetur loquutus Plinius libro secundo capitulo 84. his uerbis. Maximus terræ, memoria mortalium extitit motus, Tyberij Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis. Nicephorus autem adiicit & nominat quatuordecim, libro primo de ecclesiast. histor. capitulo 17. hincque non omnino alienum erit a uero dicere, aram tunc ab Athieniensibus Deo ignoto dicatam, de qua actuum 17. Secundum morem ethnicorum qui deum tacebant in feriis ob terre motum indictis, ut ex Gellio annotauimus. Fuit & alius magnus sub Theodosio iuniore Cæsare, per totum orbem, qui per sex menses durauit: quo tempore experti sunt Christiani uim diuini numinis in quatiendo & temperendo orbe. Siquidem, Constantinopoli supplicationibus & letaniis uacatum a populo: accidit autem ut puer in aerem raperetur extra uisum, qui ibi audiuit Angelos cantantes, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis, iterumq; in terram relapsus uerborum memor, eadem docuit, a quo & hoc ipsum Proclus Episcopus Constantinopolitanus, intellexit faciundum, quare iniūxit populo cantari, & statim terræ motus conquieuit, & puer eorum uerborum ministerium executus, uita defunctus est, ut idem Nicephorus Cal. refert libro 10. histor. Ecclesiast. capitulo. 46. & libro 18. capitulo 51. Scribit quoque & libro 13. capit. tertio. Antiochiæ sub Iustino Cesare fuisse terræmotum magnum, qui ubique bonam ciuitatis partem diruit. Et post triginta menses, alium grauiorem sub Euphemio episcopo quo tempore, per oraculum diuinum religioso cuidā uiro reuelatum fuit, ut nomē Dei pre foribus scriberetur, sic, Christus nobiscū. State. Quo facto, statim terræ motus repulsus est,

dictaq;

dictaq; ab eo tempore Antiochia, Theopolis, hoc est, Dei ciuitas. Subiiciam imperii diuini aliud exemplum, ex eodem Nicephoro libro decimo septimo, capitulo decimo tertio. Cum terræ motus alius magnus sub Iustiniano Cęsare esset, quo Berytus, Biblus, Tripolis, & aliç urbes cladem ingentē receperunt, Simeones quidam sanctus solitariam uitā agens, uir præcognoscens proximum, in ciuitatem uenit, & loco sta tuas aliquas tetigit, dicens, state uos, breui namque saltare debetis; obseruatumque eas, quas non tetigisset, corruisse terremotu, alias stetisse.

De aliis impressionibus aereis ad solem lunamq; relatis, corona, iride parphelijs.
Cap. 35.

Apparent interdum in aere coronæ, area, gemini interdū & terni soles, uirgæ: quorum omnium in genere causa esse potest, reflexio radiorum solis, ac interdum Lunę, itemque aliorum syderum insigniorum, rarius tamen, idque ratione caliginosi aeris immixti uapori uel exhalationi, unde cor pora illa efficiantur, non secus ac specula calorem tantū sideris circa quod sunt referentia. Si dissipentur radii, nec multum densa sit nubes, sed debilis, generatur in ea corona quæ dicitur halon. Fitque halon seu circulus circa solem, lunam, aut aliquam stellam, ex uapore humido nondū conuerso in nubem, sed illuminato per radios alicuius astri, potissimum in autumno & uere, raro aut nunquam in hyeme aut æstate. Et frequentius circa lunam, & noctu scilicet uespere ut plerumque & sub auroram, quam media nocte, & potius quam circa solem, & astra alia, quæ dissipant uapores. Generatur & iris in nube aquosa diuersæ rorationis, è regione opposita soli uel lunæ, in quam refrāguntur radii eorum, scilicet solis & lunæ, tuncque apparent diuersi coloris, cuius distinctio habetur ex optica. Quanto enim longius procedit radius luminosus, tanto debilior fit, minusq; habet lumino sę claritatis, proinde magis ad nigredinem & obscuritatem uergit. Itaque radius primus fortior, punicei coloris: debilior factus in uiridem uertitur colorem, qui magis tendit in obscuritatem quam puniceus: ac rursum factus debilior, conuertitur in purpureum, qui amplius, quam uiridis ad ob

scuri-

ſcuritatem accedit. Quod de iri de ſolis intelligi par eſt: nam iris lunæ non eſt multicolor, ſed alba tota, quoniam lumen uiſum tempore tenebrarum apparet candidum & intenſæ albedinis, acceditque frigiditas noctis quæ denſat nubem, & debilitas radiorum lunæ qui ſicuti ſolis non penetrant nubem, ſed extenduntur in ſuperficiem: apparetque ideo ut ſemicirculus lacteus, intermediis lineis ſubnigricantibus, ut tradit Albertus Magnus libro tertio. tract. quarto. capitulo. 22. Eaq; fit iris dum luna iuxta pleniluninm eſt, & uocatur iris arcus ille cæleſtis in nubibus cæli, fœderis ſignum, quo uiſo Deus ſuæ clementiæ recordari pollicitus, Geneſ. capitulo. nono. Dicitur & iunonis arcus, & Thaumantis, id eſt, admirationis filia: Heſiodo, dæmonis, id eſt diuinæ intelligentiæ arcus. Quod ſi nubes ſit denſa, bene regularis, æqua & uniformis, nec oppoſita ſoli ut eſt in iride, ſed ad latus eius propinqua, quæ ue proxime uerti debeat in pluuiam, ſol aliam figuram ſui ibi exprimit per refractionem radiorum, fiuntquę duo ut uidetur ſoles, uel tres, non ſecus quam repræſentatur figura in ſpeculo, uel aere bene terſo & polito non tranſlucido: dicunturque iſtæ figuræ, parhelii. Fiunt & uirgę quando nubes oppoſitę ſoli, non æquę denſę ſunt ubique, & radii intro feruntur, & ita per perſpicuum nubis, ut per foramen panni nigri per aerem uirgarum more radii illi, quia alii non uidentur. extenduuntur; item uarii coloris conſpicui pro modo denſitatis nubis quæ admittit radios non ſecus ac radii qui per uitrum coloratum tranſeunt, uitrii colores referre uidentur. Quas omnes impreſſiones dum accidit trahit in portentum ac miraculum Plinius libro ſecundo. capitulo 28. 29. 30. 31. 32. Naturalibus tamen adſcribit rationibus Ariſtoteles in tertio meteor. in capitulo. ſecundo & tertio de halone in capitu, quarto & quinto de iride in capitulo nono, de uirgis & parheliis, de omnibus tractat & Titelmannus libro ſeſto rerum natura. capitulo. 12. & 13. & 14. Chriſoſt. Iauellus libro 7. meteor. Sebaſt. Foxius Morzilius lib. 3. de naturæ philoſophia c. 3. Gaſpar Contarenus li. 2. de elementis, Albertus Magnus li. 3. tract 4. c. 3. 4. & ſeq. Algazel in ſua phyſica. Late & doctiſſime de iride Vitellio li. 10. περὶ ὑπτικῆς theorema. 65. Alexāder Piccolomneus li. de iride, Alex Aphrodiſeus in 3. li. meteor. A[illegible]ſt. Si halo ſeu corona condenſatur in nigredinem, indicat pluuias futuras,

ſi ex

si ex una parte tantum rumpatur, uentum ex illa: Quod si circulus paulatim in albedinem euanescit, serenitatem. Iris lunæ, significat longam tempestatem & auram instabilem, quia raro apparet nisi cum magna materia humoris, qui est ex uento existente inter australem & occidentalẽ plagam,& cum luna fuerit ualde meridionalis. Iris solis signat non futurum diluuium: nam nubes rorida, quæ recipit radios solares, non esser peruia, si esset ualde humida. Et Genes. cap. 19. Si tempore sereno, iris seu arcus solis appareat, signum mutationis constitutionis aeris in pluuias: at si tempore pluuiæ appareat, serenum pollicetur. Plin. ut monui, lib. 2. cap. 30. circulos solis repentinos, inter prodigia annumerat malorũ prænuntia & pariter solis multiplicationem. Sicut & Iuli. Ob sequens lib. de prodigiis, quibus quoque etiam sæpe & fulgura, & cometas, & terræ motus annumerat.

De qua, & maris salsedinis causa. *Cap.* 36.

ARistot. li. 4. physic. c. 5. scribit aeris materiam aquam esse aerem formam, & aquam potentia aerem. Aqua frigida & humida dicitur Galen. li. de ptisana, tomo 2. proinde refrigerat potio eius, contraria est diametro igni, ut idem ait lib. 1. de simpli. medica. facul. cap. 15. ita, quæ, aqua cõstant, magna ex parte frigida sunt extraneum contineant calorem, ueluti lixiuium, lotium, uinum, Arist. li. 4. meteoron c. 11. ideo que aquæ melius & salubriores putantur animalib. & plantis quæ frigidiores, ut naturę suæ compotes a Teophr. li. 2. de causis plant. c. 8. habet namque aqua præcipuam qualitatẽ frigiditatem, minus præcipuam humiditatẽ; ut aer, precipuã humiditatẽ, minus præcipuam caliditatem: & terra præcipuam siccitatem, minus præcipuam frigiditatem: ut ignis præcipue excellit in calore, minus in siccitate. Fuerunt, qui rati sunt rerum principium aquam esse, ut Themistocles, quem refellit Aristot. libro. 1. metaphy. capit. 3. & si principium naturę sit ex humidis. Quare & pari argumento lapsi illi insulsius, qui animam aquam putarunt, quod semen sit humidum, cũ tamen nec semẽ sit anima, nec illa in eo sit. Arist. 1. de anima, cap. 2. Quidam, omnium aquarum elementum mare dicunt, quod Arist. aquam dulcem rarus matura lib. 2. de plantis. Nã

quod

quod mare salsum sit, id per accidens est ex radiis & calore solis: Et salsum quidem est ex mixtione partis terrestris, adustæ, quę potius aquā inficit, quam cū ea misceri uideatur, ut tradit Gaspar Contarenus lib. 2. de element. ita Plin. lib. 2. c. 103. liquorē aquæ siccari ardore solis, quem uocat sidus masculinū, ait: quamobrē & inferior maris unda minus salsa summa, quæ solis ardor exercet assidue & concoquit, leuissimam partē detrahendo, quod docet Arist. problema. sectio 24. quæst. 30. late Albertus magnus lib. 2. meteor. c. 15. Hippocra. libro de capitis uulneribus. Natura etiā aquæ elementaris, insipida omnino est, & terra leuior, aere ponderosior, itaque facile omnium saporum capax, ut ait Arist. de sens. & sensib. Plin. quoq; lib. 15. cap. 27. ait nullum in aquis sentiri succum, nullumve saporem, quòd si sentiatur omnino uitium esse. Atque tria præcipue elementa, ignem, aerem, aquam per se sine odore, succo, & sapore esse. Concipiunt autem aquæ saporem & colorem dum transeunt per meatus, per quos, ut per canuales erumpunt & præterlabuntur. Sic ut notat Palladius de re rustica in Augusto: Creta tenues nec optimi saporis aquas dabit: sabulum, solutus locus, exiles, insuaues, limosas, spacio altiore submersas: nigra terra humores, & stillicidia n: magna, ex hibernis niuibus. Et item lib. 1. de re rusti. tract. 4. Salubrē locū demonstrat, si non a lucunis, a paludibus, uel metallis originem sumat, si odoris perspicui, si sapore & odore non uitiata. Si nullus insideat limus, si frigus tēpore suo mulceat, & æstatis incendia tēpore suo moderetur. Ex istis enim referūt secum uel salubritatē uel insalubritatē, nō ex propria natura. Iuuant & hæc cęli aspectus in quos defluunt: Nempe, ut teste Constantino Cęsare lib. 2. de agricult. ut aquæ quæ ad orientē fluant, & quæ ex præruptis uel altis montibus agitatæ decidunt, quæ ve per arenosa loca præterlabuntur, nitidiores sint, meliores & salubriores. Sunt & alia uaria aquarum salubrium argumenta, apud Vitruuium libro octa. de architect. capit. 5. & apud Vitalem Cardinalem lib. de diuersis remediis ad diuersos morbos, capitu. 2. oportet autem maxime loca per quorum specus & caua pertransit aqua perspicere, ex quibus contrahat noxia uel innoxia & alias qualitates. Constans enim est opinio apud Diuum Basilium libro hexameron, homilia quarta. Et ex Genesi capitulo primo, & Ecclesiastic. capitulo primo, ex mari omnia flumina deriuari &

eò recurrere. Explorare etiam docet aquæ salubritatem Arnaldus de uilla noua, in libellulo de regimine sanitatis castra sequentium, ut pannus lineus mundus demergatur in aquã, & sine expressione aquæ suspendatur siccandus. Nam si siccus & complicatus, maculas referat, proculdubio intoxicata, & pestifera erit aqua: si sine maculis, minime.

Signa quibus dignosci potest num aqua subsit terræ alicubi. Cap. 37.

DEteguntur aquæ pluribus modis, quos colligere licet ex Vitr. li. 8. archit. c. 1. Pallad. li. 9. c. 8. Pli. li. 31. c. 3. Constantino lib. 2. de re ru. c. 4. & 5. Singulari tamen modo explorare quis potest, num latices subsint aquarum, procumbendo in dentes, & in regionem illam terræ aciem oculorum dirigendo, tuncque annotando partem qua uiderit humores se conctispantes in aera surgere, ibi enim si fodiatur, inueniet. In creta tenuis inest, sed non alta aquæ copia: in sabulo tenuis: in inferioribus locis inuenta limosa: in terra nigra stillæ, & sudores exiles inueniuntur, ex hibernis tempestatibus collectæ, quæ optimi saporis: ut quæ in sabulo, arena, calculo. Secundo plantæ quædam connatæ subindicant aquam subesse eo loci ut salix erratica, alnus, uitex, arundo, hedera, plantago, iũcus, aliæq: herbæ palustres, & quæ aquosa amant, & palustria loca quas recenset Ruel. li. 1. de nat. stirp. c. 13. Modus quoque alius aquas indagandi, ut circa occasum solis fodiatur terra, quam explorare desideras, ibiq; circiter occasum ponatur scaphium inuersum, aut plumbeum, aut æreum, aut peluis intrinsecus inunctus oleo, inuersus, & obruatur fossura, uel frondib. operiatur. si. n. postridie in uase infosso stillæ reperiantur, iudiciũ est subesse aquas; sin minus, contra.

De miraculis aquarum. Cap. 38.

VIres, & naturam & miracula aquarum proprium exigerent tractatum, sed quia alij laté hanc pertractarunt segetem, remittam lectorem ad eosdem, nempe ad Plin. libro 31. cap. 1. 2. & 3. & libro secundo, cap. 106. Vitru. libro 8. cap. 1. & seq. Ouid. lib. 15. Metamor. Senecam lib. 3. nat. quæst. Iouia. Pont. lib. Meteoron, c. 38. & seq. Iulium Solinum Polyhistorem

florem c.10.& 11.& 32.Leonem Baptistam Albertum Floren tinum li.10.de re ędificat.c.2.

De differentijs aquarum,& marium distinctione, & reciprocatione,& motu. Cap. 39.

QValitates uariæ aquis tribuuntur,sic calidæ, frigidę,dulces,acidæ,amaræ,purissimæ,limosæ,uiscosæ, unctuosæ, piceæ,salsæ,uenenosæ,sulphureæ,aluminosæ,&c.ut apud Leo Bap. de re ædifi.lib.10.c.2 Meminit,& Stra.li.17. geogr. dehinc ratione situs, aliæ supra firmamentum, alię subtus sunt, & in terra,& intra terram.Quæ supra firmamentū seu sidereum cęlum,faciunt crystallinum cęlum, Gen.i.quanquam , & quidam falso arbitrētur ibi eas esse aquas,quæ ex aere per imbres,& pluuias ad nos decidūt.Quod tamē repugnat ei quod scriptum est,ps.101.Qui extendis cęlum sicut pellem,qui regis aquis superiora eius,& quod ps.148.aquæ quæ super cęlos sunt,laudent nomen Domini. Et ita secutus ueram hanc sententiam D.Aug super Gen.intelligit aquas super firmamentū esse alias, aquam quæ nubibus continentur,infra firmamētum. Et D.Damasc.li.2.orthod.fid.c.6.unde & ab hebręis cęli dicuntunr שמים, quod inibi sint aquæ. Supra terram aquæ sunt, flumina & maria.Nam cum in Genesi mundi, aquæ essent super uniuersam faciem terræ,iussit Deus illas congregari in unum locum,& mare congregationem uocauit aquarū. Gen.i.& terram aridam,quę tamen per riuulos, & ueluti uenas,fluminibus,& fontibus irrigatur.Dixerunt tamen aliqui, mare esse æternum terræ sudorem,Pli.li.2.c.103.nempe quādo ex sole incaluit terra,ideo mare salsum, quia sudor salsus Arist.li.2.Meteo.c.i.& seq.ubi & disputat quare mare a fluminib.maius non reddatur,& c.3. de salsedinis opinionib. Maris Oceani motus duplex,unus perpetuus ab oriente in occidentem:quo fit, ut citius naues eo itinere in occidentē perferantur. Alter,est æstus quotidianus.Fluit.n.& refluit quotidie in aliquibus locis ut in Belgica,quę nunc Flandria:in Anglia seu Britannia,& alibi.& septies in die & nocte,in Eubęa , teste Pli.li.2.c.100.quod & accidere dicit Arist.de mūdo in Helice & Bura.Mare illud liberum,& terram ambiens oceanum dicunt uel a cito,& commoto cursu,uel a cianeo colore. Ex hoc profluit ex occasu magnum aliud mediterraneū , uergēs

in per mediũ terræ, quo labitur uſque in orientem, Aſiam,& Europam diſterminans, cuique uicina Hiſpania, prouincia Narbonenſis, indeq; plures ſinus ſeu maiores receſſus faciẽs, alluens etiam Venetos. Atque in hoc mediterraneo quoq; duplices motus; ſiquidem & ęſtus concitantur ſingulis ſex horis, ſed debilius quam in Oceano. Eſt & alius motus eius, quo fertur uel in ſeptentrionem, uel occidentem: quorum motuum duæ cauſæ apud Alber. Magnum 2. meteorol. tract. 3. c. 6. ęſtus inquam, lunę uis: alterius autem motus, locorũ decliuitas uel altitudo. Seneca quoque æſtum maximum ſub ipſius lunæ ſolisque coitum dixit, ſubnectit alias plures rationes, cùm aſtrologicas, cum phyſicas & ab experientia Gaſpar Cõtarenus li. 3. de elemen. & P. de Medino ex uſu explicat luculenter li. 7. artis nauigatoriæ, c. 5. & Plutar. li. 3. de plac. philoſ. c. 17. Appellatur itaque mare diuerſis nominibus, pro diuerſitate locorũ per quæ perfluit, ut Ægeum, Helleſpõtum, Albydum, Boſphorum, Caſpium, Byzantium, &c. de quibus conſulendus Strabo Mela, Ptolom. Dionyſius de ſitu orbis, Damaſce. lib. 2. Baſilius in ſuo hexamer. Thomas 1. parte quæſt. 69 Alb. Mag. li. 2. Meteor. tracta. 3. cap. 2. Intra terrã, ut in corpore hominis uenæ, ſic & aquæ etiam riuuli; nam & ex illa ſcatent non ſecus ac per poros infiniti fontes: & ſi eam infoderis uelut ad uulnus ſanguis, & ad mammas lac, aqua concurrit, Atque Stabo lib. 17. geogra. aquam ſphęricam, ut terram, putat, & ſub terra occultari, niſi quatenus utilis hominibus eſt, & multum aquæ in tertam conuerti, & uiciſſim multum terræ in aquam.

De fontium origine, & eruptionibus aquarum ex terra, tribuſque regionibus terræ. *Cap. 9.*

QVamuis ſint aquæ immixtæ terris, tamen non apud omnes conſtat omnino, quomodo generentur; atque idcirco duæ traduntur ea de re opiniones, quas refert Chriſoſtomus Iauellus li. 4. epitomes meteorolo. tract. 4. c. 1. Arbitratur Ariſtoteles. libro. primo Meteoron capitulo fin. & Iouia Ponta. in Meteor. cap. 37. aquas gigni in terræ media regione ex aere condenſato. Ponunt enim in terra tres regiones; primam hanc qua ambulamus, ſuperficiem, & in qua aqua fluit: ultimam centrum terræ, punctum mundi, circa quam nihil generatur, quoniam plantarum uirtus, & uis ſolis eo nõ pertin-

pertingit; mediam inter has, eam qua generantur mineralia ubi sunt plures concauitates, antra & uenæ in proportione, si cut in corpore animali: & cum natura abhorreat uacuum, ut ait Arist. 4. physic. tradunt huiusmodi caua loca repleri aere ingrediente per meatus & poros occultos, ubi ex frigiditate terræ, condensatur & conuertitur in aquam, deinde aliũ aerem subinde ingredi & condensari: ueluti in marmore, aer circunfusus, dum frigora sentit paulatim sese cogit. mox defluit humor, ille quidem sicco ducente ex marmore guttas, ut ait Pontanus. Alii ex imbribus decidentibus colligi aquas intra terram, & postea remitti putant, ut Seneca; Nos ex priori & alteri causa accidere posse arbitramur; item & ex cuniculis ut tractu maris, unde aquas per uniuersum quoque dispẽsari orbem putamus per canales subterraneos. Quo fit etiã, ut pro ratione terrarum per quarum uterum labuntur, & concipiãt diuersos sapores, odores, & qualitates, sintq; calidi fontes, ob tractus per sulphurata, alii noxii, ob mineralia transmissa: frigidæ & aliæ aquę niuium, quæ strumas ideo generant, quod uaporosæ & phlegmaticæ & in gutture cõdensantur. Graues aliæ & nõ liquidę, quæ ex mixtione unctuosi & terrestris partis, & impuro componuntur, ut ex bitumine in lacu Asphalto in Palæstina, de quo mira Gal. li. 4. de facult. simpli. medica. c. 19. & 1. c. 2. & 3. Brocardus Monachus li. dę scriptio. terræ sanctæ, Ioseph. 1. & 9. de antiquit. & 5. de bello Iuda. Amatus lib. 1. in Dioscorid. enarrat. 89.

De alio quam ex terra, aquarum ortu, & de distillatione.
Cap. 12.

ORtus aquarum superiores, naturales sunt: at ars aliis modis ex rebus aquas exprimere nouit, nẽpe per calorem, & distillationem, per humidi superiniectionem, per coniunctionem, per expressionem ex qua oleum proprie & succus. Calore educitur aqua, uel per ignem, uel per solem, uel per putredinem, ignis arte paratur, uel flamma, uel carbonibus incẽsis, uel scoria læuigata metalli, ferri, æris, uel arena, uel mediantibus aquis feruentibus, uel uapore earum. Solis radiis flores potissimum expositi, tepescunt, humorẽque resudant. Distillatio, est humoris tenuioris e succo extractio, ui caloris. hæc fit per humoris ascẽsum, ubi uapores sursũ elati

in capitello,seu opertorio uasis distillatorij cõdensati,in guttas decidunt in marginem eiusdem capitelli, ex qua per tubulum foras mittuntur; hoc ordine ut primum ui caloris humidum tenuetur in uaporem, uapor postmodum frigido condensetur,& tandem condensatio in lacrymas fundatur. Putrefactio, digestio est & primus gradus caloris apud Philippum Vlstadium,li.i.de secr.nat.c.3.altior in distillatione, cuius vi à re ipsa composita quatuor elementa possunt separari; nam in distillatione,primum lenius,tenuius, & calidius ascendit, nempe ignis;secundo loco postea aer:tertio aqua: terra autẽ in fundo uasis distillatorij in fæcibus residet; ut in distillatione aceti poteris conijcere. Ascendunt & ex crassis & terrestribus distillatis, & ex liquidis, quæ partes alias,quam aquosas maxime habeant;alia etiam,quæ condensari possint destillata,ut accidit lacrymis,succis,gummis,resinis,melli. In quibus quod est aquosum, primo loco ascẽdit; quod aerem,secũdo. quod igneum, tertio;terræ autem partes fundo subsidẽt, & si maior sit ignis,aduruntur. Alter autem in metallicis, nam eę partes in naporem resolutę,alembico adhęrent, calore in album mutato,ut apparet in argento uiuo,arsenico,salintro,& similibus. Reliqua omittam,quę quis poterit colligere pertinentia ad destillationes,& sublimationes, & expressiones, & concoctiones ex thesauro Euonymi,ex Philippo Vlstadio de secret.nat.Io.de Rupe Scissa in li. quintę essen. Gebero Arabe in li.qui summa perfectionis.c. 1.4.39.41.50.Hier.Card. li.10.de rer.uariet.c.50.&c.

De frigido. *Cap.* 42.

QVia propriam aquæ qualitatem diximus frigidam,pauca de frigido dicamus. Sciendum itaque, frigidum, & calidum, uel esse potentia, uel actu tale;item per se, & per accidens. Item etiam humidum, & siccum;utque calidum actu dicitur, id quod uritur, ueluti carbo ignitus:potentia autem, illud quod inflammari potest. Sic frigidum actu, carbo igne priuatus, frigidus & cinis,potentia calidus. Sic gelu humore concreto dicitur siccum actu,& per accidẽs, cum tamen potentia, & per se, sit humidum, idem de omni humore concreto. Contra, terra & cinis, & huiusmodi mixta humori, humida actu, & per accidens redduntur, quanquam

quam per se & potentia sicca sint. Aristo. lib.2.de part.anim. c.2.& 3.ibi etiam, frigus dicitur habere uim cogendi, indurandi,& exsiccandi,cum enim calor educitur, una etiam humor euaporatur.Arist.5.de generat.animal.c.3.Quid aűt frigiditas sit,aptius explicat Vitalis de Furno Cardinalis lib. remedio.ad diuer.corpo.morb.c.195. ut sit qualitas constrictiua,& ingrossatiua;quia dum per actionẽ frigiditatis,partes uicinis partibus cohęrent, magis uniuntur, fortioresq; ad agẽdum efficiuntur; quia uirtus unita, maior seipsa dispersa. Est autem & frigiditatis,colligere & condensare homogenea, & heterogenea;cum tamen calor colligat tantum homogenea. Frigidi facultates Hippocr.tradit lib.6.de morb.uulgar.& in eum Gale.comment.3.ut frigidum uenas frangat.si ualde frigidum tussim faciat,ut crystallum & gelu & nix;contorquet. ut phærra,& gongrones,id est,tumores, facit scilicet phærras longos,& gongrones rotundos,estque causa duritiei,de quibus & alijs Gale.de liquidorum usu, & in aphor. Hippoc. Est etiam in hominibus causa appetitus,proinde & frigidioris naturę homines laborant fame canina.Galen.in 2.lib.aphor. hippo.apho.25.causa item sterilitatis,idem in 5.aphoris.Hippo.apho.62.63.

DE TERRA

Quod ea sit sicca. *Cap.* 43.

TErra quod teratur quotidie pedibus & cultura, dicta uidetur,ut territorium. Frigida & sicca est,Hippocra.lib. de carnib.sed præcipue sicca.Sic Arist.lib.4. Meteor.cap.Elementorum,inquit, maximę terra dicitur siccitatis esse, aqua humoris,ideo circumscripta corpora genita & corruptibilia, absque aqua & terra non sunt: nam & terra sine aqua puluis est,Vital.Cardin.lib.remedio.diuers.c.2. Dicitur & Genesi c. 1.arida.Est & terræ genus,quod præbet carbonum uicem,ardetque,idq. non per se nec alia ratione, quam quòd bituminosa sit,sicut Zelãdiæ,lacus & paludes,quas incolæ patria lingua uocant, moer ,ex quibus fodiuntur glebæ bituminosæ, quę accensę ut naphta ardent. Tales apud Brabãtes eruuntur etiam quas uocant Tharf, maritimi autem Darri. Leuinius Lemnius libr.1.de occul.natur.mirac.c.17. Ideo Aristot.lib.

2.de generat.& corrupt.cap.2.scribit squamma, cortice penna tegi, esse signa naturæ siccæ atque terrenæ: & frigida sicciora q; parere ouum sed imperfectum & crusta duriuscula opertum, propter naturam terrenam sui generis.

Terræ distinctio. *Cap.* 44.

GAlenus lib.9.de simplic. medic. facult. terrā dupliciter accipi scribit, primum & cōmuniter, prout est humectata, quæ iniecta aqua statim soluitur, & fit lutum: alio modo, prout accipitur a Philosophis, pro quarto elemento: corpus namq; extreme siccum & frigidum philosophi terram nuncupant:& secundum hos nullum corporum compositum terra censetur elementaris: aiunt tamen quædam plurimum habere terræ, ut puta adamantem, & saxa:& quanto corpore fuerint duriore, tanto magis dicunt terrea, contra quam faciant agricolæ. Quamobrem habita ratione physicorum extra elementarem, terræ tria genera, unum lapidum, secundum metallorum, tertium terræ quæ colitur. Et in summa, ex rebus quæ crassiora sunt, terrea erunt in omnibus, ut nuclei oliuarum, acini uuarum, putamina nucum, & similia fructuum: in animalibus, ossa, cornua, dentes: in plantis duriores partes, in alijs testacea omnia. Veruntamen non omnino hæc terrea sunt, ut ex terra elementari impermixta; nam & mixta concretave sunt cum calore & humore, participantq. ex aerea substantia, secundum plus & minus: sed quia terræ portio in illis exuberat, ut ait Galen. 1. de element. Plato in Phædo. neque simplex uel elementaris terra, in orbe uniuerso demonstrari posset. Retinet tamen hæc terra quam colimus, per se nomē & qualitatem elementi terræ per se: ut non immerito Hippocra.lib.de humorib.eam uentri comparauerit animalium. Nam ut uenter plenus alit & calefacit, cum autem uacuus est, frigefacit: sic terra fimo satiata, satis caloris subministrat plantis.cum uero sine eo est, illa & frigida & sicca est. Attamē quę naturæ siccioris sunt, diuturniora & firmiora sunt, quia putredo quædam mors est. Aristot.problem.sect. 14.q.9. Columella lib.2.de re rustica.c.2.diuidit terræ solum in campestre, collinum, montanum, campum, non exquisita exigit nec perlibrata planitie, sed exigue prona, collem clementem & molliter assurgentem. A magnitudine autem quis diuidere potest

in

in mõtes,ualles,colles,rupes,uertices,iuga, cacumina,fauces, conualles,cãpos, agros; Deinde in terras, incisas, continuas, insulas,peninsulas,isthmum,chersonesum &c. item in publicas,priuatas, academiam, prætoriam,&c. in imperia, regna, prouincias, regiones,territoria,urbes,oppida, uillas, arua,pascua,syluas,sata,saltus,uirgulta,spineta &c.diuiditur & per climata, parallelos cæli,zonas,situsque,quæ, explicantur a geographis proprijs & pertritis libris.

De magnitudine orbis terræ. Cap. 45.

TErra ut punctum & centrum totius mundi est, immobile. Aristot.2.de cęlo,cap.14.& in princip.de mundo. nullius enim ferme magnitudinis est ad orbem uniuersum comparata. Arist.lib.1.Meteor.cap.fin. quale germen in ouo,punctum in circulo,ut punctum sphærica,quę latius probata legi possunt apud Ptolom.lib.1.mathemat.construct.usq; ad c.7. Cleomedem lib. 1. circularis contempla. Alphagranum lib. de rudimentis astronomicis differentia 4.& 5. Orontiũ,Ioã. de Sacro Bosco,& alios de sphæra authores, Schonnerum in opusculo geographiæ cap. 1. & 2. Dionysium Alexan. de situ orbis, & ibi Eustachium Thessalonicensem. Plinium lib. 2. cap.66.& 71.Cicer.1.Tusculа.& 2.de natur. Deo. & in Som. Scipio. & ibi Macrob. Docent autem rotundam argumentis ductis ab ortu & occasu stellarum,ab obseruatione eclipsium & umbrarum quæ non æquè omnibus contingunt:a nauigãtium aspectu, qui in medium eleuari conspiciuntur, & non æque perferri. Neque a sententia sphericæ formæ nos remoratur,quod in terra montes quidam sint excelsiores planitie, qui conicam uel præruptam & sinuatam faciem & superficiẽ terræ suadere uidentur: nam inde globo, nullum incrementum,non secus quàm in globo materiali, pilum uel aranearũ inuolucrum, uel arenæ superiacentes impedire non possunt rotunditatem eius,ut docet Theon Alexandri. in scholijs ad lib.Ptolomęi de mathema.constructione. Totius terræ ambitum facta ad circulos sphęræ cęlestis 360.graduum est. Cuilibet autem gradui attribuuntur in terra milliaria sexaginta Italica, aut quindecim Alemanica communia, aut duodecim Sueuica. Quamobrem peripheria tertiæ erit, inito ad 360.gradus calculo.

Millia-

Milliariorum Italicorum 216000.

Germanorum 5400. Sueuorum 4320.

Diameter autem terræ habebit milliariorum Italicorum 6872. & 8. undecimas. Alemanorum 1718. & 2. undecimas. Sueuorum 1396. & 6. undecimas.

Secundum calculum P. Appiani in 1. part. Cosmograph. cap. 13. Plinius tamen lib. 2. histor. cap. 109. ex sententia antiquorum, & ex epistola Dionysodori nomine, ad superos scripta, qua peruenisse a sepulchro ad infimam terram narrabatur, ex eoque esse stadiorum 42000. dixit terræ circuitum habita ratione eius diametri, 255000. stadiorum, quæ si per singula 8. stadia resoluantur in milliaria reddunt peripheriam 31875. milliaria Italica. Ego tamen hoc fabulam totum arbitror.

De terræ immobilitate. Cap. 46.

TErram immobilem esse, recepta est ut sanior opinor, cælum autem circum illam moueri. Quanquã fuerint qui in ea fuerunt hæresi, qui eam uerti & cælum immobile remanere rati fuerunt, ut apud Plutar. de utroque libr. 3. de plac. philoso. cap. 13. Cicero 4. academic. quæstio. Cleomed. 1. circula. inspectio. Putauit moueri in axibus mundi circa solem Nicetas Syracusius apud Cic. in 4. acade. & in Lucullo, sicut apud Plutar. ubi sup. Philolaus Pythagoreus, Hæraclides Ponticus, Ecphantes Pythagoreus. Author eius sententiæ Cleanthes Samius teste Plutar. lib. de forma quæ uisitur in orbe lunæ. Suspicantur huius sententiæ & Platonem in Timęo fuisse. Meminit & Themistius in commentar. ad 2. libr. Arist. de cælo. Videndus hac de re Sextus Victorius lib. 22. uariar. lection. cap. 3.

De terræ utilitate. Cap. 47.

TErra, ueluti quoddã animal perfectũ uidetur: nã ad similitudinẽ corporis animati, habet pro ossibus lapides, pro uenis & arteriis, cauernas, & meatus, intra riuulos sanguinis, uinũ quod producit, fontes & flumina: pro corde & pulmone illa nobilissima nutriens metalla auri & argẽti, & alias uniones: extra pro pilis, exerẽs herbas & plãtas: pro excremẽtis

quæ dam

quædam inutilia habens. Terra, propter eximia quæ inde producit Deus, beneficia, cognomentum accepit materiæ uenerationis, ut cælum dictum sedes Dei. Hæc nos nascentes excipit, natos alit, senesque sustinet, nouissimeque complexa gremio, iam a reliqua natura abdicatos, tum maxime ut maternos operit, ut ait Plin. lib. 2. cap. 63. ubi & plures eius laudes cōgerit, quod mitis, quod medicas herbas ferat &c. Matrem etiam omnium uocat Cicer. pro Aulo Cluent. & ita Orpheo in hymno terræ, dicta μεγάλη μήτηρ θεῶν ἠδὲ τε θνητῶν ἀνθρώπων; sic alii appellarunt etiam, ut Seruius lib. 10. Æneid. Varo de ling. latin. qui & Opem ab ope nominat, Lucretius, Pindarus, atque Aristotel. 1. de generat. capitulo 2. hanc matrem omnium, ut solem, patrem, dicit, ueluti Assyriorum & Babyloniorum philosophi, Pythagorici, & Academici dixerunt terræ & celi esse συγγαμίαν: quod cælum agat, & terra patiatur. Quod coniugium ligatur & fouetur per solis, & lunę, & stellarum omnium radios, accedente motu, & luminum permixtione: ideo terram quoque mundi aluū nominant Ptolomæus initio quadrip. oper. & Mizal. libr. 1. Cometogra. capit. fin. Et Anacharsis Scytha epistola ult. ad Crœsum scribens ait terram fuisse κτῆμα θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων τὸ κάλαι possessionem communē dijs & hominibus antiquitus & Sibylla lib. 3. Sibyllinorum oraculorum: πᾶσι γὰρ οὐράνιος κοινὴν ἐτελέσατο γαῖαν. Id est, omnibus cælestis communem fabricauit terram.

De aliarum rerum elementis. *Cap.* 48.

ET hæc hactenus de elementis mundi, & corporearum rerum, & principiis dictum sit: breuiter nunc, ut ars nostra quæ generalis ex omnium habeat & hic argumentādi & ratiocinandi spatiosam & latiorem sedem, repetere memoria oportet, elementa cuiusque rei, principium esse in eo, in quo constituitur primum & rei compositio uel ortus. Et ut uerbis Arist. utar, metaphy. lib. 5. cap. 3. elementum dicitur, ex quo componitur primo in existenti indiuisibili specie, in aliam speciem ut uocis elementa, ex quibus componitur uox, & in quæ ultima diuiditur: illa uero non amplius in alias uoces ab ipsa specie diuersas. Sed & si diuidantur, particulæ tamē eiusdem speciei sunt: ut aquæ particula, aqua: sed non syllaba. &c.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXXVI.

In quo agitur de elementatis, & ſimpliciter eſſentiam habentibus.

De mixtione elementorum, & de differentia mixtionis generationis, & alterationis, & aliorum. *Cap.* 1.

EX quatuor elementorum ſimplicium mixtione, res omnes corporales componuntur. corpuſq; accipiunt & eſſentiã, ut ait Theophraſt. lib.2. de cauſ. plantar. cap. 19. nec tamen dico exiſtẽtiam, quam Albategnius, de ſcientia ſtellarum cap. 50. exiſtimat ad ſolis, lunæ, & ſtellarum reuolutionem pertinere, ut alterationem, non ad elementa, quæ eſſendi, non exiſtendi cauſam, dent. In eſſentia fit materia, ex qua poſtea tot admirabiles rerum ſpecies in orbe perficiuntur, adiectis multiplicibus formis & figuris. Eſt itaque mixtio naturalis, quædã concretio ex quatuor elemẽtorum qualitatibus cõmode paratis, conflata: ſiue, ut ait Ariſt. miſcibilium alteratorũ copulatio, teſte Sebaſtiano Foxio. lib. 2. de natur. philoſo. c. 8. Ariſt. lib. 1. de generat. cap. fin. ubi differt a generatione mixtio: quia materia cum ſua forma non miſcetur, ut ignis ardet in ligno, illud conſumit, & ligno nõ miſcetur, ſed ignis generatur, illud autem lignum conſumitur. Differt quoque mixtio ab alteratione, quia paſſio ſubiecto non miſcetur in alteratione, ut albedo corpori, figura

ceræ, tumor figuræ, disciplina animæ. Simul & ab augmentatione, in qua corrumpi prius oportet cibum, simileq; aucto generari. Et uniuersaliter, pasiones & habitus rebus misceri impossibile est: nec magna paruis iuxta posita, miscibilia sunt. Nominatim autem illud in mixtione adiectum est, ex qualitatibus elementorum eam fieri, eo quod elementa non trāsmutentur uel commisceantur, quia simplicissima, sed contribuunt suas qualitates & facultates, si credamus Galeno libro primo de element. & lib. 7. method. meden. & 1. de temperan. Hippocrati de natura humana, & in fragmento de natural lib. facultatibus, Vitruuio li. 1. de architect. cap. 4. Et si contrariæ hac in parte & diuersæ sint opiniones. Nam uetustissimi dixerunt, mixtionem fieri alteratione elementorum. Democritus, anaxagorasq; appositione: Plato autem, inter se ait elementa esse uertibilia, dempta terra, teste Plutarch. 1. de plac. philos. cap. 30. Docet autem Arist. lib. 2. de generat. & corrupt. c. 7. & 8. modum quo misceantur elementa, scilicet, primo ut opus sit sibi mutuo ea appropinquare, aerem, terram aquam, ignem, aliter non agere adinuicem. Secundo, quod sint adæquata, non ratione molis, sed uirtutis, id est, ut omnino unum altero potentius non sit. uel omnino non dominetur: siquidem potentius quod esset tunc in qualitate, reliqua cōsumeret. ut multus ignis, aquæ cyatum consumit: plurimum aquæ, ignem extinguit, & sic de similibus. Idcirco adęquata, & admota inuicem alterantur certo modo, & miscētur, & qualitates actiuæ & passiuæ remittuntur, quibus remissis conflatur mixtum. Neque enim qualitate se corrumpunt inuicem & remittuntur. Sic gradus & modi adæquationis & remissionis, constituunt gradus temperaturæ uel temperamenti corporum, secundum quod plus uel minus, ex quatuor qualitatibus aliqua uel preualet uel remittitur, quarum illa quæ pollet in temperamento quatuor qualitatibus composito, dat nomen eidem, ut notat Galenus libro primo de temperam. & Hippocrat. de natura humana, ut in temperamento melancholici, dominatur siccitas: in cholerico, maior caliditas, & sic de similibus. Et generaliter excellunt quadrupedia, calore: humiditate, stirpes: frigiditate, pisces: siccitate, lapides. Omitto errores reccensere philosophorum, qui alia rerum principia quam quatuor elementorum posuerunt: de quibus iam dictum in libro de mundo a nobis; sequor hic

phy-

physicos,qui ita nobis per manus ab initio reliquerunt & probarunt. In mixtione autem hac, partes ignis cogere & congregare dicuntur homogena, seq; habet is ut agens & forma,cætera ut materia & patiens:aer postea sui humiditate tẽperat ignem, interdum imminuit. Nam quorundam generatio, digestio & concretio fit per modum cuiusdam assationis a calore sicco: interdum per modum elixationis cuiusdã a calore humido;qua ratione etiam ad materiam & formam aer quoque pertinet. Terra & aqua pro materia, nam terra retinet corpora perfecta ne defluant, at terræ partes mutuo sibi adhærere nequeunt,minusq; forma sine aqua.Quare & aqua ligat terram cum aere. Cum coagulatione in rebus opus sit semper, siue dura seu mollia corpora sunt: dura dicimus quæ tactui non cedunt, mollia contra, De hac autem coagulatione,multa Arist.libro quarto meteor.capit.quinto & seq. scripta reliquit, quæ apud eum legere quilibet poterit:inueniet quoque temperamentum & comixtionem seu coagulationem elementatorum,dici naturam apud Hippocrat. lib.2. aphorism. aphor.34. & ibi Galen.

De mixtorum diuisione. *Cap.* 2.

Mixta aut imperfecte composita sunt, aut perfecte. imperfecta mixta duorum modorum,nempe uel congerie elementorm informi, ut cum duo metalla igne miscentur, & unum euanescit relicto & communicato in alio suo colore:alio modo, imperfectione meteorica, quæ non ex omnibus elementis,sed ex aliquibus singularibus participat,ut sunt impressiones igneæ,stellæ cadentes,bolides,&c. Aqueæ, ut pluuia, nix,grando, &c. aerea, uenti, terræ motus,&c.De quibus typum habes,li.1.syntaxeon nostrarum c.4. & explicationem in libro de elementis. Mixta autem perfecta corpora sunt, quæ ex quatuor omnibus elementis, aliqua ex parte constant,ut docet Gaspar Contarenus tertio de elementis. Mixtorum horum perfectorum quatuor classes & genera:primum genus,inanimatorum, quales lapides, metalla,& media inter hæc.Secundum,uegetabilium quales arbores.plantæ.Tertium,sensibilium,qualia animalia. Quartum, rationalium,qualis est homo. Primum genus habet essentiam ex cõmixtione tantum determinatam: secundum habet essentiam

&

& uitam uegetabilem; tertium commixtionis essentiã, & uegetabilem,& ultra uitam sensitiuã:quartum,habet esse, uiuere, & sentire, & ultra intelligere seu ratiocinari. De his omnibus propriis libris tractauimus,præterquam de primo genere secundum ordinem naturæ:postremo autem perfectione minori,quod superest explicandum. Et de quo nunc agemus,de lapidibus inquam, & metallis, & ita de rudioribus & minoribus operibus naturæ, quæ esse per commixtionem habent, & in quibus prima rudimenta maiorum hærent.

De lapidibus quomodo & ubi generentur.
Cap. 3.

LApides habent simplicem essentiã,& suntex genere eorumque Rabbi Aben Tybon cap. primo roachachẽ,uocant. silentia & sine anima. De his Albertus Magnus lib. primo de rebus metallicis c. i. Sciendum, inquit, est, lapidis materiam esse,aut speciem cuiusdam terræ, aut speciem quandã aquæ,uincit enim in lapidibus alterum horum elementorũ; quod ex eo docetur,quod fere omnium lapidum genus mergatur sub aqua,quę tamen materia terræ abundat, ut ait Arist. libro de cęlo. Si enim in lapidibus dominarentur superiora elementa,supernatarent,ut gelu & glacies. Atque fere semper,lapides fiunt ex terra in aquis,uel defectu humoris. Ita lapidescere terram uidemus calore, & frigore quoque,quod nimio gelu absumit humorem & indurat. Arist. problem. sectio 24. quæst. 11. Refert & sectione 23. quæst. 30. discipulo Heracliti dixisse,lapides quoque creari, ex dulci aqua siccata concretaque: item terram ut lapides. Et quamuis nonnulli lapides ex coactis oriantur humoribus, ut notat Aristor. lib. quarto meteo. capitulo sep. septimo. Tamen maior pars eorum,terrena est;proinde mõtes lapidescunt;Quod, cũ ab aqua dulci procul absint,& non habeant quod eos a solis ardore continuo tegat, siccat enim sol dulcis humiditatis partes,remanetq; quod de genere terræ est, Aristot. 2. de plant. Inueniuntur nihilominus aliqui caui qui sint & inanes, qui ideo multũ contineant aeris,& plus quam terræ,quia cauitas maioris spatii quam corpus terræ: quo fit, ut aquis supernatent, ut pote aere potiore,cuius locus est supra aquam, qui & corpus cui dominatur,facit aquæ innatare,uelut aere ad centrum

trum suum,& locum properante. Huius generis est pumex,& similes illi lapides apud Aristot.2.de plant. pumex quippe ex spumæ maris densitate cauernosus concretus unde, & nomé habere uidetur, naturamque fortius est frigidam ut in uas feruens missus, feruorem demoliatur, Isidorus libro decimosexto, capit.tertio. his accedunt quę refert & Dion. Alex. libr. de situ orbis, in angustissimo Bosphori maris illud admirabile conspici, quasdam petras per medios fluctus errare, atque intra, seu cum murmure coniungi copularive. Quanquam aliquando & pumex spongiosus, latebrosus, seu fistulosus, etiam euomatur exustus lapis, ex profundissimis cauernis ardentib. ueluti in Æthna,& monte Veseuo, de quo late Galenus libro 9.de simpli.medi.facul. Vitru.libro secundo, capitulo sexto. Theophrast.lib.9.de histor.plantar. Plinius libro 36. capitu. 2. Quo autem naturæ ordine, in aquis generentur lapides, docet Aristoteles, ubi supra secundo de plantis in aqua maris,& forti undarum collisione, fieri primum spumam, quæ mox coaguletur in modum lactis non ualde ab unctuoso dissimilis, quam demum congregant arenæ collisæ,& desiccat maris siccitas cum multa salsedine: partesque arenæ coguntur,& tépore procedente lapides fiunt. Idipsum sentit & Plato in Timæo. Veruntamen obseruandum est, non omnes terras posse in lapides conuerti, ueluti arenam solam, quæ usque ad eo arida est, idest, sicca,& frigida, ut non possit in lapidem, & lutũ transire: lapidabiles autem sunt terræ unctuosæ, tenaces,& glutinosæ, ut argilla,& similes. Isidorus libro decimosexto etymolog. capitulo primo,& quarto. Porro lapides qui perspicui non sunt, fiunt ex terra crassiore, quorum substantia ex humido tenaci perfusa. Pellucidi autem ex aqua potissimum consistunt, cui subtilis terrea, nec obscura materies permixta est, ut in crystallo. Et quia materia lapidum & lapillorum, interdum inuenitur in aliquibus partibus animalium, & tunc quoque,& in illis lapides generantur, ut in piscibus, & quibus est magnum caput, ut in coracino, capitone, umbrina, perca, rana, solea, buglosso, quia habent caput frigidum, utpote magnum,& consequenter cogunt humorem, diuersa tamen ratione quam in alijs animalibus generentur; nam in ambus quadrupedibus, & hominibus ob calorem, in renibus generantur. Quamobrem lapilli piscium, omnes candidi, molles, splendidi: aqueum enim omne candidum

aeri immixtum, candidum reddit ac ſplendidum niuis in modum, quod tamen non dureſcit, quia non attenuatur, deficiēte calore, teſte Cardan. lib. ſeptimo de rerum uariet. capitulo trigeſimo ſeptimo. In ueſica lupi inuentum ſyritem lapillum tradit Plin. libro undecimo. capitulo trigeſimo ſeptimo. Creſcunt etiam & inueniuntur in corde bubulo & ceruino. Congelantur & in lapides quædam, ui ſalis, & cum calore, & alio modo, ut in mineralibus apparebit, ut in alumine, ſale harmoniaco &c. generatur & in aere lapis, ui ignis, ut diximus in meteoriis. In litho ſpermo quoque herba, quam aliqui ægonichon, alii dioſpyron uocant, lapilli naſcuntur in cacuminibus candore & rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia uero lapidea: & qua parte pediculis adhærent, cauernulas habent, intusquæ ſemen, de quo multa Plinius libro uigeſimo ſeptimo, capitulo undecimo. Et in arboribus, in corpore uel ramis, ante receptos inuentos lapides tradit idem Plinius libro decimo ſexto, capitulo trigeſimo nono.

Diuiſio lapidū. *Cap.* 4.

LEo Baptiſta Albertus libro tertio de re ædificatoria, capitulo 4. lapidum inquit, alii rediuiui & fortes, & ſucco ſi quales ſunt ſilex, marmora, & eiusmodi, quibus innatum eſt, ut ſint graues & ſonori, alii exhauſti, leues, ſurdi, quales ſunt tophinei, & ſabuloſi: Cardanus libro ſeptimo de ſubtilitate, lapides in quinque genera diuidit, in gemmas, marmora, cotes, ſilices, ſaxa. Gemma, lapis eſt nitidus, qui limam non ſentit, natura rarus & paruus. Marmor, lapis nitidus ſed magnus, limam ſentiens: Marmor a uerbo forſan *μαρμαίρω* futuro *μαρμάρω*, quod eſt *λάμπω* ſpendeo, unde & *ὄμματα μάρμαρα* oculi ſplendidi. Silex, lapis qui ſquamis conſtat, ex quo ignis excutitur, putatque Iſidorus li. Etymolog. decima ſexta, c. tertio, ab ignis excutione ideo dici, ego potius a ſiliquis ſeu ſquamis, quibus ignis occultatur. Cos, eſt lapis ille qui granulis ſimilibus arenæ cōpaginatur, cos dicta ab acuendo, ꝙ ad incidendum acuat ferrum. Cotes tamē quædam, ut acuant, oleo inungi deſiderant, quæ reddunt aciem læuem, qualem nouaculæ: aliæ aquæ aciem reddunt acerrimam. De cotibus Plinius potiſſimum lib. trigeſimoſexto. capit. 22. Ex genere

genere cotium, est lydius lapis,quo probantur metalla, quē inueniri tantum in flumine Tmolo contēdit Dheophrastus & Plinius lib.33.c.8. Referas ad eas quoque lapides granulatos,molles,quibus fiunt frontispicia laris,qui igne excoquuntur & indurescunt amplius.Saxum,dicitur terra omnis ualde durata, lapis non lucēs:cuius species,saxum eminens, ideo dictum scopulus ab speculando;saxum cauatum uel dentatum, rupes;in mari saxa,cautes eo quod ad his cauendum sit. Lapidicinæ saxa subministrant:quarum,aliç molles,ut Pallienses, Fidenates,Albanæ,uariiq; coloris.ex his saxa extracta, in opere ædificatorio facile tractantur,Aliæ lapidicinæ duræ,aliæq; generis alterius,ut apud Vitruuium lib.2.c.7.Meminit Iulius Solinus Polyhistor de specie cautis, qui catochites dicitur ex Corsica effossus,qui impositas manus detinet, habēs aliquid glutino & gummi tenuius.

De gemmis. *Cap.* 5.

GEmmæ,aut ueræ sunt, aut similes ueris,aut fictitię.Verę gemmæ sunt,quæ limam non sentiunt,& eximie nitēt rarçq; sunt,ut diximus,& paruç,ut adamas candidus. Similes illis,quę non ita nitidę,& sentiunt limam,tamen rare quoq; sunt,ut margaritæ,coralii,turchesiæ,carbūculi, chrysolithus, topazius,lapis cyaneus,smaragdus,crystallus,&c.Fictitię,sunt quæ artificio mentiuntur ueras,confictæ cristallo,uitro,tartaro, albuminibus ouorum,sale,& coloribus,ut ostendit Antonius a Porta lib.4.magiæ naturalis c.17.& 18.Veruntamen a factitiis ueræ distinguntur tactu,uisu, lima, substantia; tactu seu pondere si grauiores uitro, & frigidiores: uisu,quia splendor uerarum,nitidior,constātior,magis oculos implens, nec lumine lucernæ, ut uitrum, hebetatur: Lima, quia uix uel exigue ea atteruntur: Substantia,quia lenior & uiuacior magis. Admittunt tamen ueræ aliquando uitia, item illæ quæ similes ueris, in colore & corpore. Coloris uitia sunt, fumus, nubecula, umbra; fumus obscurior, nubecula candidior,umbra tenuior. Corporis uitia,scabrities,capillus,sal,punctum, scobes,plumbago,ferrugo,rubigo,uomica.apud Plin.lib.37. capitulo penultim. & final. quæ explicat Hiero. Carda.libro 7.de subtilita. qud libro quoque singulis gemmis agit,deque uiribus illarum. De quibus etiam tractat Isidorus libro 16.

Etymolog.c.6.& 7.Pli.toto 37.Alber.Magnus lib. de uirtute herbarum & lapidum, & 2.de reb. metallicis, Orpheus proprio libro, de lapillis·Leuinius Lemnius lib.2. de occultis natur.miracul.c.30.Galen. lib.8.simplicium medicamen.Dioscori.li.5.Et Franciscus Rueus doctor medicus, duos libros edidit de gemmis aliquot, præsertim de illis, quarum meminit D.Ioannes in sua Apocalypsi. Et Marbodæus Gallus Cenomanensis li.de gemmarum lapidumque formis, naturis, ac virib. cui accesserunt scholia erudita Alardi Æemstelredami,& Pictorij Villigensis: extat & alius liber de uirtutibus lapidum, per Io.de Maudeuille è Latio in Gallicem sermonem cõuersus,& de lapidum pretiosorum coloribus.Iulius Solinus c.36. tradit etiam.Porro ignorandum non est, uirtutes gemmarũ, aliquos dixisse pendere ab elementis, ut lapides ipsos, quod tuetur Alexander Peripateticus. Dicent alij cum Fernelio de abditis rerum causis, a tota substãtia. Platonici ab ideis, a quibus pẽdent Hermes,& Indorum philosophi, ab stellis,& imaginibus cœlorum: Auicenna autem, & eius asseclæ rati sunt, in omnibus naturis quædam aliquando inesse prodigia ex imaginatione superiorum motorum, ac si in his esset imaginatio: At Albertus Mag.reiectis horum sententijs, procedere ex propria indita natura cuiq; putat, ueluti & singulis animalibus & plantis, propria quædam data sunt lib 2.de reb.metalli. tract.1.c.1.2.3.4. quod ego probo, existimans Deum unamquãque creaturam propria aliqua insigni dote in indiuiduo & in specie insigniuisse, ut mirabilia sua,& potestatem infinitam incredulis notam faceret.

De marmore. Cap. 6.

MArmor, ut omnium lapidum magnorum solidior, pulchrior,& fortior: ita marmor frigidum maxime, & solidum: atque olim quoque, inter lapidem & marmor posita differentia, ut apud Homerum scribentem, Paridis os fuisse saxo marmoreo percussum, ut meminit Pli.li.36.c.6. Marmoris diuersa nomina, uel à colore, a loco, læuore,& politie: a colore, ut Ophites, maculosum instar serpentis, cuius candidũ molle, nigrum durum: Purpurites, distinctum intermediantib. pũctis purpureis; Bazanites, ferrei coloris; Corallinum in Asia coralli colore: Tephria, quod est cinericij coloris. Est & uiride

Lace-

Lacedæmonum. A loco, unde ſumitur, Parium, candidũ a Pario inſula, Sienticum, Namidicum, Naxium Proconneſiũ celebrat Vitru. li. 2. c. 8. A læuore, & munditie, lapis Alabaſtrites quem Dioſcorides dictum fuiſſe putat Onychem. li. 5. c. 153. ἀλαβαςρίτης, inquit, λίθος ὁ καλέυμενος ὄνυξ, &c. Sic ἀλάβαςρος ab α priuatiua particula, & λαμβάνω, uel λαβὴ anſa quod careat anſa, ut ob læuorem capi nequeat. De alabaſtrite quoque Pli. li. 36. c. 8. De diuerſis generibus marmorum, Pli. libro 36. cap. 7. Iſidorus libro. 16. Etymol. cap. 15. Carda. li. 7. de ſubtilit. Leo Baptiſta Albertus libro 6. de re ædificato. cap. 10. Magis ſplendent marmora, dum polliuntur. Nam & ſpecularia redduntur, cum ſmirillo potiſſimum, & tripolea.

De magnete. Cap. 7.

INter ſaxa numeratur magnes, qui aliter lapis Herculeus, & ſideritis. Magnes, dictus a patria Magneſia ſeu Magnete, unde effoditur, ſic enim Lucretius in 6. Magnetis duo ſunt genera apud Albertum Magnum libro 2. metallo. tracta. 3. cap. 6. Alterum, quod ferrum, ſeu chalibem tactum, ad Boream dirigit in pyxide nautica, uel in horologiis ſolaribus; aliud, quod ad auſtrum trahit, uterque ferrugineus, ut explicat Claudianus,

Lapis eſt cognomine Magnes,
Decolor, obſcurus, uelis.

Et poſtea,

Sed noua ſi nigri uideas miracula ſaxi,
Tunc ſuperat pulchros cultus, & quicquid cois
Inde littoribus rubra ſcrutantur in alga.

Meminit Cardanus 7. de ſubtilit. de gemina ſpecie carnei magnetis, quarum una carnem trahat, alia quæ intinctam aciem acus, ſine dolore, & ſanguine cuti innocuam punctionẽ faciat: Magnæ huius lapidis certe uires, ut quidam arbitrati fuerint uitam ineſſe, atque ſummopere laborarint in reddenda ratione uitium eius. Dixerunt & aliqui rationem eſſe cur illitum ferrum verſus ſeptentrionem trahat, quod ea ex parte effoſſus ſit, eſtque hæc opinio Fracaſtorij Veronenſis libr. de abditis cauſis; quæ tamen non eſt ſatis cõſtans, quia & effoditur

tur alibi,ut in Hispania,& Ilua insulâ quæ inter Cyrinum seu Corsicā est,ut ait Carda.li.7.de subtilit. nihilominus tamen ferrum eo illitū non ad fodinā,sed in septentrionis polum dirigitur.Quare alii,ad proprietatem referunt occultam, qua & alia ualent,ignorata ratione naturali:ueluti hac vi agaricū pituitam a corpore extrahi,rhabarbarū & scammoneū, flauam bilem purgat:epithymum,sena polypodium,humorē melancholicū.Et succinum,gagates, adamas,lapides,festucas,& paleas trahunt.ut scribit Leuinius Lemnius li. 3.de occult. nat. mirac.c.4.Plat. in Ione,diuinæ uirtuti mouenti tribuit, dum ait,diuina uis est quæ te mouet,sicut in lapide quem magnetem Euripides nominauit.Existimarem ego utique,hoc quidem accidere quadam propria qualitate & natura,qua ad stellas boreales dirigitur ferrum,ui cōmunicata participata stellarum polarium;nō secus quam aliquę plantæ,affinitate quadam naturæ,sequuntur solis & lunæ cursus,& ad illos obuertuntur:sicuti lupinū,perpetuo cū sole uertitur,& horas ita notat agricolis etiam nubilo tempore,teste Plin.li.18.c.14.& c. 26. quodq; præstat cichorium,& aliæ plantæ. Et æquinoctia, dum fiunt,ostendit Cynocephalus,tunc tātū duodecies interdiu & toties noctu urinam faciens,ut author Orus Apollo de liter. hierogly. Sunt & alię sympathiæ, sicut & antiphatiæ cū cælestib. corporibus, quas uidere poteris apud Mizaldum ea de re proprio li. At si quis plura de magnetis specieb. & natura cognoscere desiderauerit,legat Plin.li.36.c.16.26.& li.34. c.14. & lib.20.c.7.Cicero de diuinatio.1.Lucia.li. de iconib. Lucretium li.6.Alex Aphrodis. in problema. Nicandrum in Alexiphar.D.Aug. lib.21.de ciuita Dei. Beroal.in annotatio. in Galenum Dioscori.lib.5.c.168.Orpheū de gemmis, Theophrastum lib.de lapid.Extat & libellus de natura magnetis & eius effectibus authore Ioan.Taisnerio Hanonico editus,impressus Coloniæ apud Birkmannum.Amittit uires magnes, & ferrum repudiat,allio illitus: restituuntur autem ei uires,si sanguine hirci polluatur.ut ait Ruellius li.1.de natu.stirpi.c. 22. Contrariæ naturę magnetis est, lapidis Theamedis uis, quæ a se ferrum abigit,lapis in Æthyopia natus,authore Plin. li. 36.c.16.Dissidet quoque in tantum adamas cum magnete ut iuxta positus,non patiatur a magnete ferrum abstrahi,aut si apprehenderit retrahat propter quandam surdam & obscuram rerum antipathiam, Plinius lib.37.c.4.

Num lapides uiuant & crescant. Cap. 8.

CArdanus, uiuere quę elementis miscentur existimauit, & ideo lapides quoque, quia illud illis conuenit lib. 7. de subtili. Item quod & lapides, morbos, senectutem, & mortem patiantur: Nam senio confectus magnes non trahit ferrū, debilitaturq. pedore & squalore, ut animal: ideoque & crescere lapides excisos, quia uiuant Leo Baptista Albertus lib. 2. de re ędifica. c. 9. Quid illud, inquit, quod in marmoreis lapidicinis compertum habēt, marmora excrescere? & paulo post, in Gallia in agro Corneliano, tradit in peralta torrētis ripa, lapides concipi & parturiri. At Arist. lib. 1. magno. mora. c. 3. nec uiue re, nec ali lapides melius docuit. Si enim lapides crescāt, illud fit additione nouæ materiæ consimilis: quod si in lapidicinis renasci quis putet, fallitur: nam non renascuntur abscisci, sed abscisis superioribus terrę induratis glebis, terra quę suberat, lapidescit & induratur. Sic Leo Baptista lib. 2. de re ædificato. c. 9. quoque innuit, dum ait, Romæ per hæc tempora inuenta sub tellure fistulosi lapidis Tyburtini mineralia, unum insoli dum lapidem, temporis, terræque, ut ita loquar, fomento cōcreuisse. Docet & apertius lib. 3. c. 7. dum in lapidibus uenas esse tradit, prout materia superinfusa est, & incrustationes accesserunt. Et si uiui dicantur lapides aliquando, id metaphorice, non uere a ui illorum, ut uiuos lapides ex pyritarum genere. qui ignem excutiendum continent apud Plin. lib. 36. c. 19. Senescunt autem & uitia cōcipiunt, sed id accidit extrinseca causa, non aūt quod uita illis deficiat, sed quòd materia illorum uel dissoluatur, uel corrumpatur: sic mors etiā saxis nominibusq; uenit, id est, dissolutio compositi, & abolitio. Neque ad rem pertinet, quod Theophrastus & Mutianus credūt aliquos lapides parere, ut refert Plin. lib. 36. c. 18. Nam neque id credo, sed arbitror intra illos posse condēsari partē lapidis & sic crescere, & ita intra unū lapidē alium gigni, id est, diuidi, nēpe partibus intra separatis, ut dum semina intra cortices uel siliquas arescunt, & separantur humore delapso, sed hoc non generatio sed diuisio est. Sic, quod posset obiici quod aliqui lapides sint corrodentes & absumentes corpora, ut refert Plinius lib. 36. c. 17. non arguit eos uiuere, sed ui elementi resoluere.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS, LIBER XXXVII.

In quo agitur de Metallis.

De Metalli nomine. *Cap.* I.

INter ea quæ è gremio terræ effodiuntur, sunt metalla, dicta a μεταλλάω, fodio, Hesychio: uel, ut aliis placet, μετὰ τὰ ἄλλα ἐυρισκεσθαι ab eo quòd unũ iuxta aliud inueniatur, quia genera etiam metallorum, quodammodo mutuo hærent & proxime inueniuntur, ut scribit Plin. lib. 33. cap. 6.

De generatione metallorum. *Cap.* 2.

DE generatione metallorum, diuersæ fuerunt opiniones. Aristoteles namque lib. 3. meteor. ca. fin. duo exhalationum genera sub terra ponit, similia his ex quibus diximus generari meteora, nempe exhalationem unam aridam, ex qua lapides generentur & res duræ: Aliam humectam, ex qua fiãt metalla, eaque quæ funduntur. Has autem iungi terræ crassæ & uiscosæ, particulis quibusdam, quæ illo humore seu exhalatione conglutinatæ, induratæq; frigore, uel metalla uel lapides faciunt, prout maior uel minor fuerit interni humoris copia. Subscribit Theoprastus libro de lapidib. Peripatetici & Academici omnes, & Ianus Lançinus lib. 1. Chemicæ artis, cap. 12. Plato quoque in Timæo, ex humore crasso metal-

la

la fieri, ciitat, uocatque metalla, aquas fusiles, ex quibus aurum reliquaq. metalla generari tradit. Vnde & ratio suggeritur, cur metalla nitida sint, nempe quòd ex nitido, puro, ac solido humido in quo lux colligitur, ut in speculis, ut notat Carda. libro sexto de subtilit. At Chemistæ aliqui, & fere omnes, aliam tradiderunt metallorum generationem, dicuntque materiam propinquam omnium metallorum, esse argentum uiuum & sulphur: sulphure agente & cogente, & argento uiuo patiente. Ita & Auicenna quoque sentit, in Physicis & in chemia, & in epistola quam scribit ad Hazon philosophum, probatur & in libro qui correctio fatuorum inscribitur, & apud Gebrum, Lulium, Lācinium passim in Chemicis. Sulphur existimant pinguedinem terræ, in minerijs eius generatam, per temperatam decoctionem inspissatam & induratam, argentum uiuum. Interdum tamen dicunt, idem esse sulphur & argentum uiuum re & nomine, ut in collectaneis Chemicis aperit Ianus Lancinius cap. 51. libro primo. Constituunt etiam duas species sulphuris, liquabilis, & illiquabilis: & ita metalla liquabilia, liquabilis sulphuris fermentum & speciem habere, ut aurum, argentum &c. Sin autem sint illiquabilia, ut marchesita, magnesia, antimonium, &c. habere sulphur illiquabile. Lancinius libro primo collectan. capite 12. Quam tamen opinionem Chemicorum reijcit Georg. Agricolá lib. de re metallica, & Gaspar Cōtarenus lib. 3. de natur. philosoph. capit. 6. Alber. Magnus lib. de reb. metalli. tract. 1. cap. 2. propriam materiam metallorum & liquabilium, constare tradit ex quodam unctuoso aqueo incorporato, quod uocat liquidum humidum, cuius opinio accedit sententiæ prius relatæ Aristotelis: nam & is lib. 5. metaphys. scribit omnium liquabilium materiam esse unam, nempe aquam, illamq; unctuosam intrinsece, non extrinsece, talem quæ olei, proinde non cremabilem: ideoque lapis, ut metallum, non liquatur, quia non habet humidum unctuosum ubique protegens, sed aqueum, quod igne difflatur.

Metallorum distinctio. *Cap.* 3.

METallorum quędam sunt naturalia, eaque septem, aurū, argentum, electrum, seu aurichalchum naturale, stannum, plumbum, ferrum. Dicitur & argentum uiuum,

quod

quod & hydrargyrion & argentum album: quædam arte mixta, chalybs, cyprium æs, aurichalcum fictitium, ut stannum mixtum. Horum duriora, quæ minus habent terrenæ concretionis, ut aurũ, argentũ; impuriora, plus, ut æs, ferrum, &c. Quę plus terrę habent, difficilius fundũtur: quæ minus, facilius; & quo terrea, eo magis rubiginem contrahunt. Humidiora, ut aurum, argentũ, plumbum, ficcioribus grauiora & maioris ponderis sunt, ut ferro, ære.

De auro & argento. *Cap.* 4.

AVrum, ut ferũt, generatur ex sulphure subtili & rubeo, & ex uiuo argento subtili, & albo: sulphuris tamē amplius habet, cum pura concoctione elemẽtorum; unde nec rubiginem contrahit, defæcata omni ex parte unctuositate. Argentum quoque ex utroque fit, sed habet plus argenti uiui, aerei atq; humiditatis. De mineris utriusq; late Vanoccius Biringuccius li.1. pyrotechniæ, c.1. & 2. Calisthenes existimabat ut chemistæ quoque unam formam esse metallorum, nempe aurũ, ad quam, cum decoctio mineralis nõ posset peruenire, generatio fieret aliorum metallorum pro modo uirtutis, uel argenti, plumbi, stanni, &c. Alber. Magnus libr.3. de metall. tract. 1. c.7. Quamobrem chemici summopere laborarunt, & adhuc laborant, in obtinenda & comparanda illa ultima perfectione, quia trãsmutare satagunt alia metalla impura in aurũ, cuius rei extant pleraq; uolumina, nempe testamentum & codicilli Lullij. Ioa. Lancinii Chemica collectanea, praxis Ioan. Anglici diaconi, Ortulani opus, Ioan. Chrysippi de arte Metallica, Morieni Romani de transfiguratione metallorũ, Thomæ de metallis, Alber. Mag. lib.2. & 3. de metallis, Aug. Panthei Veneti liber de arte & trãsmutatione metallorũ. itẽ uoarchadumia eiusdem. Extat & Auicennę de tinctura metallorum, item compendium animę transmutationis Lullii, itẽ scala philosophorum. Item alius liber opus mulierũ: alius ludus puerorum, alius Lullij compendium de tincturis: alius tributus Arist. de practica lapidis philosophici: alius Hebrei uel Gebri: alius Hermetis: alius de lapide philosophico; alius clangor buccinæ: alius sententia semitę, itẽ Arnaldi de uilla noua libri, Rosarius Philosophorum, alius lumen nouum, alius epistola super alchemia ad regem Neapolitanum: item alius Roberti

berti Vallensis de antiquitate & ueritate artis, chemicę, Qui omnes certe miranda canunt, sed non credenda, &c.

In quibus inueniatur aurum & agentum. *Cap. 5.*

SCrutatur, ut habeant aurum, omnia auari homines, ut nõ mirum sit aurum palleat, ueluti metu tot hominum, qui ei insidiantur & concludant, persequuntur cum Pindaro ode i. Olympic. dicentes,

ἄριστον μὲν ὕδωρ: ὁ δὲ
χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. id est,

Optima quidem est aqua; at
aurum uelut ardens ignis noctu,
excellit superbe inter superbas diuitias.

Digni tamen, qui insigniantur ob illum singularem auri amorem uanum, singularib. uerbis & titulis, auriti Midæ, quẽ ferunt ob auri uotum & corruptum iudicium, asininas aures nactum esse, ut ait Ouid. li. 11. Metamorph. cupiditas enim hæc, cum sit uanissima habendi ea quæ per se nihil uitæ proficiunt, nisi commercij cõmutandi causa, non potest esse non asinina, nempe congerere & aceruare pręter modum, quæ tibi nec alicui custodita prosunt, nihilq; turpius quã imaginariam sibi in futurum fingere necessitatem. Neq; non possum præclarum iudicium Atheniensium mirari, qui in Arthmiũ zelitem, ita sententiam tulerunt, teste Demosthene orat. 3 cõtra Philippum: Arthmius Pynthonactis filius zelites, ignominiosus esto, & hostis populi Atheniẽsium & sociorum, ipse & genus, quod aurum e Media in Peloponnesum uexit. Omitto reliqua de abusu auri & pecuniarũ, de cęco Plutone, de sacra fame auri, de impiis actib. natis ex illo referre, pertractanda a rhetoribus. Redeo ad rem, perquiri, & inueniri aurum & colligi, ex ramentis fluminum quæ arenas habẽt quasdam inter mixtas aureas, ut in Pado Italię, Tago Hispaniæ, Hebro Thracię, Pactolo Asię, Gange Indiæ, Physon uocat Moses Genes. 3. quem dici Gangem testatur Strabo lib. 15. De istis fluminibus hæc refert Plinius lib. 33. ca. 4. In Ozo fluuio Bactriano rum quoque in Pæonia nascitur. Aristo t. lib. de mirab. auscul ta. Secundo, aurum effoditur in scrobibus, aut ruina montiũ.

Ter-

Tertio, cuniculis actis per profunda mõtium caua. Quarto, in India ferunt apud Scythas a formicis & gryphibus erui, Plin. lib.33.cap.4.& lib.7.c.2. Lucia. in Gallo. Dicunt quoque Ophiusam insulam antea Pelagiam dictitatam, aureo quondã imbri perfusam, teste Ammia. Marcell. li. 17. Postremo uereor affirmare quod plerique iactitant, quod tamẽ nunquã consequuti sunt, ut opinor, ex chemica operatione aurum & argentum perfici ex alijs imperfectis metallis, & ad id detorqueri posset, quod Esdræ 4.cap.8. dicitur, paruum puluerẽ unde aurum fit. Et aureum ramũ, de quo Virgil. in 6. Æneid. & eclog. 6. Hesperidũ aurea mala, & apud Ouid. 10. Metamorph. Hesiod. in Theogo. quas fabulas trahunt Hesichius, & Suidas ad chemiam, ut alij uellus aureum. Inuenitur & argentum in argenti fodinis. sed & Plinius lib. 26. cap. 27. tradit, quòd ignis accipit arenas, ex quibus alibi nitrum, alibi argentum, alibi minium, alibi plumbi genera, alibi pigmenta, alibi medicamenta fundit, igne lapides in æs fundi, igneque ferrum gigni.

De aurichalco. Cap. 6.

AVrichalcum, uel ut alijs placet, duplicis est speciei: uel naturale, quod in montibus exeritur, uel factitium, quod parte quinta auri constat, alijs electrum: colorem enim eius imitatur, Plin. lib. 33. capite quarto, uocãt Galli latonem. Verũtamen Vannocius libro primo Pyrotechnię, capite octauo, fossitium & naturale reperiri negat, sed ex ære quod uocamus cuprũ, & *ærain*, componi, tinctura adiuncta: tingi autẽ cum lapide calaminari, fusione æris cũ eo facta, & nitri puluere iuncto, & percolato Ere. Humecta cõstat natura aurichalcum, sed terrena & impura, tamen maiori calore decocta quam sit æris. Ideo purius & nitidus ære, & durius propter maiorem decoctionem.

De ære. Cap. 7.

AEs nobis simpliciter dicitur, *Cuyure*, item æs cyprium, fossile ex fornacibus & minerijs ęris oritur, & cadmia, quã dicunt Tuthiam communẽ, & pompholigem, unde & ea materia æris esse dicitur, ut & flos ęris. De quibus Amatus in Dioscoridis

scoridis librum quintum enarratione 43. Isidorus Etymolo. libro. 16. cap. 19. Plinius libro 3 :. capite 9. & 10. Vannocius libro primo Pyrotechniæ, capite tertio. Æs, ut ait Isidor. rubiginem celerius contrahit, nisi ungatur oleo; seruatur autem optime in pice liquida. Hoc sonorum est, ideo tubis inseruit.

De plumbo, & stanno, cerussa, sandaracha.
Cap. 8.

PLumbi quatuor constituuntur genera, primum album dicitur, quod stannum aliter. Secundum, nigrum plumbũ uulgare. Tertium, Bisemutum, medium inter album & uulgare. Quartum genus ex stibio fit, quod uulgo antimonium, quod est lapis inuentus in argentifodinis. Plinius lib. 33. ca. sexto. multa libro 34. capitulo 16. 17. 18. Stannum stridorem quendam retinet. Miscetur & stanno interdum plumbum nigrum ad octauam partem, quod stannum a Mediona lensibus dicitur Peltrum. Plumbum album & nigrum inuenisse primum Midam dicitur ab Higinio in fabulis capitulo 274. Plinius Midacritum uocat libro sexto. capitulo 56. ubi & de inuentoribus aliorum metallorum. Plumbum fit, ex humore crasso, impuro, maleque decocto, ideoque molle, nigrum, graue, & densum admodum est: & in locis frigidis & humidis nascitur plerumque. De mineriis plumbi & stanni, apud Vannoccium libro primo Pyrotechinæ, capitulo quarto & quinto. Ex plumbo & aceto, fit cerussa, ut ait Gale. libr. 9. de simpli. medicamen. facult. Plinio libro trigesimoquarto capitulo fina. Vitruuius libro sexto. capitulo duodecimo. Hæc aducta, in sandarecham adulterinam transit, quæ & dicitur sandix Syrium, Aetius libro secundo Plinio libro trigesimoquinto capitulo sexto Ama. Lusita. in Dioscor. libr. 5. Enarrat. 63. Meminit Plinio libr. 33. cap. 6. de uena plumbi, quam galenam dici autumat, quæ iuxta argenti uenas, reperitur.

De ferro, & chalybe. *Cap.* 9.

FErrum, metallum leuius superioribus, porosum, nigrum, inęquale, quoniã in eo humor inęqualis est, & abũdat maior

ior copia ſiccitatis. Accedit huic formæ chalybs, id eſt, ferrũ denſius, propter maiorem humiditatem, magisque decoctam Sebaſtian. Fuxius lib. 3. de natur. philoſo. cap. 6. de differentiis ferris & illius liquamine & induratione. Plin. lib. 34. c. 14. & 15. De minera ferri, Vanoccius lib. 1. pyrotech. capitolo. 6. & de arte miſcendi chalybis capit. 7. Tradit & Ariſtotele. lib. de auſcultat. mirabilibus chalybem etiam ex ſabulo quedam generari.

De argento uiuo, & chemicis metallorum nomenclaturis Cap. 10.

ARgentum uiuum, ſpecies metalli dicitur, ob continuũ ſuum motum & græcis ὑδράργυρος, aqueum argentũ: a chemicis dicitur Mercurius; ſicut aurum, Sol; argentum, Luna; plumbũ, Saturnus: Iupiter, ſtanum; cuprum, Venus: Mars, ferrũ. Argentũ uiuũ, ex ſubſtantia terrea & aquea indigeſta, eſt, multumque aeris immixtum habet; Quo fit ut mobile ita ſit, & igne in auras euolet, & defluat in ſumum & reſoluatur. De hoc late diſputat Albert. Magn. lib. 4. de rebus metallic. tract. 1. cap. 1. Plin. lib. 33. cap. 6. Inuenitur autem argentum uiuum naturale & foſſitium, & artificiale ſeu factitium, ut monet Amatus Luſitanos in 5. Dioſcorid. enarrat. 70.

SYN-

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXXVIII.

In quo agitur de participantibus naturæ lapidum & metallorum.

De aliis corporibus mixtis simplicibus & sine uita existentibus, ut de uitro, & nitro primum.
Cap. 1.

TERTIVM quoddam genus fossilium, inter lapides & metalla cópositorum simplicium, est eorum quæ tantum non sunt siccitatis aut caloris ut lapidescant omnino, nec tanti humoris, ut formã metalli capere possint: cuius generis sunt uitrum, nitrum, alumen, bitumẽ sulphur: sales, & attramenta seu tincturæ chemicorum. Vitrũ fit ex arenis, conchis uel fossilibus, uel ex cineribus nitri uel filicis, Plin. lib. 36. cap. 26. Nitrum uulgo salitor, herba dicta kali, unde salkali uel halkali, ex qua cineres fiunt. Hancque herbam Amat. Lusita. in 3. Dioscor. enarrat. 153. putat esse unam speciem anthylis, quam nasci in lacubus maritimis tradit, & in Gallia & Italia dictam salicornius. Et in lib. 4. enarrat. 54. etiam eius speciem quam uocant Tragon, suspicatur ex qua uitrum fiat & sapo; eamque ab Hispanis, uulgo uocari Sodam Barriliam. Est tamen aliud nitrum fossile, Dioscor. li. 5. c. 90. uobis nitrum, salpetre, Meminit & de aphronitro seu de spuma nitri. Plin. li. 31. c. 10. Gal. li. 9. simpli. medica. facult.

De atramentis. Cap. 6.

DIcuntur atramenta quædam substantiæ fossiles lapidescentes, utcunque ex terra, & aqua; hæc primum sunt liquida, postea coagulata. Atramenti quinque genera præcipua, primum album, quod Arabes dicunt kadidis; secundum rubeum, Arabibus, assuric; tertium citrinum, quoddam, Arabibus alkofol; quartum aliquod uiride, quod Arabibus alcacantum, alijs uitriolum; quintum aliquod fuscum, habēs aliquid liuidi, seu pallidi aurei. De quibus Alb. Magnus lib. 5. de reb. metal. tract. i. c. 2. Rhasis de attramentis, Ianus Lancinius li. 5. collectaneo. chemicarum c. i.

De tribus spiritibus mineralibus, & alijs medijs. Cap. I.

CHemistæ uocant tres spiritus minerales, argentum uiuum, sulphur, & arsenicum: sunt alia cum ijs media, ut minium, chrysocolla, uel attincar, auripigmentum, ochra, chalchytes, Armenius lapis, Cyaneus seu lazuli, & alia, de quibus Dioscorides in quinto, & sui enarratores Mattheolus, Manardus, Amatus, Fuchsius, Constantinus, & alij.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XXXIX.

In quo agitur de virtutibus.

Quid tractandum sit in hoc, & sequenti libro, & de affinitate uirtutum, & uitiorum. Cap. I.

IAm li. 4. Syntax. c. 7. tractauimus satis abunde in genere, de uirtutibus & distinctione, uel diuisione earum; habetque caput illud de uirtute, in commentarijs nostris transcendentium, dilucidam explicationem. Quædam etiam in ethicis generalia de moribus; de uirture animali, in animalibus: de uegetabili, in plantis; de cęlesti, in libris de mundo: & de elementari, dum de meteoris percurrimus; ut nunc tantum superesse uideatur singularis quędam explicatio uirtutum, & uitiorum, classis penultimæ speculæ artis positi lib. 2. syntax. capit. primo. Quamobrem hic libellus de uirtutibus separatim aget, postea autem postremo libro ultimam uitiorum, & uirtutum oppositarum explicationem, eo ordine quo singula in prædicto speculo fuere proposita, ut memoria tenacior sit, Deo iuuante absoluemus; uirtutibus uirtutes proximas, & uitia uitijs connectentes, uitiaque cum propriis uirtutis compararabimus, ut elucescant & facilius distinguantur iuxta se cõtraria posita. Virtutes quippe omnes quodam iure familiaritatis, & sanguinis, sunt sibi hærentes, ut uix, qui unam habuerit, alias non consequatur, ut notat Cicer. 2. offic. & 2. Tusculana.

&

& quinto de finibus. Platoque in Protagora, ubi unam tãtum dixit uirtutem, iustitiam nempe, cæteras continentem, & Aristoteles, & Galenus late libro septimo, de decret. Hippocra. & Plato. uti etiam uitia se mutuo consequuntur, & abyssus abyssum inuocat, & semper in peius uitium ruit. Quare perpulchre Plutarch. libro de different. inter odium, & inuidiam, scripsit, uitia multitudini hamorum similia esse, quæ si cum pendentibus ex ipsis affectibus, huc atque illuc moueantur, pluribus inter se nodis, atque implicationibus connectũtur; ipsa uero, quemadmodum in ægritudinibus accidit, alia ob aliorum dolorum dolorem cruciantur: proinde, ut idem lib. de sera numi. uind. ubi uitium unum, ibi plura. Sunt etiam uitia uirtutibus proxima, & quæ sæpe pro uirtutibus habentur: ut contra sunt uirtutes, quæ proximis sibi uitijs solent ualde lędi ob quandam similitudinem. Quo fit, ut uulgus, qui non nouit uirtutis, & uitij distinctiones, pro animi sui passionib; ut uitium, uirtutem calumnietur. Nam humilem, dicit abiectum: erectum, superbum: ualde iustum, irridendum: doctũ, inflatum; seuerum, crudelem; indulgentem, facilem; simplicem, brutum & stultum; acrem, callidum; diligentem, & pium, superstitiosum; remissum, negligentem: solertem, cupidum; parcum sobriumque, auarum: quietum, ignauum uecordemque; abstemium, morbo aliquo infectum & tenacem; comedentem, edacem: ieiunantem, uanum; liberalem, prodigum, & contra, uerecundum, rusticum, in quibus splendor uirtutibus adimitur, ut ait Sidonius Apollinaris libro septimo epistolarum, epistola nona. Detrahebant Paulo anachoritę, inuidi, & Hilarioni, illum solitudinis calumniati, huic obijcientes frequentiam; ut qui semper latuit non fuisse, qui semper uisus est, uilis existimetur, teste D. Hieron. in uita Hilario. tomo primo oper. Sic pharisæis, D. Ioannis heremus non placuit, nec ieiunium; nec domini saluatoris, turbæ socijque, & cibi placuere. Matth. capitulo undecimo. Hæc tamen sunt incerta uulgi uestigia, bestiæ multorum capitum, atque iusti, ac tenacis propositi uir, odit profanum uulgus, arcet, contemnitque iudicium illius. Cui nunc tamen præcepta uirtutum tantum perstringemus, ut si fieri possit, resipiscat, & mores corrigat, memores eius, quod tradit Ouidius lib. primo, de remed. amoris.

Et mala sunt uicina bonis, errore sub illo
Pro uitio uirtus crimina sæpe tulit,

Nam quod pertinet ad corruptos mores quibus nunc uiuitur, certe dicam quod Hesiodus in Ergis lib. i.

νῦν δ᾽ ἐγὼ μὴ τ᾽ αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιος
εἴην, μὴτ᾽ ἐμὸς υἱὸς, ἐπὶ κακὸν ἄνδρα δίκαιον
ἔμμεναι: εἰ μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἕξει, idest.
Ego porro nec ipse nunc inter homines iustus
Esse uelim, neque meus filius, quando malum est
Iustum esse: siquidem plus iuris habebit iniustior.

De iustitia. *Cap.* 2.

ZEno apud Diog. Laertium libro 7. in Zenone, primas dixit uirtutes, iustitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam. Et iustitiam, scientiam eorum, quæ fugienda eligendave sunt, quæque sunt media. Hæc Aristoteli lib. de uirtutibus. uirtus animi, qua tribuitur quod cuique par est tribui. Quam finitionem variis exornat honoris titulis Orpheus in hymnis duob. iustitiæ, & Philo iud. lib. 2. de uita Mosis. & lib. i. legis allegoriarum. & alibi. Cic. i. offic. nosque late de ea in primo libro præludiorum optimi iurisconsulti. Et in summa hęc bonos patresfamilias, homines ciuiles, principatu dignos utiles sibi & suis facit; uere regia uirtus, sine qua nec ullus bonus, vt dixisse Socratem refert Xenophon libro quarto de dictis, & factis eius. hæc leges ferentibus adfuit, proinde qui hāc habet, perinde ac Solon, ac Draco leges ferer, ut Gymnosophistæ, sapientes Indorum docuerunt Apollonium Cyaneū, auctore Philostra. lib. 6. de vita eius, capitulo undecimo. Iustitia murus arduus, quem non obliquis doli uiis ingreditur hominum genus, secundum Maxi. Tyrium sermo 2. omnia iustitiæ cedunt publica, & priuata, illa temperantur; ideo in Pythijs a Pindaro ode 8. quies iustitiæ dicitur filia, quæ habet claues consiliorum, & bellorum excellentissimas, urbium cōseruatrix. ista sine aduersario, quia iudicis officio fungitur, ut scribit philo iudæus 1. allegoria. Leges, & Demosthe. oratio. 1. contra Aristogito. per hanc eius administri magistratus, bonos a malis discernunt, malosque puniunt intrepide. Plato in amatoribus, & 9. de legib. Hæc itaque speculatrix uitiorum & castigatrix inuicta, utpote tribus suffulta comitibus, sanctitate,

te,ueritate,& fide, ut ait Arist. lib. de uirtut. Præstat & uel eo maxime cæteris uirtutibus,quod aliæ a nobis possessæ,nostrę potissimum consulant utilitati,illa tamen & nostræ & aliorũ omniũ,teste Arist. lib. 5.ethico. c.1. distribuit enim quæ cuiusque sunt:quod & tradit Isocrates oratio . de pace. Addit & commodè Suidas,in uerbo ἀρετὴ, iustitiæ comites, æquabilitatẽ,& gratiam.nec in uoluntate posita & in re ipsa,constans & perpetua uoluntas ius suum cuique tribuendi Iustiniano, ut explicamus in præludijs Iurisc.c.1. ita propria,ut uolũtatis erit hominis uirtus,& si re ipsa,quædã æqualitas aliquæ ve partes iustitiæ, in animalibus brutis esse uideantur , ut cum Delphini inter se partiuntur uenationis piscium partes, & maiorem relinquunt ei qui capturæ causa fuit, teste Æliano lib.2. de animalib.capit.8. Sicut & quædã refert de Leonis iustitia, idem libr.6.cap.39. Quæ tamen & alia similia uere iustitiam non exhibent, cum instinctu naturæ fiant a brutis & sine uoluntate,& pleraque in illis inueniantur, quæ a regulis iustitię omnino declinent:ut optime Hesiodus dixerit ,

τὸν δὲ γὰ ἀνθρώποισιν νόμον διέταξε κρονίων,
ἰχθύσι μὲν, καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς
ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς.
ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη γίνεται. id est,
Namque hanc hominibus legem disp suit Saturnius,
Piscibus quidem & feris , & auibus volucribus.
Se mutuo vt deuorent: quandoquidem iustitia carent:
Hominibus autem dedit iustitiam, quæ multo optima.

Quibus docet errare Ælianum, dum brutis iustitię exercitium tribuit in proxime citatis locis,& lib.6.de natu. animal. capit. 50. Pari modo qui inter latrones & improbos constituunt. Non enim obedientia ad prædandum uel distribuendum aliena , iustitia mihi est , sed iniustitia . Versatur quippe iustitia circa societatem uitæ, communitatem , concordiam,amicitiam , similitudinem morum : circa pietatem in Deum , patriam, parentes, liberos, patres, amicos, affines , uxorem , maritum , hospites; in beneficio dando , & retribuendo : in disceptationibus iudiciorum , actionibus & defensionibus : in conseruatione iuris cuiusque , & similibus, quæ ad belluas non porriguntur , non ad la-

 trones

trones qui proximis insidiantur, qui fœdera societatis humanæ perfringunt.

De diuisione iustitiæ. Cap. 3.

PRior diuisio iustitiæ, ut alia sit uniuersalis, alia particularis. uniuersalis, maioribus, & legibus eorum obsequi. prima, quæ iustitia, qua Deo: proxima qua diuinis. tertia, qua patriæ parentibusque; postrema, qua uitæ functis debitũ cuique suum officium; tribuimus, ut not. Arist. libel. περὶ ἀρετῶν. In iustitia Dei qui maiorum summus, debetur obsequiũ, cultus, adoratio, ut & nouerunt Ethnici, Pythagoras in aureis versibus, Theognis in gnomis, Sen. li. 4. de uirtutib. in iustitia. Et melius nostri, Augustinus lib. de natura & gratia contra Pelagianos c. 13. & alij omnes. Propter eius authoritatem, & magistratibus debemus quoque obedientiam: D. Pau. Roma. 13. propter ordinem in hierarchia hac terrestri constitutum a Deo: nec enim potestas nisi a Deo, Sapien. 6. simulq. lex naturæ statuit inferiores parere superioribus, Dionys. Halicar. li. 2. antiquit. Rom. Quid autem debeamus Deo, principibus, magistratibus, maioribus, senioribus, parentibus liberis, & alijs personis, cum ecclesiasticis, tum alijs: quidve illi uicissim alijs debeant, tractauimus abunde lib. 2. præludio. optimi iuriscõ. per plura capita, nec hic repetemus, neque ea quæ ad iustitiã uniuersalem pertinent. Sed de particulari, pauca subiũgemus, quæ particularia uniuscuiusque in indiuiduo negotia, considerat: cuius duæ feruntur species, commutatiua, & distributiua. Commutatiua, est æqualitas in rerum commutatione per contractus quibus utimur pro mediis, ad reducendam communicationem ad æqualitatem, uel mediante pretio, seu numi æstimatione, uel sine pretio, in excessu uel defectu proportionem Arithmeticam adhibendo. Distributiua, est quæ reddit cuique quod suum est, uel in dando debito, uel in imponenda pœna: in quibus non æqualitas inspicitur arithmetica, sed geometrica, prout cuique dignum est concedi. & si olim aliquando, pœna talionis arithmeticam uideretur habere, dum dens pro dente, oculus pro oculo, puniebatur, &c. In hac geometrica distributione iustitiæ, inspicitur iudex gradus delictorum, nec tantum factum, sed & delinquentium qualitates, causas, uoluntatem, ætatem, & reliquas

quas alias periſtaſes, quas in criminibus puniendis in noſtra iuris epitome quærendas, dicemus Deo fauente. Sic in honoribus & adminiſtrationibus diſtribuendis, ætas, habitus, eruditio, experientia, & alia, id genus geometrice conſiderantur, non arithmetice. Quæ latius explicat Melanchthon in compendio philoſ. moral. Quæ & de iniuſtitia, negando, dicta exiſtimare oportet.

De alia diuiſione iuſtitiæ & iniuſtitiæ. *Cap.* 4.

IVſtitia in ſcripturis ſacris, duplex eſt: una Moſaica, alia Chriſtiana, illa externa, hæc interna quoque: illa carnis, hæc ſpiritus: una politica ſeu ciuilis, humana: altera diuina, cęleſtis, & ſpiritualis: una phariſaica, altera uera: una uetus, altera noua: illa præcipit, & nihil implet: hæc omnia implet, quia D. noſtrũ Ieſum Chriſtum habet, qui eſt legis implementum, ut ſcribit Bartholomæus Vuesthemerus, in phraſibus ſacræ ſcripturæ, in uerbo iuſtitia.

De iniuſtitia. *Cap.* 5.

QVid iniuſtitia ſit, ex ſuperiorib. per negationẽ apparet, eſſe inquam uitium animæ, quo amplius quam par ſit in quacunque re, quis habere uel pollere, ſeu excellere uelit, Ariſt. περὶ ἀρετῶν. Comites iniuſtitiæ, calumnia, iactantia, ſimulatio, caliditas, dolus, fraus, malignitas. Iuſtitiæ duo extrema uitioſa: in exceſſu uelle nimium haberi iuſtum: ſic enim Eccleſiaſtes monet c. 7. noli eſſe multum iuſtus, & Eccleſ. c. 19. eſt iuſtus qui ſe nimium ſubmittit, multa humilitate. Sicuti nimia religio, hoc eſt, non limitata cancellis rationis, tranſit in ſuperſtitionem, de qua poſtea. In defectu autem, dũ quod iuſtum eſt, non fit, ubi uia ſpatioſa quam multi ſequuntur, tritaq; perditorum & ſtultorum infinita multitudine.

De prudentia. *Cap.* 6.

MOnet Deus, ut ſimus prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices, ut columbæ, Matthæi 10. Proponit, & c. 25. exẽplum imitandum uirginum prudentium: itẽ Lucæ 12. fidelẽ & prudentem diſpenſatorẽ, præcipit & D. Paulus ad Titum 2,

ut simus prudentes. Quæ omnia, omnes uirtutes nobis proponunt sub nomine prudẽtiæ, quia nulla uirtutum prudẽtia uacat, si credamus Cicero. 5. Tuscul. Atque, ut ait Hierocles in cõmentarijs ad carmina Pythagorica, illud iustũ est, quod perfecta prudentia circunscribit. Et ut D Aug. lib. 83. quæstio. q. 31. Prudentia est rerum bonarum, malarum, & neutrarum scientia, firmatq; lib. 19. de ciuita. Dei. c. 4. Etenim prudentia quæ est in animæ rationabili parte, quæ opinatiua dicitur vel æstimatiua, sine arte & sola sua ui, consulere potest quę sibi & alijs bona sunt & mala, ut colligitur ex disputatione Aristot. lib. 6 Ethico. c. 5. & libello de uirtutib. Et per illam consentiente Ciceron. 3. Rhetori. ad Heren. possumus habere delectum bonorũ & malorum, in quibus illa uersatur. Sic in corde prudentis requiescit sapiẽtia, & ipse quoq; erudiet indoctos, prouerb. c. 14. ita illa eadem bona, aut adipiscitur, aut tuetur, aut adauget, aut utitur illis sapienter, ut notat Plutar. orat. consolato. ad Apollo. docetq; quid sequendum, quidve fugiendum in omni uita. D. Aug. sermo. de prudẽtia ad eremitas, ad prudentiæ munus pertinet, authore Macrob. in Som. Scipio. lib. 1. c. 8. ad rationis normã, quæ cogitat, quæve agit, reducere, & humanis actibus prouidere. Quare assident ei ratio, intellectus, circunspectio, prouidentia, docilitas, cautio, sicut & Cicero 2. de inuentio. partes alias prudentiæ dicit, prouidentiam, memoriã, intelligentiã ad humanorum actuum utilitatem. Neque enim, ut scribit Philo Iudæus, lib. 1. legis allegoria. prudentia est, solũ uerbis sapere, sed opere spectatum esse, actionibus ad uirtutẽ compositis. Proprie autem uirtus hæc est eius qui præsidet, non eius qui subest, sententia Aristot. 3. polliti-co. c. 3. proinde apud Platonem in Alcibiade 2. uel de uoto, prouidens dicitur sufficiens consultor sibi & patrię, imprudẽs contra. Et in Lyside uel de amicitia, prudentibus res cõmendandas censet & ducatum aliorum. Neq; quippiam efficacius etiã ad habendos obedientes milites Cyrus ex consilio aui apud Xenophon. lib. 1. Cyripæd. dicebat esse, quam ut dux prudentior esse uideatur. Et Eccles. c. 10. ciuitates inhabitabũtur per sensus prudentum. Et firmissimum propugnaculum ciuitatis apud Philonem lib. de sacrificio Abelis, cogitationes amicæ prudẽtiæ: ideo, inquit ad Nicoclem in Euagora orat. 4. Isocrates, uos qui dominamini, pluris facere oportet prudentiam. Prouidentiã & prudentiam idem esse plurimi sentiunt,

nisi

nisi quòd prouidentia generalis, prudentia specialis: cũ tamẽ & prouidentia sit de singularibus, de quibus non late in com mentariis Transcendentiũ, cum explicauimus synopsim. lib. 4. Syntax. c. 5. ubi agitur de prudentia & prouidentia, & de diuisionibus eius. Hanc uirtutẽ ex siccitate hominis parari Galenus ait, ueluti ex humiditate dementiã, lib. quod mores animi sequantur temperamentum corporis; melius tamen, quam quam & conferat aliquid ea dispositio corporis, respõdit Plato dialo. 26. in Phędro uel de pulchro. prudentissimũ efficere diuinam philosophiã scilicet, ut ait Macrob. lib. 1. in som. Scipio. c. 8. mundũ ipsum & quę mundo insunt despicere, omnẽque animæ cogitationẽ in sola diuina dirigere: eam quoque perfici tẽpus & longa experientia, obseruatioq; euentuum, cũ legitima ratiotinatione, dicit doctrinam & usum Marsil. Ficinus in argumento in Menone Platonis: uim quoque addit a natura illi Cic. 1. de legib. & Iob 12. in multo tempore prudẽtia, in tempore inquam considerato & obseruato: Alioquin, ut ait Isocrates in Archidamo orat. 14. quantum ad prudentiam pertinet, non multitudine annorum, sed ingenio & cura distamus. Quocirca in prudentia, ut ait Cic. 1. offic. hęc cõcurrere debẽt, amor ueri, meditatio animi, perspicacitas eiusdem, inuestigatio ueri, uel diligentia inquirendi, cum cogitatione, memoria, deliberatione, delectu bonorum, studio, & scientia: quibus monemur, ut nisi ea omnia cõsequamur, nostræ sententiæ ne fidamus, sed prudẽtes alios cõsulamus: quo referendũ quod scribitur Prouerbio. 3. ne innitamur prudentiæ nostræ: & ad Rom. 12. nolite fieri prudentes apud uosmet ipsos: & Eccles. 9. cũ sapientibus & prudentibus tractandũ esse consiliũ: paucorum enim sapientiam & iudicium, potius, quam plurimũ insipientium uereri oportet, ut ait Plato in cõ uiuio. Cùm tamen plerique philautia hallucinati, sibi nimiũ sapere uideantur, quales tumidi philosophi, qui dicẽtes se sapientes stulti facti sunt, & euanuerunt in cogitationibus suis, ut ait D Paulus ad Roma. 1. Inter ea quæ prudẽtiæ sunt, uidetur Ælianus lib. 2. de natura animal. cap. 1. sagacitatẽ naturalẽ referre animalium, quæ sibi quodammodo in futurũ prospiciunt, instinctu tamen naturali, quodq; se muniant contra pericula, & in apibus lib. 5. c. 11. Cæterum ut iam in iustitia pręmonui, hanc reiicio a numero uirtutis, cum nulla insit illis uoluntatis ratio, quæ fundamentum uirtutum est.

De

De Imprudentia. *Cap.* 7.

COntrarium prudentiæ uitium est imprudentia, quod est rationalis partis male & improuide uiuendi causa, Arist. περὶ ἀρετῶν. Cui inest motus animi inconsideratus, affectuũ inscitatio, imperitia, dementia, obliuio euentuum, philautia, delectus malus, & præceps, stultitia, temeraria actio &c. eius excessus in temere præsumendo & ultra quàm fas prouidendo: defectus autem in non perspiciendo. Affinis huic uitio, prudentia falsa, quæ uere prudentia non est, & tamen esse uidetur: ueluti prudentia huius mundi, mors est & imprudentia apud Deum, ad Roma 8. dum quis prætermissis diuinis, inferiora appetit, dũ uoluptatibus se polluit &c. ut ait D. Augusti. lib. 83. quæstionum quæst. 65. Sic uillicus iniquitatis, prudenter hac cautione humanarum rerum, dicitur se gessisse in subuertendis rationibus domini sui apud D. Lucam. cap. 16. & prudentiores filij huius seculi filijs lucis, id est, diligentiores in procurandis rebus humanis, quam filij lucis sint in tractandis rebus diuinis eod. cap. 16. Luc. Ita diuersis respectibus quis prudens, id est, prouidens suis negotiis, & imprudens dicitur. Verùm is qui in malis solers & diligens est, si de uirtute agimus, imprudens est: quia salutem suam stulte prætermittit, nec curam sui uere habet, quantumuis inani impiorum opinione prudens uideatur.

De fortitudine & magnanimitate. *Cap.* 8.

HIc de uirtute fortitudinis agimus, non de robore athletico, quod uocat etiã Plin. fortitudinẽ, dum artubus ualidis, firmioribus musculis, & mẽbris, quis præualet, cuiusque exempla refert lib. 7. c. 20. & 28. Talis Sampson. Hercules, Herilus, Vergilio 8. Æneid. Milo Crotoniates, Gellius lib. 15. ca. 16. Cælius lib. 5. c. 21. Titermus Busequa Cælius lib. 11. ca. 69. Cacus. Ouid. 1. Fasto. Monychus Centaurus Lucan. 6. Pharsal. Ouid. in Ibin. Cleomedes Astypaleus, Plut. in uit. Romu. Crinitus lib. 15. c. 3. fortitudo itaq; ut uirtus, est quã uocat Senec. lib. 4. de uirtutib. magnanimitatẽ, in ea animę parte quę facile incitatur terroribus, ob quã quis nõ cõcitatur per illa quæ mortẽ minantur: & in summa nec aliud est, quàm in difficilibus

bus & arduis seruare alacritatẽ,ad subeũda pericula,& animis abundare:magis præclare mori quã turpiter uiuere, seruari ins cupere.Hanc comitantur constantia,& grauitas(teste Suida in uerbo ἀρετᾶ,) atque animositas,generositas,fiducia, sedulitas,& tolerantia.Cicero quoq; 2.Tusculan.q & li.3.rethor. ad Heren.& 2.de inuent.addunt alios comites,magnitudinẽ animi, grauitatem,patientiã, humanarum rerum despiciẽtiã, perseuerantiã.Verum inter patientiam & fortitudinẽ animi, idem Cicero in partitio.orator interesse scribit,quod uenientib. malis obstet fortitudo:at patiẽtia adesse ostẽdat,quia qui tolerat,perfert. Cui subscribit D Aug.li.83.quæst. quæst.83. & li.de libe. arb.c 13 Arist. 3.ethico.c.6 fortitudinem ponit circa terribilia,sed nõ circa quælibet,uelut in perferenda infamia,paupertate,morbo,aut in maris periculis;sed circa periculum bellorum;uerum alii latius,ad mortis quemlibet contemptũ,uirtutis & boni causa extẽdunt.Sic cõstãs ille animus in Dei fide martyrũ,fortitudine plenus dicitur,qualis S. Stephani actuũ 6.Et apud gentiles inuictus animus in tormentis ut fortitudo celebratur Socratis in pædore carceris, in hastu cicutæ:Miltiadis,in uinculis;Themistoclis, Rutilii, Metelli, in exilio;Reguli,in tormentis: & aliorum in aliorum terribilium magnifico contemptu. Atq; Plato in Protagora,absolute dixit,fortes esse circa metuenda;Et Cicer. rhetoric. 3.fortitudinem dixit esse rerũ magnarum appetitionem, & rerũ humiliũ contemptum,laborum cum utilitatis ratione perpessionem.item 3. de finib. fortitudinẽ in laborib. periculisq; cerni: & D. Ambr. lib.1.de offic. fortem in contemptu periculorum, & ultra in constantia aduersus uitia constituit, in extraneorum quoque contemptu,& corporeorum,inque uirtutum audaci persecutione. D. Hierony.in Ioelem,fortis uiri etiã esse ait,nec aduersis frangi,nec prosperis subleuari, sed in utroque moderatum esse.Multa alia de fortitudine,Seneca li. 14. epist. 91. & lib.2. epist. 37. ubi de duplici magnanimitate, quæ extra bellorum periculo,fortitudinem adstruunt. Cæterum, nec tolerantiam omnium, animi fortis esse, quisquam sibi debet persuadere. Sed eã tantum quæ prudẽtię est, ut monet Plato in Lache,& Cratylo,quod a notatione nominis euincit quoq;:nã fortitudo,ἀνδρία,Græcis dicta est, quasi uirilis,quia ἀνὴρ uir dicitur.uel ab ἀναῤῥόη,sine fluxu, quod non defluat.Estq; fortitudo mediũ inter temeritatẽ & timiditatem,

tatem ut ait Plutar. lib. de uirt. morum. Quamobrem illa quę non est prudentiæ, temeritatis esse uidetur, ea & infœliciũ hominum periculis se exponere, ut uitã contemnentes, cũ tamẽ propter uirtutẽ mortem uitæ præponere, fortitudinis sit, Proprîũque fortitudinis est, nihil nisi turpia timere, ut ait Macr. li. 1. in som. Scipio. c. 10. uitium itaque aduersum magnanimitati uel fortitudini, reprehensibilis uitæ cõscientia erit, ut scribit Seneca 4. de uirtutib. & Cicero. 1. officio. tradit, fortitudinem rectè ab Stoicis dictam uirtutem propugnantẽ pro æquitate; Nã ea animi elatio, quæ in contemnendis periculis, si iustitia uacat, quę ne pugnat non pro societate cõmuni, sed pro suis commodis, in uitio est, non uirtutis, potiusque immanitatis. Rursumque 4. Tusculan. uariis adductis finitionib. docet fortitudinem esse tolerantiam cum obtemperatione summæ legis, nõ in ira uel furore sitam: siquidem ea iram moderatur ratione. Et Galenus li. 7. de placi. Hippocra. & Plato eius uirtutis sedem constituit ea in parte animæ, quæ irascibilis dicitur, Philo autem Iudæus lib. 1. Allegoria. legis, in pectore.

De diuisione fortitudinis. Cap. 9.

ARistoteles libr. 3. Ethico. ad Endemum, quinque species fortitudinis facit, in quibus eadem quis sustinet, sed non ob easdem causas: quarum illa perpetuo retinenda pro uera uirtute est, quæ cum ratione sustinet & metuit quæ ratio metuenda suadet. quo fortis differt ab audace, qui metuenda non metuit, & omnia temere aggreditur & suscipit: & a timido, qui omnia metuit & formidat: in medio quorum est fortitudo, ut ait D. Aug. epist 29. ad Hieronymum. Prima porro species fortitudinis Arist. est ciuilis, a uerecundia orta. 2. militaris, ut auxilia horribilium cognoscantur, ex peritia nata. 3. ab ignorantia horribilium, qualis est puerorum. 4. ab spe, ut qui uino inebriari sibi persuadent, quia uinum spem addit. 5. est ex affectuum impotẽtia, ex cõcitatis animis, quomodo feræ sunt fortes, & de hac fortitudine loquitur Ælianus li. 4. c. 1 de natur. animal. dum laudat fortitudinem perdicum pugnãtium præsentibus uxoribus. & libr. 5. capit. 11. de fortitudine apum, in defendendis aluearibus, & libro sexto. capitulo 1. dum ait bestias seipsas ad fortitudinem exercere sine magistro exemplo apri, leonis, tauri, elephantis. Verũ sola magnanimi.

nimitas & fortitudo illa est quæ rationem habet coniunctam aliter illaudabilis & peruicacia;quamobrem fortitudini sociã da est mansuetudo, quæ iram moderatur, ne impetu, ut bellua, feratur, ut ait Arist. lib. 1. magno. moral. cap. 23. neque enim efferati animi fortes sunt, Arist. lib. 8. polit. capitulo 4. D. Aug. adhuc inter fortitudinem ethnicorum & Christianorum differentiam adhibet, lib. de uera innocentia cap. 295. nempe quod fortitudinem gẽtium mundana cupiditas fecerit, fortitudinem autem Christianorum, Dei charitas, quæ est diffusa in cordib. nostris. Diuidã & fortitudines rursum, pro rerum quib. adhibetur distinctione, in corporis & animi. Corporis, in armis, musculis, neruis, robore, consistit, & similibus. Animi autem fortitudo uel priuata & domestica: uel ciuilis, uel bellica, uel togata; bellica apparet, in sustinendis & repellendis periculis, inuadendo aut defendendo: togata seu philosophica, in studio uirtutum perficiendo, in libertate dicendi, fiducia consilii; in contemptu honoris, imperii, diuitiarum, doloris, exilii, egestatis, minarum, pœnarum, & cap. in moderatione animi, in abstinentia potissimum libidinis, luxuriæ, uoluptatisque, in grauitate, liberalitate, & similib. uirtutibus. Cætera patent.

De timiditate, & alijs uitijs fortitudini repugnantibus.
Cap. 10.

FOrtitudini in excessu repugnat amentia, audacia, immodestia, elatio, arrogantia: cupiditas honorum; pecuniæ & principatus: superbia inhumanitas, pertinacia, confidentia factio, seditio, crudelitas improbe dicta mordacitas, detractio austeritas. In defectu autem, uitia in fortitudine desperatio, stupor, pusillanimitas, mollities, diffidentia, studiũ sui, ignauia timor, & metus sine ratione laborum, mortis, periculorum, exilij, offensionum, repulsæ; molestiæ, inopiæ, infamiæ.

De temperantia & continentia. *Cap.* 11.

TEmperantia, uirtus est concupiscibilis partis, per quam a malorum rerũ appetitibus reddimur alieni, prout lex iubet, Arist. libello de uirtutib. & 1. rethor. ad Theod c. 9. Priuatorum hęc, & maxima ciuitatum & quietis uirtus, Isocrates

orat.

orat.13.de pace,& 3.ad Nicoclē. Versatur autē circa uoluptates & dolores,non omnes quidē,& minus circa dolores;inter hæc enim mediocritas,ut explicat lib 2. ethico.c.7.& libr. 1. magno.mora. c.22.circa uoluptatem itaque potissimum corporis,& quæ consistunt in gustu & tactu,nō quæ animę sunt. Arist.problem. sectio. 19.q.2.& in 3.ethico.ad Eudemū & 3. ethic. ad Nicoma. cap.10.Comitantur temperantia, ornatus modestia,teste Suida. Et Plato dialo.3. de repub. ei attribuit obedientiam magistratuum,quod ad subditos pertinet.quantum autem ad principes, ut a uenereorum , epularum,cōpotationumque usu. continentes sint. Et in Charmide seu de temperātia,illius esse dicit omnia quiete agere,quiete & ambulare & loqui,item pudorem,& reliqua omnia quę in mensura consistunt. Qua ratione certe, & uirtutum omnium fiet aggregatio temperantia,non propria uirtus.Eadem fere sentit Seneca lib.de uirtutib. dub.eam nomine continentiæ,explicat. At Cicero, lib. 1. de finib.bonor.& malor.tradit temperantiam mouere nos in rebus aut expetendis aut fugiēdis, ut rationem sequamur,nec satis esse iudicare quid sequendū sit,sed ibi stare oportere. Zeno autem continentiam seu temperantiā affectionem dixit insuperabliem rectæ rationis, siue habitum uoluptatibus inuictum. Et D. Augustin. libro 83. quæstio,qu. 31. moderatam dixit dominationem rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animæ.Et 1. de libero arbitrio cap. 13. dicit esse cohibitionem animi ab his quæ turpiter appetuntur. Macrob. quoque libro 1. in som. Scipio. temperantię tribuit, nihil appetere pœnitendum , in nullo legem moderationis excedere, iugo rationis cupiditatem domare,quę mutuata sunt ex li.4.Xenophontis de dict. & fact. Socra. Huc pertinet pręceptum,non concupisces &c. Exod. 20. Deutero.5.7. & Eccles. 25. quo prohibetur furtū, adulterium,luxuria , & cupiditas alienorum omnis,& reuocātur homines ad temperantiam,id est,ad uirtutes. Nam sicut omnis uirtus in mediocritate consistit, a defectu & excessu utrinque;ita temperare se a malis,nihil aliud est , quam in mediocritate illa consistere:ut contra, concupiscentiæ nomine, quæ cancellos rationis & mediocritatis transcendit,omne uitium cōtinetur,fomes & fomentum omnium malorū . Ita & radicem eorum, dixit D. Paul. 1. ad Timoth. 6. & Isido. lib. 2. de summo bono c. 41. Nā ex concupiscentia & cupiditate
incen-

incenditur animus ad habendum uel faciendum quod non licet:& dum passiones illas conceperit,generat peccatum:peccatum autem consummatum mortem parit.Iacob.1. cui morbo obuiam in temperantia,per continentiam. continens năque,temperans est : ut ait Arist. lib. 2. magno moral.capit. 6. ubi & fuse singula prosequitur. Sic Cice. 2. de inuen io continentiam describit esse , per quam cupiditas, consilii gubernatione regitur ; siquidem si alio modo quam per rationem cupiditas cohibeatur, tẽperantiæ uirtus uel continentiæ non est;ueluti,si ui uel aliter cõpescatur,ut in eunuchis tẽperantia uenereorum recte non nominatur,ut ait Philostra. libr.1. de uita Apollo. Tyanei,ca.2.Sunt quippe uirtutes ex uoluntate metiendæ,& hæc potissimum cum non coinquinetur corpus nisi de consensu animæ. Quo fit, ut non possim probare sententiam hic etiam Æliani,qui libro quinto de natu.anim. c. 11.temperantiam communicat brutis , nempe apib. eo quod illæ feruntur odisse eos,qui unguentis de libuti sunt , & qui recenter a uenere ueniunt Dumque dicit temeratissimum in uictu capitonem piscem libr.1. cap. 3. Et lauda- lib.2.c. 26. aquilę temperantiam,quod sitim patiatur, nec se puluere uolutet,ut cæterę aues. Dumque scribit lib.5. c. 16.de muscis quæ in pysatide,eas quando festum celebratur olympiorũ,uoluntarie abesse,& abstinere se a carnibus sacrificii, discedereque ultra Alphenum fluuium,nec redire nisi peractosacrificio.Nã hæc omnia & similia non rationis,non uoluntatis sunt;ut virtutis nomen habere mereantur,non magis quam si quis uideat Oetes a culcibus immunes,Melinntium uineas a campis possunt enim hæc esse physica,& odio naturali aliquarum rerum ut serpentes ex ædibus odore pelluntur rutæ:formicæ ex latebris,sulphuris & origani suffitu:Mustella,odore ustæ felis. Refert & Ioannes Baptista Albert.lib.10.de re ædificat.ca. 15. quod dens caninus , una cum cauda pedibusue in aula sepultus (ut fertur) muscarum molestias abigat.

De diuisione temperantiæ. Cap. 12.

ERgo in summa,colligamus ad temperantiam, modestiã, seu decorum,pertinere quædã generaliter, quædam specialiter.Generaliter temperantia,virtutes omnes continet,ut iustitiam,fortitudinem,prudentiã,&c.habetque in iustitia tẽpe-

peramentum circa personas, circa res & actiones, & iudicia, in bono & æquo, in pœnis imponendis, in munerandis bonis, in continendis populis, legibusque decernendis, magistratuumque dignitate conseruanda; in prudentia, consiliorū directionem, taciturnitatem, opportunam grauitatem, &c. in fortitudine, patientiam: & sic de aliis. At particulariter, temperātia moderatur appetitus, perturbationes animi, constantiam retinet & castitatem, modestiam, pudicitiam, impetus reuerentiam tranquillitatem, concordiam, pacem, ordinem, ornatum cultumque mundum, & gestum corporis & orationis decorum, studiaque licita.

De intemperantia. *Cap.* 13.

IN continentiæ & intemperantiæ, contraria superioribus in sunt. [illegible] q; breuiter, qui contra rationem aliquid agit, quine cupit, incontinens est, Arist. problema. sectio. 28. qu. 3. ideo qui uenere & cibis immodice utuntur, incontinentes uocantur, eadem sectione 28. quęst. perpetuunturque bellum tēperantiæ cum uoluptate irregulari & libidinibus, ut ait Philo Iudæus li. de opific. Dei, & Cic. 3. offic. in fine. Familiares, pedisequę turpissimæ & impiæ huius intēperantiæ sunt, ingurgitationes, uomitiones, lues, morbi; infiniti, de quib. Arist. libr. problem. sectio. 28. q. 1. Lasciuia, petulantia, garrulitas, immūditia, ebrietas, fraudes, discordia; rusticitas in moribus, gestu, motu, incessu, statu, sessione, ore, risu, sermone, &c. In animis, imprudētia, mollities, ignauia, fraudes, iniuriæ, bruti appetit⁹, inobedientia, uitia, immodestia, impudicitia, & reliqua quæ repugnant his quæ erant ex famulitio temperantię. Ad intēperātiam, Arist. lib. de uirtutibus refert, sequi uoluptates noxias, facetos, dicaces, urbanos, uersutos in uerbis & rebus; & comites, perturbationem, impudentiam, confusionem, incuriā, neglıgentiam, dissolutionem, & incontinētiæ comites, mollitiem quoque & pœnitentiam.

Distinctio uirtutum principalium, quas cardinales dicunt, & theologicarum. *Cap.* 15.

QVatuor superiores uirtutes, dicuntur cardinales quod circa illas ut circa cardines ostium, reliquæ uoluantur,

uel

uel ut mihi placet, quod illæ perniç & ianitrices sint ad maiores, de quibus dicemus, nempe ad fidẽ, spẽ, & charitatẽ. Quę diuinæ sunt & theologicæ: per priores ad proximum actus diriguntur, & ad humanæ societatis conseruationẽ, per habitus acquisitos ex frequenti usu: at istæ Theologales, actus mouẽt ad opera, rationibus sumptis a iure diuino, per infusionem & donum Dei concessæ, discretiuę actuum in Deum, in quibus habitus generat actus. Nec uirtutes priores per se sine alijs sufficiunt Christiano ad salutem consequendã æternam. Sicque Proclus episcopus Constantinopolitanus, epistola ad presbyteros Archimandritas per Armeniam, insinuat, dum ait. Omnis Christianus, qui nõ est diues fide, spe, & charitate, id quod dicitur, non est: Sed etsi uideatur suum corpusculũ castigare, & liber esse passionibus, in mortalem tantum uirtutem iste proficiens, nequaquam coronam uictoriæ consequitur, utpote qui non se ad illum per cognitionem diuinitatis extenderit, qui coronas tribuit ijs, qui fortiter per uirtutes luctantur. Et D. Ambros. tomo. 4 in psalm. 1 uirtutes sine fide folia sunt, uidentur uirere, sed prodesse non possunt: agitantur uitio, quia non habent fundamentum.

De fide in genere quid. Cap. 15.

Speusippus lib. de definitionib. Platoni. Fidem dicit esse rectã præsumptionẽ, quod sic res se habeat. Ciceroni in partitionib. fides est firma opinio. Et fides, inquit Simplicius, in comment. in lib. 2. Arist. de anima, particu. 6. approbationẽ & consensum sequitur: Nam antea diiudicauit quam cognitũ fuit, uerum esse, atque ita assensa est: id enim ipsa est fides. Cicero 1. offic. fundamentũ iustitiæ est fides, id est, dictorũ conuentorumq; constantia & ueritas: ex quo, credamus quod fiat quod dictũ est, appellatũ fidẽ. Et rursum li. 11. familia episto. Tyroni scripta omniũ 406. Tu musis nostris para, ut operã reddas, nostra ad dictam diem fient: docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet. Significãtius autẽ, fides erit persuasio, ꝙ credimus seu putamus, tale esse, fuisse, uel futurũ ita πίσις Græcis fides, a uerbo πείθομαι persuadeor, & tertia persona præteriti πέπεισαι persuasus est, unde mutata diphtongo, ει, in ι, fit πίσις, persuasio. Sic apud Hebræos אמונה amunah, fides, a radice אמן probabile fuit, inde אמן amen, quasi האמן

uerum fiat, uel נקיון kium firmum fit. In fide est ignoratio causæ, tamen effectus cognoscitur, ut in plerisque rebus humanis. Et religiosa quidem est fides, ubi etiam est naturalis inscitia: aliter enim esset scientia, ut ait, D. Hilarius lib. 12. de trinitate. Cõuenit D. Pauli finitio ad Hebręos c. 11. Fides, est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium. Sic ubi ratiocinatio deficit, incipit fides, ut ait Paulus Orosius lib. 6. capit. 1.

De diuisione fidei, & quod innumera pene negotia ex fide, & quod credamus, pendeant. *Cap. 16.*

FIdes cum sit eorum quæ non apparent, & quæ futura esse certo existimamus, pro modo eorum quæ cadunt in credulitatẽ distinguitur: quamobrem alia est fides humana, hoc est, de rebus humanis, & cum humanis fidimus, alia fides diuina, quando certo credimus, & esse putamus & futura diuina, quæ non cognoscimus aperte, sed effectus uidemus. Ita fere nihil est in hoc seculo, quod partim nobis non innotescat ex fide: potissimum si amplectamus quod Democritus tradidit, ueritatem in puteo esse demersam, ut percurrimus in commẽtarijs in prolegomena syntaxeon. Quin nec corpora ipsa esse, sine ratione alia, quam per fidem adhibitam sensibus credimus, ut notat Lucret. 1. de rer. natu.

Corpus enim per se communis dedicat esse
Sensus, cui nisi prima fides, fundata valebit.

Et in uniuersum, omnib. horis credit uita humana, inquit Plin. lib. 28. c. 2. Seminat agricola ea fide impulsus, quòd credat uenturos imbres, & solis calorem: contrahuntur matrimonia in fide prolis futuræ: traduntur præceptoribus discipuli, quòd putent in eos eruditionem transfundi posse; imperij insignia sumuntur, dũ credimus populos obtemperaturos: fide, nautæ ligno se cõmittunt fragili pelago: fide, quod scriptũ in annalibus inuenitur, credimus fuisse. Sunt his similia quę bellissime prosequitur Eusebius Pamphilus lib. 1. de prępar. euág. c. 3 Fide omnes obligationes fere contrahuntur, unde creditores dicti, quibus debetur ab iis qui fidem suã obstrinxerũt, ut in epitome iuris ostendimus, dum de cõtractibus agimus: & fide res suas, negotia, imo se, filios, & uxores homines alijs cõcreduut & committunt; Et cum de futuris, de occultis cor-

dium cogitationibus non liceat homini iudicare, uerbis & promissionibus nos exponimus. Quo factum est, ut cum maxime ea fide in societate humana opus sit, nec aliter commode uiuere possimus, fides quoque publico consensu exsoluēda sit ab hominibus, & contra eos qui credentes fidei alterius decepissent, pęna uaria cōstituta. Proindeq; fides tanquā numē eximium olim cultum, & templum accepit apud Ethnicos, a Numa Pōpilio primum iuxta Iouem in Capitolio, ut author Dionys. Halicarnas. lib. 2. & Cic. 3. Offic. Plutarch. in Numa. Pœnæ in fœdifragos quamplures; & ad deuinciendam adhuc fidem amplius, alia addita, ut iuramentum apud Cicero. in fine 3. offic. & ex iure ciuili & gentium formulæ contrahendi, stipulationes, fideiussiones, de quibus apud Iurisconsultos fuse tractatur. habitumque graue fidem fallere. Committimus nos autem fidei, uel credimus aliquid; aut ratione authoritatis & exploratæ integritatis in alijs, aut similibus, aut multorum testimonio inducti, aut uerisimili, aut legis remedio ad reposcendam fidem suffulti, aut necessitate compulsi, quia alia uia non possumus res pertingere.

De inconstantia fidei rerum humanarum. Cap. 17.

MVlta certe possunt animum inducere, ut pollicitū speremus, uel factū fuisse, uel futurum credamus. Cęterū si a cōmuniter accidentibus, & quotidianis exēplis, naturaq; inconstantiæ humanæ uelimus res perpendere, uix aut nunquā fidē inter hæc caduca habendā uel dandā esse cognoscemus. usq; adeo enim fides hæc fragilis est & incerta, subdola & inconstās, ut Dion Prusiens pulcherrime ostendat libello proprio περὶ τῆς ἀπιστίας, id est, nulli rei esse fidendū; Sicut Epicharmus quoq; dicebat, νᾶφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, sobrius esto, & memento nulli fidere. Et Vergil. 4. Æneid. Nusquā tuta fides. Et Dauid psalm. 145. Nolite confidere in principib. in filijs hominū, in quibus non est salus. Et Ierem. c. 17. maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachiū suum, & a domino recedit cor eius. Quid enim est firmum in hoc seculo, in quo anchoram figere, ut immobilē posimus & fidere, ubi omnia uariationibus & corruptionibus sunt obnoxia? amicis ne aut consanguineis fidemus? at illos uidemus quotidianis litibus sese diuexare, insidiari mutuo, fraudare, a

quibus non caueatur occidi, uel intercipi potius, quam ab extraneis, a quibus cauetur. Qui amici sunt hodie, leuiori causa hostes fiunt seueriores, ut quidā dixerit ita diligēdū, ut simus aliquando osuri. Quemadmodum quando mare placidum est, ut quilibet tuto etiam pauidissimus se ei possit cōmittere, tamē nauta sapiens expertus pericula nō omnino ei fidit, sed naues anchoris, funibus, clauis, & alijs necessariis saluti nauigantiū instruit, ut aduersus concitatū, & incūbentibus postea uentis, resistere ualeat tēpestatibus. Medea salutem pro liberis suis sæpe Deos rogauit, postea cruente occidit: sunt tot parici darum, tot proditorum exempla passim cognita, quæ nos mo nere possint nec esse omnino fidendū hominibus, non proxi mis, non amicis: ut leue sit obiicere fidem celebratā Orestis & Pyladis: Thesei & Pyrithoi: Achillis & Patrocli, tria scilicet amicorum paria reperta per tot annos & secula, in quibus inuenias solem sæpius defecisse. Quamobrem cum hæc percur rit Polynices apud Euripidem, in Phænissis actu 2 ait,

ἐυ πράσσε, τὰ φίλων δ' οὐδὲν, ἤν τις δυσυχῇ idest,

Fœlix ut sis, uel, ut bene rem geras precare, nihil amici sunt, si quis afflictus sit. Et ut Horatius lib. 1. ode 35.

Diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre iugum pariter dolosi.

Et Silius Italicus lib. 11.

Stat nulla diu mortalibus usquam,
Fortuna titubante, fides.

Infidi iuuenes, infidę mulieres, ut ideo cum utrisq; cōtrahe re lex inhibeat. Seruis nemo minus fidit, uulgus mutabile: leges fraudibus, dolis, ambitione, diuitiis, misericordia umbratili, dilationibus intercipiuntur, corrūpuntur, tolluntur. Iuramentū quandiu nō datur soluendi occasio, seruatur: at si quis utiliorē uideat successum, & numen & pacta contemnit, ut nihil hodie iuramentū aliud sit, quam simulatio, inescatio & uelū, quo facilius in laqueos infidi incidat quis, alioquin nō decipiendus. Nec est quod ad hospitalē fidem prouocemus: nūc enim nulli magis infidi & proditores, quam hospites. Lycaon hospites iugulauit: Alexander Paris hospitio a Menelao susceptus, Helenā, eius uxorē rapuit. Minus etiā cōmesalibus fides, ij enim interdū, ut anates ad mortē inescātur & nutriūtur. Ad pollicita & contractus si uenias, pollicitis diues quilibet

bet esse pōt:si instes, lis uita longior, uita morte acerbior instat: si debeas, urgeberis: si repetas, amicos inimicos habes: si speres, ī fide decipieris: Sic Theognis optime, πίστει χρήματ' ὤλεσα, ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα id est, fidē habendo pecunias amisi: diffidendo seruaui. Si a relatis, historia ethnica iādudū pro salute animæ rationē subducas de fidē, quid uidebis infidelius ipsa hominum infidelitate? quot magni nominis uiros intuberis in paganismo, fide, uel infidelitate maiorum deceptos? ideoq; reges, puros & impios homines, uitia, uirtutes, meretrices, dæmones, ligna simplicia, æs, argentū & reliqua idola uenerati sunt, ut numina? Quot uidebis pugnantes sententias in narrāda historia? quot adulationes, quot prætermissiones, quot errores? ut certe nihil sit horū aliud fides, quā opinio aliena a ueritate, uel ipsissima falsitas credulitate exornata. Quamobrē in hac humana fide, nihil præter nomē & inanē spē inuenire poterimus, nō aūt uirtutē quam quærimus. Ideo de ipsa seorsum agemus. Antea tamen ne irrepat error in tractatione, acceptiones uerbi fidei insigniores præfabimur.

De nominis fidei acceptione. Cap. 18.

Fides 12. modis accipitur, primum pro sacramento baptismi, unde fideles, quia fidem ibi susceperunt, ut habetur in Toletano concilio relato in cano. de iudæis 45. dist. in decreto Grat. 2. pro castitate in matrimonio seruanda, quia eius ibi fides data sit, sic dicitur prima despons. fides, apud Isidorū lib. 9. Etymolo. c. 7. quod translatū a Gratiano in can. coniuges. 27. q. 2. 3. pro cautione & securitate, quæ hosti etiā seruanda, de qua agitur in conuentionib. cano. noli. 23. q. 1 hinc fides pactionis, & consensus in c. 1. de sponsal. 4. pro conscientia, ut ad Roma c. 14. omne quod non est ex fide, peccatum est: id est, quod fit contra fidē, id est, inquit glossa interlinearis, cōtra conscientiā. 5. pro credulitate non uisorum: eoq; refertur quod dicimus, non habere fidem ibi meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Inde fidē facere, est probare, ut Genes. 39. uxor Putipharis, in argumentum fidei, retētum pallium ostendit, hincque tituli de fide instrumento. 6. pro cognitione quæ habebitur in gloria æterna seu patria æterna, pro fide formata, ut usurpatur ad Roma. cap. 1. Iustitia, inquit, Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, hoc est, secundum

glossam,ex fide informi procedendo ad fidem formatã. Fides informis ibi est sine charitate: fides autem formata cũ charitate, per quam fidei formatus habitus, fit actus meritorius, talisque formata fides uiuificat, & iustificat perfecte: sicuti dicitur Abacuch c.2. iustus ex fide uiuit, id est, uiuit æterna uita, quæ est merces fidei. 7. pro æquitate actionum, sic contractus & iudicia bonæ fidei. 8. pro fidelitate & fiducia, uel spe, quã quis in alio habet. Vt prouerbio 2. uirum fidelem quis inueniet, pro auxilio, ut recipere in fidem, id est, tutelam. Genes. 44.9. pro simplicitate, ut fidelis innocens sit: inde homo bonæ fidei, non nocens 22. q.4.10. pro eo quod contrarium dolo est, pro legalitate c. bona fides, de deposito. 11. pro symbolo & articulis fidei christianæ. ita fides dicitur catholica, pro eo quod firmatur & nititur authoritate diuina, & pro eo quod creditur a Christiano. Porro Symbolum fidei cõcipitur quinque modis, eiusdem tamen substantiæ: primum itaque Symbolum quod fuit traditũ ab apostolis, incipit, Credo in Deũ patrem omnipotentem &c. ubi est simplex, fidei confessio. 2. est Nicenum compositum anno Domini 328. in Synodo Nicena latius, contra Græcos, qui non credebant spiritum sanctum, c. penul. & fina. de consecrat. dist. 5. c. 1. de summa trinit. in 6. decreta. Et contra Arrianos qui negabant patri filiũ esse consubstantialem & coæternum, diuersas in trinitate substantias impie ponentes, can. quidam. uers. Arriani 24. q. 1. Quod Symbolum habetur in cano. canones 15. dist. libr. 1. histor. tripar. c. 8. & toto 2. lib. Rufin. lib. 1. c. 6. Nicepho. lib. 8. c. 14. Tertium Symbolum a D. Athanasio compositum, Quicunque uult saluus esse &c. contra hæreticos Arrianos & Sabellianos, de quibus in d. cano. quidam, uers. Sabellianas 24. q. 3. Quartum est, quod composuit Constantinopolitana Synodus 2. contra Macedonij errorẽ coacta can. canones, uers. 2. 16. dist. quod B. Hilarius Pictauiensis Episcopus, refert in lib. de Symbolis, de hoc Synodo lib. 9. histor. tripart. cã. 12. & 13. Theodor. lib. 5. histor. capit. 9. Isidor. tomo 1. concil. Quintum posuit glossa super rub. de summa trinit. & fid. cathol. in 6. & in capit. firmiter. eod. tit. in Gregor. decretal. ex concilio generali Lateranensi sub Innocentio 3. habito, anno 1300. Duodecimo, fides accipitur pro uirtute Theologica, de qua dicendum.

De fide theologica virtute. Cap. 19.

QVia actus fidei præcedit spem, quæ etiam ipsum sequitur, non tempore, non causa, sed quia actus fidei præcedit actũ spei, ut notant sancti partes lib. 3. sacra. sententia. distinct. 23. litera h, & i. Ideo de illa primum dicemus, quam de spe, ueluti de fundamento nobiliori omnium bonorũ & uirtutũ, dempta una charite, quæ causa est fidei, & sine qua nihil proficiunt reliquę uirtutes, prout explicat D. Paul. 1. Corinth. 13. Fides, inquit D. Aug. de uera innocentia, est credere quod non uides, ueritas quod credidisti: & ad Catechumenos, fides est quæ oculis cordis uidet quod credit, & credẽdo intelligit. Quare a patribus in sententijs, & D. Aug. in Enchiridio dicitur uirtus, qua creduntur quæ non uidentur ad religionẽ pertinentia, quod probat etiã D. Paulus ad Hebræos ca. 11. fides est sperandarum rerũ substantia, argumentum uel ostẽsio nõ apparentium: substantia porro hic subsistentia est, in qua firme & sine dubio pro putamus: nã in Hebræo idiomate, pro substantia est עקר gnikar, id est, radix & fundamentum. Non enim in fide uidemus uere, sed persuasum habemus, & fide intelligimus, & fides in eo quo creditur, non in eo quod creditur: aliud namq; est quod creditur, aliud fides qua creditur, ut ait D. Aug. lib. 13. de trinit. c. 2. Sic Plato li. 24. in Gorgia, duas species persuasionis facit: unã, quæ absque scientia præstat fidem: alteram, quæ scientiam, cuius distinctionis ignorãtia & confusio, fuit ansa erroris ethnicis, qui fidem, ut Deam, coluerunt, cùm potius nos eum cui credimus, colamus. Substantia itaque hæc & fundamentum fidei, Deus solus, ut ait D. Augst. in Enchiridio. D. Paul. ad Colossen. 2. Et miror Arist. gentilẽ huic cognitioni uicinum, aberrasse in diuinitate. is enim pro ble. sect. 30. q. 5. ait, nos credere hominibus, quòd homo solus Deum ueneretur, & colat. Et D. Aug. sermo 22. fides, inquit, ab eo quod fit dicta dicitur, quasi fit, des, quasi Deo. fides in ratione quidem, sed magis innititur authoritati, quia perdit meritum, si quærat experimentũ, ut ait Gregor. Et nisi crediderimus non intelligemus, Esaiæ c. 6. Accedentemque ad Deum credere prius oportet, ad Hebræos 11. at si credideris, uidebis gloriam Dei, Ioan. 11. Rursum si potes credere, omnia perficientur tibi, Marci 9. In fide inquit Tertull. lib. de præscript.

con. hæreti. nihil ſcire, omnia ſcire eſt. Et D. Baſilius in pſal. 115. fidem unum Dei uerborum ducem eſſe oportet; fidem, inquam, non demonſtrationem. Ita fides ſupra omnẽ rationem ſcientiarum, diſciplinarumve animam ad cõfeſſum trahit. Fides denique, nõ geometricis aut neceſſarijs utitur probationibus, ſed ſpiritusſancti operationib. animus imbuitur. Fidei principia indemonſtrabilia. Sic & theologiæ myſteriũ, ex fide minime rationibus probata, ædificium quæ rit. Et principium ſanæ orationis fides in loquentis corde uehementer roborata; ideo credidi, propter quod locutus ſum, inquit Dauid. Et hæc latius explicat Clemens Alexandri. lib. 2. Stromaton, qui & ultra addit, ideo dictum fuiſſe a Domino Matthęi 23. ne dixeritis uobis magiſtrum ſuper terram. Fidemque ſciẽtia pręſtantiorem docet, & filias fidei, ſimplicitatem, ſcientiã, innocentiam, honeſtatẽ, dilectionem, atque multo magis ſine ratione Deo credendum, quàm Pythagoræ, cuius diſcipuli pro ratione habebant, ipſe dixit. Porro de myſterijs & capitibus fidei, cognitio eſſe debet integra ex ſymbolo; at ea intelligimus, quia credimus; credimus & aliquando per cauſas alias, quam rerum earum, quas credimus, ut per miracula, credimus diuinitatẽ & omnipotentiam Dei, ſicut D. Thomas apoſtolus, uidendo Dei domini noſtri Ieſu Chriſti humanitatẽ poſt reſurrectionem eius, diuinitatẽ credidit, quia uidiſti, inquit Deus, Thoma, credidiſti &c. Ioã. c. 20. Sic Dominus ad diſcipulos dicebat, hæc facta ſunt, ut credatis &c. D. Ioan. c. 6. Dedit autẽ & firmauit authoritatem huic ſanctæ fidei, dominus noſter Ieſus Chriſtus propria prædicatione, miraculis multis, morte propria, & proprio ſanguine, reſurrectione, & ſimilib. ineffabilibus, ſignis, & prodigiis per apoſtolos & eccleſiã ſibi deſponſatã factis. relinquens in ſinu & poteſtate eccleſiæ Catholicæ fidei rectorẽ & interpretẽ ſpiritum ſanctum, neque ipſe quoque ab ea receſsit, ſeipſum quotidie ſacris liturgijs exhibens, ut potè qui nobiſcum futurum ſe ſemper uſque ad conſummationẽ ſeculi pollicitus eſt. Hanc traditionibus per manus in theſauris reliquit eccleſiæ, prædicatã primum a ſe & ab apoſtolis & diſcipulis; deinde ſcriptã ſacris ex parte euangelijs, & aliis documentis; partim per manus in eccleſiæ œconomica ſanctaq; diſpẽſatione cuſtoditã. unde D. Cyrillus Hieroſolymita. archiep. catech. 5. illuminat. fidẽ obſerua a ſola eccleſia traditam, & omni ſcriptura munitam. Et D. Paul. 2.

Theſſaloni.

Thesaloni. 2. itaque fratres, state & tenete traditiones, quas didicistis, seu per epistolam, seu per sermonem. Late Q. Septi. Tertull. lib. de præscrip. con. hæret. Basi. Magnus in Asceticis sermone de fide. fides, inquit, est assensus indubitatus ad ea quę audiuntur, incerta ueritatis persuasione, quæ prædicantur per Dei gratiam. Quæ uerba de acquisititia fide intelligēda sunt, quæ est ex auditu. Sic enim Damascenus li. 4. de orthod. fid. c. 11. duplicem fidem constituit, unam quæ ex auditu uerbi Dei fit, & ex dilectione sacrarū scripturarum, de qua D. Paul. c. 10. quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo audient, nisi prædicatorem habeant? quomodo prædicabunt, nisi mittantur? fides igitur ex auditu, auditus autem per uerbum Dei Et hęc est acquisita, hoc est, quę uolentibus aduenit, & non respuentibus: alia autem ponit eorum, quæ sperantur substantiam, quæ est infusum donum Dei in baptismo. Sicut & illa quæ miraculorum est effectrix.

De operibus & actibus fidei. Cap. 20.

CVm nomen nostrum dedimus in susceptione fidei militiæ cælesti, cū credidimus, multa iurauimus, electioneq; obsequii seruitii Dei & salutis æternæ, abrenūciauimus sathanæ & eius operibus, & mundi corruptionibus, atque ideo per totam uitam contendere debemus, ut fidem soluamus, & pollicitis stemus, strenue depugnemus, ne milites otiosi & imbelles incidamus in laqueos insidiasue hostis, neue in seruitutē rapiamur. alioquin fides nostra erit ueluti mortua: mortuum enim dicitur, quod uiuentis actus nō agit, nec functiones suas exerit, Sic D. Iac. c. 2. dicebat, quod fides sine operib. mortua est. Quamobrem in fide operari debemus, & cum fide opera coniungere. Nam neque opera sine fide, uel extra fidē facta ad uitam, pro qua contendimus, prosunt ęternā: sed quod nō est ex fide, peccatū est. ut ait D. Paul ad Roma. 6. Etenim opera per se nostra, minime merētur tantū æternę uitæ præmiū, neque fides sine operibus in his qui operari possunt, & debēt uel sine mādatorum obseruatione. Oportet enim, fidem operibus, ueluti lampadis ignem, oleo nutriri. quemadmodum docuit dominus per parabolam uirginum prudentum, quæ sumpserunt oleum secum, & fatuarum quæ non sumpserant, & exclusæ sunt: ut explicat Cyrillus Hieros. Episco. catech.

tech. 15. illuminat. In fide quippe duplex actus, interior & exterior, corde creditur ad iustitiam, & ore fit cōfessio ad salutē ad Roma. 10. corde fiunt interiores actus. Sic credere, in religione catholica, tripliciter accipi potest, quod D. Paulus exprimit dicens, credere Deum, in Deo, & in Deum: Credere Deū, est firmiter putare esse Deum, & hoc modo dæmones credūt & contremiscunt; Iacob. 2. Credere Deo, est fidem habere illis quæ Deus dixit uel reuelauit, scilicet existimare ea uera esse, quæ a Deo dicta sunt. Credere in Deum, est credendo Deum amare, ita D. Ioan. c. 20. hæc scripta sunt, ut credentes uitā habeatis. D. Aug. li. de prædestinat. sancto. Exteriora fidei, sunt cōfessiones eiusdem, vt obseruatio mandatorum, festorū, cultus, diuinus, & reliqua id genus; totus enim homo anima & corpore cōstans redemptus a Deo est, totusque illius mācipio dēt esse addictus, & anima & corpore, interius & exterius fidei sinceritatem ostendere & profiteri, nec animę nec corporis labores ob tuitionem fidei datæ ei cui deseruit, refugere; non mortem ipsam, ne deterior ethnicis in fide sua uideatur, qui potius maluerunt mori, quam fidem principibus suius datam frangere, principibus utiq; mortalib. qui nec mortis imperiū ut Deus, pro quo uiriliter nobis decertandū est, haberēt: Sic inuicta, in discrimine mortis Saguntorum laudatur in Romanos, in quos iurāssent, fides, ut omnes historiographi summis laudibus extollunt, potissimum Silius Italicus libr. 2. de bello Punico, Strabo lib. 13. T. Liuius lib. 1. decad. 3. Meminit & de fide Aquileiensium erga eosdem Romanos Iulius Capitolinus in Maximino. Sic etiam fide diuina corroborati iā olim Christiani, ob Dei cui deseruimus beneficia & amorem & spem æternæ uitæ, per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, & adepti sunt repromissiones. Pluraque alia mirabilia peregerunt, quę percurrit D. Paul. ad Hebræos ca. 11. Hac in fide fortes, ne ei eiurarent, alii secti, alii distenti, uerbera, uincula, carceres, mortē experti, & cum possent redemptionem ab iis suscipere infidelitate, noluerunt, ut meliorem inuenirent resurrectionem. Quinimo ibant ita fideles, gaudentes, quod digni habiti essent pro tam singulari Dei altissimi optimiq; & maximi omnipotentis nomine, pati, actuū c. 5. Tunc enim dilectionem, charitatem, & fidem quam spoponderant, re ipsa præstabant, constanti, intrepido martyrio seu testimonio doctrinæ & diuinitatis, ꝑ cuius defensione & ueri-

ueritate fidē dederant.unde merito Christiani dicti erant fideles,ut sæpe legis in actis apostol.potissi.c. 10. Gaudet Deus quoque hac firma fide,illamq; adiuuat & producit semper in melius,nec uires nostras,sed uoluntatem cōsiderat,eamq;cor roborat & recipit, ut cum Acontio apud Ouidium in epistolis dicamus.

Non boue mactato cælestia numina gaudent

Sed quæ præstanda est & sine teste fide.

Fides Deum placat,peccatū purgat,mentem illuminat;fides saluam facit animam,cęcos illuminat, catechumenos baptizat,fideles iustificat,pęnitentes reparat,iustos augmentat,martyres coronat,uirgines & uiduas in pudore cōseruat, clericos ordinat,sacerdotes constituit, homines cum angelis sursum locat,D. Aug. de uerb. domini, & latius D. Chrysosto.tomo 1. de fide Abrahami & sacrificio Isaaci;

De infidelitate. Cap. 21.

Contraria superioribus ratione, quæ ad uitium fidei oppositum pertinent,colligere possumus,quædam & præcipua quoq;indicauimus li.6.syntax.c.6.in 1.præcepto.ubi & de contrariis spei & charitati,ut pro sequentib. monuisse semel sufficiat. In excessu & defectu hic erratur;excessum facit superstitio,defectū hæresis.Superstitio, grauissimus morbus est,& nebulis prodigiosis abundans,quales sunt, ὀνειροπόλια inanes metus,terriculamēta nocturna,diffidentia,uane de numine opiniones,& similia,quæ grauiter explicat Plutar. libello περὶ δεισιδαιμονίας.Sed de hac latius infra, ubi de pietate agemus.Infidelitas quędam est reniti fidei non susceptæ uel incognitæ,ut apud Turcar.Est item reniti fidei partim cognitę, qualis Iudęorū.3. reniti susceptæ & manifeste,qualis Christianorum impiorum,qui uel titubant in fide,uel hæresim susceperunt,& eiurare decreuerūt,& qui perfecte hæretici sunt, uel relinquunt omnino fidem, & qui blaspemi sunt.

De spe generaliter. Cap. 22.

Spes & metus, futurorum sunt; ut gaudium & dolor seu fiducia pręsentium:& tam bonæ quam malæ spes,etsi,quod ad sperantem pertinent: bonæ omnes uideantur.Spes ideo

est spectatio boni, secundum Spensippum lib. de diffinitio. Platoni. Cuius est sententiæ & Clemens Alexandri. libro. 2. stromatum. & secundum Arist. lib. rhetoric. ad Theodectem c. 5. spes est imaginatio rerum salutarium, quod proprie adsint, cum terribilia uel non sint uel longe absint. Sunt autem inquit, in quibus confidendũ est & pericula cũ longe absunt, & secunda cũ propead sunt. Ita Cic. 5. Tusculana. quæst. dixit cũ Speusippo expectationem boni, ut metum contra expectationem mali. Quanquã & sperare dolores & mala interdum Vergilius, Plato, & alij dixerint, cum Latini, cum Græci sermonis authores. Verũ proprie Spes, ut erat in prouerbio, impellit ut ait Plut. de tuen. bona ualet. at metus retrahit. Et in spe iucunda omnia esse dixit Arist. li. 1. rhetor. ad Eudemum c. 11. & problẽ. sectio. 30. qu. 6. unde potius bona & iucundia quã dolores dicimus. Subscribit Philo Iudæus li. de Abrahamo. Huiusmodi spe, uita nostra plena quandiu subsistimus, ut scribit Euripides in Troade actu 3. ubi Hecula sic ait,

οὐ ταυτὸν ὦ παῖ, τὸ βλέπειν τῷ κατθανεῖν·
τὸ μὲν γὰρ οὐδὲν, τῷ δ' ἔνεισιν ἐλπίδες, id est.

Non idem o filia, lucem tueri, & efflasse animam;
Illud enim plane nihil huic autem insunt spes.

Et hæc una sola beneficio Dei remansit inter tot mala, quibus affligimur, hominib. a Deo elargita, post peccatũ mulieris primæ, ut poetice exprimit Hesiodus in ergis, dum ait de Pandora.

Ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα,
ἐσκέδασ', ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά.
μούνη δ' αὐτόθι ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι
ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε ἐξέπτη. &c. idest,

Sed mulier manibus, uasis magnum operculum aimouens
Dispersit, hominibus autem machinata est curas graues.
Sola uero illic spes infracta in pyxide
Intus mansit dolij sub labris, neque foeis
Euolauit.

Quamobrem solamen & anchora miserorum, sola est spes. Sic ut ait Iocade apud Euripi. in Phœnissis act. 2.

Αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος.

Spes alunt exules, ut est prouerbium. Dicebat Theognis quoque,

ἐλπὶς

ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστι .id eſt.

Spes inter homines ſola,numen bonum eſt.

Vocat tamen Heraclides Ponticus li. allegoriarum εἰς τὰ τοῦ ὁμήρου περὶ θεῶν εἰρημένα,dum agit de explicatione certaminũ Herculis uolucres uentoſam ſpẽ,quę uitã hominũ ſubinde nu trit.Pindarus autẽ,ἐλπίδας dicit τοῦ ἐγρηγορότων ἐνύπνια id eſt, ſpes,uigilantiũ ſomnia,quod refert Baſilius Mag.adGregoriũ theologum epiſt.19. laudo, inquit, cum qui ſpes, uigilantium ſomnia dixit. Quo circa omnibus & omni ętati, iſta communis eſt: ſed maxime iuuentus ſpe plena eſt: ſenectus autem parum ſperare poteſt, ut ait Ariſt. probl. ſect. 30.q.1. Sperat tamen, & hoc habet ſolamen, ut ait Plato dial. 1. de Iuſto.Neque una ſola alicui ſpes,ſed multiplex; non enim na uim una anchora, ut aiebat Epictetus,neq; uitam una ſpe,mu niri oportet.Atque eadem ſpes ad omnem rem & negotium flectitur,ſicque Ouidius 1. de ponto exprimit.

Hæc dea,cum fugerent ſceleratæ numina terras,
In dijs inuiſa ſola remanſit humo.
Hæc facit,ut uiuat foſſor quoque compede uinctus,
Liberaq; a ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut uideat,cum terras undiq; nullas
Naufragus,in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem ſolers medicorum cura relinquit,
Nec ſpes huic uenæ deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem.
Atque aliquis pendens in cruce uota facit.

Rurſum Tibullus.

Iam mala finiſſem letho,ſed credula uitam
Spes fouet, & melius cras fore ſemper ait.
Spes alit agricolas,ſpes ſulcis credit aratris
Semina,quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo uolucres hæc captat arundine piſces,
Cum tenues hamos addidit arte cibus:
Spes etiam ualida ſolatur compede uinctum.
Crura ſonant ferro,ſed canit inter opus

Dixit in ſumma Origens libr.4. aduerſus Celſum,& D. Au guſti. lib.15.de ciuit.Dei, c.18.hac homines uiuere unde tem pla olim ſpei conſecrata a Collatino Romano & aliis, ut ait Cicero 2. de legibus. Liuius libro primo. & 4.decad. 3. Ceterum iſtæ ſpes omnes, uirtutis ex numero non ſunt, quin-

imo

imo alique ualde in aduersam declinant partem: quia secundū animorum passiones & affectus, sunt & bonæ & malæ, ut docet Plato lib. 1. de rep. uel de iusto, paulo post principium. Lubricæq; sunt spes mortaliū & incertæ: & sicut in boni electione plures errant, certe & in spe pari modo falluntur, dum quę bona non sunt, ut bona sperāt, uaneq; sperant quæ alio modo contingunt. Sic Plautus in Bacchidibus, actu 1. scena 2. uers. 37.

Sperat animus, quo eueniat, dijs in manu est.

Sic multa contingunt mala & bona præter spem. Deo uolente, ut ait Chorus, in fine Tragœdiæ quæ Medea apud Eurip. his uerbis.

πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ,
πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός. id est,

Multarum rerum dispensator Iupiter in Olympo,
Multaque prェter spem perficiunt dij.
Et quæ futura putabantur non sunt perfecta;
Insperatis autem & inopinatis, exitum inuenit Deus.

Hinc inanes, uanę, fatuæ, nociuę, arduæ spes, & contra diuinas & salubres ad monitiones; alii enim sperant, hoc est, confidunt & refugium sibi ponunt in diuitiis: alii in robore; alii in dignitatibus, & huius seculi caducis & decipientibus rebus, quorum uacua spes & labores sine fructu. Sapien. 3. alii ponunt sibi baculus arundinem diuitias, parentes, proximos, magnates, reliquaque similia, quę citius nos fallunt quam iuuare possint, interim auxilium certum, potens, & paratum Dei prætermittentes.

De spe, prout est uirtus Theologica. *Cap.* 23.

SPes prout uirtus est Theologica, diffinitur a Ioāne Viguerio, institutionibus Theologici. c. 11. ex authoritate sanctorum patrum, & D Thomæ. 2. 2. q. 17. ut sit certa spectatio futuræ beatitudinis, ex gratia & meritis proueniens, quantū ad ipsam rem speratā: quia quod pertinet ad habitum nō prouenit ex meritis, sicut nec fides: Dei enim donū est supernaturale, a Deo nullis præcedentibus meritis gratuito datum, sicut & fides ne quis glorietur. Quod autem ad habitum pertinet,

spes

ſpes eſt uirtus theologa, a Deo in uoluntate infuſa, qua homo inclinatur & diſponitur, ad expectandã omni certitudine futuram beatitudinẽ, mediante auxilio gratię Dei, qui dabit ut poſſint fieri opera meritoria ad illam conſequendã. Fundamentũ iſtius ſpei, non in uanis illis paganorum uoluptatibus, ſed in Deo & quæ eius ſunt. Sic D. Aug. in pſal. 72. ſpem Chriſtianorũ in fœlicitate fuiſſe poſitam ſcribit, idem & 15. de ciuit. Dei c. 18. Sic firmitas fidei, & ſpei robur, uiget apud nos: & inter labentis ſeculi ruinas erecta mens. Atque D. Chriſoſt. tomo 1. ſuper pſal. 10. magnę, inquit, ſunt uires ſpei in dominũ præſidium quod non uinci, murus qui nõ expugnari, auxiliũ quod non poteſt ſuperari; portus tranquillus, turris quæ nequit pati, arma inſuperabilia: uires inuictæ, & quæ in reb. difficilimis & expeditiſſimis exitũ inueniunt Per eam inermes, armatos; & mulieres, uiros ſuperarunt: pueriq; iis, qui in bellicis exercitati erant ſuperiores fuerunt facile. Fides, inquit D. Auguſt. in Deo aſſentiri facit: ſpes in Deo confidere: charitas, Deum amare, latius tamen patet fides ſpe: nã non omne quod credimus, ſperamus, ſiquidem credimus inferorum pœnas eſſe, & tamen non eas ſperamus, ut docet idem D. Auguſt. Enchirid. ad Laurent. c. 8.

De uitio contra ſpem. Cap. 24.

Contra ſpem peccatur per exceſſum præſumptionis, & defectum deſperationis. Præſumptio hic temeraria eſt expectatio beatitudinis, abſque gratia, & meritis, dũ ſibi quis arrogat ſoli gloriam, ut lucifer; & abutitur Dei bonitate, putatq; ſine pœnitentia, & dum ducit in ſpurcitia dies ſuos, ęternum regnum ſibi deberi, D. Aug. tract. 33. in Ioan. Deſperatio dum quis diffidit ſe ſaluandum iri, uel poſſe a Deo ſaluari, ut dum Cain dicebat, 4. Gen. maius peccatum meum, quam ut ueniam merear; & hæc inſanabilis fractura & peſſima plaga, Iere. 3. cum tamen dicat Deus per Ezech. c. 18. quacunq; hora ingemuerit peccator, omnium inquitatum eius non recordabor. Et rurſum Matt. 9. miſericordiam uolo, non ſacrificiũ, nec ueni uocare iuſtos, ſed peccatores & ubi ſuperabundauit, & delictum, ſuperabundauit gratia, ad Rom. 5. & minores ſumus miſerationibus Dei cunctis, ut dictum c. 32. Geneſ. miſeretur namque omnium. Sapi. 11. facit & quod Ouid. tradit de ponto 1. libro de ſpe agens, ad Græcinum ſcribens.

Me quoque conantem gladio finire dolorem.
Arguit, iniecta continuitque manu:
Quid facis heu lacrymis opus est, non sanguine, dixit
Sæpe per has flecti principis ira solet.
Quamuis est igitur meritis indebita nostris.
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Et rursum 1. de ponto.

Sæpe leuant pœnas, ereptaq: lumina reddunt,
Cum bene peccatsi pœnituisse uident.

Nam ut Seneca in Thyeste,

Quem pœnitet peccasse, pene est innocens.

De charitate in genere, & de gradibus eius, seu distinctione.
Cap. 25.

NOmen hoc charitatis a Græco χάρις, quod est gratia, uenusta, lepos, elegãtia, amicitia, seu beneuolentia, beneficium: hic tamen pro beneuolẽtia & amicitia & beneficio. Plato ad Dionys. Syracusanum scribens, Memento, inquit necessariam esse ad res gerẽdas, hominum beneuolentiã; austeritas namque amicorum solitudinẽ parit. Cum enim cognatio inter homines omnes uná sit, unaq: hominũ species, quę ciuili uita & sociali cõstet, nihil magis decens hac hominũ mutua charitate & beneuolentia fuit. Sicuti apud Cicero. de amicitia, Ea charitas quę est inter natos & parentes, quę dirimi nisi detestabili scelere non potest. Probat autem id maxime hominibus conuenire gratiam seu charitatem, quia conueniat illis plurimum amicitia; amicitia quippe aut pares semper recipit aut facit, ut scribit Arnobius libro 8. contra gentes. homines autem substantia pares: nec dicat aliquis, inquit Epictetus adud Arium in eius Enchiridio ca. 59. se meliorẽ & ditiorem, quia multa possideat: non potest enim dicere ego ditior sum, quia ipse possessio non est, neque si loquatur, oratio. Denique cælesti sumus omnes semine oriundi, ut ait Lucret. lib. 2. de rer. natu. Communes nostrum genus, & ex una matre spiramus omnes, ut ait Pindarus, & Heua dicta prima mulier, quia mater omnium uiuentium, Genes. 1. & 3. Amicitia porro, gratiam efficit, seu beneficii largitionem, ut ait Aristot. Rhetór. ad Theod. capitulo 2. Sed eo magis, quo arctior & firmior est amicitia: triplex namque apud Arist. ea, li. 7. ethic.

7.ethic.ad Eudemum; Naturalis, socialis, cōmunicatiua. Naturalis, ut fratrū, patris, & filiorū. Propinqua socialis est, in qua singuli dignitate participāt: amicorum communicatiua, quę omnia etiam late explicat lib.8.ethic. ad Nicoma. fere per totum librum, & Plato in conuiuio, Cicero in Lælio. Charitatis itaque erunt & gradus, & altera alia maior dicetur, sicuti & colligunt ex cap.15.D.Ioan.ibi, charitatem maiorem nemo habet &c.& Lucæ 12.cui minus dimittitur, minus diligit. Refert & Theodo.lib.12.de curatio. Græcarum affectio. Hyppodamum Pythagoricum dixisse, quod amicitiarum, ἃ μὲν ἐξ ἐπιστάμας θεῶν, ἃ δὲ ἐκ παροχᾶς ἀνθρώπων, ἃ δὲ ἐξ ἡδονᾶς ζώων, id est, alia gignitur ex scientia & cognitione Deorum, alia ex hominum donatione, alia ex uoluptate animalium: ubi tamen reprehendit, quòd sit præbitio amicitia, cum ea sit, inquit, fructus amicitiæ, quanquam mihi non improbe præbitio & fructus & gratia sit. Nam ut est in ueteri prouerbio, χάρις χάριν τίκτει, gratia gratiam parit. Fingebāt.n. non sine symbolo naturę charitatis antiqui, tres charites sorores, Aeglen, Euphrosynin, Thaliam, quarum vna beneficiū porrigat, altera accipiat, tertia reddat: in chorum ideo consertas, vt in orbem in se redire significarent beneficia: nudas, ut sine fuco. De quibus Seneca 1.de benefic. D. Clemens lib.10. recognitio. Hesiod. in Theogonia, At quòd Hypodamus ad uoluptatem animalium amicitiam referat, uidetur innuere dilectionem quandam naturalem rerum, quæ quando ratione regitur, & optimè congruere hominibus uidetur; ut quando inter coniuges, prolis causa dilectio est, quando autem veneris amplexibus coniunguntur, certe etsi amor hoc ab Ouidio de arte & aliis dicatur, potius tamen suo nomine uero, luxuria & intemperies, & spurcitia, dici debet.

De charitate, ut virtus Theologica est. *Cap.* 26.

CHaritas, quod pertinet ad habitum, est uirtus Theologica, a solo Deo in uoluntatem hominis infusa, gratia gratum facienti connexa, per quam homo inclinatur ad diligendum Deum super oīa, & proximum pp Deum. D. Thomas 2.2.quæst.23. Dicitur a Deo infusa charitas, non quòd illa infusa charitas sit ipse spiritus sanctus, mentem inhabitans & mouens, ut senserat magister sententiarum libro primo,

distinct. 17. In quo illum reliqui sancti patres nō sequuntur, ut notat Ioan. Viguerius in institutio. Theologiæ c. 12. Spiritus sanctus enim in cordibus nostris diffunditur quo ad effectus, sic docet D. Paul. ad Roma. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Ad eum quoque modum D. Ioan. in epist. 1. c. 4. intelligendus, dicens, Deus charitas est, id est, charitas increata, qua diligit nos dilectione æterna, ex qua nostra oritur creata, qua eum diligimus, per eam dicebat Dominus apud D. Ioan. in Euangel. ca. 15. iam non dicam uos seruos, sed amicos. Quamobrem hæc præstantissima uirtus est charitas, quæ nunquam excidit, & usque in cælum, ubi uera & increata charitas nos comitatur, & sine qua aliæ non proficiunt, 1. Corint. 13. ubi abunde de laudibus charitatis; & fructus spiritus, charitas, ad Galat. 5. hęc operit multitudinem peccatorum, Prouerb. 10. & 1. Petri 4. Hæcq. finis legis est, dilectio Dei & proximi, & finis præcepti charitas, 1. Timoth. 1.

De ordine & gradibus dilectionis. Cap. 27.

ORdo dilectionis est, ut primum diligamus Deum super omnia ex toto corde, mente, anima, totisq. uirib. Deuter. 6 & 10. Iosuæ 23. Matth. 22. Marci 12. Lucæ 10. Imo & plus quam animā nostrā, id est, uitam nostram hanc; aliter digni illo non sumus, Lucæ 14. actuum 20. Secundo post Deū, super omnia, homo salutem suæ animæ diligere debet; re ipsa enim unusquisq; sibi est charissimus, ut scribit Cic. 2. de finibus, constatq; naturaliter omnes sibi, ut in Andria Terentius, melius malle, quam alteri, & ut Plaut. in Trinumo, tunica etiam propior pallio est. & dicitur Eccl. c. 30. miserere animæ tuæ, placens Deo. Loquor autē hic de iusto amore, ut saluti animæ suæ omnia proponant; nullā enim condignā cōmutationē, pro anima sua acciperet, Matth. 16. Neque enim sermo mihi de nimia illa & irregulari dilectione, quia plus ęquo nos ipsos diligimus, nos ipsos palpamus, blandientes, nimiū cutem curamus & uentrem, molles, superflui, & inanes in iis, quibus proximum iuuare possemus, si nobis ipsa subtraheremus legitime; eo enim modo philautia decepti, potius uere nos odimus, quam diligamus; diligendo enim præter modū nos ipsos, perdimus, non secus ac Orus Apollo in literis hie-

roglyp.

roglyp.narrat, simias fœtus magis dilectos præ nimio amore, suffocare amplexibus; ut uerum sit, quod ea ratione Deus dixit, qui uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdere uoluerit, in uitam æternam custodiet eam. Marci tertio, & Lucæ nono, & Matthęi decimosexto. Sic charitas non quærit ea quæ sua sunt, nihilq. agit perperā, 1. Corinth. decimo tertio, hinc tertius gradus fit dilectionis, ut præponamus animā proximi, hoc est, eius salutem, nostro corpori, si ea ratione saluare & lucrari Deo eam possumus. Nā tunc cum salute proximi, nobis meritū erga Deum paramus maius & coronam, reddentes animas Deo. Hincq. pro salute humani generis exemplar omnium perfectissimum uirtutum dominus noster Iesus Christus corpus suum & uitam propriam, pro salute animarum nostrarū fudit, propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, homo factus, crucifixus, passus, mortuus & sepultus est, factus obediens usque ad mortem crucis, ad Philipp. capit. 2. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum primogenitum daret &c. D. Ioan. 1. epist. cap. 3. Et bonus pastor animā suam dat pro ouibus suis, D. Ioan. euang. cap. 10. Sic D. Paul. 2. Corinth. 12. ego autem libentissime impendam, & superimpendar pro animabus uestris, licet plus uos diligens, minus diligar. Et D. Ioan. epist. 1. cap. 3 in hoc cognouimus charitatem Dei; quoniam ille animam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quartus dilectionis gradus diligere plus uitam & corpus proprium quam proximi. Quintus, ut præponamus corpus & animam proximi, omnibus rebus externis nostris. Nā malus est qui sua de causa agit omnia, & probus non propter bona eiusmodi sui ratione, nisi dum honestas postulauerit, & commoda iucunda aliis cedit, ut notat Aristot. lib. 2. magno, moral. ca. 13. & 14. Est ubi quis amicum magis se diligat, estq. ubi sese maxime. In ipso enim commodo magis amicum; at ubi honestum & bonum, ipse maxime sese diligit. Hinc præceptum illud, diliges proximum tuum sicut teipsum, Matth. 22. Mar. 12. Lucæ. 11. ad Galat. 5. Iac. 2. qui diligit proximum, legem impleuit, ad Rom. 13. Et Deus iterum, hoc est præceptū meum, ut diligatis inuicem, D. Ioan. euang. cap. 13. Dilectio autem proximi cuiusque est, scilicet hominis, quia is est proximus, etiam impius, ratione potissimum naturæ, & propter Deum, non ratione delicti uel culpæ, quæ repugnat pręcepto

Dei Eo enim modo, odimus iure culpam, & peccatum, sic & delinquentes odimus pernicaces: ita & dicebat Dauid psalm. 118 in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, & rursum psal. 8. perfecto odio oderam illos, scilicet operantes iniquitatem. Et hac in parte, perfectio christianissimi uersatur, dum etiam inimicos suos diligit tanquam proximos: & benefacit non tantum amicis, sed etiam inimicis: si benedicat & oret pro persequentibus ipsum, Matt. 5. ubi explicatur c. 19. Leuitici, & Exodi 23. & 25. Prouerbio. Sic debemus uincere in bono malum, non uinci a malo, ad Rom. capi. 12. Nec quia proximus nos odio prosequendo peccat, ideo nos odisse eum debemus, & similiter delinquere, maiusque meritum ob Deum inimicos diligere. Qua etiam dilectione animum inimici possumus ad resipiscentiam reuocare, & ita lucrari animam eius, quam talione iracundiæ, in maius odium præcipitem daremus. Neque eo solo ipsi delinqueremus. omnis enim qui odit fratrem suum, homicida est, D. Ioan. primo, episto. capitulo tertio. Sed & maioris peccati proximi authores essemus, igni ligna suggerentes, & fomenta indignationis, unde magis eos diligere expedit, memores etiam quod dominus noster Iesus Christus pro nobis passus, & mortuus est, cũ inimici eius essemus, &c Iustum pro iniustis ad Roman. capitulo quinto, quodque impleuit ipse, mandauit faciendum nobis, diligite inimicos uestros. Matthæi quinto. Lucæ sexto. Et recte etiam Plato, dialogo primo de iusto, prosequitur & ostẽdit, iusti hominis non esse quenquam lædere, uel odisse, sed omnibus benefacere, & amicis, & inimicis, bonis & malis. Sic Epaminundas Thebanus uir gentilis iustus habitus suorum ciuium iniurias æquo animo tulit, quod se patriæ suæ irasci, nefas esse diceret, ut ait Æmilius Probus in eius uita. Et Phocion præstantissimus æquissimusque imperator Atheniensiũ ex calumnia Diræti proditionis insimulatus cum ad supplicium duceretur, & aliquis eum rogaret, ecquid filio Phocio nunciari uellet, respondit, uolo, dicas ei meis uerbis, ne huius iniuriæ quæ mihi fit ab Atheniensibus, meminisse uelit, ut refert Diodorus Siculus libro 18. Sic Pompon. Atticus, nullas quidem iniurias alijs intulit, illatas autem malebat obliuisci, quam ulcisci, Cornel. Nepos, seu Probus in eius uita. Conuenire uiro ciuili, in re honesta, & iusta inimicis etiam opem ferre, tradit Plutarchus in politicis. Melius dominus in cruce

pro

pro inimicis, Pater ignosce illis, qui me crucifigunt, quia nesciunt, quid faciunt, Lucæ 23. & ad hebræos capitu. quinto. Et D. Stephanus, domine ne statuas illis hoc peccatum, Actuum 7. Et ita beati pacifici, quia filij Dei uocabuntur, Matth. 5. & Deus pacis, & dilectionis erit nobiscum, 2. Corint. 13. pax nāque cum Deo, & proximo ex hac dilectione: cæterum non tātum diligere oportet uerbo, sed reipsa, & in ueritate, ut monet D. Ioann. episto. prima, capitulo tertio. Et idcirco pedissæque dilectionis, opera sunt misericordiæ, eleemosinę, actus exteriores, & ea quæ prosint animæ, uel corpori, uel utrisque proximi, ut solari pusillanimes, corrigere errantes, uisitare infirmos, pascere famelicos, potare sitibundos, uestire nudos, & similia id genus. Nam, ut ait Clemens Alexan. libr. 2. stroma. charitas est consensio eorum, quæ sunt in ratione, & uita, & moribus: aut, ut paucis dicam, uitæ societas, uel amicitiæ, uel beneuolentiæ extensio, cum recta ratione ad usum amicorū, ac familiarium, qui ἑταῖροι uocantur. (Dicitur autem ἑταῖρος quasi ἕτερος ἐγώ, idest alter ego) quia etiam eos fratres uocamus, qui sunt eodem uerbo regenerati. Adhæret autem charitati, & hospitalitas, quæ est antidotum amicitiæ, circa usum hospitum: hospites autem sunt, quorum sunt externa, quæ sunt mundana. Mundanos enim dico eos, qui in terram sperant, & concupiscentias carnales exaudimus: uersabitur ergo hospitalitas, in eo quod est utile hospitibus: hospites etiā sunt qui etiam dicuntur ἐπίξενοι· ἐπίξενοι autem sunt amici; amici autem sunt fratres; fratres amici, inquit Homerus. hæc Clemens.

De odio, inimicitia, & alijs, quæ oppugnant charitati. Cap. 28.

DE illis qui aduersantur charitati, epitomen dedimus lib. 6. Syntax cap. 6 in primo præcepto. Odium porro & misericordia potissimum opponuntur in defectu: in excessu irrationalis, & nimius, & illegitimus amor, zelotypia; odium, non bona alicui uelle, uel impartiri alicui mala, fastidire, & mala desiderare ei. Cicero odium quarto Tuscula. iram dixit inueteratam; Aristot. autem, particulam tantam quantam odii nā existimandam esse dixit; & esse interdum iram efficaciorem, quam odium; quia perturbatio illa non utitur ratione, lib. 5.

politic.c.10.Odium aut Dei,aut proximi est:Dei,quale illorũ qui ex professo ei repugnarunt, uel eius uoluntati, sicut fecit Pharao & Iulianus apostata,Tyranni,qui Christianos ad mortem poscebant, & Iudæi, qui blasphemi in dominũ nostrum Iesum Christum,Deum uerum,quotidianis conuitijs eum impetunt.Et hoc odium peius nisi infidelitate. Odium proximi est, subtrahere illi debita, & mala inferre, & molestum sese ei præbere. Odium bonum est peccati,ut diximus,sed malũ odire proximum in quantum proximus:inimicitia odij fons,cuius eff-ctus est detractio,ira,calumnia:uerum differunt,ut notat Arist.lib.2.rheto.ad Theod.c.4.quod ira,ex ijs est quæ ad seipsum pertinent.Inimicitia uero etiam sine ipsis: nam si talem esse suspicabimur, odium. Præterea, ira semper in singulos,ut Socratem,Calliam. Odium uero in genera. Adhæc ira dolorem inferre cupit:odium uero affligere potius: nam qui irascitur,cognosci uult, hic uero non curat. Dolet qui irascitur,qui odit non dolet. Et ille multis modis miserebitur: hic nullo pacto. Nam ille inuicē dolere ipsum uult cui irascitur: hic uero,non esse quem odit.hæc Aristo. Oderunt potissimũ homines alios,quòd sibi illos præponi aliqua in re uideāt uel arbitrentur: quod imperfectionis & præsumptionis eius qui odit maximum est testimonium sicuti & ob uirtutem pleriq. perosi: ut oderat Perdicam Alexander, quod esset bellicosus: Lysimachum,quod belli peritus:Seleucum, quod magni animi: offendebat quoque eum, Attali imperatoria dignitas, & Ptolomęi prosperitas, ut narrat Ælia.libr. 12. de uaria histo. Apud Athenien. ei qui ostracismo seu iudicio testarum populi erat iudicatus, fugiendum erat, non ut damnato, sed uelut Reipu.molestiori magis ob uirtutis æmulationem,quàm uirtutis uituperium.ut ait Iulius Pollux lib.8.onomast.c.4.Sicut & Aristidi, cui ob probitatem morum Iusti nomen datum, contigit, teste Æmilio Probo in Alcibia. Herodoto in Vrania,Plutar.in Aristi.Diod.Sicu.lib.11. & expresse Cic. 5. Tusculan.nonne, inquit, Aristides patria pulsus est, quod præter modum iustus esset?de Cimone & alijs, eadem referuntur. Is qui ut oportet,iucundus est,amicus dicitur: & ea mediocritas amicitia:is autem qui exuperat, si nullius rei gratia, placidus: si sui emolumenti causa, adulator est appellandus: at is qui deficit & in cunctis,est iniucundus. Arist.li.2. Ethic.ad Nico. cap.7. Qui excedunt in charitate, sunt qui nimio detinentur amore,

amore,& ita ualde & præter modum anxij de re amara, in ze lotypiam incidunt. De cuius expiatione Leuit.capit.5. Refert Plin.lib.25.cap.7. Nympham zelotyphia erga Herculem mortuam. Excedunt & illi qui impotentes & ebrij amoris, ei modum non adhibent, ut ait Philostra. libr. 2. de imaginib. in Ariadne. Et qui non amanda, uel eo quo non licet amore, diligunt; ut Tyro amauit aquam; & Meles quoque Ionicus, qui uenereas lacrymas in aquam fundebat, ut author idem Philostra lib.2. de imaginib. in Melete Et Pōtius legatus Caij Cæsaris (quem suspicor esse impium Pilatum præsidem Hierosolymorum, qui iniustè damnauit Dominum nostrum Iesum Christum) libidine accensus fuit Lanuuij picturarū Atalantæ & Helenæ, quæ pictæ nudæ erant, easque tollere conatus est, si natura tectorij permisisset, ut scribit Plin. lib.35.c.3. Sic Pygmalion Cilicis filius, in eburneam statuam exarsit, teste Ouidio 13 metamor & apud Ælia. lib.9. de uar. histor. ca. 37. adolescens Atheniensis, summo loco natus statuam bonæ fortunæ ad Prytaneum stantem deperibat, & sæpe in complexus eius se insinuans, oscula dabat; atque inde raptus in furorem, æstuque percitus propter cupiditatem, in senatum ueniebat, & enixe rogabat, ut sibi eam liceret emere; at cum nihil proficeret, multis regijs sertis imagine coronata, oblato sacrificio, ipsaque ueste pretioso exornata, sibi mortem cum lacrymis consciuit. Refert & Xerxem amore platani detentum, & alios alia ridiculare. In hunc ordinem referendæ illę, quæ post maritorum charorumque obitum, amoris uiolentia mortem sibi consciuerunt temere, ut Panthea, Persa, post mortem Abradatis mariti Et Euadne, post mortem Capanei, ut author Philostr. lib.2. Iconum in Panthea & Euadne.

De legum obseruatione & contemptu. *Cap. 29.*

Leges obseruare nihil aliud est, quàm uirtutes sequi, uitia fugere & persequi. Nā prius cupiditates natę sunt quam leges, quæ his modum fecere; ut ait L. Valerius apud Liuium lib.4. decad.4. Et qui legem præesse, uolunt, uidentur iubere Deum præesse & leges; qui autem hominem iubet pręesse, adiungit & bestiam; libido quippe talis est, atque oblique uiros agit etiam optimos, ut ait Aristot. lib.3. politic. capit. 12. Quia lex nihil aliud est, quam recta & a numine Deorum tra

cta ratio, imperans honesta, prohibens contraria apud Cicer. philipp. 11. Leges, siue diuinæ, siue humanæ, nobis datæ sunt pro regula, pro linea, & pro iudice, ut ait Theodore. de curat. Græca. affectio. in uirtute actiua. Et quemadmodum Demosthenes aiebat, epistola 3. ad Senatum de Lycurgi legibus, omnes leges propter æquitatem & salutem bonorum, & hominum frugi feruntur, leges generales, leges omnibus impositæ. Quamobrem & ab omnibus obseruari est: cum sui causa, quod ex illis uiuendi cum uirtute, certum habeant, demonstratum & indicatum iter, & a periculis moueantur. Tum etiam propter authoritatem legislatoris, & potestatis eius, quia non est potestas nisi a Deo, D. Paul. ad Roma. 3. & omnis anima potestatibus sublimioribus debet esse subdita. Hinc concordia & pax ciuium, & societas continetur.

Τὸ γὰρ τοι συνέχον ἀνθρώπων πόλεις
τοῦτ᾽ ἔστι, ὅταν τις τοὺς νόμους σώζῃ καλῶς.

ut ait Æthra apud Euripidem in supplicibus, actu 1. id est, idipsum contubernia hominum continet, quando quis tuetur leges probe. Leges namque sponte obedientes, præmijs ut bonos prosequuntur, peruicaces autem, magistratuum ministerio etiam inuitos cogunt & puniunt; proinde magistratus qui custodes tantum legum sunt, neque contra legem facere possunt, ut plene pertractabimus, si Deus uoluerit, dum de sententiis iudicum in epitome nostra iuris agemus. Innuit & D. Paul. Actuum capit. 23. dum dixit ad pontificem, tu sedes secundum leges iudicans, & contra leges iubes me percuti; percutiet te Deus paries dealbate. alioquin ut dicebat Plato lib. 4. de legibus, interitum paratum illi ciuitati uideo, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt. Neque etiam magistratus positi sunt, ut leges iudicent, sed ut secundum eas ipsi ius reddant. Neque si impiæ aliquando uideantur aliquibus, forsan quia odio uel amore uel metu uel muneribus ipsi in contrarias legi partes claudicent, tamen illis censura correctoria non permittitur, sed postulandum est, ut ait Demosthe. 2. olynthiac. ut eas leges abrogent illi ipsi, qui eas tulerunt, eademque maturitate qua inductæ sunt, prius emendentur, quam contemnantur. In quo laudabile & Thuriorum institutum, ut qui legis abrogationem peteret, cum laqueo in publicum prodiret, quique si non persuaderet, laqueo ipso suspenderetur, ut scribunt Diodo. Sicu. libr. 12. & Demo-

Demosthenes contra Timocratem. Soli summi principes, cum omnia uideantur habere a subditis sibi data, unum præcipuum habent nemini alii concessum, ut legibus soluti sint, ut ait Dion Cassius lib. 53. firmantque iuris ciuilis leges eandem sententiam. Oportuit enim esse unum aliquem, qui pro occurrentibus reipub. morbis, libere mederi posset & statuere, cum ratione tamen, aliter nequaquam. Nam, ut dixerunt Cæsares Theodo. & Valenti. digna uox est maiestate, regnantis legibus alligatum se principem profiteri. adeo de authoritate iuris nostra pendet authoritas: & re uera maius imperio est, summittere legibus principatum, ut scribitur in codice Iustiniani. de legib. 4. lib. 1. Quæ uera potissimũ dum de diuinis agitur, in quibus immutare quippiam a principib. seculi nõ licet, ut pote ipsis quoque Deo regi regum subditis cuiusque ut maioris, soluere iura non possunt; & cum Deo potius, quam hominibus, si contraria statuerunt, oportet obedire. Sed hæc sufficiant, de legum obseruatione in præsentia, cum latius hęc pars Deo fauente in iure & legibus examinanda sit. Dicemus tamen hic in summa, per hanc obseruationem legum, omnia quæ a uirtutibus procedunt conseruari, ut iustitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, spem, fidem, charitatem, & illis conuenientia; & hinc sequi cõsortia hominum, & societates firmas, res quique tutas, & dignitatum splendorem, meritorium distinctionem, delictorũ emendationem, & similia. Et contra ex contemptu legum, omnia aliter succedere ut non opus sit ulterius in his immorari, neque de contemptu legum agere.

De pietate seu religione. *Cap.* 30.

CONsentiunt omnes, pietatem esse debitum cultum erga Deum, patriam, parentes, & eos qui parentum loco sũt, quales sunt præceptores, nutrices baptizantes, instruentes. Sic Cicero in Som. Scipio. ponit in parentibus & propinquis, & patria. & 3. offic. Ciuitati expedit, pios habere ciues in parentes. Verũ proprie pietas pro Dei cultu accipi solet, pro religione, quæ Gręcis ἐυσέβεια, de qua primum loquamur. Et Mercurius Trismeg. in Pimandro ἐυσέβειαν seu pietatem tradit esse γνῶσιν τȣ̃ θεȣ̃ cognitionem Dei, quam finitionem probat Lactant. lib. 2. de orig. error. c. 15. Religionem quoq; esse rectã

de

de diuinis mentem dixit Arnobius 7. contra gentes. De hac Cicero pro domo sua, nec est ulla erga Deos pietas, nisi honesta de numine eorum, ac mente opinio, quum nihil expeti ab iis quod sit iniustum ac inhonestum arbitrere. Pietas, inquit D. Bernard. sermo. 35. lib. sermo. paruo. est cultus Dei, qui in tribus consistit, fide, spe, & charitate, quæ sunt inuisibilia, his tribus carent impii, qui Deum non colunt, & quorum consilium est uisibilia inuisibilibus, terrestria cælestibus præferre. Philo etiam Iudæ. libro quod deterius potiori insid. definit pietatem esse, obsequium erga Deum, & ministeriũ: Dei autem cultum, non quod Deus eo iuuetur; nullius enim ipse indigus est, sed quod nos eo iuuemur. unde idem lib. de migratio. Abrahæ ait, hoc glutine pietatis, naturam mortalem immortali iungi, & uniri. Et Cice. 1. de natur Deo. hanc fundamentum existimat societatis humanæ, & cum eius contẽpt simul cum ea labi omnem fidem, & iustitiam. item pro Plancio, fundamentum omnium uirtutum: Plinius quoq; libr. 14. c. 19. uitam nostram religione constare dixit. Pietatem sequitur sanctitas, quæ est eius quod Dei est agnitio: sequitur & retributio, & religio sanctitate, quæ est religatio indissolubilis cum Deo ipso, ut docet Plato in Euthyphrone. Pietatis modus, in duobus consistit, in piorum dogmatum certitudine, & in bonis operibus; ita ut neque dogmata sine bonis operibus accepta sint Deo, neque absque piis dogmatibus opera perfecta suscipiat Deus. ut tradit Cyrillus Hierosolymit. catече. 4.

De superstitione & impietate in Deum. *Cap.* 31.

Opponuntur pietati quæ est erga Deum, seu religioni suo infandissima uitia, nempe superstitio in excessu, & impietas in defectu. Superstitio dicitur timor Dei inanis, cum id timetur quod timeri non oportet: item abuti Dei cultu in illis quę Deo improbata sunt. Nam, ut ait it Cic. 2. de natu. Deor. Cultus Dei est sanctissimus, optimus. atque plenissimus pietatis, ut eũ semper pura, incorrupta, & integra mẽte & uoce ueneremur. Non enim philosophi solũ, sed etiã maiores nostri, superstitionem a religione separauerunt. Nã qui tota die precabantur, & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitio si primum sunt appellati, quod nomẽ

po-

postea patuit latius. Qui autem omnia quæ ad cultum Dei diligenter retractarent & relegerent, dicti sunt religiosi &c. eadem refert D. August. lib. 4. de ciuita. Dei capit. 30. & lib. 2. de diuinatio. idem Cicer. ideo tollendam esse omnem suadet superstitionem, retinēdam autem religionem. Ita Epictetus teste Ario in eius enchirid. cap. 36. libate & sacrificate unumquemque, inquit, secundū patrios maiores decet; absq; lasciuia, absq; negligentia, non parce, non supra facultatē. Superstitiosas quoque uoco hic obseruationes illas magicas, de quibus passim apud Plin. quibus sub specie cuiusdam numinis panicos terrores persuadebant, uel alia mirabilia pollicebantur: uoco & superstitiones, paganorum religiones impias, sicut & D. Paulus, dum actuum 17. ait, Viri Athenienses, quasi per omnia superstitiosos uos uideo &c. superstitionē D. Paul. ad Coloss. cap. 2. dicit habere speciem sapientiæ in præsumpta humilitate angelorum, &c. item illam sabbathorum obseruationem, eiusmodi quo utebantur neoterici Iudæi, ut non ignem accendere, non parare escas, non curari in sabbatho uellent, melius species hypocrisis, quos reprehendit dominus Matth. 12. Marc. 3. Lucæ sexto. & 13. Hi enim, ut Deus detegit, erant colantes culicem, camelum autem deglutientes. Matth. 21. id est, de minimis conscientia superstitiosi, in grauioribus non utique religiosi. At superstitio non est, cū timore, tremore, honestate, ritu ordinato ceremoniarum, Deo cultum exhibere, mysteria per symbola præbere, quemadmodum docet ecclesia catholica, columna ueritatis, & D. Dionys. Areopag. lib. de Ecclesiast. hierar. & Conradus Brunus in 6. libris de ceremoniis. Impietas, est male sentire de Deo, uel Deum negare uel non timere, cuius fuerunt Diagoras, Protagoras, & alii Athei, teste Cicero. primo de natur. Deorum. Consentiunt & hæretici in fide dubii, de quibus plura alibi.

De pietate in patriam. *Cap.* 31.

POst Deum patriæ pietas debetur, uirtusque maxima eam & consilio & re iuuare. Et generosi, inquit Plutarch. in polit. animi est, exclamare, amo liberos: sed magis patriam. Nullus quippe casus est pro dignitate patriæ non ferendus, ut scribit Cicero Philipp. 13. Officio. primo Tusculan. quinto

per deuoti sint, supra alios proditores Sic Aurelia. Impeta. cum Thyanam ciuitatem obsedisset, eamque proditione Heraclamonis patriæ eius, cœpisset, eum patriæ proditorẽ uictor sapiens interemit; neque enim, inquit, mihi fidem seruare potuisset, qui patriæ suę non pepercit, ut narrat Flauius Vopiscus in Aureliano. Iussit militibus Achilles, Pisidicem Methymnæam filiam regis, quæ ciuitatẽ patriam suam & parentes ei prodiderat, lapidibus obrui, Parthenius in Eroti, c. 21. Tarpeia quoque suæ patriæ proditrix, a uictoribus merito interfecta Liuius 1. ab urbe, Ouid 1. Fasto. & 14. Metamorph & Plutar, in uita Romu. Valer. Maxim. lib. 9 c. 6. Itemque de proditore factum a Brenno ad urbem Ephesum, Plutarch. lib. paralell. paral. 30.

De pietate in parentes. Cap. 33.

POst patriam, parentibus & proximis pietas debita, cultus, & reuerentia. His enim primum nos natura conciliat ut ait Cicero de respon. arusp. ut pro his mori, si opus sit, iura diuina & humana uideantur suadere, & ratio etiam potestatis; quod repetit pro Sexto Roscio. Ideo & necessaria multo magis uitæ debemus, ut late tradidimus de horũ debito in lib. 2 præludio. op. Iurisc. c. 40. Docet & Cyrill. Hierosoly. cateche. 7. Docent & animalia, inter quæ glires & ciconiæ parentes alunt, Plin. lib 10. cap. 23. & Meropes aues eodem lib. Plin. cap. 33. & Orus Apollo in Hierogly. Extat & præceptum honorandos esse parentes Exod. 20. Eccle. 8. Matth. 15. & 19. Marci 10. ad Coloss. 3. ad Ephes. 6.

De pietate erga præceptores. Cap. 34.

DE his etiam quæ debentur præceptoribus, diximus abunde in prælud. opt. Iurisc. lib. 2 c. 41. & c. seq. de his quæ debemus pauperibus & mortuis. Pietas quippe præceptoribus non secus ac iis qui nos genuerunt corpore, debetur: ingenerant enim quodammodo in nobis intellectum & disciplinã, ut iis quoque qui ministerium sacramentis præbent, qui instruunt nos in religione, & similes.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER XL.

In quo agitur de vitijs.

Methodi ratio. *Cap.* 1.

OCcurrebāt præter uirtutes proxime superiori libro enumeratas, aliæ quædam, quæ possent, seorsum propria tractatione similiq; ordine donari; uerum ut stylum maiori gratia donemus, utque per notiora uitia incedamus, mutaui formulam, ut quemadmodum in superioribus uitia ex oppositione uirtutum explicatarū apparuerūt, nunc ex uitiorum insigniorum nomenclatura, contrario argumento uirtutes illis oppositæ intelligantur.

De superbia. *Cap.* 2.

SVperbia, & elatio animi contra rationis modum, quando quis se magnis rebus dignum & honorandum arbitratur, cum tamen longe hinc absint; unde superbi, insolentes ab Aristot. dicuntur, lib. 1. magn. moral. cap. 26. hæc maxime inuenitur in rebus publicis fere omnibus, quæ pace fruuntur & otio, & apud illos qui rebus abundant. Nam bellum quos opprimit, cogit esse & humiles, temperatos, prouidos, & iustos: at secundæ res, & otium cum pace petulantes reddit, ut ait Aristot. libro 7. polit. cap. 15. Et Moses impugnatus, dilatatus, recalcitrauit, Deut. 32. quo fit, ut ex hominum superbia, tot mala prodeant ueluti ex equo quodam Troiano, eaque semente præbeāt tot uariis successib. humanis. Pacis quippe

pe optimus status, diuitias & rerum copiã suggerit; copia autẽ, otium & superbiã generat, & ex optima matre pessimæ nascuntur filiæ; deinde superbia cõcitat seditiones & dissidia, ex quibus bellum infœlix, ex quo nihil aliud quam miseriarum omnium turba, quę superbiam illã conterunt; dum ei fomenta subtrahunt diuitiarum. & eo usque ceruicibus minantur, donec paupertas insignis orta sit, deuorataeq; sint omnes superborũ diuitiæ, & opes & subsidia. Tunc enim paulatim belli sęuitia remittit impetus, & tyrrannidem; non secus quã ignis, deficiente ligni pabulo, extinguitur. Hincq; cineres reliqui & paupertas & superbiẽdi sublata ansa ad pacem uenitur, eamq; tandiu iterum circulatione homines cõseruant, quandiu abũdantia & otio deficiunt, in quæ relapsi & in mala pristina reuoluuntur. Comitãtur superbiã satelites pessimi, præsumptio, pertinacia, hypocrisis, ostentatio, iactantia, aliorũ contẽptus, inobediẽtia, ambitio, curiositas. Ideo ex illa oriuntur peiora, hæreses, scismata, seditiones, iurgia, rixæ, bella, litigia, detractiones, animositates, elationes, uanitas, inquietudo, mẽdaciũ periurium D. Aug. ad Ianuar. epist. 121. dicensq; in summa cum Ecclesiaste, initiũ omnis peccati est superbia, & odibilis Deo & hominibus. Eccles. 10. Signa superborũ, ex Innocẽtio in sermone beatiss Virginis Mariæ, hæc sunt, quod tales non seruant mandata, sex iudicant, obiurgãt, cõtradicunt, murmurant, irrident simplices, sunt pertinaces, mordaces in loquendo, fastidiosi in audiendo, pręsumptuosi in docendo, onerosi amicis, imperiosi subditis, ingrati beneficiis, inflati obsequiis, quibus ceruix inflexibilis, facies resupina, oculi sublimes & uagi, nares spirantes, iniurias subsannantes, collum erectũ, risus incontines, uultus gestuosus, addit Tertull. lib. de uerecundia, præsumptio inuerecundiæ portio est inflat petitiorem, despicit datorem. Plin. lib. 11. cap. 37. sedem superbiæ, in superciliis poni; supercilia, inquit, homini, & pariter & alterne mobilia: & in iis pars animi, negamus, annuimus, Hæc maxime incidant fastum. Superbia alicubi conceptaculũ, sed hic sedẽ habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Superbia nascitur ex sui ignorantia: sic qui se putat aliquid esse cũ nihil sit, seipsum seducit. ad Gala. 6 ideo quia cæca est, facile possessori parat interitum. Proinde ob hanc de cælo deiectus Lucifer, Isaiæ 14. Ezech. 28. qui rex super omnes filios superbię, Iob. 41 ii per hanc pulsi ab horto illo uoluptatis seu

para-

paradiso primi parentes quos superbos ille hostis superbia cō fecit, dicens, eritis sicut Dii, Genes. 3. Ob hāc Deus unius labij sermonem diuisit, & cōfudit. Genes. 11. absorbuit terra uiuos Dathan, Chore & Abyron, & eorū socios. Numero. 16. Nabuchodonosor cum feris terrę, per septem annos iudicio Dei fœnū, ut bos, comedit, Daniel. 4. Hæc Goliā perdidit, 1. Reg. 17. Amano laqueum parauit, Hester. 7. Nicanorem & Antiochum sustulit, 2. Machab. 15. Detestatur Salomon oculos sublimes, & inter septem res, quas ualde odit Deus, illa est, Eccles. capitu. 19. & in summa si ascenderit (ut ait Iob c. 20.) usque ad cælum superbia, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinum in fine perdetur; Quia Deus superbis resistit, humilib. autem dat gratiam, Iacob 4. quod expressit Antigone in Phœnissis apud Euripidem, actuum 1. dum ait,

ἰὼ νέμεσις καὶ διὸς βαρύβρομοι βρονταὶ
κεραύνιόν τε πῦρ αἰθαλόεν,
σὺ τοι μεγαλαγορίαν ὑπεράνορα
κοιμίζεις. id est,

Io Nemesis, atque Iouis horrisona tonitrua
Et fulmineus ignis, ardensq;,
Qui immo dicam insolentiam
Comprimis.

Herodes sibi gloriā datam superbe usurpans cōputruit pediculis exesus. Act. 12. Deus quoque domos superborum demolitur, Prouerb. 15. & radices superbarum gentiū arefecit, eccles. 10. Dispersitq; superbos mēte cordis sui, & exaltauit humiles, Lucæ 1. & oculos superborum humiliabit. psalm. 17. quia superbis resistit, Iacob. 4. & 1. Petr. 5. & dies domini in omnem superbum, Isaię 2. Nec illi unquam superborum, sed humilium placuit oratio, Iudith. 9. & Luc. 18. Docuit idcirco discipulos Dominus, non superbire; non dominari sed sed humiliari & subiici, doctrina & exemplo, D. Ioan. cap. 15. semetipsum humilians usque ad mortem, ad Philip. 2. Atque nos, qui eius filii & discipuli sumus, rogare Deum debemus, ne ueniat nobis pes superbię, ut Dauid psalm. 35. Et amplecti & sectari superbiæ aduersariam uirtutem, humilitatem, humiliter & modeste de nobis sentientes, nos ipsosque cognoscere. Quanto maiores, humilia temetipsum, ait sapiens Eccles. 3. & rursum capitu. 7. Humilia ualde spiritum tuum, ut & D. Petrus 1. cap. 5. iubet. Humiliamini sub potenti manu Dei.

Quia

Quia qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur, Lucæ c.14.& 18. Cuius exemplum insigne literis cōsignatum, in Dauide humiliato coram arca Dei, & Michol uxore superba, sterilitate ideo punita, 2. Reg.6.& 1.Paralip. cap.15. Superbia demergit in tartarum usque, humilitas autem ad cęlum usque extollit, ut ait Cassiodo. in Psalm. 118. & D. Gregor. lib.35.moral.cap.22.dixit signum euidentissimum damnationis, esse superbiam.

Antidotum superbiæ. *Cap.* 3.

SVmma totius antidoti est, seipsum (ut dixi) nosse, & humiliari, nec alte, sed modestè de se sentire, seipsum metiri uere: inueniemus enim, si nos & nostra perpendamus, usq; adeo uilem & imperfectam, & miseram uiuendi rationem, ut proculdubio sine affectu iudicantes, alas & tumorem remittamus. Referam perpulchra Rabini Akabiæ filij Mahalalielis, uerba, quæ in libro פירקי אבות pirke abor, id est in capitulis patrum, scribuntur capit. 3. הסתכל בשלשה דברים ואין אתה בא לידי עברה : דע מאין באת ולאן אתה הולך ולפני מי אתה עתיד לתן דין וחשבון: מאין באת מטיפה סרוחה : ולאן את הולך למקום עפר רמה ותולעה: ולפני מי אתה עתיד ליתן דין וחשבון לפני מלך מלכי המלכים הק הקדוש ברוך הו. lege, hastacel besceloſca debarim, uexn atha ba lidei gaberah : dag mexn batha, ulean atha holechi, uliphnei mi atha gatid lithen din, uechescebon: Meain batha, mitipa seruchah, ulean atha holech, limekom gaphar rimah, uetholega : uliphnei mi atha gathid litheu din uechescebon. liphnei melec malchei hamelachim hakadosc baruc u. id est, considera tres res, & non uenies in manus transgresſionis. Cognosce unde ueneris, & quo tandem sis abiturus, coram quo etiam oportebit te tandem iudicium & rationem dare. Vnde uenisti? ex guttula sordida. Quo tandem abis? ad locum pulueris & uermiū. Et coram quo futurum est ut rationem reddas? coram rege regum omnium, qui scilicet est sanctus & benedictus Et ibi Rabi Maimon considerationem ortus nostri causam esse humilitatis ait: Naturam considera quæso, dum morbo hoc tumescis, generaliter hominis, cuius conceptio culpa, nasci pœna, labor, uita, necesſitas mori, post hominem uermis, post uermen fætor & horror. Cum enim morietur homo, hęreditabit serpentes, bestias & uermes, Eccles 10. Iob.21.& 13. Isaiæ 31.

Talis regum & imperatorum, doctiorum, stultorum, uirorũ & mulierum, senum & iuuenum natura & præstantia, nec si cœmiteria contempleris,& ossa per sepulchra mortuorũ perquiras, aliquam constituere poteris nobilem differentiã.quę igitur homini causa superbiendi, cuius corpus in tam fœtidũ cadauer, feris & serpentibus exosum, resoluitur? Quod si putas superbiam & elationem animæ non corpori proficere, reuolue quæso, à sepulchris ad animarum carceres, mentis oculos, audies earum eiulationes horribiles in desperatione querulas, Sapient.5.ibi, Quid profuit nobis superbia, & diuitiarum iactantia? &c. Quod si in teipso non hæreas, sed externis bonis intumescas, quid uidebis quæso teipso stultius, qui alienis non tuis glorieris, moturus aliquando risum, ut cornicula Horatiana, furtiuis nudata coloribus: cum ea omnia in hoc seculo relicturus sis,& nudus in puluerem reuersus. Et quid habes, quod non acceperis? si acceperis, quare gloriaris, quasi non acceperis? ut D.Paul. 1.ad Corinth. 4.Monet. Et ut dicebat in Menam Libertum Horat.epo.ode 4.

Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne sacram metiente te uiam
Cum bis ter uulnarum toga,
Vt ora uertat huc,& huc euntium
Liberrima indignatio?

Si doctrina extolleris, ea tibi iudicium æternæ mortis erit, sciens uoluntatem domini,& non faciens, Lucę 12.neque potest te præterire, alium te esse posse doctiorem, conscientia propria motus quod plura ignoras, de pluribus dubites, multa quotidie ab ijs quos indoctos censes, discas. Quin si multa te scire profitearis, quid es oblitus, omnia uelle scire, uanitatem esse & occupationem pessimam a Deo datam filijs hominũ? & quod in multa sapientia multa sit indignatio, ut ait Ecclesiastes cap. 1. Sed & falleris, plura te scire putans, cum teipsum non noueris. Si de sanctitate,& religione te extollis, eo ipso in religionem committis, in qua putantes esse se sapientes, stulti facti sunt, ad Roma. 1. Et sapientia huius mundi est stultitia apud Deum 1.Corinth.3. Si te præferas alijs, iuuentute, pulchritudine, bona ualetudine, stultus omnino es, qui non uideas nec sentias, tempus illa omnia proxime immutaturũ: adesse morbos, insidiari uenustati turpitudinem, uitam comitari

tari tacitam mortem. Si de uirtute gloriaris, iam uirtutem eo ipso enecas & pellis Si de genitorum nobilitate, per superbiã iam ab illis degeneras, qui non uanitate illa leui, sed actibus nobilitati sunt, nec illa tua, sed illorum est laus, tuum autem opprobrium quod non imiteris eos, qui domestica tibi præbuerunt exempla. Si, quod abundas, quod conuiueris splendide, quod multa possideas superbis, & in hoc tristandum esset, non gloriandum, quod de multis sis redditurus rationẽ Deo, quod ea inutiliter, uoluptuose, præter & contra uirtutem, & usum consumpseris. Si autem quod bene cantes, choreis fruaris, ad rhythmum bene saltes, in hoc erubescere quoque deberes, non gloriari, quod tempus bonis operibus dandum terras tam molliter & peruerse, quod omnino amens factus sis dum in morbo delectaris, & ubi lugenda tibi tam perdita uita sit, in ea glorieris: sic impius gloriatur cũ malefecerit: quæ ad ludendi astrum quoque uelim referas, ad histrionicos cõcinnos motus, uoluptates, & similia uana, uenationem, aucupia, famulatum: &c. si magnificas ædes quibus habites obijcias pro fastu, arces munitas, palatia, uestium ornatum, stolidissimum te iudico omnium, qui ex inanimatis, cum animę rationalis sis particeps & diuinitatis gloriam aucuperis, miserumq; qui domum dominum honorare, non dominum domũ arbitretis, quiq; ita sis inscius, ut tuam domumquinque pedum sepulchri futuram non cogites, & arces munitas non consideres tuæ improbitatis esse testes, dum aliter non credas te esse tutum. Si de magistratibus, gradu dignitatis, prudentia, imperio, regno, uel alia administratione tibi commissa, inflatus obambules, quid posses quæso miserius teipso cogitare? ut qui tibi non sapias, aliorum curam suscepisse, pro illis redditurus rationem: audi quod dictum est Sapient. 6. Præbete aures uos qui continetis multitudinem, & placetis uobis in turbis nationum, quoniam a Domino data est potestas uobis, & uirtus ab altissimo qui interrogabit opera uestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, nõ recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundũ legem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit uobis, quoniam durissimum iudicium fiet, in ijs qui præsunt. Et ut tandem concludam, si quid boni sit in nobis, si quid rarum uideatur, meruere debemus, ne id superbia ipsa amittamus, nosque & illa perdamus. Qui enim stat, uideat ne cadat. 1.

 Corinth.

Corinth. 10. Quo enim altiores esse nobis uidemur, tantò perniciosior imminet lapsus: &, ut dixit Horatius carmin. 2. od. 10.

Sæpius ventis agitatur ingens.
Pinus. & celsæ grauiore casu
Decidunt turres feriuntq; summos
Fulmina montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene preparatum
Pectus informes hyemns reducit
Iuppiter: idem
Submouet, &c. Et postea,
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela:

Et uno uerbo cum Pindaro concludemus, ode. 11. Nemeo. epo. 1.

εἰδέτις ὄλβον ἔχων,
μορφᾷ παραμεύσετ' ἄλλων,
ἔν τὸ ἀέθλοισιν ἀρι
στεύων ἐπέδειξεν βίαν,
θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη,
καὶ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος, id est,

Sed si quis opes possidens forma anteibit alios, & in certaminibus primas obtinens partes, specimen ediderit roboris: meminerit se mortalia circunferre membra, & postremam omnium terram sibi futurum esse amiculum. Quod paucis dicitur Ecclesiast. cap. 7. memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

De auaritia, & quid. *Cap.* 4.

AVaritia, est uitium animæ, per quod undequaque sine ratione habere cupimus, & citra rationem habitum retinemus. Primam partem huius definitionis probat Aristotel. libello de virtutibus, altera prioris appendix & consequentia est; Auaritiam uocant ea ratione, φιλαργυρίαν Theologi,

logi, inordinatum habendi amorem, ut D. Thomas 1.2. qu. 82. attic. 1. & 2.2. q. 118. artic. primo. in comment aureo super prima. epist. ad Timoth. Itaque auaritia duo habet, quæ pessima sunt, promptitudinem nimiã accipiendi, & defectum maximum dandi. Arist. li. 4. Ethic. ad Nicoma. c. 3. quæ si ad medium reuocare potes, cõstitues uirtutẽ liberalitatem. Nam deficiendo, auarus nõ impendit ubi oportet, nec quantũ nec quando decedit. & ita liberalitatẽ suffocat ea parte ueluti ex excessũ largiẽdi. aliunde eandẽ prodigus eneruat, qui ubi nõ decet, & plura quam deceat, & ubi non deceat, expẽdit. Arist. 1. li. mag. moral. c. 24. Lucret. li. 3. de rer. nat. auaritiã, dixit, cæcam bonorum cupidinem, quæ cogit homines miseros, trãscendere fines. Certe uere cæca, quia habet oculos fascinatos qui satis nunquã sibi esse putent, nec uideãt. unde mulorum uitam agunt, plura habentes, nihil expendentes: ii enim aurũ pretiosissimũ onus dorso gestantes, semper fœnum comedũt. Nec auaritiã quotidie confluentes diuitiæ sistunt, sicut neque ardentẽ ignem iniecta materia Etenim radix auaritiæ opinio non satis unquã futurũ, ea ; est causa cur non satis hãbeat, teste Zenone apud Diog. Laerti. in eius uita, li. 7. Sic & Cic. li. 4. tusculan. Cũ est concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio quasi medicina, quædam Socratica quæ sanaret eam cupiditatẽ, permanat in uenas, & inhæret uisceri b. illud malum, existitq; morbus & ægrotatio, quæ euelli inueterata non possunt: eiq; morbo nomẽ est auaritia. Canit & iuuenal. Sati. 14.

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.
Et minus hanc optat, qui non habet.
Diues est, qui nihil cupit, sed semper pauper est auarus.
Quid mihi diuitiæ (inquit Corn. Gallus) *quarum si dempseris usum.*
Quamuis largu· opum semper egenus ero.

Horatius auaritiam hydropisi comparat rectissime libr. 2. ode. 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit uenis, & aquosus albo
Coepore languor.

Et Ecclesiast. capitulo 5. auarus nõ implebitur pecunia, & Eccles. capitulo 14. Luxuriæ, inquit P. Mimercus, desunt multa, & auaritiæ omnia; inde & dictus auarus, quasi aui-

duæ æris uno e detracto a Gellio libr. 10. capit. 5. Et ut aiebat Antiphon auari uitam non uiuunt, sed magno studio separant ceu quandam uitam magnam uicturi, & interim illos tempus deserit, ita ille auarissimus Hermocrates moriens, in testamento, seipsum rerum suarum scripsit hæredem, teste Lucillio: tanta enim ei cura erat suorum nummorum, quemadmodum & alius insigniter auarus apud Athenæ. lib. 4. dipnoso. c. 18. morti proximus, ne nummos suos alijs relinqueret, multos aureos deglutiuit, ut secum deferret, atque alios omnes in sago consuisse refert, & imperasse indutum se sepeliri. Stultissimi hominum & impijssimi, qui nec morientes, cum tunc uti non possint, uelint homines superstites beneficiis & bonis frui. Neque quicquã certe est, quod non audeat mali, qui se semel habendi cupiditatibus dedit. Sicque præponit honestis lucrum, & parentibus, liberis, & uxori: hincque tot proditores & lenones, fures & latrones, imo proprij pudoris & honestatis contemptus: ut effæminatos ideo auaritiam reddere dicant, Sallustius in Catil. & Gell. lib. 3. c. 1. Interdumq; eo sceleris quidam peruenere, ut cum lucri spe propriam uitã commutauerint: quemadmodum narrat Val. Max. lib. 7. c. 6. in Casilini obsidione, inter trecentos Prænestinos unum fuisse, qui in fame murem captum ducentis denarijs maluit uendere, quam ipse leniendæ famis causa consumere, & ita mortuus est. Et sæpe fame se confici, ut parcant pecunijs patiuntur auari, quorũ hæredes profusissime sese oblectant postea. Quibus fidem facit Tãtali fabula, qui sitiebat inter aquas: de qua & similib. luculenter Lucian. in Gallo, & Horat. lib. 1. sermo. Saty. 1. Neque etiam tantum corpus, quinimo & animam uenalem quoque huiusmodi habent. Et qui uolunt diuites fieri, incidunt in uarias tentationes & laqueos diaboli. 1. ad Timo. 6. Exosa auaritia Deo, cuius uitio bona ad usum hominũ data, inutilia concluduntur. Exosa naturæ, quæ ideo substrahit sua ab hominibus beneficia, dum auare uidet ab hominibus ea dispensari, ut mirabilia duo exempla refert Athenæ. li. 3. dipnos. c. 1. oderunt & domestici auarum: quia & ipse conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam, prouerb. 15. non enim uti patitur eos necessarijs. Odit & huiusmodi uniuersa uicinia, populus omnis, pauperes omnes, utpote quibus iniuriam irroget, illis necessaria retinendo, non dicam ut sæpe accidit, rapiendo, extorquendo: lerna enim auaritia malorum

est,

est,quæ uallatur impijs satellitibus,periurijs, fraudibus,dolis, furtis,usuris,rapinis,impietate,simonia,crudelitate, immisericordia,& alijs similibus, quæ enumerat Iuuenal. Saty.6.& 4. Et D.Chrysostomus lib. 3.contra impugnantes uitam monasticam,alia eius mala refert & Plin. libr.14. in proœ In summa,nulli placet auarus,nulli bonus, cum nec talis sit sibi ipsi, perpetuo morbo agitatus:pallidus metu.omnes enim esse suspicatur fures, sibique ob aurum insidiari, nunquam quiescit, semper sollicitus,usuras perpetuo recolit,ut scribit D. Ambr. Tomo 4.in 1.psal.Lucia,in Gallo. Cæterum auaritiæ tres species Aristot.libello de uirtut.turpis quæstus,tenacitas, & illiberalitas:triceps inferorum Cerberus. Turpis quæstus undequaque ditescere suadet oblatrans:quod Iuuenal. Saty.14.

Vnde habeas quærit nemo,sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris quærentibus assem:
Hoc discunt omnes, ante alpha & beta puellæ.

Tenacitas, est quæ sumptibus parcit honestis & necessariis:illiberalitas,minutatim & male expendit, sordideque colligit,ut sordida mercatura.

Antidotum auaritiæ. Cap. 5.

AVaritiæ præcipuum remedium est,causam morbi pellere, nempe cupiditatem habendi, spernereque lucrum & pecunias:quo nihil facilius si animum adiicias. Primo, quia res quæ cogitur auaritia,quæ ve desideratur,fæx terræ est,uilis natura, immunda, ærugini obnoxia. Secundo, si considerares usum quare inuenta pecunia, nempe ut utilia nobis quibus egemus comparemus,ad emendum panem & alia.Quãobrẽ si defodiatur, nullus eius usus & inutile metallum, ut ait Hora.lib.2.odar. ode 2. & dummodo quibus egemus habeamus, quid interest nostra plures thesauros inutiles relinquere,quibus non fruamur mortui nec uiui? nihil enim hunc in mundum intulimus: & proculdubio nihil inde auferemus: quibus uiuamus & tegamur,contenti simus 1. ad Timoth. 6. quia,ut Horat.lib. 1.episto.epistola 12. ad Iccium,

Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus.
Si ventri bene, si lateri est,pedibusq; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Quòd si quis in casus futuros se recondere causetur, recondat extra auaritiam, & ad certos probosque fines sufficienter, non ad animi cupiditatem, & recordetur, uolatilia cæli nec serere, nec metere, tamē pasci & uestiri à Dei prouidētia, sciatque, quod Deo maior de nobis est cura, quam uolatilium & brutorum: quòdque nos usque adeo prouidentia nostra illa quantumuis curiosa, qua quærimus excusationem in peccatis, simus impotentes uel adiicere cubitum staturæ nostræ sine Deo. is autem nobis necessaria largietur; quia pater est & omnipotens, si petierimus. Matth. 6. Tertiò, considerare debemus bona quæ habemus, cōcedi non ut dominis, in his quæ superfluunt, sed ut Dei dispēsatoribus & procuratoribus, & aliquando de his reddendam esse rationem, & cum eo cui plus datum maiorem subeundum calculum: & si sibi retinuerit inutiliter, furti esse damnandum, Matth. c. 18. & 25. imo ut reum homicidij. Scriptum est enim frange fame morienti panem tuum: si non pauisti illum, necasti. Isaiæ cap. 58. Adhæc quid tuum dicere poteris, quæso, vt tibi conserues, cùm domini sit terra & plenitudo eius, nosque nudi in hunc mundum uenerimus, simusque hinc nudi in terram reuersuri? Deinde considera, non diuitias esse quæ homini dignitatem concilient, saltem inter bonos & graues. Et perpende serio, quando quis ita diues factus est per veritas artes, & quando auarus est, quibus expositus sit contumeliis: contra ad uiros, aduerte pauperes sed probos, qua in opinione uiuant. Et sat scio, si morbus iecur non antea occupauerit, te malle cum sapiente paupere, quam cum diuite impio sapere. Melius est enim aurum habentibus imperare, quàm aurum habentes aliis subiici. Quia qui non multa habet, inuidiæ obnoxius non est, ut respondit Fabius Maximus Samnitibus apud Cic. 1. offi. fuerunt plures honoratiores, pauperes tamen sed probi, Epaminondas Thebanorum dux, Aristides, Lysander, vt narrat Æmilius Prob. & Plut. in vit. eorum, item Phocion, Fabricius, Curius, Valerius Publicola, & alij eximij duces apud Q. Curtium lib. 4. de gest. Alexand. Sunt & pauperes, Iouis hospites dicti apud Homerum, Odyss. 4. Dicit Deus pauperes suos, Quod uni, inquit, ex minimis meis fecistis &c. Matth. 25. Isque idem impossibile esse dicit ita, diuitem intrare regnum Dei, ac camelum per foramen acus. Mar. 10. Matth. 19. Terribilis est parabola diuitibus, Lucæ 19. illaq; sententia timenda, non potest is seruire

uire Deo & mammonæ Matth.6.Postremo miserias & sollicitudines diuitum considera, quot curis distrahantur, quanto metu ne iugulentur, ne expolientur, ne calumniam patiatur, quæ describit Lucia.in Timone.& ubi sunt diuitiæ multæ, ibi multi qui comedant eas,vt ait Eccles.cap 5.Contrà, considera uitam pauperis probi,lætam,iucundam,tutam, & ut ait Horatius episto.18.ad Lolium lib.1.epistol.

Stultitia patiuntur opes: tibi paruula res est:
Arcta decet sanum comitem.

Et si huius rei velis elaboratum exemplar videre, lege epistolam 7.ad Mæcenatem scriptam per Horatium lib.1.episto. De ulteio.adde Iuuenalem Saty.10.

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motę ad lunam trepidabis arundinis vmbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

De Luxuria & Libidine. Cap. 6.

PAscitur libido conuiuiis,nutritur deliciis, uino accenditur, ebrietate imflammatur, ut scribit D. Ambros. libr. 1.de pœnit.cap.14. & in uino est luxuria, ad Ephes.5. atque ut ait Virgil.in epigram.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Et docuerunt filiæ Loth,quæ cum putarent, subuersis septē ciuitatibus, genus hominum uniuersum prętet se & patrem fuisse sublatum,inebriarunt patrem,ut concumberent cum illo.Genes.19. vino natura est hausto accendendi calore uiscera intus, foris infuso refrigerandi, inquit Plin.14.cap.5.animus que mero æstuans facile despumat in libidinem. Libido porro familiaris inimico cum uirtus eius sit in lumbis eius, & fortitudo eius in umbilico uentris eius, vt ait Iob.c.40. Ideo iure quis dixerit,filiam gulę, intemperantiæ, & ebrietatis esse luxuriam:veluti & luxuries in plantis est,quando ubertate alimenti plus iusto herbarū, frondiūve copiā mittunt, ἐξύβρισιν uocant Græci: sicque Virgil.usurpauit Georg.1.

Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

Et Colume.3. Cacumina uirgarum ne luxurientur, demutilato.Et Ouid.1.epist.de agro.

Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Quamo-

Quamobrem & luxuria quoq; pro luxu & omni superfluitate, quam Græci dicunt ἀσωτίαν, accipi poterit; siue ea sit rerum uenerearum, siue in mollitie, siue uestium sumptuoso excessu, aut conuiuandi splendidiore & rariore apparatu: plerũque tamẽ accipitur pro inordinato appetitu, & pro affectibus qui citra rationem sunt actuum uenereorum. Dico inordinatum appetitum, quia is qui naturalis est, rationis legibus coercitus, ad prolis propagationem legitima coniunctione & consensu suffultus, improbus non est. 1. Corint. 7. At aliæ omnes species coniunctiones illicitæ, & imbrobatæ omnes scortationes & commixtiones sexuum, maxime contra naturalem usum, quæ mortis pœnam habent ad Roma. 1. addu ximus autem mœchiæ & scortationis species, & leges diuinas, quæ illas prohibent libr. 6. Syntax. cap. 6. in 6. & fin. decalogi præcepto: quo circa non repetam. Grauissimum tantum hoc uitium dicam, quod amicitiarum uerarum fœdera polluit, dum adulteriis, alterius uxores cõcupit, tentat, sollicitat, peruidet. unde incertitudines liberorum, hæreditatum & bonorum in alienos translatio, bella sæpissime. Et bellum inter Naxios & Mylesios ob Neæræ Hipsicreõtis Milesij uxorẽ apud Theophr. li. πρὸς τὰς καιρὰς. & apud Parthenium in Ero ti. c. 18. inter Græcos & Troianos ob Helenã, & alios ob easdem. Nec est quod referam priuatas neces ob meretrices; quotidianæ enim sunt: Neq; quot domus splendoris maximi, cõtumelia scorti infames fuerunt, ut Claudij Cæsaris ob uxorẽ Messalinam, apud Dionem Cassium lib 60. Octauij Cæsar. ob Iuliam filiam, apud eund. Dio. lib. 55. &c. Sciunt eius farinæ quoque homines, neq; id obseruatu difficile est, nutrientem scortum, perdere substantiam, prouerb. 29. & quinto & 23. uenter enim implendus est, choreæ & tripudia instituenda. uestes splendidæ emendę; hæc autem loculos exhauriunt, & cito: semper aliquid amicæ, aut scorto dandum est, insatiabilis namque,

Nec missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Adest tibi istius simulachrum unũ, prodigus, Lucæ 15. Adde, quod omne pecca um quodcunq; fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suũ peccat. 1. Corint. 6. Corpus enim polluitur, exhauritur, fætidum, olidum, hirci num redditur, exsugitur, exsiccatur. Imo & uxorios nimium plusque quam par sit rei ueneteæ debitos conspicies, colore

geluo,

geluo,buxeo,exãgui,plumbeo,membris articulisue fractis & eneruatis. Venus enim uenustatē depopulatur,ait Leui. Lemnius lib.3.de occul.rer. miracu.c.2. sequuntur podagræ, sciathicę,iliacæ passiones,stomaci colores,uertigines capitis, seu scotomię,elephantiasis, scabies Gallica, seu Neapolitana, & eius alia generis: breuiatur uita, deficit intellectus, obnubilatur mens, auferunt cor fornicatio & ebrietas, Oseę 4. Et ut Claudia.

Luxuries prædulce malum,quæ dedita semper
Corporis arbitrys,hebetat caligine sensum.

Exempla prostant in Sampsone,qui cum fortissimus & prudentissimus fuisset uirorum,uim suā perdidit meretriculæ impudicitia. Iudic.16.habes Salomonem sapientissimum a mulierib. stolidissimū reditum,ut Deum uerū relinqueret.3.Re. 11.& alibi. Nouit hoc Cyrus & pro pœna seuerissima quæ rebellibus debetur,luxuriosam uitam imposuit Lydiis:iis enim cum secundo rebellassent,teste Iustino ex Trogo in 1. uictis arma & equi adempti sunt,iussique cauponias, & lenocinia exercere. Et sic gens industria quondam potens,& manu strenua,effœminata mollitie luxuriaq; uirtutem pristinam perdidit: & quos ante Cyrum inuictos bella prę stiterant, in luxuriam lapsos,otium ac desidia superauit. Habes notam inustā imperio Romano ob luxuriam & spurcitiam Commodi Antonini apud Herodia.& Lampri. in eius uita. Considera palatium conspurcatum a Carnio Cæsare meretricibus,& lenonibus apud Flauium Vopis. & Fuluiū Asperia.in eius uita. Quātumque dedecoris & pudoris attulit maiestati Romanę c. Caligula,qui in aula & palatio quoque lupanaria & prostibula matronarum fecit,apud Dio.Cassium lib.59. Me deficeret tēpus,si clades ex luxuria coortas & scelerata facta uellem recēsere,& forsan cum de delictorum in iure agemus pœnis,latius, si Deus uoluerit. In summa nunc cum Seneca in Octau. Tragœdia sufficiat dixisse,

Totum per orbem maximum est exortum malum
Luxuria pestis blanda.

Quo fit, ut primi concubitus semper pœniteat, & ita adolescentuli cum primo concumbere incipiunt, quibus cum fuerint congressi,eas re peracta, odio habent. quod mutatio summa extiterit, sequentis tristitiæ memores, eamque fugiunt tanquam fontem ad quam se applicauerunt. Aristotele

lib.

lib.problem.sectio.4. q. 20. Sic legimus 2. reg.c.13. Amnonẽ filium Dauidis, deperisse ualde speciosam sororem suam Thamar, cuius cum potitus fuisset, eam statim habuisse ualde exosam: ut ibi dicatur maius fuisse odium quo eã oderat, amore quo antea eam dilexerat.

De castitate in genere; & de coniugali castitate. *Cap. 7.*

Virtus luxuriæ opposita, castitas est, de qua disputante D. Paulo actuum 24. & de iustitia & iudicio futuro, Fœlix præses contremuit cum uxore. Ita Tibullus lib. 1. epist. 2. eam opposuit ueneri.

Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Castitatis porro triplex uirtus, coniugalis, uiduitatis, & uirginitatis, ut ait D. Ambrosius li. de uiduis. Horat. lib. 3. carmi. ode 24. castitatem coniugalem explicat, his uerbis, de uxorib. loquens.

Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

D. Chrysostom. tomo. 1. oper. homil. 1. in psal. 50. tria sunt hæc, inquit, uirginitas, nuptiæ, fornicatio: nuptiæ mediæ, fornicatio deorsum, uirginitas sursum; uirginitas namq; coronã habet, nuptiæ laudem mediocrem, fornicatio pœnam atque iudicium. Vxoris nomen dignitatis est, non uoluptatis, ut dicebat Ælius Verus Cęsar apud Spart a. in eius uita. Celebratur ab Homero castitas Penelopes absente marito. Refert castitatem uxoriam Æthuei piscis Ælianus lib. 1. ca. 13. ut is tam castus sit, ut cum pari suo, ueluti cum coniuge iunctus, nullam aliam contingat.

De viduarum castitate. *Cap. 8.*

Viduas ad seruandam continentiam, & castitatem & abstin ere a uenere, monet primum cornicum exemplum, Hæc enim mortuo marito uiro, nouem hominum ætates uiduæ

duæ perseuerant, ut ait Plutar. lib. quod ratio brutis insit. Narrat & Athenæus li. 9. c. 16. omnes species columbarũ, uinagopharos, palumbos, turtures, mares fœminas usque ad mortem non deserere, nec fœminas mares; & ubi uiduus alter relinquitur, uiuere sine alterius coniugio, hocque coruos, monedulas, & cornices quoque facere. Hanc castitatem pluribus rationibus suadet Tertullia. libr. 1. ad uxor. admonetque mulieres sui officij nomen uiduæ; uidua quippe dicta, quasi ualde a uiro diuisa, quia iduare lingua Hetrusca diuidere est, unde idus dies, quæ diuidit mensem, Macrob. libro primo Saturnal. capitulo. 15. Notat Iulius Pollux lib. 3. c. 3. Dictum est de Iudith inter laudes eius, confortatum est cor tuũ, quod castitatem amaueris, Iudith. 15. & 16. alia de altera uidua laus, Lucę 1. quæ ministrabat domino. Dico non nuptis & uiduis, inquit D. Paul. melius esse, si sic permanserint, 1. Cor 7, Atq; hæ quæ uere uiduæ sunt, dupli ci dignæ honore sunt, quarũ qualitates describit D. Paul. 1. ad Timoth. 5. Vidua quæ non cõseruaret castitatem, lege Dei mortis rea erat, ut colligitur ex ca. 38. Genes.

De Virginum castitate. *Cap. 9.*

Virginũ castitas, est uiro non iungi, nec corpore nec mẽte, potissimum illarum quę se Deo deuouerũt, Eunuchi enim sunt qui se castrauerũt propter uerbum Dei, Matth. 18. Castitas hæc perfectior superioribus quia illę uiris uel miscẽtur, uel alias miscuerũt se, hæc a uiro aliena omnino, Deo gratior: uirgines hę fructum faciunt centẽsimum, coniugatorũ ordo trigesimum, uiduarum sexagesimũ, Matth. 13. Angelica perfectio uirginalis castitas. quia in cælo neq; nubent, neque nuptui dabuntur: sed erunt tanquam angeli Dei, Lucæ 20. Finem accipit aliquãdo uoluptas matrimonii, at uoluptas puritatis & uirginitatis perpetua: nuptię terrã implẽt, uirginitas paradisum apud Isaiã c. 56. Hæc dicit dominus eunuchis, qui custodierunt sabbatha mea, & qui elegerũt quæ ego uolui, & tenuerũt fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius a filiis & filiabus, nomen sempiternũ dabo illis. Virginitatis dignitas æqualis angelis, inquit Cyrillus Hierosol. catech. 6. 15. & 12. gloriaq; angelica & præcipua corona & donũ ei ex electione castitatis & uirginitatis

tis cogitatio, spiritus sancti est doctrina. idem Catech. 16. Magnum quippiam uirginitas est, & præclarum, quæ hominem Deo simillimum reddit: Diuinum quiddam & præcipuum immaculatę animę insigne, uirginitas ait Basilius Mag. de uera uirginit. Et D. Martia. epist. ad Tholosates. c. 9. legitimũ connubium à Deo institutum dixit ab initio mundi, in multiplicatione generis humani; deinde uiduitatem in præmium cõstituisse Tertium autem & excellentem gradũ honestatis in uirginitate demonstrasse nobis perfectum, & per omnia similem angelicæ dignitati: ideo, inquit, prędico uobis, quod quicunq; uiduitatis gradum elegerint, non fraudabuntur munere claritatis Dei: q uero in sublimitate excelsiori permãserint uirgines esse eligẽtes, centuplicatã in perpetua benedictione gloriã consequẽtur. Multa de uirginitatis huius gloria, ut de templo Dei loquitur D. Ambros. tomo. 3. li. 10. Epist. epist. 82. Hîc castitatem ut facilius conseruarẽt Hebrææ inclusæ remanebant & inuisæ 2. Machab. 7. Et ipsa natura uirginitas diligitur atque uirgines puellę quandiu tales, magis placent pluribus, quæ si polluantur, statim displicent, ut describit perpulchre Catullus in carmine nuptiali.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus peçori, nulli contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ;
Idem, cum tenui captus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
Sic uirgo dum intacta manet, tum chara suis, sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis,

Quibus repræhenduntur tacite & uirgines, & parentes earum, putãtes ex hominum frequentia, & iuuenum consuetudine chariores & uirgines i. cum contrarium accidat: neque etiam honestum sit mulieribus iuuenum interesse cõsorujs, ut explicat Euripides in Electra actu 2.

γυναιξί τοι
αἰσχρὸν μετὰ ἀνδρῶν ἑστάναι νεανιῶν. id est.

Turpe est mulieri stare cum iuuenibus; uirginitatem nãq; sæpius tunc animo corruperunt, prius quam corpore deliquerint. D. Cypria. lib 1. Epistol. epist. 11. uirginum & masculorũ periculosam cohabitationem quoq; censet: potest enim corrumpi

rumpi uirgo,inquit,ex alia corporis parte quę non spectatur, & quæ manus obstetricum & oculos fallat. Ea ratione includuntur uirgines Deo deuotæ asceterijs,neque a uiris conspici debere,& sacrilegum esse aliter fieri,docet Tertullia. libr. de uirginit. uotiua . Et multis D. Basilius libro de uera uirginit. Plura apud Tertullia. libr. de ueland. uirginibus ubi ideo uelari sacras uirgines recte docet,omnemque publicationem uirginis bonæ esse,stupri passionem. Virgines etiam cum hominibus habitare prohibet , ut periculosum , Cypria. lib. 1. Epistol. epist. 11.

Antidotum luxurię pro conseruanda castitate.
Cap. 10.

PRimum antidotũ est, si uelis immunditiam uitare,ut præceptorum Dei memor sis,quæ eam prohibent: & recorderis transgressoribus damnationem æternam imminere,& excludi a cœtu Dei:Sic foris canes,impudici,molles.Apocal.22. & si senectam item & mortem tibi imminere perpetuo agnoscas. Nam ut ait Iuuenal.

Dum bibimus, dum serta,ungenta puellas
Poscimus obrepit non intellecta senectus .

Vitentur causæ & radices luxuriæ,colloquium,uisus mulie bris,oscula,tactus,lasciu⁹ sermo,& scriptura impudica, potus cibusque nimius,otia &c. Incentiuum quippe libidinis ingluuies ciborum & uini, & inde colluuies enascitur , quibus obuiam itur ieiunijs,uigilijs,& orationibus;in repletione uenus quę famescentibus amara,ut ait Athen e.lib.6.c.7.Deinde otio ad se negotiũ,etenim otiosi ualde de morbo diuexantur, Ouid.de reme. amor.

Otia si tollas periere cupidinis arcus,
Contemptaq́ iacent & sine luce faces.
Quęritur Aegisthus quare sit factus adulter,
In promptu causa est desidiosus erat.

Lucia. Hoc perpulchre describit in dialogis,dum inducit Venerem,filium obiurgantem Cupidinem, quod Palladem non uulnerasset:is autem se tuetur,quod nunquam inuenerit otiosam,sed literis dantem semper operam. Hoc & Hieronym.ad Rusticum monachum tradit.Consentit Horat. Lib. 1. Epistol. epist. 2. *& ni*

Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studijs, & rebus honestis:
Inuidia uel amore vigil torquebere.

Solemne erat Athenis uirginibus, ne otiosæ essent, peplum Mineruę contexere, & in quo fortia & præclara herorũ facta exprimerent: ac Palladi dicarent, ut scribit Euripidis interpres in Hecuba. Aristopha. in equitib. & interp. huius in auibus.

Eneruant animos citharæ, cantusq; lyræ,
Et vox, & neruis brachia mota suis.

Quare & ea pudico & uirginitatis amanti uitanda. Sed & uitandi quidã cibi, qui natura semen generant, & uenerẽ concitan, ut refert Athenæ. lib 1. dipnosoph. c. 12. qualia uẽtosa, ut mollia omnia, polypus piscis, sepiæ, apuæ, membrades, sardæ. Athenę. lib. 8. cap. 9. Et Ouid. 2. de remed. amor.

Nec minus erucas aptum est uitare salaces,
Et quicquid ueneri corpora nostra parat.
Vtilius sumes acuentes lumina rutas,
Et quicquid veneri corpora nostra negat.

Vitandum uinum, & Propertius ad Cynthiam,

Vino sæpe suum nescit amica uirum.

Reprimunt autem uenerẽ lactucę, unde & fingit ideo Callimachus Venerẽ abscõdisse Adonin in lactuca, ut late Athenæus lib. 2. c. 32. & idem lib. 7. c. 26. si trigia, inquit, piscis uiua in uino suffocetur, atque hoc uir quispiã biberit, nõ postea rei ueneręæ indulgere poterit, uelut Terpsides narrat in reb. uenereis. Poculum etiam ex nympha planta cohitum post duodecim dies genituramque adimit. Plinio libr. 25. capit. septimo item uiticis stratio, Plinio libro 24. capitulo. 9. Sunt his alia similia. Tradunt Origenem adamantium excogitasse ut sibi ipsi in corpore neruum ueluti quidam dicunt exscinderet, ne a uoluptate uexaretur, & ne in motibus corporis cõturbaretur: alij uero hoc negant factum, sed excogitasse pharmacum quoddam, quod partibus illis supponeret, ut eas resiccaret, ut author Epiphanius libro secundo contra hære. tomo primo, hære. 64. Non debet etiam ipsa liberior lætitia in uirginibus esse, ut ait D. Ambros. exhortatione ab uirgines, sit sobria uirgo lasciuia quia & ea calx perniciei. In uirgine debet esse comes uirtutum pudor, sine quo non potest salua esse uirginitas. D. Ambros. secundo de uirginit. Alitur autẽ & defenditur pudor hic, interno puro animo qui excludat

omnem

omnem primã turpitudinis occurrentẽ cogitationẽ, allidẽdo paruulos suos ad petram Christum: semel enim datus locus morosæ turpiq; cogitationi, efficit ut integra maiora subrepant. Similis namque dæmon serpẽti dicitur: is autem ubi caput semel in locum ingesserit, facile totum corpus trahit. Exterius autẽ pudor, modestis & pudicis continetur ornatibus, quos describit D. Athanas. lib. de uirginit. ut indumentũ non sit pretiosum, non coloratum, sed fuscum uel album sine fimbrijs, &c. ut inibi. Extat & de istis pręclarus D. Cypriani tractatus 2. de habitu uirgi. & iussum apostol. 1. Pet. 3. Et Isaiæ c. 3. & Ezechiel. 27. uitandi impudici sermones, Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. 1. ad Corint. 15 Verba expugnant animum, animus autem succumbens corpori cito frena laxat. Cum tamen de omni uerbo otioso nobis reddenda sit ratio, Matth. 12. Cum sancto quoque sanctus eris, cum peruerso peruerteris. Psalm. 17. qui cum sapientibus gradietur sapiens erit, amicus stultorum, similis efficietur, Prouerb. 13. c. Et Iuuena. Saty. 3.

Et dabit in plures, sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci.
Vuaq; conspecta liuorem ducit ab uua.

Possunt astutia & bono dolo & salutari uirgines, quæ mentem habent incorruptam, libidines irruentium uitare, ut Gaila & Papa, pudicissimæ uirgines, filiæ Gisulphi ducis Foriuliẽsis, quæ cum ab Auaribus diriperetur Foriulium, cauentes ne ab illis constuprarentur, crudorum pullorum carnes, sibi inter mamillas sub fascia posuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant: cumq; uellent Auares eas contingere, non sustinentes fœtorem, putantesq; illas natura fœtere, procul ab eis recedebant, dicentes, omnes Longobardas fœtidas esse, & ita castæ seruatæ sunt, ut author Paul. Diaco. lib. 4. de gest. Longobard. c. 12. Narrat Val. Max. lib. 4. capit. 5. antiquis temporibus in Ethruria, Spurinam adolescentẽ pulchritudinis eximiæ, uirginitatis amantem, cum specie mira complurium fœminarum illustriũ solicitaret animos, ideoq; se uiris ac parentibus illarum se suspectum esse sentiret, oris decorem uulneribus confudisse, deformitatemq; sanctitatis suæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis esse, maluisse.

De uirginitate,& castitate conseruata apud Ethnicos in sacris.
Cap. II.

STra.li.15.geographiæ scribit, Brachmanes indiæ philoso phos,frugaliter uiuere,super toris,ac pellibus cubare,& ab animalibus,ac uenere abstinere per 37.annos. Et quanquam in cœlibes pœnæ dicantur censoriæ constitutæ a Romanis, quæ postea sublatæ sunt,illæ tamen eos qui perpetuam uirgi nitatem uouissent,non tenebant:quod & expresse apparet ex legibus iisdem firmatis ab Octauiano Cæsare,anno urbis con ditæ 762.quibus etiam iis,quæ perpetuam uirginitatem seruarēt,eadem quæ matrimoniis, præmia concessit Dion Cas. li.56.animos namque censoribus,potius ad coercendam libi dinem uagam intra matrimonium respexit,quam ad tollendam puram,& illibaram uirginitatem.Siquidem,& illis Vesta les erant summo in honore constitutæ uirgines,sacris seruiētes.Dion.Halicarn.li.2.Gel.li.i.c.12.Ou.6.fast. Luc.2.de rer. nat.uers.603.D.Aug.li.4.de ciu.Dei.c.19.Fenestella de sacer dot.c.6.Pomp.Lætus,& alij,refert Xiphilinus in Auito, Auitū siue Pseudo Antonium,seu Sardanapalum Cęsarem,repudiata uxore sua Paula, quod maculam habebat in corpore si cuti dicebat,Aquiliam Seueram Vestalem duxisse contra ius fasque,eam habuisse cum probro, & dedecore cum esset uirgo Vestalis:idque sese fecisse ausum esse dicere,ut ex ipso pō tifice,ipsaque sacerdote Vestali,diuini filij nascerētur,in qui bus oportuerat illud cæsum uerberibus in foro,conijci in car cerem,ac morte mulctari,&c.Apud Insulanos Vtopienses pa ganos teste Thoma Moro lib 2.de eor.repu.sunt cælibes,qui non uenere modo in totum abstinent,sed etiam carnibus,di cti illorum nomine Batrescæ,qui religionis causa id faciunt. Refert Pli.li.24.c.9.Matronas in Thesmophoriis Athenien sium castitatem custodisse, & ideo folia sibi cuiusdam salicis substrauisse,quam dicunt agnon,uel lygon Græci. In sabotia Arabię,familia certa est hominum, quibus incidere tantum licet thuriferas sacras arbores,sacros uocari ob id illos,nec ul lo congressu fœminarum funerumque, cum incidant eas arbores,aut metant,pollui, atque ita religione merces augeri, tradit Pli.li.12.c.14.

De

De uirginitate conseruata in Dei ueri cultu.
Cap. 12.

DEspondi, inquit D. Pau. uos uni uiro, uirginem castam. 2. Cor. 11. Iubetque ad Tit. 2. ut doceat esse uirgines, & adolescentulas castas prudentes, & sobrias. Virginitas, ob sui puritatem corporis, & mentis, cuilibet etiam infideli, spectabilis est, & ueneranda: uerum inter christianos uenerabilior, dum ea seruatur. Vt uero Deo cultus castius, & maiori mũditia, & puritate exhibeatur, Epiph. li. 3. contra hęr. to. 2. in fi. dixit uirginitatem semper prędicatã fuisse in ecclesia, utq. fundamentum, & crepidinem seruari, & exerceri a multis. Et D. Hier. ad Marcellam, in omnibus ecclesię ornamentis, uirginũ chorum splendere. Sequuntur. n. agnum uirgines quocunq; ierit, Apoca. c. 14. Fuit agnus ipse uirgo dominus noster Iesus Christus, fuit D. Io ei charissimus, & D. Io. Bap. in antiqua lege, Elias, Elisęus, qui mirifice Deo grati fuere. Refert Pli. li. 5. c. 17. in iudęę finibus esse gentem Essenorum, sine ulla fœmĩna omni uenere abdicata sine pecunia, sociam palmarũ: quibus fęcunda aliorum uitę pęnitentia, ubi conuenarum turba in in diem renasceretur, large frequentantibus, quos uita fessos, ad mores eorum fortunę fluctus agitaret. D. Ignatius ad Tharsens. epist. 7. apostolorum fere contemporaneus, de illis meminit. Eas quæ in uirginitate sunt, inquit, honorate, sicut sacras Christi: uiduas pudicas, ut sacrarium Dei ueneremini. Dicebat etiam Tertul. lib. de uelan. uirg. uirginitatem gratia constare, cõtinentiam uero uirtute, ut intelligamus Dei hoc esse singulare donum, ut perseueretur in electione propositi: Deus autem nunquam gratiam suam petentibus denegat: bona. n. ipse uult, & potens est facere, quę uelit. Sed non possum inquis, me a fornicatione continere. hoc pusillanimitatis est & negligentię tuę, qui Dei pręcepta cõtemnere mauis, quam facere, ut ait D. Chrys. to. i. hom. i. in psal. 50. uotum uirginitatis uirginem seruare debere, docetur in constitutionibus apostolicis apud Diuum Clemen. libro 4. constitut. apostol. constit. 51. cap. 14. & Cypria. libro i. episto. epist. 11. Verum obseruandum est, quod uirginitas circa controuersiam accipit coronam solum illa, quę est propositi, non quę necessitatis. Nã uirgines innumerę corporeque impollutę decesserũt ex hac

uita. Multæ filiæ gentium abominabilium & impiarum, tempus nuptiarum expectantes raptæ sunt, idem de iuuenibus, quibus tamen ante tribunal Christi coronæ non sunt datæ, & quibus aufert fructum necessitas: neque enim Deus acceptum fert, quod fit ex necessitate, sed quod ex proposito recte fit, ut tradit D. Chrysost. tomo 1. in Psalm. 95. Hanc uirginitatem, quæ semel erant Deo deuotæ optimæ uirgines, ut illibatam conseruarent, martyrio defenderunt, ut Potamiena uirgo speciosissima apud Nicephor. Calist lib. 5. ca. 7. Et filiæ duæ Antiochenæ, de quibus idem lib. 7. cap. 12. Refert & de alia cap 13. ubi & de quodam uiro solitario, mira. ut tunc uerum fuerit prædictum Psal. 44. Adducentur regi uirgines & c. bibentes uinũ, quod germinat uirgines, ut apud Zachar. 9. Si nubat quidem uirgo ante uotum, non peccat, sed melius est, si sic permaneat, ut liberius domino obsequatur inquit D. Paul. 1. Corinth. 7.

De virginitate sanctissimæ matris domini nostri Iesu Christi. Cap. 13.

VIrgo quæ prior ausa est profiteri & uouere perpetuam uirginitatem, Beatissima Maria fuit, quæ continuo ministerio in templo Deo deseruiebat, proinde ab archangelo Gabriele salutata nuntio incarnationis diuinæ naturæ, cogitabat mirum in modum qualis esset ab angelo pulcherrimo iuuene facta salutatio, & audacter respondit, quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? quanquam desponsata fuisset beato Iosepho, Lucæ 1. Hilarisq; tandem facta, quando de modo conceptionis certior fuit, ut sine uirginitatis detrimento, futura esset & mater & uirgo simul, ex spiritus sancti obumbratione, respondit, Ecce ancilla domini, fiat mihi secundũ uerbũ tuũ. Mirabile mysteriũ, quod naturã supergreditur, utpote quia author & dominus naturę, opus aliud supra humanã naturã, nempe redemptionẽ, & ueluti renouationẽ uniuersi facturus erat: illud mirabile, Ecce uirgo concipiet & pariet, Isai. cap. 7. uirgo concepit, hoc certe commune nõ est, quia uirgo antequam concipiat uirgo esse definit, fractis uirginitatis claustris: mirabilius & illud, ut uirgo pepererit, tamen quam uerissimum & hoc sic prædictum, in illa porta orientali, Ezechiel. capit. 44. Atque ita conueniebat omnium restitu-

restitutioni primus: quippe homo de terra pura non contaminata, quæ hominem adhuc non genuerat, nec postea genuit, factus est, sine generatione humana: lapsus homo restitui debebat per purũ & incontaminatũ hominẽ, qui ex terra uirginali, quæ nunquam alium peperisset, nec postea paritura esset, neque ad modum communis generationis genitus esset. Dicit & diuina & admiranda uox capit. 1. in euangelio D. Ioan. Deus erat uerbum, & uerbum erat in principio apud Deum, & uerbum caro factum est. o admirabilis uirginitas materna, ò mater integerrima uirgo, ò castissima omniũ uirginum & coniugum & uiduarum, omnium exemplar perfectissimum, titulo hoc supra omnes mulieres donata, ut uirgo & mater simul & semel, sine læsione pudoris, sis, ut ait Cypria. lib. de cardinal. uirtutib. Imitetur, ut ait d. Ambr. lib. 2. de uirginit. beatissimã uirginẽ Mariam uirgines, qua nulla castior, quæ corde humilis, uerbis grauis, loquendi parcior, legendi studiosior &c. quę sequuntur. Explicat idem D. Ambros. 1. lib. de institut. uirg. capit. 7. & 8. 10. 14. & libr. 10. epistol. epist. 81. Ezechielis uerba, & uirginitatis mirabilia, dicens. de uirginitate uirginis Mariæ dicitur Ezechiel. 44. porta hæc clausa erit & non aperietur, quoniam dominus Deus Israel transibit per eam: eritq. clausula, quoniam dux hic sedebit in ea, ut manducet panem in conspectu domini: secundum uiam portæ intrabit, & secundum uiam eius exibit. Quæ est hæc porta nisi Maria, ideo clausa, quia uirgo per quàm Christus intrauit in hunc mundum, & uirginitatis claustrum non soluit, mansit intemeratũ septum pudoris. Nemo transibit per eã portã, id est, nemo hominum: porta namque etiã uentris dicitur, Iob 3. ibi, quia non concludit portas uentris matris meę: porta ad orientem respiciebat, quoniã uerum lumen effudit solem iustitiæ, Christum Deum nostrum, D. Ioan. cap. 10. hæc uirga, quæ floruit de radice Iesse, Numer. 17. Hæc ortus conclusus, Cantic. 4. hic mõs ille apud Danielẽ excisus sine manibus. Daniel 2. &c. Prout late explicat Iræneus lib. 3. aduersus hęreses a cap. 24. usque ad 34. Ex hac dominus noster Iesus Christus tanquã homo filius sine patre, ut filius Dei sine matre. Testatur Basilius Magnus, lib. de humana Christi generatione ad se peruenisse historiã Zachar. in qua scriptũ erat Zachariã B. Mariã post domini cõceptionem inter uirgines cõstituisse, & ideo occisum a Iudæis inter templum & altare: a populo

namque accusatus erat, quod rem prodigiosam inauditamq; prędicaret, uirginem scilicet parientem citra uirginitatis corruptionem. Hæc mira etiam pręnũtiauerat Sibylla li. octauo, oraculorum.

> *οὐρανόθεν δὲ μολὼν, βροτέην ἐνεδύσατο μορφήν·*
> *πρῶτα μὲν οὖν γαβριὴλ σθεναρὸν δέμας ἁγνὸν ἐδείχθη·*
> *δεύτερα καὶ κούρην ἀνταγγελος ἐννεπε φωνῇ,*
> *δέξαι ἀχράντοισι θεὸν σοῖς παρθένε κόλποις, &c.*
> *E cęlo descendens mortalem induit formam.*
> *Primum quidem Gabriel robustum corpus castum ostendit,*
> *Postea ipsam uirginem angelus loquutus est, uoce,*
> *Suscipe immaculato tuo Deum uirgo gremio, &c.*

Quę ibi late de incarnatione uerbi, & uirginitate adferuntur. Adferam uerba D. Ignat. epi. i. ad D. Ioan. Apostolum scribentis, qui titulos eius refert, proferri, & credi uirginem Dei param, in persecutionibus hilarem, in penuriis, & indigentiis non querulam, iniuriantibus gratam, miseris, & afflictis condolentem, & subuenientem, contra uitia enitentem, religionis, & pœnitentię magistram, humilibus deuotam, deuotis humilem, ac omnibus magnificatam, naturę angelicę sociam, cęleste, inquit, si fas sit ita loqui, prodigium, & sacratissimum monstrum: & epi. 2. plura ubi & uerum Deum, & hominẽ peperisse ait, ut etiam θεοτόκος dicatur a gręcis sanctis patribus.

Parænesis ad uirginitatem, & castitatem.
Cap. 14.

PRæmia uictorum eo præstantiora sunt, quo acriora prælia præcesserunt: & triumphus ex robustioris, & fortioris hostis uictoria, præclarior. Virginibus, & castis prælium, & colluctatio perpetua, aduersus sæuissimos, & domesticos, ualidissimosque hostes, aduersus carnem propriam, & aduersus mundi rectores, & tenebrarum harum, ut ait D. Pau. ad Eph. 6. quibus si quis succubuerit, seruus erit, utque uile mancipium subiicietur, & æterno præmio, & gloria priuabitur: nec coronabitur, nisi qui legitime certauerit, secundo ad Timoth. 2. Ter rogauit D. Paulus dominum, ut illum ab spiritu Sathanæ, qui eum colaphizabat, liberaret: sed responsum accepit omnium nomine, sufficere ei gratiam Dei, & uirtutem in infirmitate perfici, secundo Corinth. 12. Non esset uictoria, si non esset

certamẽ,& nulla corona si nulla uictoria. Iussum quidem hominibus,dum mundus multiplicandus esset,& inseminandus cultoribus,ut crescerent & multiplicarentur,& replerent terram,Genes.1. At nunc,satis repleta terra, conuenit & repleri cælum,& sicuti portauimus imaginẽ terrestris aliquando hominis,ita feramus & nunc cælestis 1.Corinth.15. Primus etiã homo de terra terrestris, secundus de cælo cælestis, eod. Pugnate uiriliter uirgines,& spes uos foueat, pro sponso recusato mortali, desponsatũ immortalẽ Deũ: ille forsan morosus, pauper,rigidus,stultus, prodigus, adulter, impius contigisset: hic omnino pius, bonus, & misericors, diues in omnibus, & omnipotens & fidelis. Atque id lucro adijcite, ꝙ sitis extra maledictionẽ Dei fœminæ indictã, Genes 3.in dolore paries &c. Habetis socios angelos incorruptos. Nolite dehinc angi de prolis solicitudine, cum nec uix capiat tantam multitudinem iam natam orbis circuitus, eamq. ita perditam uideatis, ut uere existimare possitis, uos ad ea peruenisse tempora, in quibus beatæ steriles quæ non pepererunt, Lucæ uigesimo tertio, ad Galatas quarto. Nec etiam certum uobis num nuptæ sobolem procreare ualeatis. uidetis enim quamplures nuptas,steriles:uidetis habentes prolem,illam detestari,quia impia,rebellis,hæretica,inobediens, Deo obluctans. considerate Deum dixisse de Iuda damnato, bonum illi erat, si natus non fuisset homo ille, Matthæi capitulo uigesimo sexto.audite & chorum, actu tertio in Medea apud Euripidem hac de re sapienter disputantem. Alio quicunque mortalium uxoriæ rei expertes,non genuerunt liberos fælicitate anteire eos qui progenuere sobolem. Orbi enim & filijs carentes, eo quòd ignorent, iucundum ne sit, an molestum habere prolem,a multis agunt securi laboribus: eos autem quibus est liberorum propago, uideo dispungi curis omni tempore: primum quidem,quo pacto educent ipsos probe: Deinde ut abũ de illis uitæ necessaria relinquant.præterea incertum pro bonis ne an improbis istas exorbeant molestias: unum uero omnium ultimum dicam mortalibus malum, quod interdũ bóni frugique liberi, adulti præmoriuntur summo cum patrum dolore. Quod si ad remedium nuptias quæratis, remedium uobis Deus erit. Perpendite uoluptatem illam potius esse in opinione radicatam: quam si circumcidatis,euanescet. Fugite causas luxuriæ, illecebras, delitias, & ea quæ stimulos &

ignes submittunt. Voluptas leue gaudium est, quodque parit tristitiam. Considerate quid alijs acciderit, ab his quæ aliquãdo nobis suggeruntur, quot dolores, quot molestias, genuerint. Et ne uos cogitationum turba diuexet, & distrahat, scito te eas esse nebulas, quæ non possunt diutius permanere, si animæ mens illas exsufflauerit: erunt tamen aliquæ discursantes perpetuo, sed non eædem: non secus ac mare sine fluctibus non est, & cœlum nunquam sine nubibus. Proponite uobis, uoluptates huius seculi neq; synceras esse, neq; ueras, nec durare, adeptioneque illarum cito satietatem & fastidium se qui: ita illas, si se uobis offerant, aduenientes ut iam recedentes fastidite. Recordemini eius, quod dictum sit de pijs & bonis, flebitis uos, mundus autem gaudebit, sed tristitia uestra conuertetur in gaudium, D. Ioan. c. 16. Et rursum, Væ uobis, qui ridetis nunc. Lucę 6. Quid autem potius aut melius ad horam gaudere, an per annum; item, nunc satius per totum uitæ tempus, quam per annum? sed quanto melius in æternum, quam per hoc ephemerum tempus uitæ nostræ mortali constitutum? locus istius uitæ non est locus habitationis nostræ, sed futuram inquirimus ciuitatem, & peregrinamur a domino: momẽtaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. Non est hic ludendum, non uoluptatibus uacandum, sed eundum est. Quis enim non ridet merito ut stultissimum uiatorem, qui dum proficiscitur necessario, ludendo, pecuniam & uiaticũ in hospitio consumit, atq; sibi ab eundum esse, obliuiscitur? Monet & Dauid, euntes, inquit, ibant & flebant mittẽtes semina sua; uenientes autem uenięt cum exulatione, portantes manipulos suos. psal. 125. lętati in his quæ dicta sunt, quod in domum Domini ibimus. psal. 121. Occurrunt in uia hostes, qui intercipiant iter: uigilandum, abstinendum ab iis quæ nocere possunt; sicuti omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet &c. 1. Corint. 9. Vosque uiri, qui in acie sub castitatis uexillo & uirginitatis, pugnatis, si repetatis muliorũ spurcitiẽ, si earum naturã serio teneatis, gaudebitis potius, quod tantis careatis malis. Mulier speciosa & pulchra, tẽplum est super cloacam ædificatum (inquit Socrates apud Diogenem) insatiabile animal, continua sollicitudo, indesinens pugna, quotidianum damnum, bonorum impedimentum, uiri naufragium, adulterij uas, pondus grauissimũ, ęstus maris, calumniarum chaos, Pandora Epimethei, The-
saurus

faurus malorum; si pulchram ducas uxorem, periculum ne cō munis fiat: si turpem, habes pœnam assiduam; pulchra facile adamatur, turpis facile concupiscit: molestū custodire quod omnes cupiunt, molestissimum possidere quod nemo habere dignetur; quanquam non ualentibus abstinere honorabile connubium sit & torus immaculatus. ad Hebreæ. 13. sacramētum a Deo institutum & probatum, & laudanda uxor bona, si bene morata, si pulchra, casta, honestisue parentibus, si tu quoque diues es; at tibi est expectandum aliud quoddam seculum in quo hęc uideas cōcurrere; in hoc enim raro uel nunquam auditum. Neque putes bene uxoratis esse, quia non conquerantur omnes: nam quod incorrigibile, indissolubile ue est, melius est pati; & ignoras qua parte calceus pulcher & nouus, pedem alterius premat. Sed ne maiora retegam, & ne mouecā Camarinam, mala bene condita non ultra persequar. Sed satius esse mulieribus abstinere duco, & uoluptate illegitima, leuissimamque, quam perpetuo cruciari. Nam ut Horat. monet lib. 1. epist. 2.

Sperne uoluptates, nocent empta dolore uolutas.

De inuidia. *Cap.* 15.

INuidia, est tristitia de bonis alteri contingentibus, præsentibus, præteritis, uel futuris, & gaudium de aduersis, ut contra, misericordia, est tristitia de malis alienis. Io. Damasc. lib. 2. de orthod. fid. c. 12. D. Thomas 2. 2. q. 36. art. 1. Aristot. li. 2. Rheto. ad Theod. c. 9. & 10. Et Plato in Philebo, uel de summo bono. Cic. 3. Tusc. Speusippus lib. de definitio. Platoni. Greg. Nicenus lib. de uirtutib. animæ c. 12. Basil. Mag. li. de inuidia, Pinda. ode 1. pythio. stro. 5. Affinis itaque huic, ἐπιχαιρεκακία, quæ est uoluptas ex alterius malis, ut notat Plutar. li. de curiosit. Et ut ait Horat. lib. 1. episto. epist. 2.

Inuidus alterius rebus macrescit opimis.

Duæ autem æmulationis species; una bona, qua uicinus in opus uicini prospiciens ad simile excitatur, ut Themistocles dicebat in politi. Plutar. sibi Miltiadis trophæos, somnum adimere, hæcque bona; altera perniciosa, quæ inuidia est, ut tractat Hesiodus in 1. oper. Morbus hic lata patet & serpit, in hominum pene omnium medullas, sęuiens latenter, ut maledicta & crimina aliorum perlubenter audiant, laudantibus

dantibus autem ipsi grauiter succenseant, ut notat Demosthenes orat. de corona. Sic morē ingenij humani, ut dixit Dictys Cretensis li. 2. delli Troiani, quod imbecillum aduersus dolores animi, & inuidiæ plenum, anteiri se a meliore haud facile patitur: unde solet maxime inter eiusdem artis & opifici uel professionis homines oriri, dum in eo quis præstare contēdit, quo alius præstantior. Sic natura comparatum uidetur, inquit Plutar. in politicis, ut inter eos æmulatio contentiosa non innascatur, qui diuersa uirtute, diuersis uiribus non eodem studij genere operam rei cuipiam dant, ac eam disparibus quidē artibus, uerum pari diligentia uoluntateque curant. Eo modo Rachel sorori inuidit parienti, cum esset ipsa infœcunda. Genes. trigesimo. Et uir qui festinat ditari, alijs inuidet, Prouerbio 28. figulus figulo, & architectus architecto. Quamobrē inuidia testis est locupletissimus, in eo cui inest deterius quippiam esse, uel abesse id quod in eo est cui inuidet; ut certe qui magno animo sunt, qui præstantes, qui superiores, nunquam alijs inuideant inferioribus, & malint potius inuidiā pati, quam inuidere. Quod & Astaphium ancilla apud Plautū in Truculento, actu 4. scen. 2. expressit inquiens.

Mauelim mihi inimicos inuidere, quam me inimicis meis.
Nam inuidere, alij bene esse, tibi male esse, miserum est.
Qui inuident, egent: illi quibus inuidetur, rem habent.

Et pindarus, Ode 8. Nemeorum, Strophe 2.

ὄψον δὲ λόγοι φθονεροῖς·
ἅπτεται δ' ἐσλῶν αἰεὶ,
χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει, id est,

Obsonium autem inuidis sermones sunt:
Semper autem tangit inuidia præstantes,
Non autem contendi cum deterioribus.

Erat antiquitus ideo tritum prouerbiū, pro uita misera & uili ἄζηλος βίος, uita sine inuidia, ut ait Suidas, in uerbo ἄζηλος Et Socrates apud Ælia li. 2. de uar histor. c. 36. senex interrogatus ęgrotus, quomodo se haberet, respondit: recte, inquit, utroque modo: nam si fuero superstes, plures æmulatores habeo, si uitam excessero, plures laudatores. Finitur namque inuidia morte, nec uix aliter, ut ostendit Horatius epistol. 1. lib. 2.

dicam, inquit, *qui contudit hydram,*
Notaq; fatali portenta labore subegit,

Com-

Comperit, inuidiam supremo fine domari,

Atque sola egregia facinora, & uirtus, inuidiam cōcitare solent,u ait Polyb. in 1. Vell. Patercu. posteriore uolumine historię, D. Hierony. ad Demetriadem. Sicut necesse est, iter agentibus perpetuo comitetur umbra. Nec est dubium, inquit Chromatius episcop. declam. de octo beatitudinib. quod bo no facto semper est comes inuidia. Quamobrē Themistocles adolescens, cum uellet indicare se adhuc nullum præclarum gessisse facinus, dicebat se nullum inuidum habere, ut meminit Plutar. lib. de differen. inter odium & inuidiam. Ita & Ciceroni 4. ad Heren. comes semper uirtutis inuidia. Idipsum Pindar. olympio. ode 6. antistro. 4. Et ideo idem Cicero pro L. Cornelio, seculi quandam huius labem esse dicit, uirtuti inuidere. Sic Ecclesi. c. 4. omnes labores hominū usque animaduerti patere inuidiæ. Cæca enim inuidia est, nec quicquam aliud scit, quā detractare uirtutes, corrumpere honores, ac præmia eorum, ut ait Liuius lib. 8. decad. 4. ita grauissima pestis inuidia, uirtutis aduersaria, ut ait Philo Iudæ. lib. de special. legibus. c. contra mœchos. Atque hac nota differt inuidia ab odio; quia aliquando odimus aliquos merito ob uitia, at nunquam inuidetur nisi laudes dignis.

Macerat inuidia, ante oculos illum esse potentem,
Illum spectari claro qui incedit honore,
Ipsi se in tenebris uolui cænoque queruntur.

Lucre. in 3.

Et hoc aliud bonū adfert bonis inuidia lacessitis, ut ab inuitis inimicis, uitia sua audiant, & moneantur qua parte se debeant emēdare. Eaque antea forsan ignoti, apparent laude digni, dum qui maledica audiunt, inquirunt, & cognoscere desiderāt, utq; ferrum attritu a rubigine, splendent. Et D. Chrysost. homil. 1. in psal. 50. tomo 1. Inuidia, inquit ignis inextinguibilis est; Etenim sicut tinea comedit uestimentum, sic & inuidia eum qui zelatur, consumit, eum autem cui inuidet, clariorem reddit. Nā & Ioseph hoc est a fratribus passus, Genes. 37. Et illi quidem qui inuidiæ facib. utebātur, de libertate in seruitutem adducti sunt, cui autem inuisum est, rex constitutus est. Proinde ea ex parte non est nocens inuidia cui inuidetur, si ea simplex sit; at, quia impatiens secundarum rerum alterius, ueritate non potest nocere, ad calumnias cōuersa timenda est, dum sæuiens nititur nocere. Neque enim tūc

residet

residet in pro pria animi tristitia, sed alium lædere, & gradu fallo deijcere pertentat;itaque minima quæque uitiola obser uat laudari,uel iuuenilia emendata repetit,ut posfit gloriam eius obnubilare:uel si nulla sint,fingit. Obiectum Pompeio, quod genuino more,caput digito uno scalperet; Insimulatus Cymon,Miltiades & Æmilia. Scipio,ut somnolētus teste Am mia.Marcell.li.17.Plutar. in polit. Scelestisfima hoc modo ca lumniarum artifex,ut dum non potest æqualis esse inuidus, præstantiores uere opprimat,uel tollere calumnijs, & aperta ui uelit. ut Agrippina uxor secūda Claudij Cæsaris,inuidia in matronas elata,plures occidi fecit,Dion Casfius li. 60. histo. Roma.Palamedes dux optimus,ob inuidiā uirtutis,a uersipel le Vlysse & Diomede in puteo lapidibus obrutus.Dictys Creten.li.2.de bello Troia.In Miltiade,erat cum summa humanitas,tum summa comitas,ut nemo tam humilis esset, cui ad eum aditus non pateret. Magna authoritas apud omnes ciuitates; nobile nomen,laus rei militaris maxima;hæc tamen re spiciens populus Atheniensis,qui scilicet Democratiam foue bat,maluit eum innoxium plecti,quam se diutius in timore esse, Æmil. Probus in Miltiade,Val. Max. lib.5.tit.de ingratis. Idem accidit Alcibiadi, ut idem Probus testis. Addit & in Chabria commune uitiū hoc esse in magnis ciuitatibus,ut in uidia gloriæ comes sit,& libenter de ijs detrahant quos emer gere uideāt altius:neq; æquo animo pauperes alienam opulē tum intueantur fortunam.Sic impij scribæ & Pharisæi per in uidiam in mortem dominum nostrū Iesum Christum tradiderunt,Mat.27.& Marc.15.Et Saul uoluit lancea confodere Dauid 1.Reg.18.Cain occidit Abelem c.4.Gene.Esau Iacobo insidiabatur Gen.c.27. Nero putans se bonum poetā, Lucano quod arte poetica clarus erat,interdixit carmen facere,Xiphi li.ex Dio.in Nero.Cato optimus orator, optimus imperator, optimus simul senator,plurimorum odio laborauit,& quater & quadragies causā dixit,nec quemquā legimus sæpius polulatum & semper absolutum.Plin.li.7.c.17.Inuidentes fratres Iosepho,per inuidiam illum uendiderunt,de qua pater dixit, fera pesfima deuorauit Ioseph, Genes 37.Calumniæ inuidiç, pestilentes sunt ualde,quæ illam sequuntur,ut describit optime Lucia.ibi,διαβολῆς seu calūniæ,& Oui.li.2.Meta.ibi,*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,*&c. Idcirco & hanc inuidiā Græci quoque dixerunt, Momum, quem idolatrç Deum

dice-

dicebant maledicentiæ,conuitij,& reprehensionis;quemque Hesiodus in Theogonia dicit natum ex nocte,una cũ morte & somno,& in somniis & ærumnis. Hic etiam describitur in 4. epigram. Græcorum; meminit de eo & Lucia. in Hermotimo & conuiuio Deorum, ubi nec eum potuisse silere a reprehensione Deorum tradit,nempe repræhendendo eos,& Vulcanũ,quod homini fenestrata pectora non fecissent, ut cogitationes eorum paterent; repræhendisse & Veneris crepidas,& perpulchra sandalia. Accedit & comitatur eandẽ detractio. Est in summa omnium malorum catena: nã per inuidiã diaboli mors intrauit in orbem, Sapien.2. Vt merito inuidorum consortium omnino uitãdum sit: omnia enim, more serpentium, etiam florida & salubria in uirtus conuertũt,in peiusque interpretantur. Monet & Sapiens Prouerbio.c.23. cũ inuido ne comedas. Et ut ait Basil.Mag.sermone de inuidia, canes educatione mãsuescunt,boues obsequio fiunt tractabiles,inuidi officijs aggrestiores euadunt. Sed & maximum hoc esse scelus demonstrat,quod ex malitia inuidia proficiscatur, quod non ut in cæteris peccatis,hic inuidus lætetur, sed tristetur & diuexetur ab alieno,&uiuus torqueatur a futuris. Quod ex carminib. Menandri,Latinis factis,sic exprimitur,

Adolescens,non mihi intelligere uideris,quod
A suo quæque uitio putrefiant,
Et omnis corruptionis causę ueniunt intrinsecus,
Vt ferrugo,si consideres ferrum;
Si uestes,tineæ:teredo si lignum spectes.
At pessimum malorum inuidia,
Tabidum facit,faciet & fecit hominem,
Propter animæ prauas cogitationes,
Nam inuidus sibi semper hostis existit;
Spontaneis enim semper tenetur molestijs.

Itaque Ouidius 2. lib. Metamor. fab.12. sic uere describit inuidi formam & corpus.

Surgit humo pigre semesarumq; relinquit
Corpora serpentum,passuq; incedit inerti;
Pallor in ore sedet,macies in corpore toto:
Nunquam recta acies: liuent rubigine dentes;
Pectora felle uirent,lingua est suffusa ueneno;
Risus abest,nisi quem usi mouere dolores.

Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitq; videndo
Successus hominum, carpitq; & carpitur vna,
Suppliciumq; suum est.

Optime inuidorum naturam percurrit D. Chrysost. tom. 2. homil. 42. in Mathæū, similesq; eos dicit canibus cōcitatis & infestis dæmonib. ac furijs, & scarabæis, qui ut illi alieno ster core, ita & isti aduersa aliorū fortuna nutriuntur. dicit & cōmunes humano generi hostes, peiores animantibus. Sic inuidię partus sunt tristitia de bonis alterius, lætitia de malis, detractio, discordia, murmuratio, odiū & noxæ uel dāni illatio.

Antidota contra inuidiæ labem. Cap. 16.

QVia itaque maximū hoc uitiū est, eo magis studendum emendationi: & extremis, morbis extrema remedia adhibenda. Et cum probra omnia fugienda sint, tum uero hoc maxime omnium inuidiæ. Quare inquit Demosth. in Leptinē: quia inuidia omnino prauitati naturæ tribuitur nec ulla causa est, ob quam ueniā inuidus mereatur. & itaextra diuinū chorū sita est, ut ait Plato teste Philone Iudæo lib. quod omnis probus liber sit. Quocirca monet in primis D. Iaco. c. 4. nolite detrahere alterutrum, & psal. 100. detrahentē secreto proximo suo, hunc persequebar. Considera ergo si hac afficiaris, te legi Dei obsistere. Deinceps si te Dei timor non moueat, miserere tuiipsius, aduerte tibi potius nocere inuidiam, quàm alteri: te enim in ea excrucias, quàm alius ridet & de ea celebrior gaudet te ita tristari. Isocrates in Euagora & Q. Curtius lib. 8. de gestis Alexandri dicunt cum Menandro, inuidū sibi ipsi inimicum, cum spontaneis teneatur molestijs, & Virgil. in Epigrammat.

Liuor tabificum malis venenum, &c.

Et Rabi Eliazar, in pirke abot, seu capitulis patruum c. 4. Inuidia, inquit, & concupiscentia, & amor gloriæ, educunt hominem a uita. Ita inuidi sua ipsorum noxa, puniuntur, ut ait Pindar. Pythio, ode 11. antistro. 4. ipsaq. inuidia suis telis conficitur, ut a tineis suis lignum. Aliud remedium inuidiæ, si nihil rerum humanarum magnum existimemus, non gloriam, non opes, non rerū magnitudinē, non reliqua: sic enim nullos his pollentes æmulabimur, D. Basil. sermo. de inuid. si humilia,

milia, non alta sapiamus: si proximũ dilexerimus, ut dictum. Item aliud cogitãdum, dona spiritus sancti a Deo diuisa, prout uult 1. Corin. 12. neque uas aduersus figulum, posse uel debere insurgere, quare sic eum fecerit potius, quã alterius formæ, Isaiæ cap. 45. Habet enim potestatem faciendi ex eadem massa uasa in contumeliam & in honore. Rom. c. 9. nostraq; sors, in manu Dei, sicut lutum in manu figuli. Ecclesiast. c. 33. Tu itaque nec alij inuideas, sed ut sis melior, contende ut talis euadas, ut Themistocles imitabatur Miltiadẽ. Si eo non possis cõtendere, interim sine inuidia Spartam, quam nactus es, hanc orna. Et ut Hebræus dicit Ben Syræ, in sente. moral. c. 3. בהואקר גרדיה גרמא דנפיל, garma deuaphil beholekad gar deiah, id est, os quod tibi in partẽ seu sortẽ contigit, ipsum rodito: Non enim tibi uideri debet Deus iniustus, quia tuus oculus nequam est; tolle quod tuum, sine liberalitatem Deũ exercere, Matth. 20 in hoc mũdo corpus unum facimus, & ut in hoc corpore nostro singulorum, non omnia membra eundẽ officium habent, nec dignitatẽ, non tamen ignobilia; sic & inter homines, diuersa hominũ officia, quę misceri nõ debẽt, ad Roma. 12. Neque ideo uiliora mẽbra seditionem mouere debent aduersus meliora, ut docuit hoc exemplo corporis humani Agrippa Menenius populum Romanum rebellantem in senatum, apud Dionys. Halicar. in 6. Si de malo alterius lętitia subrepat, cogita tantundẽ tibi impendere. At ut possis alios tibi inuidos uitare, cautione opus ẽst, ne noceant, ne segnis inersve alio te transferas, urit enim præsens uirtus fulgore suo; sic uiri clari extra ciuitatẽ Atheniẽsiũ uixerunt, ut Iphicrates in Thracia, Cono in Cypro, Timotheus in Lesbo, Chares in Gigeo, Chabrias in Ægypto, Æmil. Probus in Chabria. Et Dominus noster ad uitandam inuidiam sæpe se subtrahebat turbæ Iudæorũ, & secedebat in montes. Sic uitauit Iacob inuidiã Ezau, Genes. c. 27. Sic docet & D. Ambros. tomo. 4. li. 2. de Iacobo, uel de uita beata cap. 5. melius esse inuidia exorta, declinare eam, & sine lite abire, quam habitare cum iurgio. Putabant aliqui, & subitum ad honores statum non patere inuidiæ; nam nec ignis concipit fumum, nec gloria inuidiam gignit, si repente utrunque ac celeriter emicuerit, ut ait Plutar. in politi. Dixitq; ideo in Syllam Pompeius, plures esse qui solem orientem potius, quam occidentem adorarent. Aliud remedium, ob uirtutem omnia constanti animo pati, &

laudi

laudi sibi ducere etiam pro ea mori. Nam ut ait Horatius lib. 3. Carmi. ode 2.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cęlum, negata tentat ire uia,
Cętusq; uulgares, & udam
Spernit humum, fugiente penna,
Est & fideli, tuta silentio
Merces.

Et ode 3. eius libri.

Iustum & tenacem propositi uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus instantis tyranni,
Mente quatit solida; neq; Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus;
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Aliud remedium non esse cum inuidis agendum, ut ante diximus. Fieri enim nequit, ut hoc modo implicemus, nisi familiaritate iuncti fuerimus; nec inuidet ignotus, sed familiaris & notus, D. Basil Mag. serm. de inuidia. Aliud quoque remediū esse posset, si semper honestum est, inuidis qui sibi aliquid esse uidētur concedere, & præsentes laudare; est enim solertia, & bonus dolus, quo illi facile capiuntur, & laudati male dicere desinunt; eadem enim cæcitate, qua alios sibi præcellere nō uident, & uere quoq; se præferri alijs sibi persuadēt, eua duntq; ea præsumptione inter bene uidentes, ridiculi tamen innoxij. Sic enim & latrantes canes, lapidibus iactis immorātur, uel aliquo osse iacto, a latratu coercentur.

De beneficentia. *Cap.* 17.

Beneficentia uirtus communis est, tum ad medelā inuidi. tum etiam ad fortitudinem & præstantiam eius cui inuidetur. Pendet enim ex charitate per quam omnibus bona cupimus, & inimicis quoque beneficia cōferimus. Nec quicquā

præ-

præstantius est beneficentia & bonitate, inquit Cic.i.de nat. deo. Quare si hanc possit concipere inuidus, tantum abest, ut inuideat habenti aliquid præstantius, quinimo ei congratula bitur, & ut augeatur Dei in eo donum, utque perseueret, precabitur. Congaudent.n. boni amicis, & benefici etiam haben tibus, uel largiuntur, uel largiendi animum, si opus sit, habẽt. Beneficium quippe non in eo, quod fit aut datur, sed in dãtis uel accipientis consistit animo, ut ait Sene.i.de benef. atque qui habet inimicum inuidum, si ei beneficus sit, iam impleuit illam summam uirtutem christianam, ut diligat inimicũ, de qua diximus, dum de charitate egimus, non reddens malum pro malo, sed bonum pro malo, iuxta Apost.i.ad Thessal.5.i. Pet.3. sed cum iam in charitate, quæ hic cõueniunt, dicta sint plura non addam.

De gulæ uitio. *Cap.* 18.

EPiglottidis fistulam interiorem Plinius li.xi. cap.37. appellat gulam, per quam cibus, atque potus deuoratur: quę tendit ad stomachum, inde ad uentrem, carne, & neruo constans, proxima exteriori fistulæ, quæ arteria est, ex cartilagine & carne: unde per translationem gula accipitur pro uoracita te, & nimio, & delicatiore ciborum appetitu, proq. nimio, & lautiori potu, & ebrietate. Hoc uitio duo alia concluduntur, nempe gastrimargia, & opsophagia. Gastrimargia est intẽperantia ad cibum sumendum, cum dulcedo ciborum utilitati præponitur. Opsophagia autem est, nullum in obsoniorũ usu modum tenere. Victus namque uel uiuendi modus legitimus duos fines habet, salutem, & robur siue firmitatem corporis. Peccatur idcirco contra uiuendi modum in quantitate cibi, si quis plus quam sit necesse, accipiat: quando in edendo quis festinauerit, si suauiora dulcioraq; esculẽta sanioribus præponantur: si quis eadẽ quæ sibi, conuiuantibus non apposuerit: quãdo præter tẽpus dapes apponimus: cũ scilicet aliud agendum esset, quo omisso gulæ indulgemus, ut notat Stepha Niger in opere ex Musonio sumpto de nimia obsoniorum appetentia. Legimus supplicio æterno damnatum immisericordem illum diuitem qui quotidie epulabatur splendide, Luc. 16. Ex numero eorum qui ducunt in bonis dies suos, & in pũcto ad inferos descendunt, Iob 21. Huc pertinet etiam uetita,

aut tempore prohibitionis comedere, prohibita desiderare, quod acriter & seuere uindicauit Deus in populo Israelitico, cũ manna uiueret, ipse autẽ fastidiret illũ cibũ, & desideraret carnes, pisces, cucumeres, pepones, porros, cepas, & allia, & panes in saturitate: Num. cap. 11. & Exod. 16. Vitium hoc certe maximũ, turpitudinis & spurcitiei incentiuũ, morborum fermentum, & causa, patrimoniorum consumptio. D. Basil. libr. de renunciar. Vitę huius multos, inquit, morbis occupatos, ad sanitatem redire uidi, unum uero ex illis qui clam edunt uel gulosi sunt, non uidi: sed qui huiusmodi sunt, mundanis illecebris corrumpuntur, & diabolo mollitie seruientes, ut uitiũ gulæ tegant, malis se multis inuoluunt. Si uẽtrem domueris, paradisum inhabitabis: sin minus, a morte consumeris. Et in Psal. 29. Ne cor tuum delitijs tradas. Quid uegetũ ualidumq; studet reddere, quod paulo post est interiturum? Quid te saginas & carnibus grauas? an ignoras quanto pinguius tibi corpus, tanto grauiorẽ animæ tuæ carcerẽ constituis? &c. egestatem esse etiam proximã helluonibus, docetur Prouerb. ca. 21. qui diligit epulas in egestate erit: qui amat uinũ & pinguia, non ditabitur. Possem hic referre monstra naturæ & opprobria potius hominum, quam homines, qui uoracitatis & bibacitatis prodigiosę fuerunt exempli perniciosissimi, ueluti Philoxenum, Apicium, Melantium, Pythillum uoracem, Aristoxenum Cyreneum, Telephum Voraginem, Dorionem, Callimedontem cum filio, Diogenẽ Cynicum, Hypperidem Rhetorem, Philetærum, Calliam, Aristotelem philosophum, Melanthium tragicum, Aristippum Socraticum, Charinnũ Theagenem athletam, Herodotũ tibicinem, Cantibarim Persam. sed de illis & aliis Athenæ. te commodius monebit lib. 1. dipnos. cap. 3. & lib. 8. cap. 6. lib. 9 cap. 9. & 11. lib. 10. cap. 1. Possem ingentis edacitatis, bibacitatis Phagonem subijcere, quo delectabatur Aurelianus Cæsar, sed de eo narrabit Fla. Vopis. in Aureli. ut de Clodio Albino Iulius Capitolinus in eius uita. Nec merentur certe nomen isti opsophagiæ dediti helluones, nihil nisi pondus iners & fruges consumere nati. Miseri alioquin, & morborum sentinæ, & uasa spurcitiei, merito etiã in eo pœna, in quo peccant, puniti: sequuntur enim illos ructus acuti, nocturni uomitus, ut scribit Lucianus dialogo de mercede conductis, & ut Iuuena. Saty. 1.

Hinc subitæ mortes atq; intestata senectus.
It noua,nec tristis per cunctas fabula cœnas.
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Nascūtur & phthisis,podagræ,pulmonum exulcerationes, aquæ intercutes; Lucia.in Gallo. Refert Dion Cassius lib.57. histor.quod M.Gabio,qui omnes homines luxuria uictus superaret,cum iniisset rationem, ut sciret quantum prodegisset iam,quantumq; restaret,cumq; adhuc tantum superesse centiens sestertium repetisset, magno mœrore fuisset correptus, quasi sibi fame pereundum esset, seipsum interemit. Fuerunt autem alij,non ita uoraces quidē, sed in cibis nimiū curiosi, delicati,exquisiti, & prodigi non prioribus meliores, quorū cateruam aliquam,colligit Tertullia.tomo 2.oper.lib. de pallio,Vadius,inquit,Pollio, seruos murentis inuadendos obiectabat,quas his delectatus edebat, ut de seruorum suorū corporibus ipse gustaret. Præcidam gulam qua Hortensius orator,primus pauonē cibi causa, potuit occidere: qua Aufidius Lurco,primus sagina corpora uitiauit, & coactis alimentis in adulterum prouexit saporem: qua Asinius Celer, unius muli piscis obsonium VI. M.HS. id est, sex sextertio. milli. detulit. qua Æsopus histrio ex auibus eiusdem pretiositatis, ut canoris & loquacibus quibuscumque centum millium patinā con fiscauit:qua filius eius post tale pulpamentum, potuit aliquid sumptuosius esurire. Margarita namque uel ipso nomine pretiosa dehausit, credo, ne mendicius patre cœnasset. Taceo Nerones,& Apicios, & Rufos. Dabo catharticum impuritati Scauri, & aleæ Curij, & uinolentiæ Antonij. Meminit & de ijsdem Plin.de Pollio.lib.9 cap. 83. De Hortensio lib. 10.ca. 20.& ibidem de Aufidio & alijs. De Celere & Macrob. & Iuuenalis Saty.4.ibi,

Malum sex millibus emit. &c.

De Æsopo quoque Plin.lib.10.cap.50.& lib.35.c.12.& de eius filio lib.9.c.35. Aduersus istius gulæ illecebras & uoluptates,leges tum diuinæ tum humanæ insurgunt, ut ad frugalitatem, sobrietatem, & temperantiam reducerent, tot leges abstinentiæ & ieiuniorum. A Romanis sumptuariæ leges latæ,quæ modum uiuendi imponerent: de quibus Alexāder ab Alex.lib.3.genial.dier. cap.11. & ne fraus legibus fieret, cautum ut publicè pransitaretur apud Romanos, & apud Spartiatas a Lycurgo,teste Xenophon.lib.de rep.Lacedę. Orchia le-

ge conuiuarum numerus Romanis scriptus, teste Macrobio lib.3.Saturn.cap.17.Et Iascensibus non licebat in contrahen dis nuptijs plures ad conuiuium uocare, quam decem uiros, & totidem fœminas: nec nuptiarum solemnitatem ultra biduum producere,ut ait Heraclid.in eorum politia. Lege cen soria Rom.interdicta cœnis suum abdomina,glandia,testicu li,uuluæ,Pli.lib.18.capitu.52. Prohibitique in cibum mures, glires eadem lege,quam M. Scaurus renouauit in suo consulatu.Plin.libro octauo,capitu.57.& apud eundem lib.10. capit.50.fertur lata lex in C.Fannij consulatu,ne quid uolucrũ apponeretur præter unam gallinam, quæ non esset altilis: prorogata deinde lege Didia & Fannia, per totam Italiam, hasque Iulius Cæsar exercuit, dispositis etiam circa macellũ custodibus,qui obsonia contra uetitum retinerent, & deferrent ad se,submisis quocunque lictoribus,ac militibus, qui si qua custodes fefellissent,ex triclinio iam apposita auferrent. Fuerunt,& aliæ istis similes leges,de quibus Gel.li.2.Noctiũ. c.28.& li.14.c.16.Atque Athenæus,li.6.c.8.refert temperatos fuisse Romanos priscos,tum in uestitu, & uictu,& frugali tate,ut etiam prohiberetur lege illis,obsonium pluris duabus drachmis cum dimidio.

De ebrietate. Cap. 19.

GVlę uitium,in ebrietate etiam consistit, quæ mentem mutat,furorem gignit,multos iterimit, euomitiones coaceruat,uolutationes in cœno turpes,nudos,ridiculos,miserandos,uiniperdos facit,secretorum effusores,pallidos,genis pendentibus,oculis ulceratos,manibus tremulos, inquietot,obliuiosos,& alterius peioris cõditionis, quam bruta sint homines,ut refert Plinius libro 14.capitu.22.Hanc D.Basilius in sermo.de die Paschæ sic describit:Ebrietas,est rationis interitus,fortitudinis pernicies,senectus immatura,mors momentanea.Luxuriosa,inquit sapiens,Prouerb.20.res est uinũ & furor:ideo nolite dare uinũ regibus, sed ijs qui amaro sũt animo,Prouerb.30.Sic Androcydes sapientia clarus ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam eius cohibens, uinum potaturus rex,memento te bibere sanguinem terræ. Nihilque perniciosius uino,uoluptatibus est, si modus absit: sicuti prorsus iure dici possit, nihil utilius aliud corporis uiri

bus,

bus,modice sumpto,ut Plinius scripsit libro 14.capit.quinto. Parce enim sumptum lætificat,& stomacum inualidũ firmat, psal.103.Ecclesiast.capit.40.i.Timoth. quarto. Proinde Alphonsus rex Hispaniæ omnino abstinuit a uino, quod diceret,id Alexandri Magni gloriæ maxime obfuisse,teste Anto. Panorm.libr.secundo,de dict.& fact.Alphon.capit. septimo. Monet & Pau.ad Ephes.quinto,nolite inebriari uino,in quo est luxuria.Athenæ.quoque libro decimo.capitu.15 malorũ omnium grauiorum unum esse metropolum dixit,per quod ebrietas emanat, & insania, debacchationesque fiunt ab iis, qui ita immodice bibunt,& Aristo.connumerat ebrietatem, inter insaniæ species,Probl.sectio.30.q.13. Plene Seneca lib. 12.epist.epist.84 Ammia.quoque Marcelli.lib.15.histo. Catonianam illam dixit fuisse sententiam, Ebrietatem furoris esse uoluntariam speciem.Et Plato dial.9.de repub. uirum ebrium,gerere tyrannicum dixit animum.Et dialog. 6. de legibus.Qui uino refertur est,tam animæ,quam corporis rabie concitatus,quouis & trahit,& trahitur. Quo factum ut plerique ebrii,seipsos,peiores amentibus,interemerunt,uel incauti ab aliis interempti fuerunt,ut eadem sectio.30.quæst. prima,ait Aristo.ut Cleomedes Lacedæmon.cultro se ebrius cæcidit.Et Eumenes Athenæ.libro decimo,capitu.12.& 16.Iugulatus ob temulentiam Hyparinus Diony.tyranni filius, Athenæ.eo.li.10.c.12.& Holophernes,Iudith.ca.11.& Athen. li.4.dip.c.24.

Insipiens uinum multum cecinisse coegit,
Saltare,ac ridere iubet:prudentia cedit
Si quis paruerit:dixisseq.plurima cogit,
Quę præstat tacuisse.

Boetius de disciplina scholast.cap.2. uinum modice sumptum uidetur intellectui conferre acumen, non modice bibitum,rationem perturbat, intellectum hebetat, ignorantiã producit. vetabat lex diuina,Num.c.6.ne q̃ se cõsecraret domino,uinum uel quod inebriare posset,biberet:neue qui ingressuri essent Dei tabernaculum sacerdotes,ne morerentur. Nume.decimo.& Ezechiel cap.44.Erat lex apud Locros uersus zephirum,ut si quis merum absq; imperio medici bibisset idq. medicamenti gratia,capite damnaretur. Massiliensibus

quoque & Romanis, fœminis interdictus uini usus, Athenæ. lib. 10. c. 9. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Dionys. Halicarn. in 2. & Plato lib. 2. de legib in fine statuit, adimendum esse uinum mulieribus, iudicibus, & magistratibus, dum gerunt magistratũ, atque alijs & militiæ & domi, qui rebus serijs uacant. Minos lege iussit, non esse compotandum usque ad ebrietatem. Plato in Minoe. Monet dominus, Lucæ 21. uidete ne forte grauentur corpora uestra in uino & crapula: ubi immodicũ potum uini prohibet, ex quo crapula oritur. Est enim Græcis κραιπάλη, ἡ ἐξ οἴνου βλάβη τῆς κεφαλῆς, ex uino dolor capitis, παρὰ τοῦ τὸ κάρα πάλλειν hoc est, quòd caput concutiat, & uertiginem faciat ob exhalationes. Sic enim interpretatur Galenus in commentar. ad lib. 5. Aphorism. Hippocr. aphor. 5. Sic Ecclesiast. cap. 37. propter crapulam multi perierunt. Temulenti quippe facile officij sibi commissi obliuiscuntur, inhabiles ideo negotijs gerendis, ut notat Xenophon. in Oeconomico. Siquidem, ubi mens a uino corrupta fuerit, idem illi accidit quod curribus qui aurigatores suos deijciunt: etenim illi si a recto tramite aberrent, inordinatè feruntur, anima uero plurimum uacillat corrupto intellectu, ut scribit orat. 1. seu in Parænesi Isocra. Refert Aristo. lib. 2. Politic. ca. 10. Pitachi legislatoris legem in ebrios, ut si quem pulsauerint, maiori pœna damnentur, quàm si sobrij fuissent.

Antidotum edacitatis, & crapulę. Cap. 20.

PRo singulari antidoto, ieiunia & abstinentia crapulæ & uoracitati sunt. Si quis non se Epicuri de grege porcũ esse consideret, sed Christianum, quem sobrium castumq; esse oportet, natum non ad edendum, & bibendũ, sed qui ut uiuat tantum edere debeat. Si consideret turpitudinem ebriorũ, si damna ex ebrietate & uoracitate meditetur, quæ supra posuimus. Recordetur & quomodo ebrium nullius facti etiam turpis pudeat, exemplo Noè cap. 9. Gen. Et Loth. 19. Genes. Quo modo cogat secreta fateri tacenda.

De Ira. Cap. 21.

IRa, est apparentis ultionis appetitus cũ dolore, propter apparentem immerito contemptũ, uel in se uel in sua. Arist. lib.

lib.2.rhetor.ad Theod.c.2 Ioã.Damascenus lib.2.de orthod. fid.ca.14.Speusippus lib.de definit. Platon. Verum annotandum est,iram perpetuo uitium non esse:etenim pars irascibilis concitari potest ex his quæ ratio & phantasia proponit, ut ait Marf.Fici.cõment.in Memnonẽ Platonis.Tunc tantũ uitiũ,cum citra rationem phantasijs concitatur: alioquin & irasci oportet interdum,cum ratione,pro quibus,& cumquibus, & quando, & quatenus oportet:ibique potius mansuetudo, quàm uitiũ,ut scribit Arist.lib.1.magno. Mora.c.2.23. Sic & contingit sapientẽ uirum irasci apud Homerũ, & Platonẽ in Philebo.Sic dicitur cõcitatus ad iracundiam Deus, Deut.32. Plura & loca sacræ paginæ de ira Dei,ut Exodi,cap.15.32.Numer.cap.16.& 25.& alibi. Ira tamen ut vitium,in Deum non cadit,inquit Arnobius 1.cõtra gentes,quæ nihil aliud, quam insanire,quam furere,quam in ultionis libidinẽ ferri,& in alterius doloris crucem mentis alienatione deferri. ita & audi psalm.4.Irascimini,nolite peccare:& ad Ephes.4. Hanc Græci dicunt θυμὸν,animi uim quę rationi paret,turpitudinemq; exosam habet,quam Basilius Magnus orat. περὶ ὀργῆς, dixit, σύμμαχον λόγῳ κατὰ τῆς ἁμαρτίας, καὶ νεῦρον εἶναι τῆς ψυχῆς, id est, sociam additam rationi aduersus peccatum,& neruum uirtutis. Sic Dionysius in Bacchis actu 3. apud Euripidem ait,

πρὸς σοφοῦ γὰρ ἀνδρὸς ἀσκεῖν σώφρον' εὐοργησίαν. id est,
Etenim sapientis viri est, moderatas iras suscipere.

Tunc ergo ira uitium, quando extra rationis lẽges irascimur:pro quo,& quando, & cum quibus non debemus. Per se autẽ ira nascitur natura,ex efferuescentia sanguinis,& euaporatione fellis circa cor,ubi fit concitatio,cui si consensus mẽtis & appetitus accedat,uindictę uitium erit:eoque modo ira & furor execrabilia sunt, & uir peccator continebit illa.c.27. Ecclesiast.Iubetq; D.Paul.1.ad Timot.2.leuare ad Deum puras manus,sine ira & disceptatione,& prouerb.22.noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum homine furioso,ne forte discas semitas eius,& sumas scandalũ animæ tuæ. Quia,ut scribitur prouerb.29.uir iracundus suscitat rixas. Erit & ira eo iniquior, quo diuturnior, tunc quippe in malitiam transit & pertinaciam,ut scribitur Genes. 49. de ira & sæuitia aliquantum dissimulatas Simeonis & Leui, maledictus furor eorum,quia pertinax. Lubrica quippe est uia in odium ab

ira,ut ait D.August.epist.149. & ira mortaliũ debet esse mortalis,ut scripsit Phallaris, tyrannus quãuis, Ethorineò episto. 45.& Lactant.de ira Dei c.21. malum enim est cum uincit rationem & consilium ira, sicut Medea docet apud Euripidem in Medea,actu 3.dicens,

θυμὸς δὲ κρείσσων τῶ ἐμῶν βουλευμάτων,
ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς. idest,
Ira autem præponderat meis consilijs,
Quæ maximorum malorum causa est mortalibus.

Atque ita nisi compescatur,trãsit in furorem. Sic enim dicebat Apollonius, τῆς ὀξυθυμίας, τὸ ἄνθος μανίαν, maniam seu insaniam,florem iracundiæ urgentis.Et ita etiam Horat. innuit lib.1.epistol.

Ira furor breuis est,animum rege qui nisi paret
Imperat:hunc frenis,hunc tu compesce catena.

Nascuntur quoque ex ira,impatientia animi, maledictiones,blasphemiæ,opprobria,calumniæ,iniuriæ,ultiones,rixæ, minæ,seditiones.

Ira trucet inimicitias generat,& funebre bellum.

Et ex prorogata ira & simultas,ut ait Ouid. 1. de art.amãd.

Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram,
Sæpe simultates ira morata facit.

Antidotum iræ. *Cap.* 22.

SEneca lib.1.de ira ad medelam & pharmacũ iræ, tria esse animaduertenda tradit:Primum non irasci. Secundum,se continere ab ira. Tertium,iræ mederi. At ut non irascamur, reminisci debemus præceptorum Dei, quæ illam prohibent, ut diximus,adimuntq; uindictam singulis,si lædantur,& prouocandum esse ad magistratus, qui iuris publici habent executionem,statuunt. Scriptũ namq; Non uos uindicantes charissimi,sed datæ locum iræ.Et rursum Deus, Mihi uindictam. 12.ad Roma.Ezech.9.Deutero.32. monemur a Deo, dimittendas esse iniurias, si uelimus ab ipso nobis dimitti, Matth. 6.Idcirco Deus,omnibus animalibus arma naturalia concessit,canibus,lupis,apris dẽtes:equis calces:tauris,arietibus cornua:& alia alijs:homini autem nulla natura, nisi rationẽ dedit,qua se defendat & repellat iniurias,ut ait Xenoph.2.Cyri pæd.Sed & turpitudo,quæ ex ira aduenit,ab ea nos debet re-

uocare.

uocare. Nam, ut ait D. Basil. in sermo. in aliquot scripturæ locos: scriptura tibi dicit, uir iracũdus turpis est. Quomodo turpis est? Quia decorem & quasi humanam figuram amittit, feræ speciem indutus. Considera parumper iratum, furor debacchatur, immutantur oculi, qui turbidi sanguineiq; fiunt, cor accenditur, sanguis cõmouetur. Hunc uideas ut aprum dentes acuentem, loqui sæpe incipientem, ac uerba imperfecta relinquentem, multa quoque in corde non apparentia uolutãtẽ. nec parentũ nec liberorum rationẽ habet, nullis demũ, ut libidini suæ satisfaciat, parcit. Et Lucre. lib. 3. de rer. natura,

Est etiam calor animo, quem sumit in ira
Cum feruescit, & ex oculis micat acrius ardor. Et postea.
Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,
Iracundaq; mens facile efferuescit in ira:
Quo genere in primis uis est uiolenta leonum.

Turpis & gestus iratorum, mordentium labia, qualem describit Homerus Odyss. 1. in Procis iratis in Telemachum: Persius sic etiam exprimit Saty. 3.

Nunc face supposita feruescit sanguis, & ira
Scintillant oculi, dicisq; facisq; quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

Et Ouidius lib. 3. de arte aman.

Ora tument ira, nigrescunt sanguine uenæ,
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

Remedium etiam iracundis, molles sermones, sicut indicat Æschilus in Prometheo ligato, apud quem sic loquitur Oceanus,

οὔκουν προμηθεῦ τοῦτο γιγνώσκεις, ὅτι
ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.
Προμ. ἐάν τις ἐν καιρῷ μαλθάσσῃ κέαρ,
καὶ μὴ σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνῃ βίᾳ, idest,

Nunquid, Prometheu, nosti, quòd iracundiæ cõmotæ, sermones sunt medici. Prome. Imo si quis in tẽpore mollierit animum, & non gliscentem impetu reprimat. Indulgendũ & aliquatenus iracundis non secus ac furentibus, & cedendum pro tempore, donec ebrietatem animi decoxerint, & fluctus calorque sanguinis conquieuerint: tunc enim illis est cum ratione loquendum, in ira pauca uel prorsus nihil:

Impedit enim ira animum ne possit cernere uerum.

Et expers consilij furor, dolorem uirtutẽ putat, quantũq;

medi-

meditatur ira, tantum promittit audacia. ut ait Paul. Orosius lib. 2. c. 16 Hic poculamandare oportet sententias ethnicorũ Christianis, quib. iniuriarum suadent ultionem, uel intelligendæ sunt, de ultione quę per authoritatem publicam fiunt & zelo correctionis & emendationis, non appetitu uindictæ. Sic audio Arist. Ethic. 4. c. 3. dum ait, perferre iniurias & suos negligere, seruile esse; & quæ sequuntur. Ita audio Seueri uocem apud Herodia in 3. dicẽtẽ, ut author iniuriæ sis, iniustus uideare. ita si non ulciscare acceptas iniurias, ignauus. Et pari modo quod dicebat Vespasi. Cæsar apud Suet. in Vespas. c. 9. de iurgio senatoris equitisq; Romani. Non oportere maledici senatorib⁹. remaledici ciuili fasq; esse. aliter, si iniuriis iniurias ita procaciter ulciscaris, certe tu quoq; iniurias profers & facis. Peius autem est iniuriã facere, quam pati. illud enim cũ uitio est, atq; uituperatur; sed pati, sine uitio & iniustitia est, ut idem Aristot. fassus lib. 5. c. fin. Itaq; si quicquam inde peccauerint quibus irasceris, uade & reconciliare illis, ut iubet Deus, Matth. 5. Quod si iniuste irasceris bonis, certe miserrima est tua conditio, dignum dilectione ira prosequi. Quod si impiis irasceris priuatus, illorum improbitati tuam irascendo adiicis: sine uindicent quibus datus est gladius, uel ab impio impietas ultionem accipiat, primo Reg. 14. Si maiori, cedendum; potentioribus pares esse non possumus. Si minorẽ iniuriantem audis, contemnere debes. Nam ut ait Marti. li. 12 epig. epig. 62.

In tauros Libyci ruunt leones,
Non sunt papilonibus molesti.

D. Greg. lib. 5. moral. ca. 32. modos quoq; duos præscribit, quibus cohiberi ab iracundia possit animus; prior, ut mens antequam quicquam agere incipiat, solicita sit præcogitare contumelias omnes, quibus impeti potest, & ad aduersa se præparat opprobria, exemplo redemptoris sui: sic cautius, præuisa tela excipiet. Secundus, ut cum aliorum excessus conspicimus, nostra quibus in alios excessimus delicta cogitemus, & manticam quam in turgum reiecimus rerum nostrarũ, ante oculos constituamus. Et in summa citius fecerimus, & lętius uixerimus, obliuiscendo iniurias, quam si eas reuocauerimus ad animum. Modicę enim cognitio iniuriæ nos afficit, si consideremus temporis diuturnitatem, quam uindictæ conquirendæ & exequẽdæ gratia terreremus anxii: ut nõ possim

non

non laudare legem illam Atheniẽsium post occiosos tirãnos latam a Thrasibulo, quæ ἀμνηστίας erat, id est, obliuionis pręteritarum iniuriarum ultro citroq; illatarum, ut scribit Æmil. Prob. in Thrasib. Æschines contra Ctesiphonem, & περὶ παραπρέσβ. Dion lib. 44. in concione Ciceronis. Isocra. orat. περὶ τοῦ ζεύγους. Plutar. in politi: Valer. li. 4. c. 1. Iustinus ex Trogo li. 5. Perturbant, inquit Epictetus, apud Ariũ in Enchirido eius c. 8. non res ipsæ, sed rerum opiniones, & c. 24. inuictus esse poteris, si in nullũ certamen descendas, quod ut uincas in te nõ est, & in c. 44. si quis ad te deferat, ille de te male dixit, ne excusa quæ dicantur, sed responde: ignorat ille & alia quæ mihi adsunt mala, alioquin non sola hęc diceret. & c. 57. loquere, inquit: aduersus quemuis conuiciantem, ipsi est sic uisum; arbitratur enim is suum officium facere aut dicere, & esse non potest, ut is quod tibi uidetur, sequatur. Et in summa ut idem præclare dixit capitulo 22. memento actorem te esse fabulæ, quamcunque is qui docet; si breuem breuis, si longum longæ. Si medicum te uelit agere, ingeniose age, si claudum, si principem, si priuatum: ad te enim pertinet datã tibi personam bene agere, eligere ad aliud. Ita & concludit quoque Euripides in fine Phœnissarum,

ἀλλὰ γάρ τι ταῦτα θρηνῶ, μάτην ὀδύρομαι,
τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν, id est,

Sed quid ista lamentor, & frustra deploro?
Mortali enim ferendum est quicquid immittit Deus.

De patientia. Cap. 23.

ANtidotum præcipuum etiam irę est, patientia. Sic cohibere motus ita animi, & mala uincere, nec irasci, id quidem durũ, sed patientia uincendum. eo modo uiã malis infinis intercipies ab initio, & stultitiam illã leuẽ mentis prohibebis, ne perniciem desinat. Nam, ut ait Hermas D. Pauli apostoli discipulus, ex stultitia nascitur amaritudo: ex amaritudine iracundia: ex iracundia furor; furor autem operatur peccatũ magnum & insanabile. Siquidem, ut ait Tertulli. lib. 1. con. Marcio. ultio est fructus iræ, ira debitum offensæ, offensa comes frustratæ uoluntatis. Porro Chysippus dicebat, patientiã esse habitum, eligenti rationi obtemperantem, apud Plut. li. de uirtut. morum. Cicero autem 2. de Inuentio. honestatis ac

uti-

litatis causa, rerum arduarũ ac difficilium diuturnam ac uolũtariam perpessionem: ideo teste Plutar. li. de Tranquillit. animi, patientia uitam optimã suauissimamq; efficit; quia faciat ea quæ nobis extraria & aduentiria impendent. accomodata & conuenientia, ingenti ui animi ferendo. uirtuosa certe passio, quæ nõ potest esse sine agente, hincque a fortitudine differt, ut ait Plato in Teætheto, Et ut Manilius 4. astronomi.

Sors est sua cuique ferenda.

Cuiusuis doloris est remedium patientia.

Et Prouerbio. 19. doctrina uiri, per patientiam cognoscitur & iterum Lucæ 21. in patientia uestra, possidebitis animas uestras. Annumeratur & inter fructus spiritus, patiẽtia. ad Gal, 4.

Patientia corpus
Instruit ut nulli cupiat cessisse labori;
Temperies, ut casta petas; prudentia, ne quid
Inconsultus ages; constantia, facile ne quid
Infirmumque geras.

Claudia. Panegyr. 2. in laudib. Stilliconis uers. 76. Patientiam & continentiam excolebant Brachmanes Indorũ philosophi, referunturque duorum taxillarum Indorum eius scholæ exempla, ab Strabo. li. 15. Geogra. qui cum ad Alex. Magni cœnam accederent, assistẽtes cœnarunt, & patientiam docuerunt; postea in locum quendam proximum secedentes, senior supinus & solem & imbres tolerauit; iã enim pluebat uere incipiente: iuuior uero in altero pede stãs, lignũ tricubitale ambabus manibus sublatum sustentauit, pede autem iam defesso nisum in alterum immutauit, atque ita quotidie perseuerabant. Verum hæc ad tolerantiam maxime & patientiam corporis pertinent, sicuti & quod nudi incederent, quodue Gymnosophistæ philosophi etiam Indiæ, ab oriente in occasum præstarent, solem intuentes immobilibus oculis, & feruentibus arenis toto die insisterent, ut ait Plinius lib. 7, c. 2. & si animi quedam adessent patientis perspicua argumenta. Nos autẽ hanc patientiam, ad omnes animi & corporis passiones temperandas, pertinere dicimus; ad iniurias tolerandas, opprobria, irrisiones, & quæ aliunde acciderint ferenda, quę solent animos iracundos commouere, & in uindictam armare, uel tormentorum metu commouere. Qualis patientia apud Plin. lib. 7. c. 23. & lib. 34. c. 7. Leænæ meretricis, quæ torta non indicauit Harmonium & Aristogitonẽ tyrannicidas; qualis &

Anaxarchi, qui sibi de causa cum torqueretur, præcisam dentibus linguam unaque spem iudicii in Tyranni os expuit. Patientia itaque medebitur omnibus iracundia dignis, & si non opprimat uel tollat omnino, saltem leuius reddet onus, ut ait Horatius lib. 1. Carmi.

Durum, sed leuius fit patientia
Quicquid corrigere est nephas.

Et proficiunt in melius boni iniuriis afflicti etiam iniuste, & castigationes amplectuntur: flagellantur namque boni, uel ad utilitatem, ut probentur, sicut Iob & Tobias, uel ad augendum meritum, ut martyres. Mali autem ut a malo reuocẽtur. Ideo in omnibus, omnia a Deo toleranda, patientia.

De acedia, seu pigritia, & ignauia.
Cap. 24.

QVatuor tristitiæ ferũtur genera a Ioã. Damasceno li. 2. de orthod. fide c. 14. accedia, inuidia, molestia, misericordia. Est itaque accedia, tristitia quæ uocis defectionem inducit; contemptus & negligentia quædã agendi bona, cũ frigescit anima in laboribus & bonis operationibus. Arist. libello de uirtutibus ignauiam dicit esse uitiũ animosæ partis, per quod periculis & maxime mortis consternimus; cum quis melius ducit quomodocunque seruari, quam pulchre mortẽ oppetere. Sic prouerbio. c. 18. Pigrum deiiciet timor. Detestatur pigritiã scriptura sacra, Prouerb. 6. ut animi labẽ pessimã, ibi, Vade ad formicam piger &c. & Ecclesiast. cap. 23. Neq; enim ignauia etiam si fortunata sit, uituperatione caret, ut ait Plut. in uita Pauli Aemilij. Otiũ quippe hoc inutile, extra philosophię necessitatem, etsi tranquillum uideatur; ut ignauia recte mors appelletur a Seneca, li. 7. epist. epist. 56. oportet enim negotiosam esse uitam quoque otiosam, cum otii & negotij sit reddenda ratio ex sententia etiam Cicero. pro P. Sestio. Alioquin ut ait Horatius lib. 1. epistola. epist. 2.

Nos numerus sumus & fruges consumere nati,
Sponsi Penelopes, nebulones, Alciniosq;

Nocet sibi & aliis pariter, piger, sibi quidem, quia obuenit illi quasi uir armatus, egestas, prouerb. 6. uult & nõ uult pigere anima autem laborãtiũ impinguabitur, prouerb. 13. Et desideria occidunt pigrum, noluerũt enim quicquã manus eius operari,

rari, prouerb. 21. siquidem teste Hesiodo in operib. 1.
λιμὸς γὰρ τοι πάμπαν ἀεργῷ σύμφορος ἀνδρὶ.
Fames semper comes est non laboranti uiro.
Et [illegible] κακοθυμοσύνη θνητοῖς κακίστη
Ignauia hominibus pessima. Nam si quis ignauiter & in otio uiuat, necessarium est, ut malis agitetus uoluptatibus, uel cogitationibus pessimis, sic multã malitiã docuisse dicitur hominibus otiositas, Ecclesiast. c. 33. Aliis autem & noxius piger, cũ exemplo pernicioso, tum etiam quia qui eis fidũt, uel aliquã committunt, decipiuntur. Fiuntq; illis, quasi acetum dentibus & fumus oculis, Prouerbio. 10. Similes deinceps fucis, qui aluearia apum seu laborantium, consumunt, cum ipsi nihil contribuant uel conferant, ut ait Plato dial. 10. de legibus post Hesiod. lib. 1. oper. Proinde comites ignauiæ etiam sunt, mollities, effeminatio, torpor, uitæ nimiũ studium; subestq; timiditas, & contentiones, detractio, Aristot. de uirtutib. Et Plutar. in princ. libr. de tranquilli animi, medicamentum corporis noxium, dicit segnitiam & inertiam: quod inferat torporem, mollitiem, socordiam; amicorum, necessariorum, patriæque desertricem. idcirco & huiusmodi homines, legibus, rebus & possessionibus rerum suarum priuantur per usucapionis ius, ut illis indigni, & pestes rerum, quãdiu incultas eas & steriles retinent, quæ aliis possunt esse usui. Nam ut ait Horat. 1. sermo. saty. 3.
Neglectis urenda filix, innascitur agris.
Solonque legislator in mãdatis Areopagitis reliquit, ut de desidiosis & inertibus suppliciũ sumeret, utq; artificio omnes alicui uacarent: neq; filius cogeretur alere patrem, a quo artificium aliquod non didicisset, teste Plutar. in uita Solo. Romani quoque, eũ qui indiligenter fundum suum arasset, uel passus fuisset sordescere, uel uineam haberet derelictui, infamiæ nota puniebant, Gellius li. 4. Noct. c. 13. Comprehenditur & hoc uitio, non tantum nihil agere, sed negligenter & oscitanter negotia officia pertractare: uel cum tristitia, ut inuito animo labores subire, lente & dormitanter ac si mãdragoram bibissent, sicuti ait Demosthe. 4. Philippica. Fugit namque hæc ardua, fastidit uirtutis labores, ideo eos omittit, uel perfunctorie perficit, tepideq; & morose protrahit diẽ operis, mẽtes uagas reddit, pusillanimes, sordidos in otio, loquaces, detractores, curiosos. Sunt tamen, qui ualde laborant & inuigilant, sed
non

non pro uirtutis actionibus: ideo illas segniter exequitur & pigri & inertes pro sua salute sunt, quantumuis prudentes negotiatiores, subtiles, usurarii; sic,

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.

Vt decipiant aliquem plerique, omnem mouent (ut dicũt) lapidem: alii ut uirginem & coniugem polluant alterius, maximos suscipiunt labores: & in summa non dormiunt impij, nisi cum malefecerint. Sed hic labor in malo, semper autem in bono inertia, unde & eo detinẽtur hi quoq; uitio: peccant & grauius, quot norint in rebus seculi labores obire; pro salute autem propria, & uirtute nullos uel minimos & nisi coacti obeant. Vt merito dicamus inertium tres esse species: unã eorum qui in nullo laborent, ut sues in otio conditi; alteram eorum qui nihil boni agant, sed perditissime ut uiuant, laborant. Tertiam eorum qui in malis strenui sunt inq; rebus seculi, & pro salute animæ, ualde sunt tepidi & segnes.

Antidota acediæ. *Cap. 25.*

MOrbo inertiæ succurritur in primis, dum recordabimur conditionis nostræ, quæ addita labori est, ut in sudore uultus uescamur pane nostro, Genes. 3. & prouerb. 13. panẽ otiosum non comedes.

πᾶς δ' ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων
κ' οὐκ ἔστι πόνων ἀνάπαυσις. Euripides in Hippol. actu. 1.

Aerumnosa est omnis uita hominum,
Nec est laborum nlla requies.

Et Iob 5. homo nascitur ad laborem. Et Psalm. 127. labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Laborandum in hoc seculo, ut in alio quiescamus. Et πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθ' οἱ θεοί, id est, omnia labore & sudore hic uendunt boni Dei, ut ait Epicharmus apud Xenoph. de dict. Socr. & pro maximis præmijs, maxima oportet subire certamina, ut Octauius dicebat ad milites libro 50. apud Dion. Cassium. Dum tempus habemus, operemur bonum; ueniet enim nox, scilicet mortis, in qua operari nemo poterit. D. Ioan. Euang. c. 9. Datum unicuiq; talentum, saltem unum est, nec est aliquis qui beneficium a'i quod a Deo nõ acceperit, in quo operari debeat; negotiemur in eo, ut cũ usuris possimus, rationẽ reddituri cũ domino of-

ferre

ferre,ne audiamus grauem illam reprehensionem D. Matth. 25.serue male & piger,&c. Atque quemadmodum D.Paul.ait 2.ad Thessal.3.si quis noluerit operari,non manducet,& Pindar. Pithiorum ode 5. epod. 2;

πόνων δ' οὔτις ἀπόκλαρός ἐστιν
οὔτε ἔσεται. id est,laborum nemo exor est, neque erit.

Fugienda,inquit D. Bernard. otiositas mater nugarũ, nouerca uirtutum.Inter seculares nugę,nugæ sunt;inter sacerdotes blasphemiæ. Et Nilus Episcopus & martyr in Gnomis,matrem uitiorum segnitiẽ ait,quæ enim possides auferre solet, quæ uero non possides,ne ea consequeris,prohibet.

De diligentia. *Cap. 26.*

Diligentia,est cura studium, & solicitudo eorum quæ ad animũ pertinent,quia ea quæ diligimus,unde diligens ea studiose & solerter agamus. Quamobrẽ diligentia, laborẽ habet iucundũ,& ex parte illum leuat; quod non multum nobis laborare uideamur,in eo quod diligimus. Talis strenuitas quæ est ad res gerẽdas prõptitudo, ἀνδραγαθία, unde strenui milites,& magistri pecorum apud Colum.li.8. Et apud Cic.ad Q. fratrem strenue ædificare,id est, diligenter.

De fraude,dolo,calumnia. *Cap. 27.*

De fraude,dolo,& calumnia late dicemus,Deo fauẽte, in iuris epitome. Quare quædam tantum breuiter,ut satis faciam ordini constituto, delibabo. Fraus & dolus, habent affinitatem cum calumnia,in animo circunueniendi,Cice.1. offic.ut aut fraude iniuria sit:Fraus quasi uulpeculæ,uis leonis uidetur, utcunq; ab homine alienissimum,sed fraus odio digna maiore.Fraudare itaq; erit rem alterius astute interuertere uel intercipere,& fraus deceptio & circunuẽtio. Arist.li.5. polit.c.4 Fraudẽ in persuasione nocente, uel a principio quãdo falsa est & decipiens, uel quando postea talis esse incipit, ponit.Et libr. 1. histor.anim.capitulo 15. in uersutia, dũ ait, Quibus pars interior plantæ non caua, sed ita planiuscula est ut solum solo attingat uestigio,ij uersuti sunt & fraudulenti. Sic simulator dicitur ore decipere amicum suum,Prouerb.11. Dolus latens pater,& est omnis calliditas,fallacia,machinatio

ad circumueniendum,fallendum,decipiendum alterum adhibita,ut ait Cic.3.off.& apud iurisconſ.ex mente Labeonis Vlpianus in l.i.§.dolum ti,de dolo.lib.4.ff tit. 3. Dicitur bonus dolus aliquando,pro ſolertia qua decipitur hoſtis,& circumuenitur per ſtratagemata,uel alio modo.Sic D.Pau.2. Cor.c. 12.dixit ſe Corinthios dolo cœpiſſe. Et bonus dolus ſæpe ſimulatio pro ſalute ſua eſt,non ſecus ac ſepiæ in piſcatu, ut ſe conſeruent,emittunt atramentum,turbato loco in quo ſunt ut lateant,teſte Suida.in uerbo ἐπιτίλγστεν,& Plin.li.9.c. 29. ubi de polipis idem refert,quodque imitentur ſaxi cui adhærent colorem.Dolus,cum aliud fit,aliud ſimulatur:doloſus vir duplici corde:unde Deus de Nathanaele,qui libere,quæ ſentiebat proferebat,uere hic Iſraelita, in quo dolus non eſt. D. Io.c.i.Et Pedius iuriſc.dicebat dolo malo aliquid fit, quoties circumſcribendi alterius cauſa aliud agi ſimulatur apud Vlpi. in l.7.§.dolo malo,de pact.lib.2.ff.ti.4.& in §.ſed ſi fraudandi eiuſdem.l.7.ait,ineſſe dolo fraudem. Fit autem dolus, & fraus,& re,& conſilio,aut utroque modo:quæ Deo fauente diſtinguemus latius in iure,ubi tractabimus, reipſa ſolum fraudem,& dolum,ſine conſilio in deceptione uix puniri.Iubent autem leges omnes diuinæ,dolum malum abeſſe, & puniri, pſal.5.& 72.54.Eccl.10.i.Pet.2.Prou.11.Mal.i.puniebāt ciuiles leges olim dolos in tutela tātum commiſſos:& lege lectoria,dolos in adoleſcentes,iudicia in maiores.Quamobrem vitium hoc fugiendum eſt,homini potiſſimum chriſtiano, cui mandatum eſt 1.ad Theſ.4.in negotio ne circūueniat fratrē ſuum. Et iſta plerunq; pertinent ad circumuentionem ob bona externa.At calumnia famam impetit maxime eorū cōtra quos fit,uel caput & uitam:unde calumniari eſt,falſa crimina intendere,ut & latius,dum de criminibus agetur,ſi Deus velit extantq; tit.de calumniat.& ſi calumniæ,& dolus malus inſit uerū qui ob malitiā,in aliud nomen peius degeneret, prohibetur hoc uitium Leu.19.non facies calumniam fratri tuo. Et Iſa.54.recede procul a calumnia, & Luc.3. neque calumniam faciatis. Dirum namque & impiiſſimum uitiū hoc, quo multi innocenter opprimuntur,Prou.28.trux communis, & multorum malorum cauſa,ut ait Ariſto.in rhet.ad Alex.dum agit de exordijs,ut non immerito Dauid pſal.118 ad Deum, etiā rex,clamet,redime me a calumnijs hominum.Calumnia Ioſeph iuſtus in carcerem detruſus,Gen.capit.39. Suſanna oblata ſupplicio,Daniel.ca.12.Conſiſtit autem in falſa delicto

rum accusatione. Quanquam & hodie nouus calumniæ modus inuentus sit, non uituperando, sed laudando, famæ, ac cõmodis hominum insidiari. Quod uitium in aulis principum ortum, usque adeo inoleuit, ut ea loca, tanquam proprias sedes, uideatur elegisse, ut ait Polybius in fine libro primo. Mẽdacium perplexum, & dolo plenum est, ut ait Suidas in uerb. ἀδόλος.

Antidota ad fraudes, dolos, & calumnias expurgandas.
Cap. 28.

SAnior medicina, & regula esse non potest illa naturali, qua statuitur alteri ne feceris, quod tibi fieri nolis: hac certe fraudes omnes & doli, & calumniæ impijssima nobis erũt si recordemur quoque, instare fraudantibus, & calumniantibus, pęnas sæuissimas, ut saltem timore pęnæ facere desinamus, quæ ob uirtutem contemnimus Recordentur & fraudulenti sæpe dolosos, dolis decipi: sicuti contigit Lysandro Lacedæ duci, qui erat uersutissimus, multiplex, & subdolus, ut ait Æmi. Probus in eius uita, & M. Cicer. primo, offic. quique solebat dicere, ubi leonina pellis non sufficeret, ibi uulpinam esse assuendam: idemque iubebat, pueros taxillis, homines uero iureiurando fallere, ut narrat Plutar. in Lysan. Tandem tamen, ut ait Æmil. imprudens ipse fuit accusator sui apud Ephoros, deceptus solertia Pharnabazi Satrapæ regijs. Is enim Pharnabazus, cum Lysander præfectus classi Lacedæ, in bello multa quidem crudeliter auareque fecisset, deque ijs rebus suspicaretur ad suos fuisse perlatum, cumque petiisset a pharnabazo, ut ad Ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset, sociosque tractasset, is inquam, Pharnabazus, liberaliter pollicitus multis uerbis librum grauem conscripsit, in quo summis efferret cum laudibus, quem cum legisset, proba'sset q; alterum pari magnitudine ut discerni non posset signatum subiecit, in quo accuratissime eius auaritiam perfidiamque accusaret, quem detulit ad Ephoros Lysander. Sed & simulatores & callidi prouocant iram Dei, Iob 36. Scriptum, & Ecclesiast. capit. secundo, Væ duplici corde. Idem, & Iacobi 1.

De

De bona fide. *Cap.* 29.

DE bona fide quædam diximus, in fidei acceptionibus, estque hæc contraria fraudi, & dolo, & calumniæ; cũ quis pure, & simpliciter, uereque facit, sine deceptione aliqua, uel proximi circumuentione. Ita corde syncero, & sine fraude vir simplex dicitur, Gen. 20. Iob 1. Simplex & rectus, Prouer. 2. & 3. id est, sine dolo. ita intellige si oculus tuus fuerit simplex, & totum corpus erit. Matth. 6. & cap. 10. estote simplices sicut columbæ.

De impudentia. *Cap.* 30.

IMpudentia, est inuerecundia, ἀνεσχυντία, id quod non habet uerecundiam, sine pudore. Qui in nulla re uerecundatur, impudens est, & deficit a medio uerecundiæ: sicuti exuperatis, qui in uniuersis uerecundatur, qui pauidus dicitur, ut ait Arist. li. 2. Eth c. 7. & rursum li. 1. magno. moral. c. 30. impudẽs est, qui ubique & in omnes loquitur, & omnia utcunque euenerint Docet id Cic. his uerbis, uitium esse: (ad Herennium) qui uerecundiæ semel fines transierit suæ, uere, & gnauiter oportet esse impudentem; id quod est sine pudore, quod temerarium, impudicum est: itaque hoc uitium late patet, dum quis non erubescit ubi oportet. Meretricium hoc proprie uitium dicitur a Hiere. 3. Facta, inquit, est tibi frons meretricis & noluisti erubescere. Explicat & idem propheta, impudentiam esse nullo pudore affici ob delicta facta, dum ca. 6. & 8. ait. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt, quin potius non sunt confusi, & nescierunt erubescere, in quo actum esse de salute illorum insinuat: eo quod excusso pudore, sine conscientia, cuius index pudor est, ad omne nephas quis audiendum se demittit. Nam ut ait Plau. in Bacchid. Ego perisse illũ dico, qui quidem perit pudor. Et Sil. in 1.

Tunc pudor accendit mentem, nec conscia fallit
Virtus pressa loco.

Et rursum Plau. in Pseud.

Periere mores, ius, decus, pietas, fides,
Et qui redire nescit cum perit pudor.

Impudicos detestatur Deus, & a regno cęlorum eiicit, Apocal. 22. & ad Eph. 4. impudentiam comitem esse intemperantiæ dixit Arist. libel. de uirtutib.

De verecundia. Cap. 31.

VErecundia, inquit Arist. lib. 2. Ethic. c. 7. uirtus non quidem est, sed mediocritas circa affectus: quæ laudetur tamen, habeatq; duo extrema, in exuperantia pauidū, in omnibus uerentem: in deficientia, & nullo uerentem impudētē. Et rursum mag. Moral. lib. 1 c. 30. uerecundia est, inter impudentiam & stuporem medietas, in actionibus, colloquiisq; constituta: uerecundusq. non in omnibus, ut attonitus trepidabit, uerum aget loqueturq. ubi, & quæ, & quando expediat: neq; tamen cuncta & omnino agit dicitque ut impudens facit. Et lib. 2. Rhetor. ad Theod. c. 6. Sit igitur, inquit, uerecundia dolor quidam atque perturbatio ex malis, aut præsentibus, aut præteritis, aut futuris, quę infamiam inferant. Inuerecundia autem, contemptus quidam eorum, aut impassibilitas. Si ergo uerecundia est, necesse est in his malis erubescere, quæ uel ipsis uel iis qui sibi curæ sunt, dedecori esse uidetur: qualia sunt quæ a uitio proficiscuntur, ut scutum amittere in bello, aut fugere, quoniam ex metu: negare depositum, quoniam ex iniustitia: commisceri quibus non oportet, uel ubi non oportet, uel quando non oportet, quoniam ex libidine, & sic de similibus quæ subiicit. Verecundia ergo metus iustæ reprehensionis est, ingenuitatis & modestiæ signum, quare affine uirtutibus ponitur uerecundari, non autem pudere: quia pudor, est animi sibi male conscij ob scelus aliquot perpetratum: sic pudet a malis: piget autem, cum pœnitentia factorū afficimur. Et pudere est, in his quæ turpiter fiunt: pigere, in his quę cum dāno & malo. Pudere ad dedecus secundū Donatū, pigere ad dolorē refertur, et si quędam horū aliquando promiscuè usurpentur. Sic in bonis erubescendum non est, sed constanter & intrepide res facienda aut dicenda, ut D. Paul. ad Rom. ca. 1. Non enim erubesco euangelium, & Lucæ 9. Qui me erubuerit & negauerit corā hominibus, negabo & eum coram patre meo. Ante peccatum primi parentes nudi, nec erubescebant, post peccatum statim erubuerunt, Gene. 2. & 3. & nunc mulieres quoque pudicæ, erubescunt si nudę uideantur, cuius pudicitiæ insigne celebratur exemplū Lysidicis, quā ferunt apud Græcos eius fuisse pudicitiæ, ut ne tum quidem cum lauaretur, solita fuerit subuculam exuere. Ferunt item aliam Philoterem,

terem, cum in labium balnei descenderet, quantum corporis aquæ immergeret, tantum ab inferiori parte sensim detegere assuetam, subucula paulatim ad superiora subducta: cumq. aquis tota emergeret, eadē ratione superiora corporis amictu tegere, ut scribit Theodoretus episcopus Cyrēsis lib. 12. de cu rat. Græca. affect. Graue scelus existimatum est Chami, uerēda patris sui detecta non operuisse, sed inspexisse, Gen. c. 9. Iniuriam sibi maximam irrogatam duxit uxor Cādaulis regis Lydorum, q eam nudatam ostendisset Gygi sodali suo, ut ideo mortem illi molita fuerit, teste Iustino ex Trogo lib. 1. & Herodo. in 1. Qui & addit apud Lydos & barbaros cæteros quoque magno probro esse, etiam uirum conspici nudum. Et mulier quæ temere uerenda hominis cum quo rixatur apprehenderit, manu ea mutilari debet, lege Dei Deute. c. 25. Commēdatur mulieribus maxime uerecundia. 1. Timoth. 2. utpote quia illa sit custos pudicitiæ. Refert Dion. Cassius lib. 58. hist. Roma. Romanos, morti adiudicasse uiros quosdā, q obuiam facti fuissent nudi Liuię matri Tyberij Cęsaris, ni illa eos eri puisset supplicio, dicens, pudicis mulieribus hos nihil ab statuis differre. Plato lib. 5. de legib. liberis, inquit, non auri, sed pudoris multum oportet relinquere. Putamus autem uerbis, impudentiam iuuenum castigando, id nos imperaturos: & sapiens legislator, senioribus præcipiet, ut sint corā iunioribus uerecundi, ac summopere caueant, ne quis iuuenum eos aut uideat, aut audiat agentes turpe aliquid aut loquentes. Nam ubi senes impudentes sunt, ibi necesse est iuuenes esse impudentissimos. Terentius in Adelphis.

Pudore & liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.

Nam certe uerecundiæ affectus non ad quamuis ætatē, sed ad iuuenilem maxime accommodatur. Censemus enim eos, qui eius ætatis sunt, uerecundos esse oportere: ut cum nō sine perturbatione uiuant, multumq; ob hoc peccēt, a uerecūdia prohibeantur delinquere: & laudamus talem iuuenem, cū tamen senem quod uerecundus sit non laudemus: Nihil enim eorum eum agere debere sensemus pro quibus emergere uerecundia solet: Neque enim uerecundia homini probo competit: quippe cum pro rebus improbis fiat. Arist. libr. 4. Et hic ad Nicoma. cap. 9. Veruntamen in omnibus quibus accidit semper natura, iuuenes & robustissimos quoque, uitij sui

admonet:unde & quidam tunc maxime timendi sunt, cum erubuerint,quia omnem uerecundiam effuderint. Et hæc, & plura alia de uerecundia Sene.li.i.epi.epi.11.additq. magnã partem peccatorum tolli,si ueluti teste uerecundia uiuamus, & qui sic uereri potest,tandem fieri uerendum.Et uidetur monere natura mulieres ad pudorem, quando uirorum cadauera supina fluitare,fœminarum prona faciat submersa, ueluti pudori defunctarum parcente natura,Pli.li 7.c.17.pudoris sedes in genis,seu malis infra oculos in homine:ibi.n.maxime ostenditur pudor,Pli.li.11.c.27.Arist.probl.sect.31.q.3.ait homines iratos,maxime erubescere oculis; pudefactos auribus, quia oculi eorum quos puduit refrigerantur,nec respicere ualent quos pudor tenet:& timor quoque, refrigeratio eiusdẽ loci sit.calor autem in partem transeat aduersam,quæ posterior est.Iratis porro præsidium in eam partem tanquam uiolatam transmittitur.Tamen sect.11.q.32. latius quam in aures uerecundiam se diffundere dixit. Trepidantibus autem calor,inquit,loca petit superiora,ut etiam pudore affectis effert idem sese ad faciem. Veruntamen in oculis uerecundia dicitur,quia uerecundia est imaginatio de ignominia sui gratia,cum facimus,uel fieri uidemus,quæ alios turpia,& iniqua opinari putamus,ut ueraces senes. quare uerecundantur quæ oculis cernuntur,quæ in propatulo fiunt, unde in oculis pudor.Qui autem errant,& persuadent sibi contraria, non uerecundantur,Arist.lib.2.Rheto.ad Theod.cap.6.

FINIS.

INDEX
LIBRORVM.
ET CAPITVM.
TOMI II. SYNTAXEON.

LIBER VIII.

LIB. IX.

LIB. X.

de

LIB. XI.

LIB. XII.

LIB. XIII.

LIB. XIIII.

LIB. XV.

LIB. XVI.

partes

LIB. XVII.

LIB. XVIII.

LIB. XIX.

de

de

LIB. XXVI.

LIB. XXVII.

LIB. XXVIII.

de

LIB. XXIX.

LIB. XXX.

LIB. XXXI.

LIB. XXXII.

LIB. XXXIII.

LIB. XXXIIII.

LIB. XXXV.

LIB. XXXVI.

LIB. XXXVII.

LIB. XXXVIII.

LIB. XXXIX.

de

LIB. XI.

INDEX RERVM INSIGNIVM ET VERBORVM ISTIVS OPERIS;

Cuius prior numerus significat librum: secundus caput; tertius paginam.

alte-

autum.

cha-

cu-

E

ergo-

I

ira

lapi

de

subie-

N

picturæ

cæle-

pugnandi-

S

spe-

T

tactus

terra-

Ss uenat-

FINIS.

REGISTRVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ.

Omnes ſunt quaterniones prẹter S. & Sſ.

Venetijs, Apud Iacobum Cornettũ.

Ad inſtantiam Damiani Zenarij.

M. D. LXXXVI.

60
1000
15
1075